KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK
0614 8792
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PVBLII
VIRGILII MARONIS
QVAE VVLGO FERVNTVR CARMINA
CVLEX CIRIS COPA MORETVM

RECENSVIT

ET

HEYNII SVASQVE OBSERVATIONES

ADDIDIT

IVLIVS SILLIG

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

LIPSIAE
SVMTIBVS LIBRARIAE HAHNIANAE
MDCCCXXXII.

LONDINI
APVD BLACK, YOVNG & YOVNG.

Digitized by Google

PVBLIVS
VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS
ET
PERPETVA ADNOTATIONE
ILLVSTRATVS
A
CHRIST. GOTTL. HEYNE

EDITIO QVARTA
CVRAVIT
GE. PHIL. EBERARD. WAGNER

VOLVMEN QVARTVM
CARMINA MINORA QVAESTIONES VIRGILIANAE
ET NOTITIA LITERARIA

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

LIPSIAE
SVMTIBVS LIBRARIAE HAHNIANAE
MDCCCXXXII.

LONDINI
APVD BLACK, YOVNG & YOVNG.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

IULII SILLIG

Septem anni sunt elapsi, lector benevole, ex quo Gottingae auctore inprimis b. Spohnio consilium cepi quatuor quae hoc volumen carmina continet emendandi et illustrandi. Ex eo inde tempore summo studio conquirebam, quaecunque huic labori rite incipiendo et absolvendo necessaria et utilia putabam, nec ignarus, omnem rem ab emendatione verborum maximam partem corruptissimorum pendere, codices MSS. quam plurimos mihi parare studui, editionibus veteribus libentissime carens, quarum in his carminibus fere nullus est usus, nisi

Digitized by Google

Editionem Principem Ciris et Aldinam a. 1517. exceperis. Postea Parisios profectus partem otii mihi concessi his quoque carminibus ad codd. Bibliothecae Regiae excutiendis impendi, unde factum est, ut non prorsus exiguam codd. copiam nanciscerer, quod potissimum in Ciri eo magis mihi gratulor, quo pauciores huius carminis libri manu exarati ad nostram usque aetatem pervenerunt. Omnia mea subsidia in epimetris singulis carminibus praemissis enumeravi, quem indicem nunc relegens denuo sentio, quantum in hac re Eberto, Gerlachio, C. B. Hasio, Ludovico de Ian, Orellio, Van Praetio, Wellauero et aliis viris et humanitate et doctrina conspicuis debeam, qui vel codices suae curae demandatos mihi utendos permiserunt vel, quando id fieri non potuit, ipsi in usum meum excusserunt. Qua lectionum variantium farragine auctus ad ipsum laborem audentiori animo progredi potui, quo in suscipiendo id unum aegre ferebam, omnem ab Heynio iam collectum apparatum criticum denuo a me repetendum et commentario meo inserendum esse, nisi vellem, lectores

Digitized by Google

mei opusculi quovis in versu Heynii etiam editionem ultimam inspicere. Sed quum iam omnia editioni futurae pararem, accidit ut Wagnerus meus, qui eum amorem et benevolentiam, qua ipse praeceptor me discipulum ornaverat, usque mihi conservavit et in posterum mihi conservare velit, me praesente doleret, se difficillimo Virgilii edendi officio paene obrutum haec quoque carmina retractare cogi, quae semel Heynius in editionem suam recepisset. Tum ego illi operam meam offerre, quam quum Wagnerus non recusasset, illico me accinxi quaeque parata habebam expromsi atque disposui. At quorsum haec omnia, inquies, lector benevole! Ut paupertas mea cum dapibus Wagneri comparata aliquam certe penes te inveniat excusationem, qui ausus sum, meas nugas doctis illius atque laboriosis chartis apponere. Utut est, res iam eo perducta est, ut opella mea prodeat, quam diutius etiam in scriniis meis servassem, nisi ratio librarii honestissimi et descriptio totius editionis aliam mihi legem scripsisset. Licet enim illud profiteri possim, me huic parti operis Virgiliani

Digitized by Google

omnem quam potui diligentiam impendisse et quantum equidem scio nihil quod legentes offendere possit intactum reliquisse, nemo tamen me melius cognitum habere potest, quid futuro horum carminum editori etiamnum praestandum sit. Corruptelae enim in iis sunt fere innumerae, neque plane officio meo defuisse mihi videbor, quum aequi harum rerum indices aliquam etiamsi parvam illarum partem meo studio remotam, maiorem certe a me indicatam viamque illis aliquando felicius succurrendi munitam esse arbitrabuntur, quod cur inprimis de Culice valeat, in epimetro exposui.

Quum vero iam Heynius intellexisset, interpretationi quam dicebat perquam exiguum in his carminibus spatium concedi, rei potius cardinem in emendatione verborum versari, omnia mea paucissimis exceptis additamenta uncis inclusa et asterisco praefixo notata varietati lectionis inserui, quae quum inde adeo crevisset, ut vetere editionis Heynianae forma servata plerumque in singulis paginis singuli carminum

Digitized by Google

versus lectitati fuissent, huic incommodo ita mederi satius duxi, ut omni varietati lectionis ad calcem cuiusque carminis reiecta verbis poetarum nonnisi brevem Heynii interpretationem supponerem accurate praeterea indicans, quibus in rebus haec mea recensio ab Heynii editione ultima recederet. Non enim verebar ea quae praeferenda mihi videbantur in ipsam poetarum orationem recipere, quum his in carminibus vulgatae quam dicunt lectionis nulla ratio habenda esset, quod eorum causa moneo, qui fortasse iudicium de opella mea laturi hanc etiam ob rem me reprehendendum censeant, quod iusto saepius vulgatam vilipenderim. Discrimen certe aliquod est faciendum in tractando eo poeta, cuius multi iique boni codd. exstant, et eo qui tantum paucorum et corruptorum librorum ope ad nos pervenit. Quum enim in illo valde periculosum sit, scriptura codicum omissa ingenio suo plus tribuere, ita in hoc coniecturae amplior locus dari potest, et quod nimiae audaciae opprobrium in multis aliis quos afferre possem poetis merito extimescerem, id in appendice mea Virgiliana mihi fieri patiar, siqui-

Digitized by Google

dem editoris est, verba scriptoris alicuius corrupti ita tractare ut certe sensus inde exeat et grammaticae legibus suum ius tribuatur. Soli autem mutandi libidini minus, quam varietatem scripturae Heynianae intuens putare possis, me indulsisse inde colligere poteris, quod ubi verba ex mea sententia mutavi, codices semper mihi praeibant, sive ipsi veram lectionem exhibentes, sive per corruptelas ad verum reperiendum ducentes, ter quaterve tantum, si recte memini, omnibus codd. contradicentibus de meo aliquid in textu reposui. Et ut lectori suum iudicium maneret, omnem lectionis varietatem etiam in rebus minutissimis apposui, ubi hanc regulam mihi scripsi, ut quando codd. a me ipso collati cum hac mea recensione consentirent, nihil de iis monerem, unum in Culice excipiens Colbertinum III. de quo vide pag. 22.; quodsi tamen interdum in locis corruptioribus omnium codd. lectiones deinceps enumeravi, nemo me in aliis negligentiorem fuisse putet. In Copa dispositionem Heynii secutus varietatem lectionis interpretationi inserui, excursum autem quem Heynius Ciri addiderat in ipsam interpretationem carmini

Digitized by Google

subiectam recepi, quod ea de causa dico, ne lector pristino in loco quaerens eum a me omissum putet. Indices verborum quos initio adiicere in animo erat, Wagnero etiam auctore omisi, quia eorum nullam utilitatem fore praevidebam. Oratio enim adhuc nimis est incerta et repetitis in posterum curis Virorum Doctorum opus erit, priusquam ea ita stabilita et composita erit, ut de usu loquendi, quem poetae qui haec carmina scripserunt secuti sunt, certi aliquid pronunciari possit. Confeci autem brevem earum rerum indicem, de quibus in additamentis meis sum locutus, Heynii commentarium non respiciens, in quo quid annotatum sit, ipse Vir Egregius in suo indice docuit. Unum est quod addam, omnes Wakefieldi et Bothii coniecturas in hac editione commemoratas inveniri, non quod inde magnam utilitatem redundare putem, sed ut lector uno obtutu omnia conamina ad hunc usque diem in emendandis his carminibus facta comprehendere possit.

Hac igitur editionis meae ratione reddita nihil superest, nisi ut tibi lector bene-

Digitized by Google

vole me resque meas commendem teque rogem, ut quae in hoc libello a me peccata fortassis haud pauca invenies, non negligentiae et socordiae sed communi hominum imbecillitati tribuas. Scribebam Dresdae d. XII. m. Maii MDCCCXXX.

Digitized by Google

PRAEFATIO
HEYNII

Minora haec carmina a Virgilii recensione bene abesse poterant; etiam eo respectu, quod iuvenili ingenio seu capiendo ac detinendo seu ornando vel locupletando exigua in iis proposita est materies; et memineram Burmannum Secundum (in praefat. Anthol. Lat. pag. XXXV) selectis iis, quae ad Anthologiam Latinam facerent, reliquae Virgilianae appendicis in separato volumine edendae spem fecisse. Cum tamen in alterum Anthologiae volumen *Diras*, quod unum ex iis maioribus carminibus est, inseruisset: spes illa aut incisa aut in incertum eventum producta videbatur. Mox audieram, prelo subiectos esse Io. Schraderi libros Emendationum, quorum capita plura in *Culice* et *Ciri* corrigenda occupata essent. Cum tamen in fronte nostrae editionis promissa essent Virgilii opera, et carmina haec Virgilianis plerumque subiungi soleant, etiam in Heinsiana editione, quam in nostra hac repetere constitutum erat: accinxi me ad eadem carmina iterum recensenda, inprimis cum seu critica seu interpretatione ea omnium maxime indigere viderem. Adiunxi *Copam* et *Mo-*

Digitized by Google

retum; causam in praefatione ad ea carmina dixi uti et de ceteris carminibus satis dictum est in Prooemiis, quae singulis praemissa sunt. Universe autem de poematiis his haec monuisse sufficiat: ex pluribus ea codicibus, in quibus modo unum et alterum modo plura seorsum extabant, aut Aeneidi vel Bucolicis ac Georgicis erant subiecta, in unum esse collecta, nec tamen statim omnia. In ed. pr. 1467 ***Culex***, ***Dirae***, ***Copa***, ***Est et Non***, ***Vir bonus***, ***Rosae***, ***Moretum***, ***Priapeia***, ***Epitaphia*** et alia erant descripta; in altera autem recensione accesserant ***Aetna***, ***Ciris***, et ***Catalecta*** (vid. de Edd. Virgil. h. a.) In ed. 1471 s. l. et typogr. (vid. ibid.) tantum prior Romana episcopi Aleriensis repetita esse videtur; auctus carminum numerus, adiecto quoque libro Aeneidis XIII in edd. Ven. 1472 cum per Barthol. Cremonensem, tum per Ant. Zarottum (conf. ibid. h. a.). Ab eo inde tempore pleraeque huius saeculi editiones minora illa carmina repetiverunt, diverso tamen ordine et loco, ut in hanc vel illam recensionem ii, qui eas curabant, inciderant; nec multum utilitatis ex earum comparatione exspectari posse intellexi. Interpretari quoque nonnulla aggressus est Domitius Calderinus et Pomponius Sabinus, omnia Badius Ascensius. Nova tamen horum carminum recensio non facta est, nisi in Aldina editione 1517, de qua in Recensu edd. dictum est, et dicetur mox ad Culicem. Nihil posthaec seu opis seu studii accessit, etsi saepius recusis carminibus, et, quod mireris, haud raro ad antiquiorem lecitonem, ut in Iunt. 1520 ab Ant. Francino Varchiensi curata, et Lucae Ant. Iunt. Ven. 1533, Rob. Stephani 1533, usque dum Scaliger Appendicem Vir-

Digitized by Google

gilianam adornavit 1573, repetitam a Guellio 1575 et auctis nonnullis emendatisque a Scaligero, cura Lindenbrochii, apud Franc. Raphelengium 1595, tum sub Catalectorum nomine novoque titulo praefixo 1617 apud Io. Maire; nam ab Appendice separata sunt Catalecta libris duobus. Repetita sunt quoque eadem in Pithoeana Epigrammatum et Poematiorum veterum collectione 1590 et 1596, nulla tamen, nisi in paucis locis, quae tacite emendata sunt, opera collocata; in Emendationibus ad Poematia monetur: haec opuscula, inprimis vero Culicem, Cirin et Aetnam, ampliores notas aut potius iustos commentarios desiderare; itaque ea seponi ad meliora otia. Inde in Heinsianis editionibus servata tantum sunt ea, quae aliqua saltem cum ratione probabili ad Virgilium referri poterant. *)

Cum interpretationis omnis severior ratio a lectionis veritate proficiscatur: in his, quae a me curanda erant, criticae subtilitati coniectandique licentiae tribuendum erat plus, quam aut mos meus, aut otium, aut ingenium fortasse ferebat; nec unquam ad emendandi hoc genus, quod non in sententiis per emendationem constituendis, aut in orationis castitate et integritate vindicanda versatur, verum in librariorum erroribus congerendis, et in verbis litterarumque apicibus variandis verius quam corrigendis, haeret, satis magna me propensione animi ferri memini; etsi inter ingenui lusus genera nunquam non illud retuli, nec detrectavi aut refugi, quoties res ita ferebat, ut novandum aliquid esse viderem: hoc tamen iudi-

*) De Scaligeri et Pithoei opera in his Catalectis collocata vid. Burm. Sec. praef. Anthol. p. XXXI sqq.

Digitized by Google

cio adhibito, ut in eo, quod, circumspectis iis, quae ipsa res et verba et sententia posceret, sese offerret, acquiescerem; sin primo statim occursu nihil, quod satis probarem, se offerret, otium in vano conatu haud consumerem, sed, apposito seu monito seu iudicio, ad utiliora pergerem. Maiorem omnino ex idonea interpretatione eorum, quae sana sunt, et ex eleganti subtilique iudicio rerum ac sententiarum, proficisci utilitatem, et olim arbitratus sum et nunc, cur ab ea existimatione recedam, multo minus habeo; inprimis si inventorum fontem, tractationem et exornationem totiusque operis summam et colorem, si omnia haec, inquam, docte et sagaciter perspecta et explorata habeas, et de iis dilucide ac perspicue aliis praecipere possis. Monui itaque etiam in his carminibus, quae interdum, nam pauca in iis nitere fatendum est, prae ceteris probanda et bono poeta digna videri deberent.

Quod si his a me curatis ad litterarum harum, quae ad humanitatem ingenia fingunt, utilitatem quicquam profectum intellexero, in sinu gaudebo. Ad inanem doctrinae ostentationem multa moliri meum non est; quippe qui illam Phaedri sententiam meam faciam: *Nisi utile est, quod fecimus, stulta est gloria nostra.* Scribebam XXIII Sept. MDCCLXXV, refingebam d. IV. Martii MDCCLXXXVIII et iterum mense Iunio XCVIII, postremum CIƆIƆCCCIII.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

UT VULGO FERTUR

C V L E X

Digitized by Google

PROOEMIUM

IN CULICEM

Fuisse aliquando Culicem inscriptum carmen, vulgo pro Maroniani ingenii iuvenili fetu habitum, dubitari nequit. Docent id loca T. I ad Vitam Virgilii §. 28 excitata Martialis XIV, ep. 185, et VIII, ep. 56, 19. 20, Suetonii in Vita Lucani, Statii Silv. II, 7, 14*). Quibus adde eundem praef. Silv. lib. I, ubi veretur de Thebaide edenda: *Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam cognoscimus. Nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore proluserit.* Nonius quoque Marcellus p. 211 versum laudat in *labrusca* — „Neutro Virgilius in Culice: *Densaque virgultis avide labrusca petuntur.*" An tamen is ipse, quem nunc manibus terimus, pro Maroniano Culice habendus sit, non modo inde confectum non est**), verum etiam dubitari potest: quandoquidem istud alterum

*) Martial. XIV, ep. 185 *Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis.* VIII, 56 *Protinus Italiam concepit et* Arma virumque, *Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.* Sueton. in Vita Lucani: *Quin tantae levitatis, et tam immoderatae linguae fuit, ut in praefatione quadam, aetatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: et quantum mihi restat ad Culicem?* Statii Silv. II, 7, 73. 74 *Haec primo iuvenis canes sub aevo Ante annos Culicis Maroniani.*

**) Virgilio Culicem Io. Schraderus quoque vindicare voluit Emendatt. 1. 2.

Digitized by Google

carmen non invenustum fuisse necesse est; memoratur enim passim cum laude, et Lucanus non sine superbiae nota dixisse existimatus est: *et quantum mihi restat ad Culicem?* hoc autem, quod nunc habemus, splendet utique uno et altero loco, et habet laudes nonnullas; sed et tota illud summa peccat et plurima habet, quae vel parum subtili iudicio vix satis se probare possint. Quae ne temere pronuntiasse videamur, age de carminis argumento et habitu dispiciamus paullo accuratius.

Inter lusus refertur hoc carmen merito argumenti sui vi et natura. Culex, cum pastorem infixo aculeo e somno excitatum praesenti morte liberasset, quam subrepens ei serpens inflicturus erat, inflicta manu obtritus, sequente nocte pastori per somnum oblatus, de male relata gratia conqueritur, hominemque miseratione movet, ut tumulum culici exstruat. Nec tamen omnino poeta carmen epicum ioculare, cuiusmodi nostra aetas plura vidit, componere voluisse putandus est. Narratio est serio instituta, nec tamen epica, sed ad pastoritium seu bucolicum carmen propior, et delectare voluisse poeta videri debet, partim rerum narratione et descriptione, partim culicis de iniuria sibi facta conquerentis miseratione.

Argumentum, si intentiore animo contempleris, per se satis tenue ac ieiunum esse vixque magnum ornatum capere posse videtur. Cumulavit tamen ornamenta quisquis haec scripsit, et in ornamentis his maiorem operae partem consumsit; quod per se non erat improbandum, si ornamenta sagacitas aliqua ingenii ex ipsa re elicuerat; verum auctor ad locos poeticos communes fere omnia revocavit, quibus ita immoratus est, ut orationis ordinem et seriem penitus interrumpi et mentem a carminis summa abduci necesse esset, quod v. c. factum videas in loco de laudibus vitae rusticae, de arboribus ad fontem natis v. 122 sqq.,

Digitized by Google

in locis inferis, in Tartaro, in Elysio, in tumulo plantis conserendo. Nimium igitur in parergis haeret poeta; nec pravum hoc studium exemplo non minus pravo Catulli, in Pelei et Thetidos epithalamio, aut Panegyrici in Messalam Tibulli Elegis subiecti, defendi aut potest aut debet.

Est vero interdum puerilis prorsus in cumulandis et variandis rebus similibus copiae affectatio; quae, si vel maxime cum iuvenili aetate haec lusisse dixeris (Scaligerum, qui iam grandiorem natu Maronem scripsisse Culicem contendebat, nemo facile audiet aequo animo), vix tamen ab eo poeta proficisci potuit, qui Georgica et Aeneidem scripsit; ita ut aliquando in eam opinionem pronior essem, quam etiam Franc. Oudinum tuitum esse video (disp. de Culice Virgiliano in Misc. Obss. crit. nov. T. IV, p. 307), qua persuasum mihi esset, nos veterem illum Maronis Culicem omnino non habere. Occurrunt tamen altera ex parte loci carminis praeclari poeta bono haud indigni; video itaque haud paullo probabilius esse alterum: habere quidem nos carminis fundum aliquem Virgilianum, interpolatum tamen et oneratum infinitis aliorum laciniis intextis et interpositis. Ducit etiam eo diversitas illa locorum ac versuum in eodem carmine et variata per plures diversae notae versus eadem sententia. Quod si teneatur: facile et virtutum et vitiorum in hoc carmine caussae explicari totaque eius ratio constitui potest.

Scilicet, litterarum bonarum studiis, iam per rhetoricas scholas et *μελέτας* corruptis, fuit doctorum hominum male sedulorum mos, ut cum Ovidianis, tum Virgilianis, his tamen maxime, quandoquidem intra Virgilianam orationem omne fere poetices studium eorum temporum se continebat, versibus variandis, ornandis vel amplificandis, ingenium suum experirentur. Multa sunt sub Scholasticorum nomine in Anthologia Latina carmina,

Digitized by Google

quibus, interdum decies vel duodecies, eadem sententia vel idem versus variatur. Alii thema, quod vocabant, seu argumentum fabulae alicuius ex Virgilio vel aliunde desumtum versibus modo ex Virgilio consarcinatis in Centonis morem, modo ad Virgilii exemplum formatis, pertractarunt: utriusque generis exempla in Ausonio prostant. Sunt vero in his multa non malae notae carmina; sunt singula loca, singuli versus docte et ornate facti. Comparet v. c. aliquis narrationem de adulterio Martis et Veneris Anthol. Lat. P. I, Ep. 72. Non defuit homini, qui id carmen scripsit, ingenium nec poetica oratio: defuit iudicium ad summam carminis constituendam et ad eliminandam copiam otiosam et inanem. Adde ibid. lib. I, ep. 89 et al. Lecto itaque Virgilii carmine adscripserunt in margine codicis sui hi homines ea, quae ipsi tentaverant, ad variandam vel amplificandam sententiam; idque inprimis in minoribus his Virgilii carminibus factum apparet; multo autem maxime in Culice, cuius, si recte iudico, plus quam dimidia pars eiusmodi Scholasticorum versibus consarcinata est. Versus hos aut inter lineas aut in margine adscriptos librarii indocti, qui codicem describebant, forte etiam ut pleniorem codicem venditare possent, in ipsum carmen inferserant; atque sic evenit, ut illud interpolatum et, modo versibus satis bonis, modo inscitis et indoctis, aut hiulcis, et scabris, foedatum ad nos perveniret. Quod non animadversum fraudi fuit viris doctis, quos, tam diversae notae monetam eodem loco habentes, in multis trepidare necesse fuit. Unde facile potest intelligi, fundum quidem carminis esse posse Culicem illum Maronianum, sed attextas esse a Scholasticis et Grammaticis lacinias plurimas, quibus priscus carminis nitor plerisque in locis admodum attritus ut sit necesse est.

Atque haec ipsa faciunt, ut vix cum delecta-

Digitized by Google

tione, nec nisi ab eo, qui iam aliquantum in poetarum lectione versatus sit, legi possit hoc carmen*). Male enim cohaerent tot panni a diversis hominibus assuti, et natae sunt ex eo ipso corruptelae dictionis et sententiae plurimae. Aliter itaque his in carminibus instituenda fuit opera mea, quam in superioribus voluminibus, cum in interpretationis subtilitate maior studii nostri pars versaretur. Nunc enim ea fere tota ad criticas animadversiones, lectionemque constituendam vel emendandam, transferenda erat. Propositum itaque velim hoc volumen adolescentibus, qui in critico studio exercere ingenia volunt, tamquam campum, in quo lusus huius ingenui periculum aliquod faciant aut gustum saltem sibi comparent: ut tamen nec, uno et altero ludentis ingenii successu et laude exultantes vel vanitate blanda tumentes, in hac studii parte subsistant, omnemque litterarum bonarum laudem et fructum in una coniectandi et voces sonosque variandi calliditate positum arbitrati, maiora et graviora consilia, quae in legendis scriptoribus classicis proposita esse debent, negligant, mox etiam contemnant, se emendandis iis natos rati, quorum nec sententias, res et doctrinas assequuntur, nec elegantiae ac praestantiae sensum et iudicium rectum habent. Atqui critices studium subsidiarium esse debebat, haud primarium.

Ceterum, antequam lectionis originem et progressum ad emendationem satis accurate cognoscere liceret, molestiae in hoc et sequentibus carmini-

*) Patrio sermone, octonis versibus in strophas coeuntibus, redditum est hoc carmen a Spensero, poeta nobili Britanno (*Virgil's Gnat*), in eius Opp. Nec sine voluptate illud facile perlegas. Adeo mihi vel hoc exemplo patuit, quanto expeditius esset poetam carmine vernaculo reddere, quam verba subtiliter interpretari. Nihil enim vetabat sententias integras summatim efferre eiusve partes in quemcunque placeret sensum deflectere, aut verba corrupta aptis et idoneis permutare.

Digitized by Google

bus enarrandis devorandae fuere plurimae eaeque maximae. Nunc satis mihi liquet Culicem statim in editione principe vulgatum, inde in multis aliis editionibus repetitum, vix tamen criticam manum esse expertum ante P. Bembum. Nam in Domitii Calderini, Pomponii Sabini, et Badii Ascensii commentariis praeter vulgarem varietatem nihil occurrit, quod ad emendationem poetae faciat. Bembus autem praeter alterum illum codicem, qui totum Virgilium complectebatur, codicem perantiquum adhibuit, truncum tamen et mutilatum, quippe cui, praeter *iuvenilis ludi* libellum et Bucolica ac Georgicorum primi libri partem, nihil supererat (conf. De Virgilii codd. Mss. s. VIII). Liber autem ille iuvenilis ludi continebat ***Culicem***, ***Diras***, ***Copam***, ***Est et Non***, ***Vir bonus***, ***Moretum***, ***Rosas.*** Haec ipse Bembus exposuit in Dialogo ***de Culice et Terentii fabulis***, in quo ex codice illo Culicem recensuit. Exiit ille liber primum a. 1530 apud fratres Sabbios Venetiis: cum ex eo codice recensio minorum carminum Virgilii dudum facta esset ab Asulano. Aldus enim, in epistola ad P. Bembum editioni 1514 Naugerii auxilio emendatae praefixa, ***Virgilii lusus, quos Bembus correctissimos habeat***, ***tunc se editurum esse promittit***, ***cum ab eo acceperit***, quod futurum putabat brevi; verum morte praeventus fidem non exsolvit Aldus; perfecit tamen Asulanus, qui 1517 ***Diversorum poetarum in Priapum lusus***, ***P. V. M. Catalecta***, ***Copam***, ***Rosas***, ***Culicem***, ***Diras***, ***Moretum***, ***Cirin*** etc. edidit, emendata a se, ut ait, collatis pluribus exemplaribus. In hac Culicis recensione Bembini codicis lectio in multis locis recepta est, nec tamen in omnibus, quae Bembus mox ex codice suo constituisse videri voluit. Repetita illa est in aedibus heredum Aldi et Andreae soceri 1534, mutatis tamen passim lectionibus, inprimis in Ciri. Ut adeo triplex sit Aldina recensio; primo antiquior nec emendata ed. Ald. 1505, altera 1517 et

Digitized by Google

tertia 1534. Quae passim a me excitatur tamquam melioris lectionis fundus, media est anni 1517. Aldinam non vidi qui ante oculos haberet, praeter Ge. Fabricium, qui alia et ipse emendasse aut aliorum emendationem admisisse videtur. Heinsius tractavit tertiam. Sed Bembina castigatio a multis recepta est, inprimis Venetis et Antwerpiensibus. Comparavit mox veterem membranam, seu excerpta P. Pithoei, et aliam Ant. Contii ICti membranam, etiam editiones veteres, Iosephus Scaliger, idemque emendationes adiecit plurimas, doctas utique, sed raro ulla ingenii vel dictionis ac numeri facilitate se probantes. P. Pithoeus, qui haud multo post Scaligerum Epigrammata et Poematia vetera edidit, hactenus non nihil in Culicem et Cirin contulisse videri debet, quod in eo lectiones occurrunt nonnullae, quas apud alios non observavi. Scaligeranas emendationes sine delectu recepit omnes Taubmannus, qui Culicem commentario instruxit, sed qui totus ex Scaligeri opibus aliisque eruditis copiis, inprimis Barthii, qui Advers. lib. XX, 13 et 19. XXI, 3 et 9 et 18. 20 et 23 Culicem emaculare voluit, consarcinatus est; qui enim ingenio suo in iocis lusibusque adeo indulgere narratus est, Taubmannus, in re critica et perspiciendo sensu nec ingenio nec iudicio suo ipse aliquid tribuisse videtur; adeo totus ex aliorum acumine pendet. Bembina hinc lectio e Scaligerana emendatione passim interpolari coepit; idque diversorum virorum doctorum opera. Nam et in Heinsianis ac Burmannianis editionibus satis inconstanter multa expressa esse vidi. Cum in priore editione, quoniam per totum Maronem hoc secutus eram, lectionem editionis Burmannianae maioris, quam in nonnullis ab Heinsiana, etiam a minore Burmanni 1704, discrepare vidi, retinuissem: in nova hac recensione paullo licentius versatus sum in lectione mutanda, quoties ratione satis ido-

Digitized by Google

nea id me facere arbitrarer. Iis enim instructus eram copiis, ut aliquid mihi hac in opera sumere possem. Nam praeterquam quod lectionis origines investigaveram, ad manus erant cum edd. veteres, quae antiquam lectionem habebant*), tum Bembinae lectionis auctoritas cum reliquis edd., in quibus emendatus est Culex vel tentatus. Habueram iam in priore editione variam lectionem, quam e codice suo excerptam miserat ad me Io. Ge. Gu. Koehler, alteram codicis Helmstadiensis a. 1450 exarati mihi obtulerat Wernsdorfii, viri doctissimi et humanissimi, benevolentia. In nova hac recensione ad manum fuere schedae Io. Schraderi cum descriptis ab eo schedis Nic. Heinsii, cuius sagacitatem in poetis emendandis nemo alius aequavit**). Nolui tamen ea, quae elegantius ille refinxerat, obtrudere indoctis grammaticis interpolatoribus; quorum fraudes hunc eundem virum acutissimum tam parum odoratum esse saepius miratus sum. Omnino valde diversa inter se habenda sunt: restituere veteris poetae lectionem etiam haud bonam, si haud bonus est; et, poetam refingere, minusque probis substituere meliora. Hoc non critici est, sed iudicis.

Extant adhuc passim in bibliothecis, inprimis in Regia Parisiensi, codices, qui poematia illa minora, quae sub Virgilii nomine venire solent, mo-

*) Excussi edd. Vicentinam 1479 et Ven. 1486, Ven. 1482, Ven. 1484. Norimb. 1492, Ven. 1495, Ed. s. l. et a. Culicis et alior. minorum Carminum.

**) Edidit nuper (1766) *H. Friesemannus* V. C. *Collectanea critica*, in quibus Cirin et Culicem exprimi curavit cum coniecturis nonnullis Io. Schraderi magistri sui, quas ad marginem libri adnotatas ab oblivione vindicare voluit; adiecit quoque ex eodem libro lectiones variantes in Cirin codicis Basileensis, in Culicem Petaviani et Vossiani. Cum mihi pleniores Schraderi schedae obtigissent: multa licuit diligentius constituere, et, quae Heinsii essent, seiungere ac discernere. [*Mire factum est, quod Friesemannus plerasque Heinsii coniecturas Schradero vindicavit.]

Digitized by Google

do plura, modo pauciora, interdum Moretum tantum aut aliud carmen, exhibent. Quos codices si excussos, saltem inspectos a viris doctis, qui ea loca adeunt, audivero; multo magis laetabor, quam si tot vulgares libros, qui Aeneidem, Georgica, et Eclogas habent, quorumque comparatione vix ullus fructus ad illa carmina expectari potest, in medium proferri videam. Nisi enim, in codicum inspectione et usu, iudicio sano et recto utaris: nullum facile esse potest aliud studium tam ieiunum, futile et liberali homine vix dignum, quam hoc, quod in excutiendis librariae inertiae quisquiliis collocari solet.

EPIMETRUM EDITORIS DRESDENSIS.

Virgilium iuvenem XV. vel XXV. annorum (vid. Oudin. ap. Heyn. ad Donat. Vit. Virgil. §. 28.) carmen de Culice scripsisse, cuius fundum idem Oudinus in Miscell. Obss. Nov. T. XII. p. 463. in scholiis ad Iliad. α. 38. latere mire contendit, is modo negaverit, qui omnibus antiquitatis testimoniis posthabitis suo tantum iudicio confidat et poema, quod eodem nomine inscriptum nunc manu tenemus, Virgilio indignum intelligens statim inde colligat, omnem de eo notitiam aeque adulterinam atque ipsum carmen esse. At legerunt Martialis, Suetonius, Lucanus et Statius carmen genuinum poetae Mantuani, atque ipse Donatus l. l. §. 29. argumentum Culicis exponens carmen multo brevius ante oculos habuisse videtur, quam quod nunc auctoritatem poetae multo celeberrimi prae se fert. Etenim apud grammaticum nihil de ratione legitur, qua Culex interemtus pastorem ad tumulum sibi condendum permovet; sed pastor Culici sepulchrum statuisse simpliciter narratur, disticho quo carmen finitur addito. Illud igitur ut certum po-

Digitized by Google

nentes, Virgilium adolescentem aliquot versus de Culice lusisse, licet Wagnero nostro ad elegiam ad Messalam p. 3. plane consentientes, toto coelo illos errare, qui Virgilium ludum istum hoc consilio sibi indulsisse putabant, ut se ad Aeneidá canendam pararet atque exerceret, hanc quaestionem denuo nobis retractandam videmus, utrum Culex nobis ex communi antiquitatis naufragio servatus is sit, quem Virgilius scriptum reliquit, an foetus aliquis spurius ab homine quopiam quacunque de causa vati Mantuano suppositus. Heynius enim quum in carmine nostro alia ab auctore Georgicon et Aeneidos nunquam scribi potuisse videret, alia poeta bono haud indigna censeret, dubius quo se verteret, novam de interpolationibus viam ingressus est, qua omnes huius carminis repugnantias solvi posse arbitrabatur. Eam opinionem in adnotatione critica adeo exornavit eique tam latos fines posuit, ut de carmine quadringentos tredecim versus habente tantum nonaginta novem Virgilio deberi contenderet, reliquos omnes librariis et monachis interpolatoribus tribuens. Quam sane permiram sententiam Virum Egregium ulli approbasse non memini, sed primus eam, quantum scio, impugnavit Wagnerus l. l., cuius verbis huc a me transscriptis — „quandoquidem interpolatorum manus, uno alte- „rove loco aliquam fraudis suspicionem movente, „tantopere saevientes in poetis Latinis velle depre- „hendere vanum mihi videtur“ — quaedam addi posse puto. Heynius quidem affirmans, multos in Culice nostro praeclaros locos legi, hos ipsos indicare eorumque pretium atque dignitatem iudicare et lectoribus exponere debebat, quod quum non fecerit, nobis fortasse nonnulli id officium iniungent, ut locis, quos Heynius genuinos habuit, accurate pensitatis, iudicium nostrum de eorum maiore aut minore pretio feramus. Sed ut nihil in iis invenimus, quod non a quovis homine linguae La-

Digitized by Google

tinae eiusque usus poetici non prorsus ignari hodie etiam vel aeque bonum vel melius adeo fingi queat, ita, si altius rem indagamus, Virgilium quamvis pueritia vix egressum illorum versuum auctorem fuisse nobis persuaderi nunquam patiemur. Adeo omnia in iis sunt non minus putida neque minus lectori taedium parant quam versus, quos Heynius obelo transfixit. Quod quam parum cupide a me dictum sit, inprimis excusatio et deprecatio poetae (vs. 24—35.) et episodion de fortunata pastorum vita (vs. 57—77.) docent, quae quid ad Culicis mortem faciant, non adeo facile demonstrari possit. Inprimis autem prior locus a me laudatus Heynii sententiae adversatur, qui sophistam et ieiunum declamatorem quam maxime prodit, cum auctor talia inter se comparet, quae omnino comparari non possunt. Virgilius enim personatus quodque poema gravioris argumenti, ut bellum Gigantum, pugnam Centaurorum cum Lapithis bellave Persica detrectans suoque ingenio multo superius esse confitens inepte facit, et misellum Horatii imitatorem sese arguit, non intelligens aliud esse, quum Horatius poesi epica spreta modos tantum lyricos amatorii argumenti sese cantaturum dicit, aliud quum ipse bellum Gigantum cum obitu Culicis comparat. Iam vero ipsos Culicis locos et spurios et si Deo placet genuinos intuentes tantam eorum similitudinem deprehendimus, ut nihil sit supra, et facile evincere possemus, in locis quoque ab Heynio reiectis multos versus inveniri, qui reliquis, quos genuinos dixit, neutiquam cedunt (v. ipsum Heynium ad vs. 269. 303. Culicis restituti). Sed otio lectorum parcere praestat, praesertim quum omnis eiusmodi quaestio non ita sit comparata, ut certum aliquod iudicium inde lucremur. Maioris vero momenti est quod Heynius neglexit, interpolationibus tam grandibus statutis reliquas partes velut disiecti membra poetae esse, quum is, qui nunc inter eos

Digitized by Google

invenitur nexus, tum plane deleatur, ita ut auctor versuum genuinorum carmen suum hac nonnisi mente conscripsisse videatur, ut monachus interpolator opportunitatem ingenioli exercendi inveniret. Singulis id demonstrari posset partibus; unum exemplum produxisse iuvat e versu 165. sqq. ubi quum poeta serpentem e palude iamiam appropinquare narrasset, mediis versibus ab interpolatore intrusis, statim pergit vs. 181. „Parvulus humoris pastorem exterret alumnus", quae verba ita ut tum legerentur posita baetyli alicuius instar e coelo delapsa videntur, quum, si vs. 180. cum superioribus retinetur, suo plane loco ab auctore sint conscripti; non minus coactus est transitus a vs. 77. ad vs. 103. Quod denique opinionem Heynii prorsus evertit, ipsius interpolationis, qualis tum in Culice exstaret, est ratio. Etiamsi Heynio de priore carminis parte usque ad vs. 200. fidem habere vellemus, Iudaeus tamen Apella requireretur, qui magnum de locis inferis episodion a vs. 215 — 379. interpolatori deberi diceret, quam magnam versuum compaginem auctorem nostrum inprimis ad foetum suum promendum incitasse liquet. Nemo explicabit, quid librarium permoverit, ut carmini tam exigui ambitus, paucis cognito, paucioribus lecto otium suum impenderet, et operam haud sane mediocrem neque in proprio aliquo poemate fingendo poneret, neque certe poema aliquod celebrius quaereret, cui lacinias suas assueret.

Nisi autem omnia me fallunt, invenisse mihi videor quod Heynium ad miram illam de Culice interpolato sententiam et proferendam et defendendam induxit. Fortasse tale quid ei in mentem non venisset, nisi versus 52. a Nonio servatus ei persuasisset, carmen vel totum vel certe partim genuinum esse. Quantumvis autem haec Nonii auctoritas Virgilium nostrum ut carmine uno opu-

Digitized by Google

lentiorem reddit, sic artis poeticae laude, qua merito floret, privare videatur, nihil tamen ei tribuendum iudico, et duae patent viae, quibus ad vim huius testimonii infringendam incedere possumus, hoc etiam defensoribus Culicis concedentes, hunc versum ab ipso Nonio neque a seriore aliquo interpolatore in opus fructuosissimum illatum esse, quod tamen non raro accidisse probabile est; (v. Wunderi praef. ad var. lect. Ciceronis e cod. Erfurt. pag. CXVIII.) Grammaticorum scilicet auctoritatem in vindicandis libris spuriis non tanti habendam esse, quanti primo rei adspectu videri possit, VV. DD. dudum intellexerunt (v. inprimis Markland. ad IV. Cicer. oratt. p. LXX. sqq.), et instar omnium Pseudo-Sallustii Declamationem in Ciceronem afferre iuvat, cuius initium ut e libro vere Sallustiano petitum Quintilianus Instit. Orat. IV. 1, 68. affert; adde IX. 3, 89. collatis iis quae post alios VV. DD. de hac re dixit Gerlachius ad Sallust. Vol. II. P. I. p. 17—19. Hinc etiam versus ille e Culice quamvis spurio a Nonio in collectionem suam receptus nihil probat, nisi Nonium cum reliquis hominibus errare potuisse, quod eo magis ei condonabimus, quo meliorem credulitatis suae excusationem e Quintiliano et aliis grammaticis petere potuit.

Si quis tamen Nonium pluris aestimat, quam cui levitatis opprobrium facere velit, alteram illam viam ingredi poterit, qua versum quidem illum Nonio servare possumus, ut tamen inde genuina Culicis origo neutiquam comprobetur. Grammatici enim et declamatores, qui vel suae exercitationis causa vel ut fucum doctis hominibus facerent, scripta a se confecta nominibus clarorum scriptorum supponebant, non raro, quo maiorem sibi fidem pararent, illos ipsos, quorum nomina opusculis suis praeponebant, ita compilarunt, ut non solum eius rationem sentiendi et cogitandi, quantum fieri pos-

Digitized by Google

set, imitari studerent, verum etiam totas eorum periodos verbo tenus exscriberent illisque gemmis vasa sua plumbea exornarent. Clarissimum huius fraudis exemplum offert Pseudo-Demosthenes, qui in oratione de epistola Philippi non paucos Demosthenis locos ita repetiit, ut parum absit, quin verbum verbo respondeat, quod lectorem comparatio iam ab aliis instituta et ut meam sententiam insigniter comprobans hic denuo facienda, clare docebit:

Pseudo-Demosthenes.	Demosthenes.
§. 7. Bekk. *πρὸς τοίνυν τούτοις τηλικούτοις οὖσιν, οὐκ ἐρῶ μὲν ὡς οὐ διὰ τὴν εἰρήνην πολλὰ προείληφεν ἡμῶν χωρία καὶ λιμένας καὶ τοιαῦθ᾽ ἕτερα χρήσιμα πρὸς πόλεμον, ὁρῶ δὲ ὡς ὅταν μὲν ὑπ᾽ εὐνοίας τὰ πράγματα συνέχηται καὶ πᾶσι ταὐτὰ συμφέρῃ τοῖς μετέχουσι τῶν πολέμων, μένει τὰ συσταθέντα βεβαίως, ὅταν δὲ ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ πλεονεξίας ἀπάτῃ καὶ βίᾳ κατέχηται, καθάπερ ὑπὸ τούτου νῦν, μικρὰ πρόφασις καὶ τὸ τυχὸν πταῖσμα ταχέως ἅπαντα διέσεισε καὶ κατέλυσεν.*	Olynth. II. §. 9. *καὶ μὴν εἴ τις ὑμῶν ταῦτα μὲν οὕτως ἔχειν ἡγεῖται, οἴεται δὲ βίᾳ καθέξειν αὐτὸν τὰ πράγματα τῷ τὰ χωρία καὶ λιμένας καὶ τὰ τοιαῦτα προειληφέναι, οὐκ ὀρθῶς οἴεται. ὅταν μὲν γὰρ ὑπ᾽ εὐνοίας τὰ πράγματα συστῇ καὶ πᾶσι ταὐτὰ συμφέρῃ τοῖς μετέχουσι τοῦ πολέμου, καὶ συμπονεῖν καὶ φέρειν τὰς συμφορὰς καὶ μένειν ἐθέλουσιν οἱ ἄνθρωποι. ὅταν δ᾽ ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις ὥσπερ οὗτος ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσεν.*
§. 15. *εἰ δέ τις ὑμῶν τὸν Φίλιππον ὁρῶν εὐτυχοῦντα ταύτῃ φοβερὸν εἶναι νομίζει καὶ δυσπολέμητον, σώφρονος μὲν ἀνδρὸς χρῆται προνοίᾳ· μεγάλη γὰρ ῥοπή,*	Olynth. II. §. 22 *εἰ δὲ — Φίλιππον εὐτυχοῦντα ὁρῶν ταύτῃ φοβερὸν προσπολεμῆσαι νομίζει, σώφρονος μὲν ἀνθρώπου λογισμῷ χρῆται· μεγάλη — ἡ τύχη πα-*

Digitized by Google

Pseudo-Demosthenes. | Demosthenes.

μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον ἡ τύχη ἐστὶ πρὸς ἅπαντα τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα· κατὰ πολλοὺς μέντοι τρόπους ἕλοιτ' ἂν τις οὐχ ἧττον τὴν ἡμετέραν εὐτυχίαν ἢ τὴν ἐκείνου.

ρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα.

§. 17. *ὅτι — ὁ μὲν αὐτὸς στρατεύεται καὶ ταλαιπωρεῖ καὶ τοῖς κινδύνοις πάρεστιν, οὔτε καιρὸν παριεὶς οὔτε ὥραν ἔτους παραλείπων οὐδεμίαν — —*

Olynth. II. §. 23. *οὐ δὴ θαυμαστόν ἐστιν, εἰ στρατευόμενος καὶ πονῶν ἐκεῖνος αὐτὸς καὶ παρὼν ἐφ' ἅπασι καὶ μηδένα καιρὸν μηδ' ὥραν παραλείπων ἡμῶν — περιγίγνεται.*

§. 17. *καίτοι τί γένοιτ' ἂν νεώτερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ καταφρονῶν Ἀθηναίων καὶ τολμῶν ἐπιστολὰς πέμπειν τοιαύτας οἵας ἠκούσατε μικρῷ πρότερον;*

Philipp. I. §. 10. *λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν;*

§. 19. *ἀλλὰ μᾶλλον (θαυμάζω) εἰ μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς ὧν προσήκει τοὺς πολεμοῦντας, νομίζομεν κρατήσειν τοῦ πάντα πράττοντος ἃ δεῖ τοὺς πλεονεκτήσειν μέλλοντας.*

Olynth. II. §. 23. *τοὐναντίον γὰρ ἂν ἦν θαυμαστόν, εἰ μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς ὧν τοῖς πολεμοῦσι προσήκει τοῦ πάντα ποιοῦντος ἃ δεῖ περιῆμεν.*

§. 21. *μὴ γὰρ ὑπολάβῃ τις ὑμῶν, δι' ὧν ἐκ χρηστῶν ἐγένετο τὰ πράγματα χείρω τὰ τῆς πόλεως, διὰ τούτων αὐτὰ πάλιν ἀναλήψεσθαι καὶ γενήσεσθαι βελτίω·*

Olynth. II. §. 26. *εἶθ' οὕτως ἀγνωμόνως ἔχετε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὥστε δι' ὧν ἐκ χρηστῶν φαῦλα τὰ πράγματα τῆς πόλεως γέγονε, διὰ τούτων ἐλπίζετε τῶν αὐτῶν πράξεων ἐκ φαύλων αὐτὰ χρηστὰ γενήσεσθαι.*

§. 23. *ὡς ἅπας μέν ἐστι*

Olynth. II. §. 12. *ὡς ἅ-*

Digitized by Google

Pseudo - Demosthenes.	Demosthenes.
λόγος μάταιος πράξεων ἄμοιρος γενόμενος, τοσούτῳ δὲ μάλιστα ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως, ὅσῳ δοκοῦμεν αὐτῷ προχειρότατα χρῆσθαι τῶν ἄλλων Ἑλλήνων.	πας μὲν λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ πράγματα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν, μάλιστα δὲ ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως.

Iam pone Demosthenis illas orationes, unde declamator sua sumsit, periisse, Harpocrationem autem vel alium grammaticum, cui iis etiamtum uti licebat, haec ipsa quae attulimus verba, in lexicon suum recepisse; num hoc sufficere putares, ut misellum declamatoris foetum Demostheni vindicares, quia Harpocration eius genuinum ortum satis clare testari videretur? Haec proinde eo consilio a me disputata sunt, ut versum illum, qui in vero Virgilii Culice legebatur et a grammatico novum Culicem consarcinante totus est receptus, huic ne minimam quidem afferre fidem comprobem. Nihil dico de alio fraudis genere, quod illis temporibus, quibus literae e tenebris resurgere coeperant, Viri nonnulli commiserunt, ut sua scripta pro antiquis venditare possent, fragmenta scilicet genuina a Nonio vel aliis grammaticis servata illis inserentes, quo sperabant fore ut scriptiunculas suas ad Plauti vel Ciceronis gloriam evehere possent (V. Summi Niebuhrii Opuscula Vol. I. p. 168.). Etenim tale quid in Culice nostro factum esse statui non potest, utpote qui ea certe aetate conscriptus esse videatur, qua poetae declamatori genuinus fons patebat neque ad grammaticorum farragines confugiendum erat.

Quum enim illud demonstrasse videamur, Culicem qualis nunc est uni auctori deberi neque interpolationibus serioribus oneratum esse, ad eam disputationis nostrae partem progredi nobis li-

Digitized by Google

cet, qua de eius auctore loquendum est. Et verum Virgilii opus nos etiamnum possidere, praeter Scaligerum et Schraderum ab Heynio laudatos, quorum tamen hic novi nihil affert, etiam Morellus ad Stat. Silv. II. 7, 73. Taubmannus et I. H. Vossius arbitrantur, illud virili Virgilii aetate dignum habentes, contra quos Ruaeus in Vita Virg. ad a. u. 696. Oudinus in adversariis criticis et Obss. Miscell. Nov. IV. p. 307. et Wagnerus l. l. Virgilium eius auctorem haberi posse prorsus negarunt. Duorum virorum de hac re scripta praetereo, alterum anonymi, qui Culicem poetae alicui Vandalo vel Afro sub rege Trasimundo tribuit (Fabric. Bibl. Lat. T. I. p. 370. ed. Ern.), alterum Comitis de Valori, qui in libro infra accuratius nominando Virgilium hoc carmine privandum non esse ait; illud enim reperire non potui, hoc refutatione indignum habui, quod ne arrogantius dictum videatur, unum Comitis Illustrissimi argumentum laudasse iuvat, quo sententiam suam comprobari putat. Utar vero ipsis hominis ingeniosissimi verbis, ne maligne ea in usum meum detorsisse arguar; ait scilicet p. 13. ita: „Je demande, si ce (le Culex) n'était point une composition de Virgile, les plus grands scholiastes et les commentateurs se seraient-ils appliqués avec autant d'ardeur à purger d'une latinité vicieuse le texte de ce poème?" — Qui vero vel unam Eclogam vel reliquorum Virgilii poematum partem legerit, tum ad Culicem nostrum transgrediens, eum vel omni pulchri sensu exutum vel mente occupatum dixeris, qui dubitat, Virgiliumne an ineptum eius imitatorem legat. Tantopere enim omnia in carmine isto frigent, putida doctrina onerantur et ridicula vere ingenii inopia laborant, ut non nisi iniquissimus Virgilii adversarius contendere possit, hunc aliquando tale quid facere valuisse. Totum mihi denuo carmen esset describendum, si omnia quae male in eo sunt scripta laudare vellem; lecto-

ris potius iudicio subacto et prudenti discernendum relinquo, utrum Schradero fidem habeat, qui l. l. p. 17. multa in hoc carmine inveniri ait, quae Virgilius in aliis ornatiora reposuerit, insuper addens, bonos etiam poetas interdum longius evagari, an mihi qui Culicem in ludo aliquo literario natum credo, cuius magister discipulos suos a Virgilio pendere iubens tali industriae curaeque suae specimine iure gloriari potuit. Laus vitae rusticae (vs. 57—96.), nemoris in quo pastor sedebat vivida descriptio (110—154.) ad quam allusisse fere putes Horatium A. P. 16., imago serpentis, unde pastori mors tetra instat (161—180.), quis est qui non haec omnia a Georgicon auctore scripta videat? Cuius imaginem si Heynius sese effugere non passus fuisset, nunquam certe dubitatio in eo nasci potuisset, qua ipse Culex semel accurate perlectus eos liberabit, qui quid a poeta aliquo mediocri, ne dicam bono requiratur reputant. Ad haec vero crimina quae in totum carmen cadunt, aliae labes accedunt, quibus Virgilius nunquam se contaminavit. Repetitionibus enim eiusmodi auctor ineptissime utitur, quibus Virgilius, cuius in hac re usum constantem Wagnerus l. l. p. 13. sagacissime exposuit, utique abstinebat. Exemplo sit verbum *ludere* vs. 1. 3. 4. coll. vs. 35. *vagae* vs. 47. *vagantes* vs. 48. *carpuntur arbuta* vs. 50. *carpente morsu* vs. 53. *impia* vs. 123. 124. *quercus* vs. 132. 133.; ridiculam exilitatem arguit nimius usus vocis *decus*, quam vss. 11. 15. 18. 64. 263. 264. 315. 340. 358. auctor sibi indulsit, ut interdum cur eam usurpaverit plane nescire videatur. Sophistam indicant epitheta Apollinis cumulata vs. 12. 13. *princeps — auctor — fautor;* similia sibi permisit vs. 189. omnino sententiis variatis mirum quantum delectatus, ut simplicissima non dicat, quin ter quaterve verbis paululum mutatis recolat. Dubitare etiam licet, num excusari possit *rorantes lacte capellae* vs. 75., excusari nequit

Digitized by Google

insignis negligentia vs. 236. 237. *irae* — *ira.* Ab sermone Virgiliano prorsus alienum verbum est *recinere*, bis ab auctore nostro positum vs. 13. 71., qui etiam nove *viscera* pro *umbra mortui* vs. 215. dixit. — Quo tempore autem carmen nostrum scriptum fuerit, in tanta testimoniorum penuria vix unquam certo dici poterit. A veritate tamen proxime abesse videmur, quum illud exeunti fere saeculo aerae nostrae primo vindicamus, quo studia declamatoria in quovis literarum elegantiorum genere cum maxime fervebant. Ad quem denique Octavium carmen scriptum sit, utrum ad Caesarem Octavianum an quemcunque alium, pariter nescimus; poetam tamen de illo cogitasse mihi probabilius videtur, ut proinde iis, quae de familiaritate inter Augustum et Virgilium audiverat, in usum suum vocatis maiorem operi suo fidem pararet.

Iam in huius carminis emendatione duae potissimum oriebantur difficultates, altera communis illa omnibus antiquitatis reliquiis magis minusve culpa librariorum corruptis, altera Culici magis propria, quamquam etiam in paucis aliis scriptis obvia. Cum enim iam per se satis sit arduum, librum aliquem graviter corruptum ita emendare ut certe legi et consilium scriptoris intelligi possit, multo difficilius illud fit, quum in locis dubiis est quod ambigamus, librariusne an ipse auctor sit emendandus. Quod in Culice saepissime nobis accidit, cum nesciremus, quantum poeta sibi indulsisset, unde etiam emendatio huius carminis semper valde lubrica manebit. Hinc etiam factum est ut tum tandem ad coniecturam aliquam confugeremus, quum omnibus explicandi periculis irrito eventu susceptis lectio codicum per librarii calamos turbata inveniebatur. Qua de causa multas valde contortas in hoc carmine explicationes nobis obiectum iri praevidemus, et potissimum ab iis, qui

Digitized by Google

bonis tantum poetis assueti lectioni malorum minorem operam impenderunt. Codices autem, quorum lectione Culicem, de cuius tristissimo statu Petrus Bembus, Scaliger et Heinsius in Sylloge Burm. T. V. p. 400. conquesti sunt, emendare studui, praeter eos quos aliis VV. DD. ante me inspicere licuit, ipse contuli hosce:

Colbertinum I. in bibliotheca Regia Parisina nr. 7927. qui saec. X. exaratus praeter genuina Virgilii opera cum alia spuria tum Culicem, Copam et Moretum continet.

Colbertinum II. ibidem nr. 8093. varia carmina diverso tempore scripta continentem; et vetustior quidem manus fort. saec. X. exaravit Culicem, recentior Copam et Moretum.

Colbertinum III. ibid. nr. 8205. recentissimum et pessimae notae, unde eum paucissimis tantum in locis inspexi, quod ea de causa moneo, ne lectores, ubi hunc librum commemoratum non vident, eum cum recensione nostra consentire arbitrentur.

Colbertinum IV. ibid. nr. 8207. saec. XIV. qui cum alia tum Copam, Moretum et Culicis fragmentum a vs. 1 — 93. continet. Hunc librum, iam a Scaligero in usum vocatum et membranas Pithoeanas dictum, si integrum haberemus, multis in locis certius de Culice iudicium ferre possemus, quantique sit pretii, vel unus vs. 66. probat.

Thuaneum I. ibid. nr. 8069. saec. XI. vel adeo (Hasio iudice) X. Virgilii opera cum appendice spuria complectentem, in qua Culex, Copa et Moretum insunt.

Helmstadiensem in bibliotheca Guelferbytana nr.

Digitized by Google

332. (ap. Ebert. nr. 917.) saec. XV. medii. Est idem liber, cuius aliquot lectiones iam Heynius e schedis Wernsdorfii apposuerat, eumque non solum ad Culicem, verum etiam ad Cirin, Copam et Moretum contuli. Quibus subsidiis a me ipso accuratissime adhibitis accedunt nonnullae lectiones e vet. cod. editioni *Lindenbrochianae* adscriptae, quas ea de causa hoc nomine insignitas invenies (v. Eberti Catal. codd. Guelferb. nr. 918.) et collatio codicis *Viechtiani* a Iäckio in Seebodii horreo philologico a. 1824. fasc. IV. p. 689. edita. In eo desunt vss. 75—150. 229—306. et ipse Iäckius hoc codice iam ante me usus fuerat, quod per Wagnerum in Iahnii Annalibus Philol. Vol. II. p. 126. didici. De lectionibus autem Lindenbrochiani et Viechtiani idem valet, quod supra de Colbert. III. dixi. Ex omnibus istis subsidiis et ingenio qualicunque Culicem pro viribus restitui, qua in re praeter Heynium et alios criticos me iuvit versio vernacula I. H. Vossii, qui multis in locis tacite veram scripturam reddidit, coll. huius viri epistolis Vol. II. p. 345. Denuo etiam contuli Aldinam a. 1517. Saepius vero, quam prius ipse exspectabam, recedendum mihi fuit a Bembi recensione, in quam non raro coniecturas illatas fuisse ratio lectionum, quas Bembus recepit, clarissime ostendit (v. modo ad vs. 200.). Commemorandus denique mihi est hicce libellus: P. Virgilii Maronis Culex, Carmine Gallico redditus; a contextu Latino Petri Bembi Card., eiusque ad Hercul. Strozzam Dialogo. Parmindi Spencerique imitationibus, I. H. Vossii versione metrica, commentariis integris Iosephi Scaligeri, Burmanni, Heynii, huiusque Culice probabiliter restituto, novis denique interpretis notis et emendationibus instructus. Ab Henrico de Valorio, Comite, Fratre Milite Ord. Milit. Et Rel. S. Ioann. Hieros. Parisiis ex typis L. G. Michaud. 1817. 12. Cuius libri ultra quam credi potest ridiculi et inepti dotes et pre-

Digitized by Google

tium si lectoribus accurate exponere vellem, eorum patientiae meoque otio male consulerem. Sufficiat monuisse, neque Heynii neque Scaligeri integra commentaria adesse, ut nihil dicam de Burmanno, sed paucissimas tantum illorum Virorum notulas decurtatas inveniri. Quatenus homo nobilissimus Culici suo vel profuerit vel nocuerit, nescio; scripsit certe vs. 5. *Notitiaeque* ducam *voces licet; invidus absit*, quod etiam nosmet ipsi interpreti Gallico apprecamur.

Digitized by Google

C U L E X

AD OCTAVIUM *)

ARGUMENTUM

Pastor gregem mane in pascua eductum sub medium diem ad fontem in agro Thebano sub Cithaerone (cf. ad v. 108) compulerat, qui erat in valle silvosa; ipse iuxta fontem recubuit et obdormivit — 160. Ecce magnus serpens, ex hydrorum genere, in locis, quae circa fontem erant, paludosis aestum levare solitus advolvitur et pastori iratus imminet — 180; cum forte fortuna, Culicis aculeo in oculi angulo infixo, expergefactus ex somno pastor manu ad vulnus delata miserum Culicem attritu interimit, vigilantibus autem oculis prospiciens serpentem sibi minantem adspicit. Itaque exilit et arrepto trunco serpentem trucidat — 200. Nocte sequente Culicis umbra pastori se per somnum offert, graviterque cum eo expostulat, quod se, qui ei salutis auctor fuisset, manus afflictu vita privasset — 230. Tum exponit errores suos per loca infera, sede certa nondum assignata — 383. Pastor altero die, ut Culici officium persolveret, tumulum ei exstruit variis floribus fruticibusque consitum et titulo ornatum — ad fin. Videtur autem hoc, etsi diserte poeta non exposuit, eo consilio fecisse, ut ad sedem certam in locis inferis admitteretur umbra Culicis: ad eum morem, quo sine tumuli honore nec aliae umbrae Stygem tranare posse creditae sunt.

*) Petaviano codici praescripta erant haec: „Poetarum sapientissimi, P. V. M. condiscipuli Octaviani Caesaris Augusti mundi Imperatoris, iuvenalis ludi libellus. Incipit Culex."

Digitized by Google

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia,
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus: haec propter Culicis sint carmina dicta,
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo
Notitiae: ducam voces, licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare iocos Musamque paratus,
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonae magnique Iovis decus, aurea proles,
Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor, sive educat illum

VARIETAS LECTIONIS HEYNIANAE.

11. DECUS IOVIS

Cum difficultates, quae in hoc carmine occurrunt, lectionis fere depravatae stribligini debeantur: plerorumque locorum enodatio ex Var. Lect. expositione erit petenda.

Exordium usque ad v. 40 continuatur. Exposito argumento, Phoebum, Musas, et Palem, tum Octavium invocat: quem puerum appellat, cuiusque nondum res ullas gestas, quas commemorare posset, habuisse videtur. Octavianum Caesarem vulgo intelligi video; perperam utique. Cum ei primum commendatus est Maro a Maecenate, non iam *Octavius* erat, sed *Caesar Octavianus;* nec *puer*, sed *iuvenis*, ut in Ecl. I. Nec huc faciunt, quae de usu vocis *pueri* disputari solent. Videtur esse Octavius, cuius in Catalectis n. XIV mentio fit; nec tamen constat, sitne idem, qui apud Horat. *Octavius optimus*. Nisi Statius cum Martialo et Suetonio Culicis Virgiliani iam meminissent, Octavii nomen fraudem fecisse grammaticis dicerem, ut ad Maronem auctorem carmen referrent.

1. *gracili Thalia* prava imitatione dictum ex illo: *gracili avena*, *tenui carmine.* At comparatio, ab araneae texturam ordientis conatu petita, suavis.

4. 5. *ut omnis ordo notitiae historiae*, pro historicae, *consonet per ludum*, *ducam voces*, h. deducam, canam. Sed vide Var. Lectionis.

13. *educat*, debet esse pro tenet, habet; ut *nutrire*, *τρέφειν*, *φέρβεσθαι*. dictum imitatione loci Aen. X, 518 *totidem quos educat Ufens, viventes rapit*. *Alma Chimaereo Xanthus*

Digitized by Google

Acta Chimaereo Xanthi perfusa liquore,
Seu decus Asteriae, seu qua Parnasia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naïdes, et celebrate deum ludente chorea,
Et tu sancta Pales, ad quam gens dura recurrit
Agrestûm orantes, secure rura tenentes

14. ALMA — XANTHUS 15. NEMUS 19. PLAUDENTE 20. TIBI — VENTURA 21. BONA CURA SEQUI SIT CURA TENENTIS

perfusa liquore. *Xanthus* urbs Lyciae, Apollini sacra, cum tota Lycia; nec multum aberat Latonae templum, *τὸ Λητῷον*, nobile, vid. Strab. XIV, p. 981 B. C., situm cum urbe ad fl. Xanthum; unde h. l. *Xanthus perfusa liquore Chimaereo:* h. urbs, quam alluit amnis Xanthus. Sane is quidem in monte Chimaera, quae pars Cragi fuisse et ad mare pertinuisse videtur, ortum habere vix potuit. Itaque ad geographicam subtilitatem poeta h. l. non revocandus; sed latius Chimaeram, partem montis, pro toto montis tractu et iugis, dictam esse putandum est. [*vid. ad Cirin vs. 412.]

15. *nemus Asteriae.* Delus, vetere nomine. vid. Callimach. in Del. 36. 37. Plin. IV, s. 23.

15. 16. Parnassus mons longe procurrit versus septentrionem, donec cum Oetaeis iugis continuatur. vid. Strab. IX, p. 638 B. Sed auctor partem montis versus meridiem in theatri modum patentem describere voluit. Ib. p. 640 A. *τὸ δὲ νότιον (αὐτοῦ μέρος κατέχουσιν) οἱ Δελφοὶ πετρῶδες χωρίον, θεατροειδὲς, κατὰ κορυφὴν ἔχον τὸ μαντεῖον καὶ τὴν πόλιν.* Subiecta erat camporum planities versus mare declivis, qua ludi Pythici habebantur. [*V. inprimis Herod. VIII. 32.]

18. [*Quum nemo poetarum *fontem Pierium* diserte memoraverit, huc tamen referendus videtur Strabo IX. p. 263. Tauchn. *Θρᾷκες καὶ τὴν Πιερίδα καὶ τὸ Λείβηθρον καὶ τὴν Πίμπλειαν ταῖς Μούσαις ἀνέδειξαν.* Ut enim Pimplea et Libethrum fontes Musis sacri in Macedonia fuerunt, quidni etiam tertium Pierium sumamus?] *sorores Naides*, h. l. Musae. [*Num fortasse fluviales? V. Summi Hermanni Opusc. T. II. p. 288.] Ad 20. 21 vid. Var. Lect. Si legimus: *Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit Agrestum fetura, sequi sit cura tenenti* — sententia est: etiam tu adsis, o Pales, sit tibi cura sequendi Naidas, tibi, quae tenes saltus — et paullo ante: *ad quam recurrit*, redit, cui mandata est, *fetura agrestum*,

Digitized by Google

Aëreos saltus nemorum silvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter et arva.
Et tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis allabere coeptis!
Triste Iovis Phorcique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus,
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses;
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos nec magno vincula Ponto
Iacta meo quaerent iam sera volumine famam,
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientes undique Persas;
Mollia sed tenui decurrens carmina versu,
Viribus apta suis, Phoebo duce, ludere gaudet.

22. NEMORUM TRACTUS 23. ASTRA 24. AT 26. SANCTE PUER, TIBI NAMQUE 34. PERCURRERE

fetus pecudum, quas agrestes pascunt.

23. *te cultrice*, dum tu colis nemora et silvas, sed saltus, h. e. pascua, vagor ego *inter*, per, *saltus* et *antra*, ut legendum.

24. At tu, qui iam meritus es carmina, Octavi, ades mihi. [* Sensum loci optime expressit Vossius: *Du auch, welchem das Herz des verdieneten Lobes sich freuet.*]

26. Namque nec Gigantomachiam nec pugnam Lapitharum cum Centauris nec bellum Persicum cantare aggredior: verum argumentum leve ac humile: in quo, ne ausis excidam, minor metus esse debet. Nec obscura autem illa ratio, ut, quae poeta canit, ea in actum producat verbis: *nec compellit. nec Oriens urit* etc. conf. Eclog. VI, 62. [* Markl. ad Stat. Silv. V. 3, 85. p. 381. ed. Dr.]

27. *Phlegra*, *tellus*, apposita; pro vulgari: Phlegraea tellus, quae etiam Pallene. Sic flumen Metaurum, terra Gallia. conf. Scalig. et Taubm., it. Barth. Advers. XIX, 13. 28. *enses Centaureos* dixit improprie, arma; debebat saxa et stipites memorare.

29 sq. Novum hoc, quod poeta extra fabulas veteres argumentum carminis quaerit, et ex historiis petit, h. l. belli Medici. Primum in Propertio talia ex historiis, heroum vita serioribus, occurrere memini. Athenas a Persis crematas vs. 29 quis nescit? item pontem a Xerxe Hellesponto impositum, vinculaque et flagra admota.

Digitized by Google

Et tibi sancte puer memorabitur, et tibi crescet
Gloria perpetuum lucens, mansura per aevum,
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices numeretur vita per annos,
Grata, bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
Igneus aetherias iam Sol penetrabat in arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas
Pastor, et excelsi montis iuga summa petivit,
Lucida qua patulos velabant gramina colles.
Iam silvis dumisque vagae iam vallibus abdunt
Corpora, iamque omni celeres e parte vagantes
Tondebant tenero viridantia gramina morsu.
Scrupea desertis haerebant ad cava rupis,
Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus;
Haec teneras fruticum sentes rimatur; at illa
Imminet in rivi praestantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, et probet illis
Munera luxuriae spretis sibi, cognita curis,
Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore

36. TU—VENERABILIS—CERTET 37. LUCIS 39. MEMORETUR 41. PENETRARAT 49. TONDENTUR 50. DESERTAE PERREPUNT 59. OMNIA—PRETIIS INCOGNITA

36—40. Etiam Octavium aliquando celebratum iri ait: sed versibus corruptis et interpolatis.

47 sqq. Luxuries ornamentorum in capellis pascendis facile offendat etiam minus morosum. Laudat Taubmann. locum e Colum. VII, 6, unde haec omnia expressa videri possint. Sed in similia rerum phantasmata quivis facile poeta inciderit, etiam Columella non lecto.

61 sqq. Locus ornatissimus et Virgiliana dictione dignus. Color orationis: *Si non — At* pas-

Digitized by Google

Attalicis opibus data vellera, si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum,
Picturaeque decus lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet, nec pocula grata
Alconem referunt doctumque toreuma, nec Indi
Ornat bacca maris flagrans: at pectore puro
Saepe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cum Tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum, calamo laetum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,
Pollentemque sibi, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratae rorantes lacte capellae,
Et nemus, et foecunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior aevo,

65. GRATUM 66. ALCONIS REFERENT BOETHIQUE 67. CONCHEA — PRETIO EST:

sim et alibi occurrit, et in ipso loco, quocum haec conveniunt, Ge. II, 461 sqq. Lucret. II, 24 sqq. *Si* (ei) *non fuerint vellera, bis lauta colore Assyrio* (dibapha. vid. Plin. IX, 39, s. 63) *data* (comparata, emta) *Attalicis opibus* (ingenti pretio: quippe cum ea purpura in libras denariis mille non posset emi *ib.*). Nam *data* vetat, quominus ad ipsam texturam locus revocetur: etsi non exciderit animo Plinii locus: *Aurum intexere invenit Attalus rex; unde nomen Attalicis.* 64. *lapidum fulgorem*, h. lapides fulgentes, ad marmorum polituram et picturam musivariam referre iubet cum Barth. XX, 19 Taubmann., quia de gemmis mox demum v. 67 agatur. Ibi tamen uniones commemorantur, non gemmae. Porro *manet cognitus* debet esse dictum pro, *cognitus est*, ut sit: *si nec fulgor lapidum*, gemmarum, inter res utiles ab ipso refertur, cognitus ipsi est ullius utilitatis esse; sed vid. Var. Lect. Variat autem id, quod simpliciter erat: si non habet purpuram, aurum, gemmas etc. 66. *Alcon* Myleus, statuarius et caelator apud Ovid. Met. XIII, 683. 684 (etsi hic ad fabulosa Annii, qui Deli rex et sacerdos erat, retrahitur) et Plin. XXXIV, 14, s. 40 occurrit. *Boethus* paullo notior est inter caelatores. vid. XXXIII, 12, s. 55. *toreuma* proprie de opere extante, anaglypho, est accipiendum.

71—74. Ille sub umbraculis viteis otium fallit cantu.

Digitized by Google

Quam qui mente procul dura sensuque probando
Non avidas agnovit opes, nec tristia bella
Nec funesta timet validae certamina classis,
Non, spoliis dum sancta deûm fulgentibus ornet
Templa vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum saevis ultro caput hostibus offert?
Illi falce deus colitur, non arte politus;
Ille colit lucos; illi Panchaïa thura
Floribus agrestes herbae variantibus adsunt;
Illi dulcis adest requies et pura voluptas,
Libera simplicibus curis; huc imminet, omnes
Dirigit huc sensus, haec cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Iucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes et o gratissima Tempe
Fontis Hamadryasin, quarum non divite cultu
Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poëtae
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Compacta solitum modulatur arundine carmen;
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo,
Qua iacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et iam compellente vagae pastore capellae
Ima susurrantis repebant ad vada lymphae,
Quae subter viridem residebant caerula muscum.
Iam medias operum partes evectus erat sol,
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,

79. PURA 80. NON 94. HAMADRYADUM

82—84. Qui non caput discrimini pugnae obiicit, *dum ornet*, h. e. eo consilio, ut hostium spoliis, manubiis, templa deorum ornet, vel magnas et immodicas opes e praeda sibi paret. Respicit militiam, quae illa aetate inter artes et vias divitiarum parandarum erat. vid. Tibull. I, 1 pr.

97 — 105. Inter delicias has vitae rusticae dum pastor tem-

Digitized by Google

Ut procul adspexit luco residere virenti,
Delia diva, tuo, quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeïs Agaue
Infandas scelerata manus e caede cruenta;
Quae gelidis bacchata iugis requievit in antro,
Posterius poenam gnati de morte datura.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba
Et Satyri Dryadesque choros egere puellae
Naïadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo,
Quantum te pernix, remorantem, Diva, chorea
Multa tuo laetae fundentes gaudia vultu,
Ipsa loci natura domum, resonante susurro,
Quîs dabat et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreae platanus, inter quas impia lotos,
Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit,

108. Et 113. se—futuram 118. Peneu—dia 119. tibi laeto

pus canendo fallit, ad meridiem sole progresso, in umbram compellit gregem.

108. Lucum sub Cithaerone monte describit Dianae sacrum: in quem casu pastor gregem compulit, prospiciens in umbra recubantes pecudes in luco tuo, o Diana; in quem quondam venit Agaue, Cadmi filia, e Bacchico furore resipiscens Pentheo filio laniato.

114 seqq. Iterum luxuriatur seu poetae seu interpolatoris ingenium in describendo luco et antro, quo pastor consedit. Alia aliorum poetarum lusibus assuta. De singulis vid. Var. Lect. Comparari potest similis arborum enumeratio apud Ovid. Met. X, 86 sq. in cantu Orphei: quem locum auctor huius emblematis ante oculos habuisse videri potest.

118. Si pro *Peneu*, legitur ex Aldina *pernix*, sensus est: Non tantum Orpheus cantu suo Hebrum, *quantum te, o dia*, dea Diana, *chorea* Panum, Satyrorum et Dryadum voluptate audiendi videndique tenuit, gaudentium. Pro hoc: chorea fundens, et pro hoc, *fundentes gaudia*, *quis dabat* (cum iis daret ea gaudia) *ipsa loci natura*. Scabra tamen vel sic oratio.

124. *impia lotos*, *Impia, quae;* nota figura Horatii exemplo iam a Scaligero notato: *Impiae, nam quid p. m. Impiae d.* Carm. III, 11, 30. 31, et Catull. LXIV, 404. 405. Impietas spe-

Digitized by Google

Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustus Phaëthon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris implexae brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit
Perfidia lamentari, male provida Phyllis,
Quam comitabantur fatalia carmina quercus,
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic magnum Argoae navi decus edita pinus
Proceras decorat silvas hirsuta per artus;
Appetit aëreis contingere montibus astra
Ilicis et nigrae species et laeta cupressus,
Umbrosaeque monent fagus, hederaeque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus,

128. AMPLEXAE 131. PERFIDIAM LAMENTANDI MALA, PERFIDA MULTIS. 139. MANENT

ctat haud dubie ad iniuriam Ulyssi factam sociis retentis. *abegit*, scil. ab Ulyssis navi, avocavit: intercessit loti suavitas, quo minus socii Ulyssis ad naves redirent (vid. Odyss. 1, 94 sqq.). Ceterum confudit poeta diversi generis lotos. Lotus illa Ulyssis in Africa reperta non erat Boeotiae domestica.

126 — 129. Populi arbores, vel alni (nam utrasque Virgilius agnoscit Ecl. VI, 62 et Aen. X, 190), in quas mutatae Phaethontis sorores, Heliades, tamquam Solis ex Clymene filiae. Factum ex luctu de fratris casu suscepto; unde poeta: *Phaethon luctu iis mutaverat artus*. Mox v. 128. 129 hoc velle videtur poeta: populos illas sororias ita inter se condensatas situ fuisse, ut implicarent mutuo nexu ramos et umbracula facerent: *fundebant tentis ramis velamina* (ut v. 74 *Tmolia pampineo subter coma velat amictu*) *candida;* scilicet populus alba est intelligenda. *amplexae brachia truncis*, probabilius, *implexae*. vid. Var. Lect.

130. 131. Postea stabat arbos amygdala, in quam mutata fuit Phyllis Demophoontis perfidiam lamentata.

132—134. De quercu Dodonaea fatidica nota est fabula. *quercus carmina*, ex apposito, h. e. quae carmen reddunt, vel e quibus carmen redditur; canorae. *Carmen* adeo pro canente, vaticinium pro vate. cf. Taubm. *fatale* igitur, quia de oraculo. Glandes ante frugum sationem a Triptolemo monstratam meministi vel ex Ge. I, 7.8.

Digitized by Google

Ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos;
Quîs aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda,
Quae levibus placidum rivis sonat acta liquorem.
Hinc illi geminas avium vox obstrepit aures,
Hinc querulas referunt voces, quîs nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aëris Echo,
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessae cubuere capellae,
Excelsisque super dumis, quos leniter afflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis
Securo fessos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni fors incertos iussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus îsdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret aestu
Obvia vibranti carpens gravis aëra lingua,
Squamosos late torquebat motibus orbes.

147. ORTA 148. ET QUAMQUAM 149. HANC QUERULAE 158. PRESSOS

mutavit, permutavit. 138. *Ilex nigra*, diversa a quercu, nunc cum cupresso iuncta: novo more.

141. 142. Hederae fagos amplexae bene descriptae sunt. Earum racemi cum acinis, *corymbi* dicti, *aureoli* sunt; est ergo de genere hederae cum fructu croceo intelligendum hoc; sed foliis albis; ergo *viridi pallore* distinguitur corymborum flavor. Est aliquid simile in loco Ecl. III, 39 *vitis Diffusos edera vestit pallente corymbos:* ubi vid. Not. et II, 50 *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

143. In myrtum mutata femina Myrsine vid. Serv. ad Aen. III, 23. Geopon. XI, 6.

148. Et, quamvis avium cantus aures obtundit, *hinc* (ita leg.) *referunt voces querulas* ranae.

151. [* De sono a *cicadis* edi-

Tollebant aurae venientis ad omnia visus.
Iam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit, cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Adspectuque micant flammarum lumina torvo.
Metabat late circum loca, cum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo
Saevius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset: naturae comparat arma,
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore,
Flexibus et versis torquetur corporis orbis,
Manant sanguineae per tractus undique guttae,
Spiritibus rumpit fauces. Cui cuncta paranti
Parvulus hunc propior humoris terret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina: namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis
Ac senioris erat naturae pupula, telo
Icta levi. Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
Lumina respexit serpentem comminus; inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno:

171. FLAMMANTIA 175. SAEPIUS 178. EVERSIS 180. SPIRITUS ET 181. PRIOR — CONTERRET 184. HAC

to vid. Carus Analecten zur Naturwissenschaft. p. 141. sqq.]

166 sqq. Iterum ingenii intemperantis exspatiatio in tortibus et gyris hydri; aut potius hominum scholasticorum lusus. Tandem v. 172 videt pastorem ad fontem recubantem. Ab aditu fontis ita se exclusum sentiens exasperatur serpens et adoritur. Tum v. 180 culicis morsu somno excitatus pastor, trunco arrepto serpentem necat. 185—200. De singulorum versuum corruptelis v. V. L. Versu 166 voluerat interpolator dicere: Omnia undique loca pallebant ad sensum halitus virosi.

Digitized by Google

(Cui casus sociarit opem, numenve deorum,
Prodere sit dubium, voluit sed vincere talis
Horrida squamosi volventia membra draconis:)
Atque reluctantis crebris foedeque petentis
Ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristae;
Et quod erat tardus, somni languore remoto,
Nec prius adspiciens timidos caecaverat artus:
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit caesum languescere, sedit.
Iam quatit et biiuges oriens Erebois equos Nox,
Et piger aurata procedit Vesper ab Oeta,
Cum grege compulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit et in fessos requiem dare comparat artus.
Cuius ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque effuso requierunt membra sopore,
Effigies ad eum culicis devenit, et illi

191. QUI—SOCIARET 192. TALES 197. NESCIUS — TIMOR OBCAECAVERAT 200. EREBO CIT 201. AURATO

Vss. 191 — 193. Sunt fetus inepti interpolatoris: qui hoc dicere voluit: pastorem consilii inopem percussisse serpentem ramo arboris arrepto, seu casus seu numinis providi beneficio oblato. Lectionis iunctura haec videtur fuisse: *Et validum dextra truncum detraxit ab orno, atque reluctantis — ossa ferit, cingunt qua tempora cristae; Quem postquam vidit caesum languescere, sedit.* nam etiam vss. 196. 7. 8. insititii sunt: ut in V. L. dictum est.

206. Sequitur locus, in quo poeta non modo luxuriatur, sed adeo ineptit, dum fabulas de rebus inferis non tantum molesta copia retexit; nam, etsi maior earum pars ex interpolatione irrepsisse videri debet, tamen aliquas saltem, at vel illas a re alienas, a poeta profectas esse probabile est; verum etiam partes narrantis Umbrae Culicis tribuit, qui iustis sibi nondum persolutis nec dum loca ea adierat, sed e longinquo prospexerat. *Effigies*, h. l. εἴδωλον, umbra Culicis, ut bene Scaliger monuit. Mox v. 213 pro ea *viscera* dixit miro modo; dum corpus et corporis umbram cogitaret. *cecinit convicia* ut 207. doctius quam, *fecit*, ex antiquo sermone; ut in XII Tabb. *occentare.* Sed *ab eventu* v. 207 quorsum referemus? an, cecinit convicia propter id, quod evenerat. Nisi magis placet ad effigiem referre, ut ea sit *tristis ab eventu.*

Digitized by Google

Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
Inquit: „Quis meritis, ad quae delatus acerbas
„Cogor adire vices? Tua dum mihi carior ipsa
„Vita fuit vita, rapior per inania ventis.
„Tu lentus refoves iucunda membra quiete,
„Ereptus tetris e cladibus; at mea manes
„Viscera Lethaeas cogunt transnare per undas;
„Praeda Charontis agor. Vidi ut flagrantia taedis
„Limina collucent infernis omnia templis!
„Obvia Tisiphone, serpentibus undique compta,
„Et flammas et saeva quatit mihi verbera Poenae,
„Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
„Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis
„Sanguineique ardore micant mihi luminis orbes.
„Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
„Restitui superis leti iam limine ab ipso?
„Praemia sunt pietatis ubi, pietatis honores?
„In vanas abiere vices, et rure recessit
„Iustitia et prior illa fides. Instantia vidi
„Alterius; sine respectu mea fata relinquens
„Ad pariles agor eventus, fit poena merenti.
„Poena sit exitium, modo sit tum grata voluntas:
„Exsistat par officium. Feror avia carpens,

208. Quid meritus 214. Viden 215. Lumina—infestis 220. micant ardorem 225. Iustitiae 228. fit—dum

215. Scabra oratio: *videsne, ut omnia limina* (sic leg.) *infernis templis* (pro, locis) *collucent flagrantia taedis!* h. a Furiis faces quatientibus omnia loca esse obsessa.

221. *Heu, quid,* quare, *gratia digressa est ab officio!* quam parum persolvisti mihi gratiam debitam! *Officium* est eius, qui beneficium accepit; et digreditur ab officio, qui gratiam non solvit: more vulgari hominum.

227. 228. Omissis his duabus ineptis laciniis, reliqua hunc sensum habent: vs. 225. vidi mortem instare alii, eique subveni, mei ipsius discriminis immemor. *sine respectu relinquens,* haud respiciens. haud curans. *Nunc exsistat par officium:* praestetur a te mihi hoc, ut corpus meum terra condatur, meaque umbra, cis Acherontem adhuc vagari coacta, amne traiecto ad sedes quietas admittatur.

229. Ad loca infera delatus vagatur per avia lucorum Cim-

Digitized by Google

„Avia Cimmerios inter distantia lucos,
„Quem circa tristes densentur in omnia poenae.
„Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
„Devinctum moestus procul adspiciens Ephialten,
„Conati cum sint quondam rescindere mundum;
„Et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae-
„Implacabilis ira nimis-, iacet alitis esca.
„Terreor ah tantis insistere, terreor, umbris!
„Ad Stygias revocatus aquas, vix ultimus amni
„Exstat, nectareas divûm qui prodidit escas,
„Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
„Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
„Contemsisse dolor quem numina vincit acerbus?
„Otia quaerentes frustraque haurite, puellae,
„Rite quibus taedas accendit tristis Erinys, —
„Sicut Hymen praefata dedit connubia mortis,—
„Atque alias alio densat super agmine turmas,
„Impietate fera vecordem Colchida matrem
„Anxia sollicitis meditantem vulnera natis;
„Iam Pandionias miseranda prole puellas,
„Quarum vox Ityn edit Ityn, quo Bistonius rex
„Orbus epops moeret volucres evectus in auras.

239. Restat 243. quaerentem frustra? Vos ite 244. ite 250. et Ityn, quod 251. volucris

meriorum, quos hic in remotis Orci partibus versus Tartari limina collocat. In Tartaro enim sceleratorum supplicia prospicere debuit Culex: Oti et Ephialtae, Aloidarum: Aen. VI, 582 sq. Tityi, ibid. 595. Tantali, Danaidum, Medeae, Philomelae et Procnes, 249. Eteoclis et Polynicis 252: inde v 258, ad Sedes Piorum (ad quas vs. 294 sq. pervenit) defertur: sed in limine Campos Lugentium prospicit: inque iis heroidas Alcestin, Penelopen, Eurydicen. *feror carpens*, carpo avia.

237. 238. Haec coniungenda sunt cum v. 256. 257 *auferor ultra In diversa magis*. Errabat umbra Culicis per loca infera avia et ad limen Tartari pervenerat. Ibi vero territa monstris eorumque suppliciis refugit et tandem defertur in alteram partem, ad Elysios campos. Mirum in modum omnia sunt corrupta: quae vid. in V. L.

249. Procnen et Philomelam

Digitized by Google

„At discordantes Cadmeo semine fratres
„Iam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
„Alter in alterius, iamque aversatur uterque,
„Impia germani manat quod sanguine dextra.
„Heu heu mutandus nunquam labor! Auferor ultra
„In diversa magis; distantia limina cerno;
„Eridanus tranandus, agor delatus ad undam.
„Obvia Persephone comites heroïdas urget
„Adversas perferre faces. Alcestis ab omni
„Inviolata vacat cura, quod saeva mariti
„Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
„Ecce Ithaci coniux! semper decus enitet oris,
„Foemineum incorrupta decus manet, et procul illa
„Turba ferox iuvenum telis confixa procorum.
„Quo misera Eurydice tanto moerore recessit,
„Poenaque respectus et nunc, Orpheu, manet in te.
„Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
„Credidit aut ulli Ditis placabile numen,
„Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
„Nec moesta obtenta Ditis ferrugine regna,
„Defossasque domos ac Tartara nocte cruenta
„Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes,
„Iudice, qui vitae post mortem vindicat acta.

252. SANGUINE 253. VULNERA 254. AVERSATUS 256. EHEU 258. ELYSIAM 263. ICARIOTIS 266. QUIN 267. MANET ORPHEUS IN TE. 271. OBTENTU DIRO ET

videt in Tartaro, tum vs. 252 Eteoclem et Polynicem sibi mutua vulnera inferentes; 257 *Eheu mutandus nunquam labor,* de poena nunquam finem habente. 256. aversatus haec ulterius pergit Culex in diversas partes.

256—293. Nunc Umbra ad Elysios campos tendens campos Lugentium prospicit; si recte salebrosos versus interpretor: ut antequam ad Elysium pervenisset, videat Culex Heroidas a Proserpina coactas ferre nuptias infaustas: ex his memorat Alcestin pro marito Admeto mortem oppetentem, Penelopen a procis infestatam, et Eurydicen ab Orpheo, iam in vitam cum revocata esset, iterum in Orcum retractam.

Digitized by Google

„Sed fortuna valens audacem fecerat ante.
„Iam rapidi steterant amnes, et turba ferarum
„Blanda voce sequax regionem insederat Orphei;
„Iamque imam viridi radicem moverat alte
„Quercus humo; steterunt comites, silvaeque sonorae
„Sponte sua cantus rapiebant cortice avara;
„Labentes biiuges etiam per sidera Lunae
„Pressit equos, et tu currentes, menstrua virgo,
„Auditura lyram tenuisti nocte relicta.
„Haec eadem potuit Ditis te vincere coniux,
„Eurydicenque ultro ducendam reddere; non fas
„Non erat invita diva exorabile Mortis.

275. ORPHEA 279. STETERANTQUE AMNES 280. AMARA 281. LUNA 286. IN VITAM DIVAE — NUMEN.

275. *Fortuna audacem fecerat Orphea*, scil. quod tantam cantus sui vim in aliis rebus alio tempore iam saepe antea expertus fuerat, quae mox enumerantur: hoc tamquam successu elatus ille audebat nunc adire loca infera. *Fortuna valens:* simpl. ornans epitheton; plerumque alias *fortuna potens*. 276. 277. *regionem*, locum, in quo Orpheus canens cithara consederat, *turba ferarum*, *sequax blanda voce*, propter blandam vocem *Orphei*, iam alias saepe suavi cantu allecta, *insederat.* 278. 279. Hic peccavit poeta, quisquis ille fuit (nam totum episodium de Orpheo ab alio, sed docto, homine profectum videtur), cum Ovidio et aliis, quod vim cantus Orphici in arbores nimis dilute descripsit. Recte vetus poesis arbores carmine motas et delinitas dicere potuit. Sed ineptum erat, huic phantasmati immorari et ipsam motus rationem describere velle. Quercus radicitus evulsa ad vatem accedere debuit secundum poetam nostrum. Mox redit ad easdem v. 279. 280. *silvae sonorae* (ornat h. l. epitheton proprium arborum vento strepentium) *rapiebant* cantus, avide audiebant, arripiebant, idque ornavit adiecto: *cortice;* ut alias *auribus rapimus cantum:* sonus autem per corticem penetrabat. 281. Etiam Luna repressit bigas per caelum invectas: cursum inhibuit. *Bigae* nunc equorum sunt, alias taurorum. Parum suaviter mox eandem alloquitur: et tu, *menstrua virgo*, propter vices lunae menstruas, ut audires lyram, *tenuisti currentes* equos, *nocte relicta*, cursu, quo noctem efficit, regit. 284 — 286. Haec eadem lyra,

Digitized by Google

„Illa quidem, nimium manes experta severos,
„Praeceptum signabat iter, nec retulit intus
„Lumina, nec divae corrupit munera lingua;
„Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
„Oscula cara petens rupisti iussa deorum.
„Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent
„Peccatum ignovisse. At nos, grave, sede piorum,
„Nos manet heroum contra manus. Hic et uterque
„Aeacides: Peleus namque et Telamonia virtus
„Per secura patris laetantur numina, quorum
„Connubiis Venus et Virtus iniunxit honorem.
„Hunc rapuit serva; ast illum Nereïs amavit.
„Assidet hac iuvenis, sociat quem gloria, fortis,
„Acer, in excidium referens a navibus ignes
„Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
„O quis non referat talis divortia belli,

293. Sed et vos 294. Nos 297. ConnubIs 300. inexcussus

o coniux Ditis, potuit te vincere, ut redderes Eurydicen. *haec potuit reddere*, solito poetis more, efficere, ut redderetur. *ducendam*, reducendam in vitam; reliqua sunt scabra.

287. Eurydice quidem, severum et strictum ius inferorum deorum iam experta, iter praescripto modo faciebat, neque, uti iussi erant, respexit neque verbum elocuta est. Ingeniose sic poeta non modo Orpheo interdictum, ne retrospiceret, verum et novam legem Eurydicae datam memorat, qua nostros poetas nondum uti vidi: *ut nec illa silentium voce rumperet:* quae lex longe durissima fuit, utpote feminae dicta. Fuit tamen illa magis compos linguae, quam maritus amoris. *signare iter*, vestigiis impressis.

293. Nunc ipsum Elysium adit Culex, et recensum heroum facit, ea loca incolentium, primo Graecorum, tum Troianorum. Si *manet* v. 294 sincerum est, debet expectandum esse, ut et heroinae aliquando in Elysium admittantur.

302. *divortia belli:* quod inter diversos duo populos geritur, quasi ad duo divertitur: ut *divortia viarum*, *aquarum;* et ex altera parte similiter, *iurgia belli*, *discordia pugnae*, dici solent. Elegans translatio, quam nescio num aliunde acceperit poeta. Mox 303 facit iterum in digressione novam digressionem de bello Troiano poeta: nisi tota haec la-

Digitized by Google

„Quae Troiae videre viri, videreque Graii,
„Teucria cum magno manaret sanguine tellus
„Et Simoïs Xanthique liquor Sigeaque praeter
„Litora, cum Troas saevi ducis Hectoris ira
„Videre in classes inimica mente Pelasgas
„Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.
„Ipsa iugis namque Ida patens frondentibus, ipsa
„Ida faces altrix cupidis praebebat alumnis,
„Omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora
„Classibus ambustis flamma superante daretur.
„Hinc erat oppositus contra Telamonius heros
„Obiectoque dabat clipeo certamina, et illinc
„Hector erat, Troiae summum decus, — acer uterque,
„Fulminibus coelo veluti fragor editus ingens, —
„Ignibus hic telisque furens, si classibus Argos
„Eriperet reditus; alter Vulcania ferro
„Vulnera protectus depellere navibus instat.
„Hoc erat Aeacides vultu laetatus honores,
„Dardaniaeque alter fuso quod sanguine campis
„Hector lustravit devicto corpore Troiam.
„Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et huius
„Alta dolis Ithaci virtus quod concidit icta.

309. POTENS FERITATIS, ET 310. AEQUA 316. ALTO 317. SUPER 318. ERIPIAT — ILLE UT 319. INSTET 320. ALTER — HONORE 322. HECTOREO VICTOR LUSTRAVIT 324. ALMA

cinia cum tot aliis assuta est ab alio. Cogitandum autem de τειχομαχίᾳ Iliad. *N.* in qua Aiax Telamonius ignem a classe propulsavit 107 seq. Tum alter Aeacides, vers. 321 Achilles, Hectorem interemit.

305. *Sigeaque praeter*, ante, *littora cum videre* supple ex vs. 303 *Troes* (pro Troiae) *viri et Graii.*

320. *Aeacides alter*, Aiax Telamonius, qui a navibus ignes a Troianis illatos depulerat; *alter*, Achilles, Hectoris caesi corpus circa muros Troiae raptavit. Aen. I, 483.

323. Achilles Paridis, Aiax Ulyssis fraude cecidit.

„Huic gerit aversos proles Laërtia vultus,
„Et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
„Pallade iam laetatur ovans; rursusque tremiscit
„Iam Ciconas, iamque horret atrox Laestrygonas**.
„Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis
„Aetnaeusque Cyclops, illum Zanclaea Charybdis
„Pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
„Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrida,
„Assidet, Argivum lumen, quo flamma regente
„Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
„Reddidit, heu, Graius poenas tibi, Troia, ruenti,
„Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
„Illa vices hominum testata est copia quondam,
„Ne quisquam propriae fortunae munere dives
„Iret inevectus coelum super: omne propinquo
„Frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
„Vis Argea petens patriam, ditataque praeda
„Arcis Erichthoniae, comes huic erat aura secunda;
„Per placidum cursus pelagus Nereïs ad undas
„Signa dabat, pars inflexis super acta carinis;
„Cum seu coelesti fato seu sideris ortu
„Undique mutatur coeli nitor, omnia ventis,
„Omnia turbinibus sunt anxia. Iam maris unda
„Sideribus certat consurgere, iamque superne
„Corripere et soles et sidera cuncta minantur,
„Ac ruere in terras coeli fragor. Hic modo laeta

328. IAM IAMQUE HORRET LAESTRYGONAS ATROX. 330. METUENDA 332. ATRIDES 335. GRAVIUS 343. CURSU 349. CORRUERE ET SOL IIS 350. VENIT—HOC

325. Sedet in Elysio Ulysses averso ab Aiace vultu; ipse apud se reputans, quae gesserat.

327. *Pallade ovans* potest esse, Palladis auxilio; sed verius, Pallade rapta, Palladio, ut iam Ascensius. vid. Aen. II, 163 sqq.

335. *Reddidit heu gravius*, ut sensus sit, lege *Graius*. pro Graii. nam de naufragio in reditu Achivorum agere incipit. *Hellespontiacae aquae* latius dictae pro mari Aegaeo. *Arx Erichthonia* v. 342. est *Pergamum:* Erat Erichthonius Dar-

Digitized by Google

„Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
„Immoriturque super fluctus et saxa Capharei,
„Euboïcas et per cautes Aegeaque late
„Litora, cum Phrygiae passim vaga praeda peremtae
„Fluctuat omnis in aequoreo navifraga tractu.
„Hic alii sidunt pariles virtutis honore
„Heroës, mediisque siti sunt sedibus omnes,
„Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
„Hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus,
„Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli,
„Curtius et, medius quem quondam sedibus Urbis
„Devotum bellis consumsit gurges inundans,
„Mucius et prudens ardorem corpore passus,
„Legitime cessit cui fracta potentia regis;
„Hic Curius clarae socius virtutis, et ille
„Flaminius, devota dedit qui corpora flammae.
„Iure igitur tales sedes pietatis honores
„Istic Scipiadasque duces, devota triumphis
„Moenia quos rapidos Libycae Carthaginis horrent.
„Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos
„Cogor adire lacus, viduos a lumine Phoebi,
„Et vastum Phlegethonta pati, quo maxima Minos
„Conscelerata pia discernit vincula sede.
„Ergo me caussam mortis, me dicere vitae
„Verberibus saevae cogunt sub iudice Poenae,

353. Heraeaque 355. iam naufraga 361. mediis 362. gurgitis haustus 367. honorat 368. Illic Scipiadaeque 374. iam—vinctae 375. saevo — ab

dani filius, qui post fratrem Ilum Ilii regnum tenuit: Apollod. III, 12, 2.

356. Nunc heroes Romani, h. e. clarissimi viri, memorantur in Elysio.

370 sqq. Miro phantasmate poeta Culicem per diversas inferorum partes vagatum, cum primum lucos Cimmerios, monstrorum sedes (v. 229 sq.), mox Impiorum loca (v. 237 sq.), tum Elysias sedes (v. 256 sqq. ad v. 369.) a limine salutasset, nunc in eo esse narrat, ut coram Minoe iudicium subeat. Scilicet corpore sepulto et funeris honore sibi persoluto sperare poterat, iri se admissum ad certam in inferis sedem. Nam ad huma-

Digitized by Google

„Cum mihi tu sis caussa mali, nec conscius adsis.
„Nec tolerabilibus curis haec immemor audis,
„Et tamen usque vagis dimittes somnia ventis.
„Digredior nunquam rediturus; tu cole fontes
„Et virides nemorum silvas et pascua laetus,
„Et mea diffusas rapiuntur dicta per auras."
Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitae dimisit inertia vitae
Interius graviter regementem, nec tulit ultra
Sensibus infusum culicis de morte dolorem, —
Quantumcunque sibi vires tribuere seniles,
Quîs tamen infestum pugnans devicerat hostem, —
Rivum propter aquae viridi sub fronde latentem
Conformare locum capit impiger; hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam viridi fodiens de cespite terram.
Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus, atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem;
Quem circum lapidem laevi de marmore formans
Conserit, assiduae curae memor. Hic et acanthus
Et rosa purpureo crescit pudibunda rubore,
Et violae omne genus; hic est et Spartica myrtus
Atque hyacinthus, et hic Cilici crocus editus arvo,
Laurus item Phoebi surgens decus; hic rhododaphne
Liliaque et roris non avia cura marini,
Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina,

377. SED 378. QUAE — UT VANIS DIMITTENS OMNIA 381. RAPIANTUR 383. SOLLICITUM 384. MENTEM AEGER 391. UT VIRIDI FODERET 397. RUBICUNDA COLORE 398 GENUS OMNE.

nae umbrae exemplum haec adumbrata sunt.

383. Exsurgit a somno pastor et Culici tumulum parat. Etsi enim non diserte de eo Culex conqueritur, quod iustis sibi non praestitis umbra in inferis sedem habitura certam non sit, totam tamen poetae fabulam eo

Chrysanthesque, hederaeque nitor pallente corymbo
Et Bocchus Libyae regis memor; hic amaranthus
Bumastusque virens et semper florida tinus.
Non illinc Narcissus abest, cui gloria formae
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus.
Et quoscunque novant vernantia tempora flores,
His tumulus super inseritur; tum fronte locatur
Elogium, tacita format quod litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

403. CHRYSANTHUSQUE 405. BUPHTHALMUSQUE — PINUS.

attemperatam esse apparet. 389. *capit conformare:* suscipit, ut supra *comparat dare.* v. 203 *et in fessos requiem dare comparat artus.* Aliud est *locum capere*, quod Scaliger huc vocat. 390. *ferri capulum*, de ligone accipio.

Digitized by Google

ADNOTATIO CRITICA.

[* In Cod. Colbert. I. haec est inscriptio: *Poetarum sapientissimi puplii virgilii maronis condiscipuli Octaviani Caesaris Agusti mundi imperatoris iuvenilis ludi libellus incipit. Culix publii virgilii maronis incipit;* in cod. Pithoeano *Iuvenalis ludi libellus incipit.*]

1. [* In Cod. Colb. I. vss. 1—3. ita evanuerunt, ut literarum ductus dignoscere non liceret. Verbo *lusimus* opponitur vs. 8. *graviora;* de *gracilis* v. ad Ciris vs. 19. In Colb. IV. mire legitur *Scripsimus* — *camela* unde *Camena* coniicere possis.]

2. *f. usum* Ms. Helmst., et *ursum* scripti Petav. et Voss. apud Heins., *struere orsus* apud Plin. XI, 10, in nonnullis codd. [* *ursum* Colb. II. Thuan. I. Viecht. *Orsum* Colb. IV. Bembus, Ald. 1517. *Tenuem* illustravit Santenius ad Terent. Maur. p. 318.]

3. *hac propter* Scaliger malebat; nil refert. *sint* a Bembo est; antea *sunt.* Nic. Heins. coni. *Lusimus haec propere; Culici sic c. d.* Voss. et Petav. *docta.* [* *haec propter* per anastrophen dictum est pro *propter haec;* v. ad Ciris vs. 55. *Sint* in omnibus meis codd. legitur. *Culici* Viecht. *docta* Thuan. I. Viecht.]

4. 5. partim ex Scaligeri emendatione partim aliunde constituta lectio. Vulgata, quam Badius et Taubmann. cum Barthio frustra conantur interpretari, in vett. edd. erat: *Omnis et h. — c. o. Notitiaeque ducum voces;* nec Bembus quicquam mutavit, nisi quod *Omnis ut* correxit. Legebatur quidem in nonnullis *Nutritae:* etiam *Nutrices:* sed hoc interpolatum ex vitiosa lectione: *Notitraeque* pro *Notitiaeque.* In quibus cum sententia idonea non occurreret, Scaliger emendabat: *Omnis ut historiae proludens consonet ordo Notitiae, ducam vocem licet; invidus absit.* Emendatio dura et coacta, et cuius sensum ipse vix satis habet quomodo exponat: *ut omnis ordo historiae notitiae consonet, ducam vocem. Deducam vocem in re tam tenui et humili, ut stilus conveniat materiae.* Et *proludens* quidem ms. Pithoei habebat, sed quo sensu? an pro, *ludens?* Quanto vero melius *per ludum:* cui adscriptum forte glossema (*pro ludens*) arripuit librarius Pithoeani exemplaris. *Notitiae historiae* iungit Scaliger, ut sit pro *historicae*, ut tot alia apud poetas occurrunt. *ducere vocem* ut, *ducere filum.* Barthius Advers. XXX, 24, et XIX, 13 miro acumine *Notitiae pecudum voces* legere suadebat. Sed nec hic nec in ceteris quicquam proficit. Heins. *adducam vocem licet;* ut sit *adducere vocem*, contrarium *remittere.* Mihi quidem de hoc loco ita videtur. Cum totum hoc exordium satis ieiunum sit, interpolatum quoque illud est a v. 3 ad 7, in quibus nihil est, quod non ineptum versificatorem redoleat. Nec tamen interpolatio profecta ab una manu: nam vs. 5 ab homine, inscito prorsus, insertus vide-

Digitized by Google

tur; a doctiore vss. 3. 4 *Lusimus: haec propter Culicis sint carmina dicta, Omnis ut historiae per ludum consonet ordo;* h. e. Cum lusus hoc esse debeat carmen, nomen quoque imposui ludicrum Culicis, *ut omnis historiae ordo*, h. tota narratio, *consonet per ludum*, h. ludicra sit, ipso quoque titulo. His adscripsit indoctus homo barbare versu 5 prorsus eiiciendo: *Notitiam ducunt voces:* pro: dant voces, nomina, tituli, notitiam, scil. rei, quae tractatur. Haec prave scripta ab aliis: *Notitiā ducū voces;* unde vulgaris lectio enata; hinc ex seqq. expletus versus: *licet invidus adsit.* Dubito vero omnino, an ante versum 41 quicquam sit, quod a Marone profectum esse dixeris. [* In codd. haec est varietas: *ut* Colbert. IV. Helmst. Ald. 1517. *et* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Bembus. *praeludens* Colb. IV. *Notitiaeque ducum* Colb. II. IV. Thuan. I. Helmst. Viecht. Bembus, Aldina 1517. *notitiae quae ducum* Colb. I. *notitiaeque ductum* Colb. II. In textu equidem nonnisi interpunctionem mutavi, quae talis erat, ut post *dicta* plene interpungeretur et tum scriberetur *ordo notitiae, ducam voces:.* Poeta se excusat, quod carmini suo talem inscriptionem praemisit: quia lusimus, carmen Culicem diximus, *ut* scilicet *omnis ordo historiae per ludum consonet*, similis sit, conspiret *Notitiae*, quam vocem hic pro *titulo*, *inscriptione* vel *indice* operis dictam puto. *Voces ducere* iam est apud Horat. A. P. 318. ubi vid. Bentleius. coll. Markland. ad Stat. silv. V. 3, 92. p. 332. ed. Dr. Metro pessumdato Valorius scripsit *Notitiaeque ducam voces licet; invidus absit*, Bothius *Non tritae.*]

6. [* *curpare* Viecht. *locos* Colb. II.]

7. *feratur* mavult Scalig. et Heins.

8. *Post erit*, *ut grav.* — *loquatur* emendat Heinsius. *Posterius* tamen apud Lucret. quoque occurrit. *g. sono Musaque* ms. Helmst. [* *somno musaque loquetur* Helmst. a m. pr. *sono* a m. sec. et praeterea suprascripta voce *mea.*]

9. *Dicta* Voss. *dabunt cum securos mihi tempora fructus.* Invita Minerva scriptus versus. Significare voluit *fructus ingenii*, *studii*, *otii;* quibus conveniret *maturos;* quod et Heins. coni. *dabunt cum maturos mihi* (vel *sua*) *tempora fructus.* Nisi forte scriptum fuit: *securos — portus;* sic secessus et otia Musarum contubernio exacta appellant poetae. [* *securos mentem piam fructus* Thuan. I. Bothius coni. *fluctus*, ut per hypallagen dictum sit pro: mihi securo a fluctibus, coll. Horat. Epist. II. 2, 46. Horat. Od. II. 7, 15. Nihil vero in hoc versu ego tentaverim. Pollicetur poeta, se tum gravius carmen ad Octavium esse scripturum, quum ipsi a temporibus *datum* i. e. permissum, concessum esset (Ruhnken. ad Vell. II. 7.), ut secure fructibus Musae potiretur. Quibus rebus poeta illo tempore, quo in Culice pangendo occupabatur, vexatus fuerit, nos nunc latet, praesertim quum nesciamus, quem poetam manu teneamus. Nunc certe varia eum impediebant, quominus serio in artem poeticam incumberet, quod illi aetati servabat, qua quietem sperare licebat. De *fructibus Musarum* apte comparari potest Catull. LXV. 3. *Nec potis est dulces Musarum expromere foetus*, quod Iacobsius in Biblioth. Gotting. liter. et art. vett. X. p. 67. ex Graeco *μελιηδέες Μουσάων καρποί* illustrat.]

10 *Ut te d. suo* Voss. *Ut mihi* cod. Koeleri; sed *tibi* in margine. *digna tuo* a Bembo emendatum. Vulgo: *dignato. digna nato spoliantur* Petav. *d. suos poliant ut* Voss., unde *Et tibi digna suos poliant ut carmina census* em. Heins., ut *census* sit ut Quinctil. Decl. XIII, 9 *vagari tu nolles apes, in opus exire, et ad quotidianum* censum laboris assidui *non detrectare militiam?* Verum nihil in his est, quod sponte fluere dixeris. [* *digna tuo* Helmst. Ald. 1517. *dignato* Colb. I. II. IV. Thuan. I. Lindenbr. *poliantur* Colb. IV. cum Bembo. *spoliantur* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. *spolientur* Helmst. Lindenbr. *versu* Colb. IV.]

Digitized by Google

11. Scabra verborum iunctura: cui succurri poterat: *Latonae decus et magni Iovis aurea proles;* vel *Latonae magnum decus, et Iovis aurea proles.* Heins. em. *L. magnique adeo Iovis.* Idem: „*Iovis decus* scripti. Lege *Iovis genus.*" Pompon. Sabin. laudat: *Latonae et Iovis a. p.* [* Legebatur *decus Iovis*, quae verba inverso ordine scripsi ex Colb. I. II. III. IV. Thuan. I Helmst. Viecht. Ald 1517. Inepte poeta noster imitatus est Virgil. Georg. IV. 49. *Cara Iovis soboles, magnum Iovis incrementum*, quem versum pariter suum fecit auctor Ciris vs. 397. Cum nostro autem loco vs. 12—19. Iacobus ad Lucilii Aetnam 4. recte huius carminis initium comparavit.]

12. 13. Languent haec, sed poetae forte culpa. *Phoebus erit;* quidni *Phoebus adest. recanente* Scaliger e libb. reponi vult. *Atque canente* Koel. ms., sed et *recinente* in marg. *educet* ms. Helmstad. *educat* Pompon. Sab. „puto, intelligi colat; quod enim colimus, fama, observatione, et veneratione nutrimus." Commodior poetae ad manum erat ratio: *seu detinet illum.* Iacobs coni. *sive occupat i.* Heins. coni. *Te recinente lyra: sive altrix e.;* haud dubie tersius, an vere, non dicam. [* *recanente — fauctor* Viecht. *Educat* defenditur ab ipso Heynio in Notis ad h l.]

14. *Xanthus* e Bembi emendatione; antea: *Xanthi.* Sic *alma* de Latona accipiebant. At Scaliger hoc idem *Xanthi* revocabat, et *urbs* subintelligebat, scilicet, ne ullus facile versus in hoc poematio scabritie sua careret. Lectum quoque *Luna* Badius testatur. Heins. videtur coniecisse *cruore;* ut adeo cogitaret de Chimaera caesa in istis locis a Bellerophonte. Etiam in Voss. est *Xanthi*, et inf. 304 *Et Simois Xanthique liquor* (ibi tamen de Scamandro). Unde Io. Schrader. emendabat: *Alma Chimaera sui Xanthi perfusa liquore.* Vix autem Apollinem ad Chimaeram montem referas. Poterant advocare Antonin. Lib. 35. ubi Apollinem et Dianam amne Xantho abluit Latona: *ἀφίκετο εἰς Λυκίαν, ἐπιφερομένη τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ λουτρὰ τοῦ Ξάνθου.* [* Legebatur *Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore*, ubi Colb. IV. habet *cireneo*, et omnes quos contuli libri simul cum Viechtiano *Xanthi.* Bembus quidem tacite hoc mutavit; dubito tamen num ex codice. Et quum iam ille codicum consensus *Xanthi* defendere videatur, alia etiam argumenta accedunt, quae impediunt, quominus Bembo et interpretibus eum secutis assentiamur. Nam *liquor Chimaereus* tam nude dictus nullo modo fluvium indicare potest, qui a monte Chimaera descendit, sed de ipso aliquo fluvio Chimaera, qui quum non exstiterit, certe non a geographis veteribus memoretur, iam hoc corruptelam loci arguit. Deinde urbs Xanthus fluvio cognomini adiacebat; fluvius urbem non permeabat. Huc accedit quod infra vs. 306. *Xanthi liquor* denuo legitur. His causis moti pro *alma* reposuimus *acta* i. e. litus, voce pariter Virgiliana Aen. V. 613. de qua inprimis conferatur Muretus Var. Lect. I. 3.]

15. *Seu nemus Asteriae.* Etiam hoc a Bembo. Vulgo: *decus astrigeri*, quod de Sole accipiebant; alii, et in his Voss. cum Petav., *decus astrigeri* vel *astrigerum:* quod Pompon. Sab. interpretatur. Scaliger ait, *omnes antiquitus excusos* habere *astriferum;* quod verum non est: quinque enim, quas in manibus habemus, vett. edd. *astrigeri* exhibent: quod eidem in Contii libro occurrebat, et Petav. *astriferum* vel *astrigeri.* Idem coni. *Seu specus oestriferum*, ut intelligatur specus Delphicum; sed mox tuetur *decus astriferum;* perperam utique: agitur enim de locis, quae Phoebus frequentat: Xantho, Delo, Parnasso. Delum autem per Asteriam declarari, obvia res est. Heins. tentabat: *Seu specus Asteriae;* vel *Seu tesqua A.* [* *decus* Colb. I. II. IV. Thuan. I. Helmst. Viecht. Lindenbr. *astrigeris* Colb. I. *astrigeri* Colb. II. Lindenbr. *astigeri* Helmst. *astriferum* Colb. IV. Ex Viechtiano nihil annotatum. Nam quod Iaeckius codicem istum cum editione Heynii consentire indicat, crederem alii cuipiam collatori, non huic. Et retinui quidem *Asteriae* quod

Digitized by Google

certissima coniectura assecutus est Bembus; restitui autem *decus*, quum inde a Bembo legeretur *nemus*. *Decus Asteriae* ex usu multorum scriptorum legitur pro *Asteria decens*, *pulchra;* v. Ramshorn. Gr. Lat. p. 661. a. adde Propert. III. 25, 5. ed. Iacob. *una ratis fati*, quod Markland. ap. Burm. Sec. p. 417. recte interpretatus est *ratis fatalis*. Huc accedit, quod auctor Culicis mirum quantum ipsa voce *decus* delectatur, unde in ea quaedam sibi indulsit. *Parnasia* scripsi ex Colb. I. II. IV. Thuan. I. Helmst. Bemb. Viecht. ubi *pars nasia*. Vulgo *Parnassia*. V. Passow. ad Pers. T. I. p. 207. Schneideri Gr. Lat. T. I. P. II. p. 441. et quos laudat Iahn. ad Ovid. Met. I. 317. cui adde Boissonad. ad Nicet. Eugen. p. 214.]

16. *praetendit* mavult Scalig. e ms. Pithoei. Sed *praepandere* est Lucretianum. v. Wakefield. ad Lucret. I, 145. [* *praepandit* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Helmst. *praetendet cornua* Colb. IV. *Hinc atque hinc* v. Virg. Aen. VIII. 387.]

17. Ante Bembum: *liquido praelabitur*. Tum Scaliger e ms. Pithoei mavult: *Castalia et resonans*. [* *liquo* Viecht. *liquide perlabitur* Helmst. *Castaliae resonant liquide pede labraque unda* Colb. IV.]

18. 19. Suppositicios versus esse arbitror: alienos utique a sententia. *P. nemoris* Voss. [et Colb. IV.] *ite* pro *venite*. *Naiades* pars vett. edd. Sic saltem deb. *Vos quoque*, *P.* — *ite* — *Naiades celebrare deum. ludente* ante Bemb. etiam in Ald. [* *ludente* Colb. I. II. IV. (qui et *Naiades*) Thuan. I. Viecht. Helmst. quod reposui cum vulgo auctore Bembo legatur *plaudente*. Sed *ludere* saepe legitur de carminibus et saltationibus iocosis, in quibus adeo sacri aliquid et divini inest. Ita Virg. Georg. II. 385. *Ausonii — coloni Versibus incomptis ludunt* (Bacchum) *risuque soluto*, Horat. Od. II. 12, 17. sq. *Quam nec ferre pedem dedecuit choris*, *Nec certare ioco*, *nec dare brachia Ludentem nitidis virginibus*, *sacro Dianae celebris die.* — *corona* Colb. IV.]

20 — 23. Foede haec corrupta; nisi forte, quod suspicor, totus locus ab interpolatore, haud uno, profectus est. Expressa est lectio Bembina. Antea uno versu extruso lectum: *Et tu s. P. ad quam ventura recurrunt Agrestum bona*, *secura sit cura canentis. Aerios nemorum saltus feror inter et astra*. Primum video in Aldina vett. poet. lus. 1517 — *se cura sit cura tenentum Aerios nemorum cultus silvasque virentis*, *Te cultrice vagus saltus feror inter et astra*. Nec aliter in seqq. Ven. ut Iunt. 1532, nisi quod correctum est: *secure sit cura canentis*. Petav. et Voss. *A. bona cura sequi secura tenentes*. Videbimus de singulis: *Et tu*, *s.* praefero: quod et Voss. habet. *ad quam ventura recurrunt Agrestum bona*: quandoquidem pecudum et frugum eius cura provenientium primitiae ei libantur. *venturae herbae*, *ventura lana*, apud poetas occurrunt. v. Barth. Advers. XIX, 13. Praestat tamen sic: *ad quam ventura recurrit Agrestum fetura*, quo alii libri ducunt, etiam Voss. Sequentia possint forte sic constitui: *tibi sit cura canentis Aerios nemorum tractus* (pro altis, editis, non damno) *silvasque virentes Te cultrice* (o Pales, ut iuncta illa sint: *virentes Te c.*), *vagus saltus feror inter et antra*. Nam *astra* sensum idoneum non habent; sed poeta, per nemorum recessus vagatus, fertur *inter saltus et antra*. Scaliger e membrana Pithoei probabat:

Et tu, *sancta Pales*, *ad quam ventura recurrit*
Agrestum bona sors cura secura, *tenens quae*
Herbiferos saltus nemorum silvasque virentes,
Te tutrice vagus s. f.

Aliam item membranam [Contii sc.] eandem lectionem habere, quamquam paullo depravatiorem, testatur. *tenes quom* antiquitus fuit exaratum in Pith. Omnia in his dura sunt. *bona sors* debet esse copia lactis, proventus lactis, quia est pastoralis dea; ea sors *secura ab omni cura*

Digitized by Google

dicta, quia sine omni cura ac labore illam percipiunt pastores. Probat haec Barthius Advers. XIX, 13, nisi quod v. 21 *curae secura* scribi iubet. [* Quamvis longa sit de h. l. disputatio Heynii, nihil tamen inde nos lucrari confitearis. En ipsa verba, ut hucusque legebantur:

Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis.

Varietas lectionis haec est: *Et tu* legitur in Colb. I. II. III. IV. Thuan. I. Viecht. Helmst., deinde *bona secura sit cura tenentes* in Colb. I. II. Thuan. I. *bona sors cura secura tenensque* Colb. IV. *dona vobis sit cura retentum* Helmst. Quodsi iam ex discerpti poetae membris, ut ea nunc iacent, aliquid colligere licet, sensus loci hic fere esse videtur: Apollinem celebrate, vos Musae tuque Pales (quae Dea cum Apolline non hoc tantum in loco consociatur; v. Virg. Eclog. V. 35.), quam turba agrestum precibus adit, ut sibi favorem Deorum rusticorum conciliet. Huc certe ducit Ovid. Fast. IV. 759. *Tu Dea pro nobis fontes fontanaque placa Numina, tu sparsos per nemus omne Deos.* Emendationis fundum pono lectiones codd. Voss. A. Petav. unde ut et e meis codd. retineo *tenentes*, pro *cura* scribens *rura;* deinde ex SEQUISE restituo SECURE, et quum in versu superiori pro *Et tibi* ex omnibus codd. reponam *Et tu*, manent modo absurda illa verba *bona cura.* Priusquam vero de his quid sentiam aperio, disserendum est de voce *ventura* non minus inepta. Longobardicos literarum ductus reputanti coniectura nostra non nimis violenta videbitur, qua scribimus *gens dura* coll. Virg. Georg. I. 160. *quae sint* duris agrestibus *arma*, et Aen. VII. 504. duros *conclamat* agrestes. *Recurrit* ex perpetuo scriptorum optimorum usu pro simplici *currit* sc. festinat, adit, dictum puto. His iam praemissis ad *bona cura* vel *bona secura* vel *bona sors* vel *dona vobis* redeo, quo eiecto scribo ORANTES. Ut enim primum apud Livium VII. 13. legitur *adire orantes*, ita nostro loco *Currere orantes;* coniunctio vocis collectivae cum partic. plur. neminem offendet. Qui tamen exempla requirat, eum remittere placet ad vs. 119. 120. *chorea — fundentes*, Livium I. 41. *Clamor inde concursusque populi, mirantium quid rei esset*, XXIX. 14. *Omni effusa civitate obviam — precantibus, ut volens propitiaque urbem Romanam iniret.* Iustin. XIV. 4, 16. *Sequitur exercitus — triumphumque ducit, auspicia regis Alexandri tradentes*, de quo loco v. Cort. ad Lucan. IV. 336. Sensus igitur huius loci hic est: ad quam gens agrestum dura orantes i. e. cum precibus currit, quam adeunt tenentes secure rura, aereos tractus nemorum etc. Breviter recenset poeta eos, qui Pali sacra faciunt. *Aerios* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Helmst. Vulgo *Aereos.* Reliqua vulgo sic legebantur *nemorum tractus*, aperta Bembi interpolatione. Etenim in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Helmst. Aldina 1517. rel. exstat *nemorum cultus*, quod pariter nemo probet, quia *nemora* nunquam *culta*, semper *inculta* dicuntur. Ecce autem occurrit dubitanti scriptura codd. Colb. IV. (sive Pithoeani) et Lindenbr. in quibus invenitur *saltus nemorum*, quod ex Virgil. Ecl. VI. 56. *nemorum iam claudite saltus* desumptum esse non est quod moneam. Coniunctio vero verborum *saltus* et *silvae* aeque defenditur Virg. Georg. III. 40. IV. 53. Similes aliarum vocum ἰσοδυνάμων iuncturas collegit Weichertus V. Clar. ad Valer. Flacc. VIII. 470. p. 48. *Astra* legebatur tam in edd. vulgg. quam in codd. omnibus, nisi quod e cod. Lindenbr. enotatum fuerat *arva*, in quo recipiendo recte me occupavit Valorius. — In Helmst. est *Decultrice.*]

20. *ventura.* Koeler. ms. in marg. *veritura*, et v. 21. *fetura sit cura tenentum*, v. 22. *A. n. saltus*, et in marg. *cultus*, quod et Voss. ms. habet; et v. 23. *inter et arva.* In ms. Helmst. corruptiora erant: *Et tuscam palem ad quam: ventura recurrunt agrestum dona vobis sit cura retentum.* In v. 21. Heins. coni. *bona turba;* et v. 22. *saltus feror inter et arva* vel *antra*, hoc bene, etiam *vagos saltus*, quod non probo. In alte-

Digitized by Google

ris schedis varie tentat: *ad quam* votura *recurrit agrestum bona turba, sequi sit cura canentem.* Item: *ad quam* votiva *recurrit agrestum fetura.* Naso III Am. 13 *Accipit ara preces votivaque tura piorum:* sic *votiva chori* Stat. Theb. IV, 209. Iterum: *sequi cui cura tenes quae Herbiferos tractus nemorum.* Io. Schrader. ap. Frisem. *Et tu, s. P. ad quam votiva recurrit agrestum, bona diva, frequens fetura, tenetque.*

24. *At* Bemb. *Et* Aldina et al. *castris* ms. Contii et Petav., ex vitio scripturae ortum, ut in Helmst. [*et Lind.] *castis.* Eadem varietas, *castris* et *chartis*, est ap. Tibull. IV. 1, 39. Attamen, recte, ait Scaliger: *Tu qui, ut veteres loquebantur, belli clues.* Hoc et durum per se et a loco alienum. Octavium invocat, cui iam laudum meritarum copia fiduciam facere potest, ut poetae tutelam suscipiat. *chartae* pro carminibus, ut apud Tibull. IV, 1 aliquoties. *cui m. teritur fiducia* emendabat Barthius Advers. XIX, 13, parum venuste. *meritis f. tantis* Aldina 1517 et hinc Ge. Fabric, quod malim poetam dedisse, tamquam luculentius. Et potest ex prava scriptura certae aetatis ex *tātis* factum esse *cartis.* [*Et tu* reposui ex Colb. I. II. IV. Thuan. I. Helmst. pro vulgato *At tu.* Antea enim iam Phoebum in auxilium vocaverat vs. 11 sqq. — *canis*, Colb. IV.]

26. *Sancte puer;* nemo reprehendat dictum ex usu Romanorum. *tibi:* praestabat *mihi:* quod et Io. Schrader. malebat. Mirum lectionis monstrum ms. Contii, idem Koeler. ms. cum Petav. et Thuan., habebat: *Triste Iovis ponitque canit non p. b.;* unde Scaliger non dubitanter legebat: *Triste Iovis Poenique canit non pagina bellum.* Sed ipse dubitat, *Iovis bellum* sitne Capitolium a bello obsessum, an Giganteum. *Punicum bellum* autem prorsus a loco alienum; iungitur enim: *Poeni bellum, Phlegra G.* Barthius Advers. XIX, 13 emendabat *T. Iovis Otique* ex v. 233, unde felicior subnata Taubmanni coniectura: *Triste Iovis Rhoecique canit non p. b.* Nomen Rhoeci Gigantis notum. cf. sup. Var. Lect. ad Ge. II, 456. *Triste Iovis Coeique* Io. Schrader. coni., laudato Lucan. IV, 596, et Propert. III, 7, 47, Hein. *Triste Iovis mihi namque canit non p. b.*, aut f. *canet* et *compellet*, et *uret.* Idem mox coni. *compellit in Ossan:* quod alienum. [*Legebatur: *Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum* ut etiam sine ulla lectionis varietate in Colb. IV. Helmst. invenitur. Exhibent eum quoque Colb. I. II. Thuan. Viecht. eo tamen discrimine, quod illi ipsi versui praemissus est monstrum lectionis, ut Heynii verbis utar, *Triste Iovis ponitque canit non pagina bellum;* in cod. Lindenbr. denique versum, qualis hucusque prostabat, corruptus ille sequitur. Et hoc iam nemini dubium esse potest, quin duae lectiones inter se coniunctae sint, quarum una tantum genuina esse debet. Utra vero? Paucis sententiam meam declarabo. Vera poetae manus latet in monstrosa illa lectione, cui librarius aliquis ex vs. 36. *sancte puer* praemisit, vel ut pro corrupta lectione aliquid reponeret, quod certe intelligi posset, vel ut accuratius etiam indicaret, ad quem haec omnia pertinerent. Alter librarius verba *sancte puer* pro initio versus detruncati habens nullum melius remedium movit, nisi ut illis verbis clausulam hexametri sequentis adderet, unde tandem alii librarii, intelligentes, poetam tales versus deinceps se excipientes scribere non potuisse, ex utroque unum consarcinarunt, qui iam in codd. Colb. IV. Helmst. et edd. vulg. regnat. Quas iam emendationes VV. DD. ex versu illo exsculpserunt, aut longius a literarum ductibus recedunt, aut nimis contortae sunt, quam quas probare liceat. Hinc meo iure usus reposui *Triste Iovis Phorcique canit;* ac primum quidem *phorcique* et *ponitque* eo facilius commutari potuerunt, quia notum est, pro *ph* saepissime scribi *p. Phorcus* unus fuit Gigantum (Hygin. Praef. fabul. p. 4. ed. Munck.), unde *Iovis cum Phorco bellum* pro Gigantomachia in universum dici potuit. Quis praeterea hodie negare ausit in eo, quem auctor Culicis ob oculos habuit, fonte in Phorcum fortasse translatum fuisse, quod alii de Porphyrione narraverant? In similem suspi-

Digitized by Google

cionem iam inciderat Oudend. ad Lucan. IV. 596. reponens *Triste Iovis Cottique* coll. Hesiod. Theog. 149. Bentl. ad Horat. Od. II. 17.]

27. *Phlegra tellus* offendit Io. Schraderum, qui emendabat, *Feta G.* cf. Not. [* *Flegra* Colb. I. II. Helmst. De *Phlegra tellus* et similibus v. quos attuli in Epist. Crit. de Catulli Carm. p. 40 quibus addas Intpp. ad Petron. p. 733. ed. Burm. et ad Pompon. Mel. Vol. II. P. I. p. 565. ed. Tz. — *quae* Colb. II. Viecht. Equidem h l malim *quum.*]

28. [* *Nec Centaureos .... trias compellat* Colb. II. *Nec Centauros* Colb. III. *compellat ad ensem* Colb. IV. *laphitas* Viecht. *Nec que centauros laphitas* Helmst.]

29. [* *erecthonias* Colb. I. II. *erithonias* Colb. IV. *erictonias* Helmst. *moriens* Viecht.]

30. [* *Nec perfossus* Colb. IV. *perfossos* Helmst.]

31. *Iacta* emendatum a Bembo. Vulgo *Lecta* Pinciana 1505 *Lacta.* Petav. ms *Laeta;* unde Heins. coni. *Lata*, a ferendo. [* *Iacta* Colb. I. II. *Lecta* Colb. IV. *Laeta* Thuan I. Viecht. *Leta* Helmst. *quaerens per tanta* Colb. IV. *volumina* Colb. I. II. IV. Thuan I. Viecht. *meae — volumine famae* Helmst. — *sera* pro *sero* dicitur; v. Vechneri Hellenol. p. 216. Ruddim. Inst. Gr. Lat. II. p. 373. *iam* de tempore, quo poeta carmen suum scribit.]

33. *non timuit* Pompon. Sab. habuit in suo: sicque ms. Koeler. [* *contenuit* Colb. IV. in rasura.]

34. *Mollia sed tenui pede currere carmina versu* legebatur. *versum* Voss. Imbecillus versus, quem frustra Barthius recreare volebat interpunctione Advers. XX, 19; Heins. *decurrere*, s. *decurrens* emendabat; vel cum Scaligero, *percurrere carmina*, ut *percurrere telas pectine;* idque verum esse censeo. Nisi totus versus 34 obelo transfigendus, et in antec. versu *currunt* scribendum est. *gaudet*, scil. pagina ex vs. 26. [* Legebatur *percurrere.* Sed quum in Colb. I. II. III. IV. (nisi quod hic verba inverso ordine exhibet *carmina currere*) Thuan. I. Helmst. scribatur *pede currere*, cum Heinsio restitui *decurrens*, spreta Bothii coniect. *versu et.* Et quod primum significationem huius vocis attinet, de ea fusius ad Ciris vs. 5. egi. Participium vero desiderari non potuit. Quodsi enim infinitivi illi *decurrere* et *ludere* copula non addita, qua Heynius non opus esse asseveravit, sese exciperent, asyndeton hinc orietur, quale vix alterum apud scriptores Latinos invenias. Asyndeta enim a VV. DD. collecta (Ruddim. Inst. Gr. Lat. T. II. p. 360. Ramshorn. Gr. Lat. p. 514.) multo diversi sunt generis. Ceterum *gaudet pagina decurrens ludere* pro *se decurrentem ludere* tam Latine quam Graece dici potest; v. ad Catull. IV. 2. Cum omni vero h. l. a vs. inde 26. apte componas Propert. II. 1, 17 — 46. In Thuan. I. praeterea exstat *versum.*]

35. *V. acta suis* ms. Koeler. *Phoebo duce;* interserit *et*, Heinsius, cui antea adstipulabar. Nec tamen necesse esse video. [* *acta — gaudent* Colb. IV. *meis* Helmst.]

36. *Et tu, sancte puer, venerabilis, et t.* Bembina lectio. Vulgo: *Hoc tibi* (Pompon. Sab. *Et tibi*), *sancte puer, mortalibus*, et amplectebatur fere hoc Barthius Advers. XX, 19, ut esset *Sancte mortalibus puer semper manebis.* Satis ieiune! Alii, etiam Ald., *Hoc tibi s. p. memorabile, sic t.* Ms. Pithoei cum Contii libro: *Et tibi s. p. memorabitur: et t. c.* Mireris Scaligerum haec referre ad morem apprecandi inter pocula. *En tibi s. p. memorabitur* amplectebatur Heins. *memorabilis* ms. Koeler. cum Petav. et Voss. Suspicor fuisse: *Et tu, sancte puer, memorabere: sic tibi certet Gloria*, h. Etiam tu olim memoraberis carminibus etc., sequente poetica asseveratione: *Sic.* Saltem haec elegantior est ratio aliis, in quas facile quisque incidat. Nunc video Io. Schraderum quoque coni. *Et tu, s. p. memoraberis; et.* Vossium autem olim: *Huc tu, s. p. memor adsis; et.* [* In hoc et quatuor seqq. versibus eo minus unquam

Digitized by Google

certi aliquid proficietur, quo ineptiorem se gessit auctor. Huc accedit, quod de ipso illo Octavio et ratione quae ei cum auctore intercessit nihil compertum habemus, unde fortasse explicatio mirorum verborum *tibi sede pia maneat locus* peti posset, quae ad iuvenem dicta adeo sunt absurda, ut nisi auctor ad certam aliquam nobisque incognitam rem allusisse putetur, eum male sanae mentis habere debeamus. Lectionem vero eam exhibui, qualem fere praestat Colb. IV. a quo hic recedere tanto maior mihi religio fuit, quod fortasse viam monstrat, qua incedendum sit, si locum ab auctore et librariis pariter depravatum intelligere volumus. Legebatur ergo: *Et tu sancte puer venerabilis et tibi certet;* ubi statim ab initio Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. habent *Hoc tibi*, tum Colb. II. *venerabile*, Colb. I. Thuan. I. Viecht. *memorabilis*, Helmst. *memorabile iam;* in Colb. IV. est *Et tibi s. p. memorabitur*, quod quid sit non intelligo; at reliquae etiam omnes scripturae intelligi non possunt. Fortasse tamen, quamvis perdurum esset, auctor iungere voluit *gloria tibi memorabitur* i. e. gloria in tuum honorem divulgabitur. — Tum per coniecturam scripsi *crescet*, quia *certet* omnem explicandi rationem respuit. Ita etiam I. H. Vossius sensisse videtur. Bothius coni. *ac tibi certa est Gloria.*]

37. *certet — mansura* puto dictum ornate ad Graecam formam, pro permaneat, perseveranter maneat. Malim tamen vel sic: *Sic tibi cedat Gloria* h. veniat, contingat. mox *mansura* sequente statim *maneat* parum nitet. Melius forte *victura*. Sed talia quis praestat a versificatore hoc esse profecta? *aevum lucis* vix bene dictum pro lucis, vitae, fatali termino; an *dulcis* fuit? sc. gloria. *perpetuum lucens* ante Bembum lectum: quod iam praelatum est a Scaligero. In *lucis* quaerebat vocem *culicis* Barth. Advers. XX, 19. Heins. coni. *et sibi perstet Gloria;* et v. 37 *saecli* pro lucis. At apponitur fama post-mortem v. 38. [**lucens* scripsi ex Colb. I. II. IV. Thuan. I. Helmst. Viecht. Vulgo *lucis*, Bothius *Latii.* — *Mansura per aevum* defenditur per Ovid. Met. V. 227.]

38. [*Bothius coni. *et mihi sospes.*]

39. *Didita* coni. Heins. *memoretur* molestum est, etiam ad sensum. Lego: *numeretur*. Vita sospes tibi debita numeretur per annos felices. [**memoratur* Helmst. a m. pr.]

40. *lucens* etiam codd. Petav. et Voss. Ante Bembum *liceat* legebatur. *bonis lucens* ex Aeschyleo: ἀγαθοῖς φλέγουσα, illustrat Scaliger. Ergo copulandum erit: — *vita — Grata*, *bonis lucens*, h. affluens; vel *grata* erit pro adverbio, ut *gratum lucens*. Heins. coni. *bonis Musis;* vel *Grata bonis: Ludi sed nos ad coepta feramur.* Sed totus versus interpolatrici manui debetur cum reliquis antecedentibus. [**feramur* Thuan. I. apposito *ferantur.*]

41. Pro *aethereas* Ms. Pithoei: *etneas*, unde Scaliger finxit: *Octeas;* docte utique; v. ad Ecl. VIII, 30. conf. inf. 201 et Cirin v. 350 et Intpp. ad Senec. Herc. fur. 132, nisi Pithoeanam lectionem ex compendio vocis ortam probabile fieret. *Aetnaeas* etiam ms. Koeler. [**aetherias* Colb. I. Thuan. I. Viecht. *aethereas* Colb. II. Helmst. *aethneas* Colb. IV. *Aetnaeas* praefert Iacobus ad Lucilii Aetnam 356. p. 191. Lectionem tamen plerorumque codd. non mutaverim, siquidem non de monte aliquo sed de ipso coelo sermo est. *Arx* autem hac significatione apud optimum quemque scriptorem legitur, ut Virg. Aen. I. 250. *coeli quibus adnuis arcem*, coll. Burm. ad Ovid. Amor. III. 10, 21. Voci ita intellectae eleganter iam apponitur *aethereus*, quod adiectivum de omnibus iis dici constat, quae vel ad coelum vel coelo proxima sunt. Ita *sidera*, *astra*, *aurae*, *plaga*, *sol* dicuntur *aetherea*. In seqq. autem recte offendit Heynius ad vs. 43., quum scilicet vulgo legeretur *penetrarat*, et more suo eo usque progressus est, ut versum 43. ut spurium eliminandum censeret. Omnis autem huius loci difficultas non modo tollitur, verum insignis etiam elegantia additur recepta lectione cod. Helmst. *penetrabat*, i. e. in eo erat, ut in coelum eve-

Digitized by Google

heretur; nondum tamen ab hominibus conspici potuit, quod demum narratur vs. 100. sq. Egregie igitur describitur medium tempus inter Auroram evanescentem et Solem vere exorientem. De imperfecto vero sensu inchoativo usurpato v. Tac. Annal. III. 14. ubi Rupertius, quem vide, simili ratione locum a mutationibus vindicavit. Adde Bremi ad Suet. Caes. 15. De Graecis v. Matthiae Gr. Gr. p. 938. ed. sec.]

42. *limina* in edd. Fabric., prave. *quatere lumina*, h. l. radios emittere, spargere, esse videtur: etsi haec ipsa malim. Verum etiam in Ciri 349. [*ubi v. adnot. meam.] *lux ubi diem quatiebat.* Contra *quatere equos*, *currum;* ut infra quoque 201. Wakef. ad Lucret. IV, 406 elegantiorem poeticae dictionis formulam, ab aliis non intellectam, esse pronuntiat; esse enim ac si lampada „concuteret.“ Heins. coni. *culmina* vel *limina;* si tamen iam in altum Sol evectus erat: *limina* aliena sunt. [* *quae* Viecht.]

43. *fugabat* edd. ante Bemb. Sed totus versus tamquam insititius delendus. Est appicta in margine variatio superioris. Inepte quoque aurorae mentio subiicitur, sole iam in altum evecto; et, an eius *crines*, iique *rosei*, ad poeticum morem spectent, non teneo. Praestaret utique *Ignibus.* [* *Criminibus* Viecht. Colb. I. errore tamen ab ipso librario notato. *Cornibus* Helmst. *fugabat* Colb. II. Quid inepti Heynius in *crinibus roseis invenerit*, non assequor, siquidem Ovidius quoque dixit Amor. II. 4, 43. *Placuit croceis Aurora capillis.* Sic etiam Veneri a Virgilio *rosea cervix* tribuitur; quando magis Aurorae *crines rosei*, desumpto epitheto a splendore, quo primus dies effulget.]

44. *Protulit* edd. vett. *Propulit ut st.* Heins. emendavit recte. Vulgo *et;* tum *ad pascua* Ms. Koeler. [et Colb. IV.] [* *Propulit e stabulis* Colb. I. II. IV. Bembus, Ald. 1517. Thuan. I. *ex estabilis* Helmst. E Viechtiano enotatum est *ac*, sed tam negligenter ut nescias quo referas hanc lectionis varietatem, ad *ut* an *ad*, quod mihi probabilius videtur.]

45. [* *montis iuga*, v. Passow. ad Tac. Germ. 43.]

46. *Luridum* etiam de pallore dici bene memini: nec tamen in re grata et iucunda. Exc. Pithoei: *Humida*, quod verum esse arbitror, ex *Umida.* Heins. coni. *Uvida*, etiam bene. Io. Schrader. *Herbida.* Ms. Cont. *Lucida*, quod probabat Scaliger, scil. propter rorem. Laudat Heins. Lucret. II, 319 *Nam saepe in colli — Invitant herbae gemmantes rore recenti*, et Calpurn. V, 54 *Frigida nocturno tinguuntur pascua rore, et matutinae lucent in gramine guttae.* Pro *tinguntur* mavult *tanguntur;* ut apud Ovid. in Fast. *tactae rore queruntur aves.* Et paullo ante v. 52 *Humida dulces Sufficit herba cibos.* Lindenbruch coni. *Plurima qua.* In fine versus in membranis Pithoei erat quoque *flores* pro *colles*, perperam. [* *Lurida* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. *velabunt* Thuan. I. *Florida* coni. Iacobs. in specim. emendat. p. 89. coll. Virg. Aen. I. 430.]

47. Heins. coni. *canis iam vallibus.* [* *mollibus* Colb. II. a m. pr. *validus* Viecht. — Wakefieldus coniicit: *dumisque vacant; iam — iamque, omni celebres e parte vagantes.*]

48. *celeres.* Heins. coni. *iamque alacres omni de p.;* alteris schedis *certatim e p.:* felicius Io. Schrader. *omni nemoris de p.* [* *ex parte* Helmst. *epaste* Colb. I. *celera se* Viecht.]

49—51. *Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.* Est haec Bembina lectio. Edd. vett. ante Bembum cum Voss. habebant: *desertas haerebant ad cava rupes.* Ms. Koeler. *desertis haerebat*, et in marg. *errabant.* Scaliger e ms. Contii probabat: *desertis haerebant ad cava rupis.* Haerere enim et pendere capras. Nec aliter Barth. XX, 19. Sed et *repere*, ac *perrepere* propria caprarum sunt. cf. inf. 103. *p. avia rupis* coni. Heins., etiam in Adversar. p. 51. Io. Schrader. *ardua*, *devia.* — *Tondebant* edd. vett. Eaedem cum codd. Voss. et Petav. hunc versum ante v. 49 collocabant: minus scite. Mox *tenero — morsu.* Offendit,

Digitized by Google

quod versus abhinc tertius iterum in *morsu* exit. Promtum erat *tenero dente* substituere. Erythraeus apud Taubmann. *mansu* legit, quod a *mandendo* finxit. [* In omnibus edd. post Bembum impressis versus 49—51. hoc ordine et his cum lectionibus legebantur:

49. *Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.*
50. *Tondentur tenero viridantia gramina morsu,*
51. *Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,* —

Hunc tamen ordinem hasque lectiones nil nisi Bembi coniecturas habeo et satius duxi, codd. maiore cum diligentia sequi. Et primum quidem in Colb. I. II. III. IV. Thuan. I. Viecht. Helmst. Ald. 1517. versus 49. post 50. legitur; discrepantia vero scripturae haec est: in omnibus illis subsidiis criticis modo dictis *Tondebant* prostat; in Colb. IV. *viridentia*, in Viecht. *tenera;* in Colb. I. III. IV. Helmst. *desertis*, in Colb. II. Thuan. I. Viecht. Ald. 1517. *desertas*, in Colb. I. II. III Thuan. I. Viecht. Helmst. Ald. 1517. *haerebant;* in Colb. I. II. III. Viecht. *rupes*, Colb. IV. Thuan. I. Helmst. *rupis.* Videmus, codd quamvis in rebus minutis a se discrepantes in plerisque iisque gravissimis consentire, unde locum ita scripsi:

50. *Tondebant tenero viridantia gramina morsu.*
49. *Scrupea desertis haerebant ad cava rupis,*
51. *Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,* —

Coniunctio variorum temporum *abdunt* — *tondebant* satis usitata; v. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 45. Wopkens. lectt. Tull. III. 7. p. 278. sq. Corte ad Lucan. VI. 663. *desertis*, quod Viros Doctos praecipue ad mutationem loci movisse videtur, eadem ratione explico qua etiam *alternis* dicitur, ut ablativus loco adverbii ponatur. *Haerebant* iam a Scaligero est illustratum, et coniunctio activi et passivi de eodem subiecto *haerebant* — *carpuntur* satis defenditur locis velut ap. Livium I. 4. *Sed nec Dii, nec homines aut ipsam aut stirpem a crudelitate regia vindicant: sacerdos vincta in custodiam datur;* adde Cort. ad Lucan. II. 225. *Arbuta* pro pomis dicta illustravit Burmannus Sec. ad Propert. p. 26. Pro *gramina* Wakefieldus edidit *germina.*]

52. *labrusca.* Mire corrupta fuit haec vox in Iulii Pomponii libris: *vel brusta.* Addit ille: „Brustum arbor est, quae ad ornamentum mensarum „secatur: meminit Plin. lib. 16. Alibi invenio *bruscum* esse genus arboris.“ Sed et apud Plin. XVI, 16. s. 27 *bruscum* est tuber aceris: alienum ab h. l. Iam *labrusca petita est:* ms. Helmst. ad vocis communiorem formam: ut Ecl. V, 7. At vulgata defenditur a Nonio, qui hunc versum laudavit. vid. sup. Prooemii pr.

53. *Haec suspensa* recte iungit Taubm. ipsa erigens se capella. Olim male: *Nec s.* Sed displicet *carpente* post *carpuntur* et *morsu* post v. 50. Io. Schrader. coni. *rodente m.* Wakef. Silv. crit. P. III. p. 119 *cupiente.* quod non praeferam. [* *Haeret suspensa carpente* Colb. IV.]

54. Heins. malebat: *vel qua;* aut: *vel, quae n. pascitur*, *alni.* Voss. *Haec s.* et *pascitur a.* [* *Haec salicis* etiam Colb. I. Thuan. I. Viecht. Helmst. Ald. 1517. 1527.; vulgatam recte defendunt Colb. II. IV. *pascitur* Thuan. I. a m. sec. *almas* Colb. I.]

55. *sentes;* quidni *frondes?* Heins. coni. *tenerae fruticem sentis.* vid. Calpurn. Ecl. V (versum quem respiciat, non reperio). *sentes ruminatur* ms. Koeler. [* *miratur* Colb. IV.]

56. Nimis horret versus, si *unda rivi praestantis imaginis* dicta esse debet: itaque eum corruptum esse nullus dubito. Ita quoque Scaligero visum, qui legebat: *Imminet irrigui praestanti*, vel *properanti marginis undae:* in quo facilitatem ingenii et versus non minus desideres. Refingerem saltem sic: *praetenti* vel *praetexti marginis.* Sed suavior multo est vulgaris lectio, modo si *imaginis umbram* legas poetice pro imagine in rivo visa: in hanc illa desuper e ripa imminet, prospectando. In *prae-*

Digitized by Google

stantis videtur latere *prostans* aut ipsa aut ripa. Nam *prostans* prominens, ut *prostans angulus* apud Lucretium, *prostans rupes.* Iam *ex rivi unda* ms. Helmst. Possit sic refingi: *Imminet e ripa prostante in imaginis umbram:* nisi malis *prostans in i.* Heins. coni. *in vivi*, vel *irrigui, praestantes marginis*, vel *graminis*, *undas.* In altera scheda: „*Imminet* „*irrigui praestantis* (vel *properantis*) *imaginis umbra.* In Catalectis „Epigr. de Narcisso: — *Cernis ab irriguo repetentem gramine ripas, Ut* „*per quas periit crescere possit aquas;*" memorat quoque Pontan. ad Macrob. II, 9. Wakef. l. l. em. *Imminet in rivum praestringens marginis umbram.* quae non satis assequor. [* Lectio huius versus vulgata in omnibus codd. retinetur, nisi quod Helmst. habet *Imminet et rivi* [sic] et Colb. IV. *unda.* Quibus vero coniecturis VV. DD. hunc locum beaverunt, eae mihi minus necessariae esse videntur, cum constructio sit haec: *at illa* capra *imminet in undam rivi praestantis imaginis.* Ultima quidem vox eadem ratione a participio *praestans* pendet, qua plurima participia praes. genitivum admittunt, quorum insignem multitudinem collegit O. M. Müllerus in progr. scholast. de vi et usu verborum quorundam Latinorum. p. 5. sq. Coslini. 1828. *Praestare imaginem* dici potest, ut *praebere* ap. Tac. Annal. III. 60. *repraesentare* ap. Quinctil. VI. 1.]

57. Cum nobili loco Ge. II, 458 sqq. ea, quae sequuntur, convenire, vix monere opus est. *si qui* vett. edd. *pauperis* non habet, quo referatur; nam *pastoris pauperis* iungere vix licet, et *usum* quo retrahas, nisi forte ad *bona*, non habeas. Coniicio *rei* olim, non *prius*, fuisse, *usum pauperis rei. pauper res* non insolens poetis. Compendium scripturae errorem peperit. Heins. coni. *si quis non paupere ab usu Mente minus docta fastidiat;* contra poetae mentem. Nec minus Io. Schrader. *pauperis usu.* [* *pauperis usum* bene se habet coll. Moreto 64. *Non illi deerat, quod pauperis exigat usus. Usus pauperis* est ea vivendi ratio sive consuetudo, qua pauper uti solet; *pauper* vero pro *pauperes* dicitur, ut saepissime invenitur *civis, miles, eques* sim. Hinc iam elucet vocem *prius* pariter non tentandam esse; pauper enim rusticus tum demum vitae suae rationem fastidire sive spernere, quum quis eum alia docuit. Si quid mutandum esset, corrigerem *nimis.*]

58. *et probet: illi* pars edd. vett. cum commento Ascensii. *et probet illic*, apud pastores, Scaliger emendabat. Ex vetere lectione verba sic procedunt: *O bona pastoris, si quis non pauperis usum Mente rei docta fastidiat et probet! illi Omnia* (scil. sunt) *lux. pr.* Verum etiam haec *et probet* ex interpretatione irrepsisse videntur; quale tamen verbum antea exciderit, nemo facile divinando assequatur. Expleri locus potest, v. c. sic: *si quis non pauperis usum Mente prius docta ruris* (l. *tuguri*), *fastidiat: illi* etc.

59. Versum non satis sincerum esse arguit structura et ordo verborum impeditior: *si quis probet Omnia incognita curis illis*, h. a curis vacua, *pretiis luxuriae*, *quae* (curae) *lacerant* etc. *Curae* adeo, quae luxuriam comitantur, *luxuriae pretia* dicuntur, quibus illa emitur et paratur. Heins. comparat *Victum luxuriae* ap. Petron. ex sua lectione. *spretis i curis* legebat ms. Koeler. et Voss.; ita curis luxuriae spretis omnia illi sunt incognita, quae etc. Omitto ea, quae invita Minerva ad h. l. protulit Barth. Advers. XX, 19. Scaliger pro *pretiis* emendabat *pravis*, idque vetere membrana confirmari testatur; mox tamen Pithoeanae membranae lectionem praefert: *et probet illis* (aut potius *illic*) *Omnia luxuriae pretiis incognita*, vitans *Quae lacerant avidas i. p. curas.* Interpolationem tam ieiunam viro docto probari potuisse miror. Heins. coni. *et probet ullis O luxuriae pr. i. carae;* et in alteris schedis: *ruri;* Io. Schrader. *caris.* Equidem praefero veterem scripturam *illi*, et ante eam interpungo: *illi Omnia luxuriae pretiis incognita curis Quae*, h. e. illi

Digitized by Google

omnia sunt incognita, quae lacerant mentes curis, luxuriae pretiis. [* Hucusque legebatur: — *et probet illis*

Omnia luxuriae pretiis incognita curis, —

quod quam multis nominibus offendat, quum ne intelligi quidem queat, demonstrare non attinet. Puto tamen illis verbis partim per codd. lectiones adhuc neglectas partim per coniecturam succurri posse. Nam quum in codd. Koeler. Voss. legatur *spretis* pro *pretiis*, apparet iungendum esse *illis spretis* sc. bonis vs. 57. Languidum autem illud *omnia* textu eiiciendum censeo, aliudque verbum trisyllabum reponendum, usus observatione aliqua egregia Marklandi Praef. ad Statii Silvas p. VIII. ed. Dr. Et nullum quidem aptius videtur quam *Munera*, coll. Virg. Aen. VII. 244. *fortunae munera*. Ex *spretis incognita* facio *spretis sibi*, locumque sic interpretor: *si quis non illis sibi* i. e. a se *spretis probet munera luxuriae cognita curis, quae* etc. *Cognitus* ea qua h. l. significatione legitur etiam ap. Iuvenal. XIII. 9, *casus multis hic cognitus*. De *non — et* pro *non — neque* v. Huschke ad Tibull. II. 4, 17. Pro *probet* cod. Helmst. habet a m. pr. *probat*, pro *illis* Colb. IV. *illa*; Bothius coni. *O bona, pastoris si qui non pauperis — et probet! Illi Omnia luxuriae spretis incognita curis.*]

60. *inimico foenore* l. *foedere* l. *pignore* coni. Io. Schrader. [* *pectine* i. e. πλήκτρῳ, flagello Bothius, et ante eum Wakefieldus „metaphora non „inepta ab agrorum cultu petita.“ Sunt quidem verba vulgatae lectionis difficilia; nihil tamen mutare ausim. *Inimicus* enim est i. q. invidus sc. iis qui ditiores sunt, et *inimico pectore* ablativi repetendi sunt ab omissa praepositione *in*, de qua omissione egit Cortius ad Lucan. II. 79. Quodsi tamen durius hoc habeas, tum emendare possis *in iniquo*, quae quidem coniectura, si literarum ductum spectes, longa defensione non eget, quum *qu* et *c* semper confundantur; Markland. ad Stat. Silv. II. 1, 172. *Iniquus* tum significat *malevolus*, ut Ovid. Amor. I. 313. *Pectori* autem omnium cupiditatum sedi h. l. etiam *avaritia* tribuitur.]

61. *fuerunt* coni. Io. Schrader. et *fulgent*. [* *Sed non* Colb. IV. *assirios* Colb. II. *fuerit* Viecht. *hic* Colb. IV. pro *bis*. Schraderi coniecturam *fuerunt* minus necessariam habeo, quod modorum variatio etiam alibi invenitur; v. Cort. ad Cic. Fam. XII. 2. Lucan. III. 355.]

62. *Attalicis ovibus* coni. Heins., ut alias, Milesiis, puto.

63. *Sublaqueare* una voce male scriptum ante Ge. Fabric. et Scalig. cf. Aen. I, 726. *domos* vett. edd. constanter, cum Voss. et Petav., quod et defendit Iul. Pompon., ut antiqua forma sit, quam Augustus quoque probavit; tum *tangit*, h. movet, delectat, est lectio Bembina: vett. edd., etiam Ald., *angit:* malim vero interpungere: *si nitor auri avarum Picturaeque decus: lapidum nec f.* Alia ratione Iul. Pompon. *picturae lapidum*, inquit, propter imagines marmoreas. [* *Sublaquea redomos* Colb. I. De forma ablativi in *e* v. Ruddim. Institutt. I. p. 82. *Domus* Thuan. I. Colb. IV. Helmst. Aldina 1517. *domos* Colb. I. II. Viecht. quod quomodo ita accipere potuerint aliqui interpretes, ut antiqua sit forma, nemo facile perspexerit; tum scilicet duo nominativi *domus* et *nitor* permire componerentur. Semicolo potius, quod vulgo post *avarum* legebatur, in comma mutato constructio ita procedit: *si nitor auri sub laqueare domus* (genit.) *non tangit animum avarum*. Quodsi quis quaesiverit, quomodo orta fuerit mira illa lectio *domos*, librarius fortasse scripserat *domorum*, quod quum postea per compendium exararetur *domor'*, per inscitiam tandem deturpatum est. *tangit* ex meis codd. unus Colb. IV. *angit* Colb. I. II. Thuan. Viecht. Helmst., quod probare videtur Oudend. ad Lucan. IX. 1052.]

64. *in ulla V. cognitus.* f. *ab ulla.* [* *lapidis* Colb. IV. *in illa* idem. *fulgo* Thuan. I. Nihil autem in h. l. innovandum censeo. Verbum *manere* explicandum est pro adesse, ita ut usus auri et lapidum perduret neque cito dilabatur; hinc *manet*, quod fere idem est quod *possidetur*,

Digitized by Google

nullo modo ad *cognitus* referendum sed suam sibi vim tuetur, et verba *in ulla utilitate cognitus* sententiam continent, qua poeta in universum significat, quam vilia ipsi videantur ea quae vulgus mirari solet, aurum, texturae, gemmae similia. Hinc *fulgor lapidum cognoscitur in nulla utilitate* esse, sive notum est lapidum fulgorem in nulla utilitate i. e. nullius usus esse. De hoc praepositionis *in* usu v. Horat. Tursell. p. 332, 22. Ad *manet* pertinet quoque *picturaeque decus*, quae omnia verba a *si non* pendent, cuius negationis vis in ea transit. Notandum porro est, *nec fulgor lapidum in ulla utilitate cognitus* dici pro *et fulgor lapidum in nulla utilitate cognitus*, v. ad Ciris vs. 269. et nullam spero amplius in hoc loco lector inveniet difficultatem, si ad *manet* ex superioribus deducat *sub laqueare domus.*]

65. *Igneus* pro *Cognitus* emendat Heins. Advers. IV, 8. quod improbabat Io. Schrader. ad Musaeum p. 250. In schedis Heinsius aliud proponit: *Conditus:* ita *Condita vestis* et *supellex* Columellae XII, 3. Ovidius: *Conditus ut tineae carpitur ore liber.* Ita et h. l. de gemmis absconditis. Improbat autem *Cognitus*, quia *incognita* praecesserat. Pro *manet* probabile fit fuisse *movet.* Etiam Io. Schrader. sic coni. *nec poc. grata* ms. Koeler. et Helmst. *nec poc. Graium toreuma* coni. Heins. et Markland. ad Stat. p. 92.

66. 67. *referent;* quidni *referunt?* At *Boethi* si verum est, ignavum poetam serioris aevi prodit. *Boethus* est, *Βοηθὸς*, qui binis syllabis efferri bene nequit. — *praesto est* Heins., ingeniose. *pretio est a pectore puro:* ante Bembum. [* In edd. vulgatis omnibusque praeter unum quos inspexi codd. haec legebantur:

— *nec pocula gratum*
Alconis referent Boethique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro —

in quibus, ut varietas lectionis apud Heynium ostendit, varia VV. DD. offenderunt, et Heinsium quidem verba *pretio est*, hunc eundem simul cum Marklando *gratum toreuma*, Heynium vero, et hoc quidem rectissime *Boethique.* Sunt sane synizeses in nominibus propriis potissimum frequentes; sed caute de iis tum est iudicandum, quum prorsus simile, quod eodem referri possit, exemplum non invenias. In hoc autem huius artificis nomine id futurum vix putem, quum in omnibus synizesis exemplis, quae Hermannus Elem. D. Metr. p. 52. sqq. Schneiderus Gr. Lat. P. I. Vol. I. p. 89. sqq. Santenius et Lennep. ad Terent. Maur. p. 426. seqq. collegerunt, nondum mihi ullum occurrerit, ubi $\overline{οη}$ vel apud Graecos vel apud Latinos per synizesin coniuncta legantur. Huc accedit quod satis inconcinne artifex olim vere natus cum mythico componitur. Nam ut hoc statim absolvam, multum falluntur qui Alconem nostrum eundem esse putant, qui apud Plinium commemoretur. Fuit enim ille statuarius, unius Herculis ferrei auctor. Noster vero cum Daedalis similibusque aetati mythicae vindicatur et praeter Ovidium Epinicus quoque ap. Athen. XI. p. 469. A. et Damoxenus ap. eund. opera eius commemorant, ita ut eius nomen in proverbium abiisse videatur. Verba Damoxeni haec sunt:

— *ῥυτὸν*
δίκρουνον, ἡλίκον τι τρεῖς χωροῦν χόας,
Ἄλκωνος ἔργον.

Ultimum denique, quod nunc primum contra veritatem lectionis vulgatae profertur argumentum, vox *conchea* praebet, quae *ἅπαξ λεγομένη* glossam ineptam nimis redolet. Quum enim poeta scripsisset *bacca maris Indi*, quod nemo non de margarita intelligere debuit (v. Heindorf. ad Horat. Sat. II. 3, 241.), librarius aliquis, ne lectorem sensus loci lateret, aliquid de concha appinxit, quod pro more postea in textum est illatum. His

Digitized by Google

omnibus iam hucusque prolatis egregie succurrit Colb. IV. in quo haec leguntur:

— nec pocula grata
Alconem referunt doctum thoreuma, nec Indi
Ornat bacca maris nec flagrat pectore puro.

Satis equidem scio, etiam hic multo superesse, quae emendatione aliqua indigeant. Hanc tamen non nimis e longinquo petendam esse confido, et licet res minus feliciter mihi processerit, hoc certe inde proficiemus, ut corruptelam huius poematis insignem non minus librariis quam auctori imputemus et de tam grandi interpolatione, quam Heynius invenisse sibi videbatur, circumspectius iudicemus. Ac primum quidem *grata* dicuntur pocula, quatenus rusticus, qui talia possidere cupit, vituperio est dignus. Rusticus enim aspicere quidem potest opera caelata; quando vero eum gaudio afficiunt, ei grata sunt, a simplicitate antiqua iam recessit. *Referunt* scripsi pro vulgato *referent;* in illud iam inciderat Heynius. *Referre* pro *exhibere* notum; v. Virg. Aen. XII. 348. *Docta* non solum carmina sed etiam opera manu facta dicuntur; nam „*doctum* bene dicitur quicquid suo modo *ingeniosum* est, et id quod velit efficit.“ Verba sunt Marklandi ad Stat. Silv. III. 3, 200. p. 286. ed. Dr. Ita in simillimo loco ap. Martial. VIII. 51. Mys caelator pariter *doctus* audit. Huic vero ipsi voci addo ex coniectura copulam *que* partim propter versum partim propter sensum. Omittitur autem saepissime ea copula a librariis (Cort. ad Lucan. II. 495), quod nostro in loco eo facilius fieri potuit, quia vox sequitur, cuius prosodia multis ignota esse debuit. Tum verba *Alconem doctumque toreuma* ratione saepe obvia dicuntur pro *doctum Alconis toreuma;* v. Ramshorn. Gr. Lat. p. 663. Walch. emend. Liv. p. 67. sq. ad Taciti Agric. p. 431. Ad *ornat* supplendum est *pastorem*, et in seqq. parvus error librarium ad miram interpolationem deduxisse videtur. Quum enim particula *at*, quae sententiam a *si* inceptam resumit, carere nequeamus, pro *nec flagrat* scripsi *flagrans, at* sq. Librarius scilicet *ex flagrans at* fecerat per incuriam *flagrat*, quo facto alter quidam ad versum supplendum *nec* ineptissime intrusit. *Flagrare* vero saepe eae res dicuntur, quae splendent, fulgent; v. Virg. Aen. XII. 167. His iam qualicunque ratione repositis certe Bothii inepta coniectura *Bedaeque* silentio praeteriri potest. *A* pro *at* est in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Helmst. Vera lectio quomodo in Colb. IV. lateat, supra docui.]

68. *Saepe s. t. procumbunt g. c.* Alterum hoc *prosternit* ex emendatione legi ait Ascensius. [* *gramina* Helmst. a m. pr.]

69. *gemmatis* Voss. [* Hucusque scribebatur *tellus*, unde ipsam Deam feci, quae pariter in Aeneid. IV. 166. commemoratur. Nam Dea tantum *Tellus* arva notare potest. *Pingere* de ornatu florum legitur etiam ap. Lucret. V. 1395.]

70. *dulci* ex P. Bembi codice profectum est. Nam *dulcis* edd. vett., ut Ven. 1484. 1486. Ascensianae: *pulchris*. Scaliger in vet. schedis invenerat mire interpolatum: *Vere notat duris distincta ligonibus arva;* et *dulcis*, in marg. *dubiis* ms. Koeler. *Vere novo dubiis* Voss. Tum *notat distincta* est pro simplici, *distinguit arva coloribus*, h. floribus, *per herbas gemmantes*, scil. rore. Heins. coni. *novat*, ut v. 409 *Et quoscunque novant vernantia tempora flores*, et ap. Ovid. de P. II. 4, 4 *Oblectat cultu terra novata suo.* [* Ex Bembi inde tempore scribebatur *dulci distincta coloribus arva*, ut expresse legitur in Helmst. Scrupulum tamen iniicere potest lectio Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. ubi *dulcis* prostat, et quod praeter varietatem codicum ab Heynio iam allatam in Colb. IV. est *duris districta ligonibus arva;* ita enim neque ut Scaliger ait *distincta* inveni in isto libro. Quamquam in ipso textu nihil mutare volui, tamen parum abest quin hanc scripturam veram existimem. Quo primum me du-

Digitized by Google

cit illa ipsa lectio *dulcis*, cuius vocis exitus ex antiqua fortasse lectione *duris* remansit. *Arva* vero *ligonibus districta* quamvis audacter sit prolatum, explicationem tamen admittit; glebae enim si *distringuntur*, tum dissipantur, in varias partes disiiciuntur. Quod nisi probare velis, legere etiam possis *diffricta* i. e. diffracta. Probare enim non opus est, quoties glebae rastris vel ligonibus frangi dicantur.]

71. *thalamo* — *palustri;* qs. ex arundinibus, ante Bembum vett. edd., etiam Ascens. In iisdem *retinente.* Utrumque praestare iudicabat Barth. XX, 16. Scaliger e membrana Contii emendat: *recanente*, ut iam fecerat v. 13. Sic et Voss. [* *illi* Colb. IV. *illam* Viecht. *calamo* in omnibus meis codd. *litus* Colb. IV. Adiectivorum neutrum singulare saepe pro adverbiis legitur; v. Markland. ad Stat. Silv. III. 1, 163. Weichert. epist. crit. p. 40. Iacob. ad Lucil. Aetn. 26. *recanente* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. *redimite* Colb. IV. *recinente* Helmst.]

72. *Otiaque in vita d. fraude remota* vett. edd. apud Barth. Advers. XX, 19. [* Vulgari lectioni consentit Helmst. In Colb. I. II. Thuan. I. omittitur *ac;* Colb. IV. *Otia deducit degendo et*, ubi insuper notandum, versum 73. ante vs. 72. esse collocatum. Viecht. *degente*—*faude.*]

73. 74. Exspectabam cum Heins. et Io. Schrader.: *Pollentemque sui.* Ut *potens* sui, qui in potestate sua est, nec a rebus externis fortunaeque casibus pendet. Mox vulgo *lucens.* At *ludens* Scalig. ex vet. ms.; ludens, a flatu venti scilicet. Heins. coni. *nubens Ulmea p.*, ut, *ulmus marita*, nimis ingeniose. *Vitea* a Bembo illatum: antea vulgo lectum: *Mollia*, quod Ascensius explicat, molliter. Emendatum *Tmolia* a Scalig. e libro. Ita tamen iam ante Scaligerum lectum est. Nam extat *Tmolia* in Iulii Pomponii interpretatione, tum in ed. Aldina minor. carm., hinc in edd. Ven. 1541. 1558. edd. Fabric. etc., idque haud dubie verum: quis Tmolum nescit? v. Ge. II, 98. Sententiam autem nolim ad corollam pampineam, sed ad umbraculum viteum, referre, sub quo sedens agricola frigus captat. Scilicet coma Tmolia, cum palmite viridi, velat eum subter amictu pampineo, (umbraculo) ludens. Heins. pro *velat* coni. *celat.* [* *Pallentemque* Colb. IV. Nihil vero in his verbis mutandum; etenim *pollens* simpliciter pro divite vel potente dicitur (ut Plaut. Capt. II. 2, 28. Ciris 410.), et *sibi* ex noto usu abundanter adiicitur, ut tamen notio insit *ex sua sententia;* v. ad Catull. XCVII. 3. Dicit igitur poeta, agricolam sua sorte esse contentum, neque ulterius expetere. *Ludens* cum Scaligero e membr. Cont. retinui, quamquam Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. *lucens* exhibent. In Colb. IV. fuit: *viridem* — *bace. Ludere* de rebus vento agitatis saepe dicitur; v. Ciris vs. 143. Duo adiectiva uni substantivo haud raro adduntur; v. Cort. ad Lucan. II. 207. Sic nostro in loco *Tmolia coma ludens. Molia* Colb. I. a m. pr. *Mollia* idem a m. sec.]

75. *gravidae roranti l. c.* coni. Heins. [* In cod. Viecht. vss. 75 — 150. perierunt. Pro *gratae* Wakefieldus edidit *vaccae et*, coll. Georg. II. 524. III. 177.]

76. *Et Venus* ant. edd. ante Bemb., sed illa dea aliena est ab h. l. *Et pecus* coni. Io. Schrader., sed id latet in *nemore. et f. palus* ms. apud Scalig., prave: et miror Taubmannum illud recepisse. Tandem in fine versus *et vallibus intus* bini codd. Scaligeri, qui, ut solet, archaismum amplectitur: idem e scheda Pithoei laudat: *et mollis Iacchus;* haud dubie ex interpolatione, etsi Barthius id amplectitur Advers. XXI, 3. *et valle sub ima* malit Heins., quod sane politius. [* *vallibus imis* Helmst. cum Bembo. *intus* Colb. I. II. Thuan. I. Ceterum Scaliger parvi erroris est arguendus; nam in cod. Pithoeano, qui nunc est Colb. IV. legitur *molliter racus.*]

77. *Semper novis* iungit Taubm. Malim quod in promptu est: *Semper opaca antra.* Sunt enim *novi fontes*, vivi, perennes. [* Perperam quidem iunxerat Taubmannus *Semper novi* sensu perlanguido; at non mi-

Digitized by Google

nus frigent *antra semper opaca* Heynii. Videamus an tertium magis probetur, ut quidem iungatur *semper manantia*, quod tum respondet Graeco ἀέναος. *Novi* vero fontes non sunt vivi, perennes; sed fons quando primum e rupe prosilit, tum est vere novus, ut proinde sint aquae probullientes, iugis aquae fons; (die stets von frischem Wasser benetzten Grotten.) In Colb. IV. pro *Semper* legitur *Sed per*, in Colb. II. III. totus versus est omissus.]

78. *Qui* Scaliger ex uno cod. [Colb. IV.] et vett. edd. profert. *magis beatior* pro alterutro, *beatior*, vel *magis beatus:* parum accurate. Sed exempla congerunt plura Scalig. et Taubm., etiam ex Aristophane: τίς γὰρ γένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος. Quidni tamen iungas: *aevo magis optato;* vita feliciore. Heins. emend. *optando.* [* *magis optato* recte etiam Burm. Sec. ad Propert. p. 278. iungit.]

79. *puras* et *sensus* vett. edd. *mente potens* coni. Heins., item: *censuque probando.* Sed omnino versus est mali commatis. Voluit, qui lusit, dicere: dum procul se continet, mentemque puram et sensum probandum, animi propositum rectum servat, non *agnovit* opes, non appetit. [* *Et qui* Helmst. In sqq. constanti omnium codd. et edd. consensu scribebatur *procul pura*, quod quum explicari nullo modo posset, prius tamen dispiciendum erat, utrum culpa esset poetae an librarii sive male seduli sive parum accurati. Verba *mente procul pura* nihil aliud significare possunt quam *sine mente pura*, et via, qua Heynius hac ipsa difficultate sese expedire vult, vere grammatica dici nequit. Fidenti igitur animo scripsi *procul dura*, quod iam paucis illustrabo. *Mentem duram* agnoscunt Catull. LX. 3. *Tam dura mente procreavit ac tetra*, Ovid. Met. IX. 608. *duram flectere mentem*, et *procul* pro *sine* dici est nimis notum quam ut exemplis multis opus sit. Sufficiet Horat. Serm. I. 6, 52. *prava ambitione procul.* Quodsi vero quaerimus, unde error oriri potuerit, culpam gerit copula minus recte intellecta, quae non simpliciter coniungit sed explicat idque, quod prius dictum erat, accuratius describit. Post alios hac de re egit Kritzius ad Sall. Cat. 19, 2. unde maxime huc transferam locum Iugurth. 43, 5. *quod advorsum divitias animum invictum gerebat*, et *avaritia magistratuum nostrae opes contusae erant.* Bothius coni. *probandas.*]

80. *nec tr.* Voss. cum vett. edd. *agnoscit* Voss. *non avidas inhiavit opes* Heins. praeclare coni., laudatque ex Prudentio in Psychom. *pretiosi ponderis axem Defixis inhians obtutibus* cum al. ex. [* *agnovit* etiam in Colb. I. II. Thuan. I. Ald. 1517. exstat, neque tentandum videbatur, quamquam in Colb. *cognoscit* inveni. Utrumque vero verbum promiscue usurpatur (v. Forcellini lex. Markland. ad Stat. Silv. III. 1, 150.), et temporum permutatio pariter multis exemplis vindicatur; v. ad Ciris vs. 358. — *nec tristia* Colb. I. II. IV. Thuan. I. Helmst. Ald. 1517. quod recepi pro eo, quod a Bembo inde exstabat *non.*]

81. *Nec f. tenet* vett. edd., et *valida.* [* *valida* Helmst.]

82—84. *Non sp.* a Bembo esse videtur. Vett. edd. *Quo;* nec male: *Quo*, quorsum, *dum — ultro caput hostibus offert?* Male eaedem v. 83. *nec* pro *vel*, et *transcendit:* et v. 84. *Aversum* et *sociis* pro *saevis.* At *ornet* refinxi, ut conveniat cum *transcendat:* pro *ornat.* [* *Nec spoliis h' sancta* Colb. IV. *ornat* Helmst. *Templa nec* Colb. II. IV. Thuan. I. Helmst. *Templa nece vectus* Colb. I. *transcendit* Colb. I. II. IV. Thuan. I. Helmst. *abeundi* Colb. I. Bembina lectio, quam retinui, primum nisi fallor in Ald. 1527. exstat. *Finem habendi* is transgreditur, qui non iis contentus est, quae ad vitam alendam sunt necessaria (et quem alium finem divitiae habere possunt?), sed *evectus*, pro qua voce alibi dicitur elatus (v. Cort. ad Cic. Fam. VI. 7, 5.) plura cupit quam debet. *scevis* Helmst. a m. pr. *capri* Colb. IV.]

85. *fuste* pro *falce* ed. Fabric., nescio unde. Sane *falx* omnino pro

Digitized by Google

quocunque γλυφείῳ scalpello, accipienda, nec res exemplo caret. Laudat Taubm. Martial. VI, 73 *rudis indocta fecit me falce colonus.* [* *alte* Thuan. I.]

86. *Panchaica* legebatur. *Panchaia* exquisitior forma in vett. edd., etiam in Ald. et in Petav. De re v. Georg. II, 139. IV, 379. [* *Panchesia* Colb. IV. Vera lectio tam in meis codd. reliquis exstat, quam in iis quos Heinsius ad Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 94. memorat. *thura* Colb. I. quam scripturam pro vulgari *tura* ubique recipiendam censeo. Weichert. ad Val. Flacc. VIII. 264. Fea ad Horat. Od. I. 19, 14. Rem fere integram relinquit Schneiderus Gr. Lat. Vol. I. P. I. p. 200.)

87. *viridantibus* em. Wakef. e Lucret. II, 33. Mihi videbantur *variantes flores* colore esse ποικίλοι. αἰόλοι. *herbis* vett. edd. *herbae* edd. Ascens. Sensus autem: agricolis sunt herbae florentes, quae turis pretiosi vicem sustineant. Sed vss. 86. 87 et plerosque e seqq. usque ad v. 105 ab alia, etsi indocta, manu assutos esse suspicor. [* *herbis* Colb. I. II. Thuan. I. Sed *herbae* Colb. IV. Helmst. Ceterum *flores variantes* non sunt versicolores, sed flores variant herbas, ut proinde verbum *variare* non intransitiva sed transitiva significatione sit sumendum. Sic Ovid. Fast. III. 449.]

88. [* *voluntas* Helmst.]

89. Distinxi post *Libera*, ut iam Barthius Adversar. XXI, 3 factu opus esse monuerat: tum *voluptas* simplicium curarum, seu *curis simplicibus*, quales vita simplex affert, non impeditas, graves, aerumnosas. *supplicibus curis* Behot. Apoph. II, 4. *Liberaque*, *implicitus* c. *huc* i. Pontan. ad Macrob. VII, 4, et Heins. *Libera ab implicitis* c., ut inf. *Hoc minus implicuit dira formidine mentem.* Io. Schraderus: *sollicitis curis*, vel *Liberat implacidis* c. l. *implicitum curis.* Porro *huic* i. Aldina et edd. Ascens. et Fabric. *huc mittit et o. Dirigit huc s.* Scalig. ms., et sic Casaub. ad Pers. p. 269. [* Quae Heynius de *curis simplicibus* affert, nimis sunt contorta. Quodsi codd. iuvarent, *simplicitas* reponerem; *huic* Colb. II. Thuan. I. *eximit* Colb. IV. His e codicum vestigiis parum abest quin poetam scripsisse putem: *Libera simplicitas curis hunc eximit.* Wakefieldus edidit: *Libera vindicibus curis.*]

91. *Quolibet ut requie victu contentus abundet* Bembina est lectio: cum Aldina *Qualibet ut requie* dedisset. Ordo verborum est in duriore hac iunctura: *Ut*, *quolibet victu contentus abundet requie.* Vett. edd. *Qualibet ut requie motus contemptor abundet. Qualibet requie* probavit quoque Scaliger: quod parum placet. *requiem* Petav. Voss. *victus contentus* Fabric. edd. Tandem Scaliger coni. *Quolibet ut requies* (pro *requietus*) *victu contentus abundet.* Heins. in *Quolibet* quaerebat *vili*, unde factum *quili:* mox inde comminiscitur *tenui victu*, hocque multis exemplis illustrat. Enimvero, *tenuem victum* frugalitatis notam habere posse nemo dubitet; de versu quaeritur; voluitne: *Quolibet ut tenui victu c. a.* Mox idem tentat: *Qualibet ut specie vultus* (f. *cultus*) *c. a.* [* *Qualibet* Helmst. *requiem* Colb. I. II. IV. Thuan. I. *victus* Colb. II. Thuan. I. *victos* Colb. I. in rasura. Equidem in lectione Bembina nihil immutare volui, quae tota e codd. est desumta; maxime cum ea consentit Helmst.]

92. *Hirundoque liget* et in marg. *domet* ms. Koeler. *liget* etiam Thuan. et Petav. et Voss., in hoc superscriptum *licet.* Heinsius coni. *levet.* Antea vulgatum *locet.* [* *Iocundoque* Helmst. *licet* Colb. I. II. Thuan. I. *locet* Helmst. *liget* unus Colb. IV.]

93—96. *quarum cultu*, quas colendo, *non divite*, sine impensa et sumtu, adeoque sine opibus et divitiis, *pastor quisque traducit vitam* etc. *aemulus Ascraeo poetae*, h. exemplo vatis Hesiodi, conf. Theogon. v. 22. 23. *O pecus o* vett. edd. *Fontis Hamadryadum* ab indocto poeta esset: quid enim Hamadryasi cum fonte? Heins. coni. *Frondis H.*, sed et hoc ieiunum. Idem emendat *quorum.* At I. Schrader. inter plura alia: *gr. Tempe Fontibus, ac Dryades*, vel *Naisin ac Dryasin.* cf. v. 115. Com-

Digitized by Google

parat quoque Ovid. Met. VI, 451 sq. de Philomela. Porro Voss. et Petav. *poeta*, *traducis*. In fine v. 96. vett. edd. fere *curam*, perperam. *vitam* recte Bembus dedit. Forte simili exemplo emendes Tibulli illud: *At mea paupertas vitam traducat inertem*. Verum vix digni versus, in quibus unguem arrodas: sunt haud dubie interpolatoris. [* Post vs. 93. in Colb. IV. leguntur verba *o fortunatos nimium sua si bona norint* ex Georg. II. 458. ubi ipse codex desinit. — Quam alienus vero ab omni ingenio poetico auctor huius carminis fuerit, ex nullo fere alio loco clarius perspicere possis, quam ex hoc, qui nobis iam paucis tractandus est. Quum enim Virgilius Georg. II. 469. sqq. *frigida Tempe* inter bona agricolae enumerasset, noster magnis ut solet verborum ambagibus exornare conatus dixit *Tempe gratissima fontis*, quam vocem ea de causa haud tentaverim. *Gratus fontis* enim farragine locorum similium excusatur, quos laudavere VV. DD. ap. Weichert. ad Val. Flacc. VIII. 14. quibus adde Rufinian. schem. lex. p. 245. Arusianus Messus ap. Ruhnk. ad Vell. II. 48. Bentl. ad Horat. II. 2, 6. Oudend. ad Lucan. I. 212. Appul. Met. p. 330. Ruhnk. ad Vell. II. 93. Drakenb. ad Sil. X. 99. Ruddim. II. p. 73. sqq. De Graecis nuper disputavit Bernhardy Synt. d. Gr. Spr. p. 170. sq. Quod tum scribebatur *Hamadryadum*, illud cuique sane est offensioni; me tamen minus ipsa vox quam inepta ratio qua vulgo reliquis vocibus iungebatur laedit. Etsi enim non sum nescius, apud optimum quemque scriptorem Latinum genitivum a genitivo pendere (Cort. ad Sall. Iug. 30.), illa tamen observatio in nostrum locum minime cadit, quum fontes non ab Hamadryadibus habitentur. Hinc ad coniecturam confugiendum erat, qua scripsi *Hamadryasin*. Ea quidem Graeca terminatio in linguam Latinam recepta maxime ab Heinsio ad Ovid. Epist. XIII. 137. vindicatur, et Schneiderus Gr. Lat. P. II. p. 311. docte adnotavit, hanc formam librariorum gregi incognitam atque ita saepe obliteratam esse, unde per philologos demum recentiores in suum sibi locum restituta fuerit. *Hamadryadas* vero aqua gaudere par est; aqua enim destitutae arbores arescunt et intereunt, unde *radix bibula* explicatur ap. Ovid. Met. XIV. 632. Cfr. Ilgen. ad Copam p. 29. a quo mutuabor unum Ovidium Pont. I. 8, 60. *quas sitiens combibat hortus aquas*. Significatio vero *fontis* simpliciter pro aqua nota est ex Virg. Aen. II. 686. *restinguere fontibus ignes*, et in ista valle describenda primum commemorandos fuisse fontes docet Aelianus Var. Hist. III. 1. *διαῤῥέουσι δὲ καὶ κρῆναι συχναὶ καὶ ἐπιῤῥεῖ νάματα ὑδάτων ψυχρῶν*. *amadriadum* Colb. I. II. Helmst. — *cultu* Helmst. *culte* Colb. I. II. Thuan. I. — Wakefieldus edidit et *o laetissima Tempe Frondis*, coll. Aen. I. 441. *poetae* Helmst. *poeta* Colb. I. II. Thuan. I. *traducit* Helmst. *traducis* Colb. I. II. Thuan. I.]

97. sqq. Superiores interpretes ea, quae sequuntur, ad pastorem, de quo carmen hoc agit, retulerant. Vidit et monuit Scaliger annectenda haec esse laudibus, quae praecesserant, vitae rusticae, et accipienda universe de pastore, qualem illa vita habet. Vir doctissimus tamen in hoc non substitit, sed refinxit quoque locum sic: *O pecudes — pastor — Securam placido* traduxit *pectore vitam* Dulcibus *in studiis: baculo dum nixus apricas* Laetus *agit curas*. Bene et hoc. Nec tamen vulgata displicet: Dum *Pastor agit curas*, occupatus est, *talibus in studiis*, quae modo descripserat et iterum describit vss. 98. 99. Curas an putes dictas *apricas*, quatenus sub dio agit, in campo, gregem pascendo? quia ipse *apricus* (quod et in Voss. legitur). Io. Schrader. in schedis coni. *baculo — agresti*, ut Ovid. Met. XV ,655 *baculumque tenens agrestre sinistra*. Heins. tentabat *P. agit choreas*, l. *pecudes* l. *capras*; hoc saltem ferri potest. Etiam Io. Schrader. in hoc inciderat. [* *Curas agere* defenditur similibus locis. v. Heins. ad Ovid. Heroid. XVI. 302. *apricas* sollicitare minime licet. Etenim poetas adiectiva saepe non suo nomini apponere satis constat; v. Cort. ad Lucan. I. 305. Bothius: *amicas*.]

Digitized by Google

99. *solidum carmen;* integrum explicat Ascensius, nullis modulis comtum, adeo rusticum, Barthius Advers. XXI, 3, nulla aegritudine contaminatum Scaliger; scilicet, ut *gaudium solidum.* Sed ista dura, hoc longe petitum, dum nihil adsit, quod ad aerumnas revocet animum. Saltem debet esse carmen, quod ab exordio ad finem ab otioso homine decantatur. Dubito nullus a poeta profectum esse *solitum* carmen: et nunc ita video in edd. Fabric. esse excusum. Id modulatur pastor *non arte canora*, h. e. inconditum, ut Ascens. At Heins. malit *canorus* cum Petav. et *nulla arte.* [* *solitum* Colb. I. II. Thuan. I. *solidum* Helmst. Ceterum verba ita iungenda existimo: *et dum modulatur solitum carmen arundine canora non arte* i. e. non artificiose *compacta.* Adiectivum et participium uni substantivo sine copula additum saepe invenitur; v. Cort. ad Lucan. II. 207.]

100. Hic magnam versuum transpositionem Scaliger induxit, multum adiutus, inquit, scheda vetere. Collocat post v. 99. versus, qui infra sequuntur, 152. 146. 147. 144. 145. 148. 149. 150. 151. 155. 153. 154. 156. Tum 100. 101. 102. 103 sqq., sed hos ipsos versus admodum immutatos exhibet, ut apponere eos necesse sit:

98. — — — *et dum non arte canora*
Compacta solidum modulatur arundine carmen,
100. *Quem circa fessae passim cubuere capellae.*
His superat gelidis manans e fontibus unda,
Quae levibus placidum rivis sonet orta liquorem.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
105. *Hinc illi geminas avium vox obstrepit aures.*
Hinc querulas referunt voces, quae nantia limo
Corpora linfa fovet. Sonitus alit aeris Echo.
Argutis et culta fremunt ardore cicadis.
Seu libet ad fontem densa requiescere in umbra
110. *Excelsis supra dumis: quos leniter afflans*
Aura susurrantis possit confundere venti:
Anxius insidiis nullis, et lentus in herbis
Concipit hic mitem proiectus membra soporem,
114. *Tendit ut evectus radios H.*

Si tali transpositione lucidior ordo sententiarum et lenior verborum iunctura inferretur: minus haberem, quod conatum similem retundendum putarem. Sed vulgarem, fateor, ordinem multo minus, meo sensu, esse molestum.

100. *Tendit inevectus* Aldinae deberi videtur; nam Bembus e cod. suo proferebat *Tendit in evectos;* sed recte alterum revocarunt sequentes editores. *Tendit et evectus* edd. vett. *Tendit ut* Scaliger emendabat. *T' humo evectus* Heins. coni. Redit idem voc. *inevectus* pro simplici, *evectus*, infra v 340 *Iret inevectus caelum super.* Tum alius poeta forte maluisset *inevecti Hyperionis.* [* *Tendit inevectus* omnes mei codd. Bothius: *Tenditur evectus* vel *Tendit et evectos.*]

101. *ponit.* Io. Schrader. ap. Frisemann. *promit* vix bene.

102. *Dum iacit* vett. edd., et *capaces*, quod Domitius quoque et Ascens. interpretantur. Coniiciebam *rapaces*, quod probat Wakef. ad Lucret. V, 398, ubi *rapax vis Solis equorum.* Accipienda verba de Sole in medio caeli convexo constituto: solis *ardor tendit*, intendit, radios, *et ponit mundo discrimina lucida*, h. discrimen lucis, caelum in duas partes discriminat, quatenus versus Orientem et Occidentem radios aequa lance dispergit. Laudat Taubmannus post Barthium illud Statii Theb. V, 85. *Sol operum medius summo librabat Olympo Lucentes, ceu staret, equos,* et Lucani notum versum: *cum cardine Summo Stat librata dies.* Durior

Digitized by Google

est Barthii interpretatio, qui *ponit*, perdit, discrimina accipit, cum pari spatio ab utroque fine distet. [* *rapaces* omnes mei codd. Ald. 1517. 1527. *Cum — Oceanus* Colb. II.]

103. Interpolatio in seqq. est manifesta: bis eadem memorantur. Probabilius tamen fit 106. 107. 108. a seriore manu accessisse. [* *Et iam pallente vage fuerant pastore* Helmst.] ....

104. *Lene susurrantis* coni. Io. Schrader. *repetebant ad vada* legebatur ubique: per archaismum dictum videri posse, Scaliger iudicabat. Sed idem mox melius subiicit: *repebant ad vada.* Nec de eo dubitandum censeo. Nam ineptus homo v. 49. *perrepunt ad cava*, ante oculos habuit. Miro conatu Barth. Advers. XXX, 24 coni. *repedabant* Noniana voce. Melius Heins. *reptabant.* (Nunc Wakefield ad Lucret. VI, 1278. ubi ei voc. *repedavit* restituit, eandemque Horatio obtrudit Carm. I, 37, 24 *Classe cita repedavit oras*, et adstruxit vocis antiquatae usum pro *recedere*, ex Pacuvio, Iuvenco, S. Damaso, Fortunato, pergit: „Nec dubito quin Barthius verissime restituerit — *repedabant ad vada lymphae;* quamvis inscitissime sannis excipiat emendationem Heynius, ipse vicissim deridendus, nisi sit nulla seges Nonianarum dictionum in Virgilio." Vides etiam inter Britannos esse criticos, qui Centaurorum more pugno et stipite res gerunt! [* *susurrant* Helmst. *repetebant* Colb. I. II. III. Thuan. I. Helmst. *Ima* emendatione non eget, dummodo pro *in imo* dictum capias. Antea enim caprae in rupibus et valle vagatae fuerant (vs. 47. sqq.), unde per pastorem coactae ad rivum conveniunt, qui in intimo vallis recessu labitur.]

105. *residebant.* Pro hoc facile est coniicere *resonabant*, aut potius *resonabat*, sc. lympha. Heins. scribit: *Quae subter viridem saliebat garrula muscum.* Inf. 389. *Rivum propter aquae viridi sub fronde latentem.* Ovid. II Fast. *Garrulus in primo limite rivus erat.* Sen. Hippol. 5111. *Garruli gramen secuere rivi.* Calpurn. IV, 2 *Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit humor.* Prudent. Psychom. *Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga Elicuit scissi salientem vertice saxi.* Lucret. II, 30. *Propter aquae rivum sub ramis arboris altae.* Quorsum has opes allatas esse dicemus? aquam *garrulam* et *salientem* bene dici, nemo sanus dubitet; fatearis quoque versum factum esse meliorem; enimvero an vetus poeta ita scripserit, nullo modo probatum hinc est. [* *mustum* Helmst. *residebant* ea ratione excusari poterit, ut *sedere* saepe de iis rebus dici recordemur, quae humilia sunt atque depressa. Heins. et Drakenb. ad Sil. Ital. VI. 646.]

106. *operum:* pro, operis, viae emetiendae; ut modo ex Statio vidimus ad v. 102., quasi opus diurnum Sol expleret. Heins. coni. *aethrae in partes.* At Io. Schrader. *oper. part. emensus.* [* *medians* Thuan. I.]

107. *densas — in umbras:* f. *densis in umbris.* Heins. *densa in umbra.*

108. Satis turbata haec. *Ut* nihil habet, quod sequatur. *Ut procul adspexti* coni. Nodell. Not. crit. p. 80. in quod et ipse incideram, parum tamen confidens coniecturae. Vett. edd. *Et procul adspexit*, hoc itaque revocavi; non tamen ac si locum sic sanatum putarem; quis enim adspexit? et quid adspexit? Solne pastorem? an pastor gregem? hoc praefero: *adspexit pastor*, prospexit, *pecudes residere*, cubare, *in luco tuo*, o Diana. Suspicor tamen insertos esse vss. 106. 107. 108. et fuisse: *Et iam — muscum, Luco, Diva, tuo, quo.* Barthius XXI, 9 emendabat: *Et procul accessit.* Iam vss. 108. sqq. locum, quo Culicis argumentum actum est, accuratius describit: est is lucus Boeotiae, Dianae sacer, idem ille, quo Penthei caede peracta mater Agave bacchata pervenerat; adeoque sub Cithaerone. cf. Ovid. Met. III, 702. Hic multa desiderari, et forte cantum pastoris recenseri putabat Heinsius. Immo vero multorum laciniae in unum locum

Digitized by Google

congestae sunt, quae inter se parum sunt conglutinatae. [* Quod Heynius e nonnullis edd. receperat *Et*, rursus exstirpavi antiquam lectionem *ut* pristino suo loco restituens, quam in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Ald. 1517. reperi. *Ut* enim nostro loco dicitur pro *ubi;* v. ad Catull. XI. 3. *clivo* Colb. I. Ceterum Gronovius Obss. II. 14. p. 328. scripsit: *Et procul adspiciens luco residere virenti* i. e. residebat, vel residere coeperat, qua tamen coniectura non indigemus.]

110. *Nyctileum fugiens.* Immo vero *Nyctelium f.*, h. Bacchum. Verum hoc esse negat Scaliger; non enim fugiebat Bacchum Agave, quem non offenderat, cum eius ministra esset: sed hoc, inquit, poeta vult: in eum lucum, in quem Agave, victa furore Bacchi, metuens poenam, hoc est, ἄγος, quod imminebat eius posteritati propter interfectum Pentheum, confugerat, compulisse pastorem pecudes suas. Itaque sic legit: — *quo quondam victa furore Venit Nyctilei, fugiens Cadmeis Agave Posterius poenam natis e morte futuram;* versum itaque, ut vides, 113. retraxit. Mihi nec haec, nec alia Scaligeri traiectio versuum placet. *Fugere deum, fugere Bacchum*, commode satis dictum est de θεολήπτοις, quos premit, urget, deus, ut vates, quae *bacchatur*, *magnum si pectore possit Excussisse deum;* inprimis de Bacchis, quae furore actae discurrunt, ac si liberare se a furore velint. In hanc sententiam iam Barthium inclinasse ex Taubm. disco: etsi nec eo confugere necesse videtur. Cognito enim scelere interemti materna manu nati *abhorrens sacra Bacchica* Agave Nyctelium fugiens in solitudinem secessit, ut moerori indulgeret. *furorem Nyctelium* coni. Heins. [* *cathmeis* Colb. I. *chatineis* Thuan. I.]

111. *et caede c.* vett. edd. et codd., quasi esset *et cruenta* ex *caede.* [* *et* Colb. I. II. III. Thuan. I. Ald. 1517. *ex* Helmst. Nolo autem reticere hunc versum varia ratione languere mihi videri, propter *manus infandas* et *caedem cruentam*, ac parum abfuit quin scriberem *Infanda scelerata manus e caede cruentas* i. e. scelerata manus cruentas e caede infanda, quia filium sua manu occiderat.]

112. *Quo g.* em. Heins. *Ogygiis b. i.* Io. Schrader., docte. [* *baccata* Colb. I.]

113. Versus in edd. Fabric. sic est emendatus: *Posterius poenam gnati de morte datura.* Heins. coni. *Post verita et poenas nati se morte daturam.* Sed totum versum una cum antecedente eiiciendum arbitror tamquam supposititium. In ms. Helmst. subiectus erat versui 110. [* Vulgo sine sensu legebatur *poenam gnati se morte futuram*, nulla lectionis varietate, nisi quod in Colb. I. scriptum est *poena nati*, et totus versus in Helmst. deest, neque quod Heynius affirmat, alio est traiectus. Quae tamen omissio me nondum movere potuit, ut eum e textu eiicerem; sed sperans fore ut aliquando vel ope codd. vel per coniecturam docti alicuius hominis reficiatur, scripsi quod primum in Ald. 1527. reperitur *nati de morte datura.*]

114. [* *panis* Colb. I.]

115. [* *Et satiri et quicunque* Colb. I. *chorus* Colb. II. Vix vero est quod moneam, *egere* aoristice esse sumendum.]

116. *coetus* vulgg., nonnullae etiam Ald. cum ms. Helmstad. Puto fuisse: *Naiadum et coetus.* Nam paullo durius *cum* suppletur. *horridus* pro *Orpheus* Aldina et edd. Fabric. cum ms. Helmst. et Petav. cum Voss. Heins. coni. *Non tantum Oeagrius H.* vel, *tantum haud Rhodopeius H.* Idem iungit *Naiadum coetu non tanto.* Sane *Orpheus* trisyllabum esse, ut *Pentheus*, et in Catalectis Pith. p. 31 *Theseus;* verum Virgilio vix licuisse esse tam audaci. *silvasque sonantes* Io. Schrader. em. [* *Naiadum coetu* loco suo ne moveatur. Haud raro enim apud scriptores Latinos ablativi absoluti inveniuntur, ubi ex usu vulgari praepositio additur. Ruddim. II. p. 268. Ellendt. ad Cic. Brut. 69. §. 242. *Naidum* Colb. II. *Naiadum in coetu* Wakefieldus. *Horridus* Colb. II. Thuan. I. Helmst. *orridus*

Digitized by Google

Colb. I. Verum restituit Bembus. De *Orpheus* trisyllabo v. Schneider. Gr. Lat. P. II. Vol. I. p. 12.]

117. *rivis* ms. Contian. perpetua variatione: unde tamen Scaliger refingit: *rivis silvisque canendo.* Mihi vulgata suavior procedit: *non Orpheus canendo tantum tenuit Hebrum, ripis restantem* (cursum intra ripas sustinentem), *silvasque:* h. delectavit Hebrum silvasque. Etsi totus hic locus, et is qui sequitur, ex variorum versificatorum symbolis coaluisse videri debet. [* *rivis* Colb. I. *rivos — cavendo* Helmst.]

118. Hic versus contaminatus (a *Πηνειὸς* esset *Πηνειὲ*), quod et vidit elegans carminum iudex Io. Schraderus Emendatt. Praef. pag. XXI. XXII. conf. ad Georg. IV, 355. Hactenus facile succurras: *Penee, morantem.* At idem hic versus alienus prorsus est a tota sententia. Si in Boeotia res geritur, non Peneus delectari potuit chorea Nympharum. Sin in Thessaliam reiicias carminis argumentum, aliena sunt quae v. 108. sqq. de Agave narrantur, etiamsi cum Iano Parrhasio in Quaesitis per Epist. pag. 51 Lucani locum (lib. VI, 355 — 359) huc advoces; nam ex eo nihil constitui potest, cum poeta ipse parum docte loquatur. Afferre voluit medicinam huic versui Scaliger. Apponam verba: „Quia paullo ante, in„quit, dixerat, *tantum non Orpheus*, putarunt hic *ἀνταποδοτικὸν* deesse; „ita hic *Quantum* posuerunt. Atqui legendum: *Non tam te, Peneu, re„morata est dia chorea.*“ Altera versus parte carere possumus medicina, nam suppleri potest ex sup. *tenuit te* remorantem. Suspicatur autem sagacissimus vir, auctorem carminis institisse vestigiis Catulli in Pelei et Thetidis nuptiis (vss. 285 — 293). Tamen ne sic quidem versus tres sequentes commodam orationem subiiciunt. *Quantum te, Pentheu*, coni. Heins., nullo cum fructu. In vett. edd. pro *dia* invenio *Diva* et *Dive*, in aliis *choreae*, et in margine pro *Peneu*, *pastor*, ex viri cuiusdam docti emendatione, puto. Etiam *penu* pro *Peneu* plures edd. Venetae servant; Aldina autem, et hinc Ge. Fabric., *Quantum te pernix remorantem diva chorea.* Atque haec lectio tenenda, tamquam vera, et ex cuius corruptela importunus ille Peneus versum invasit; tantum non Orpheus cantu Hebrum silvasque tenuit, quantum te, o Luna (v. 109), tenuit chorea Nympharum: *Quantum te pernix remorantem, Diva, chorea.* Eandem fere lectionem ms. Koeler. quoque habebat: ms. Helmst. autem, *Qua te perpigra morantem diva corea.* Petav. *Quam te nigremorantem.* Voss. *Quam te per nigrae morantem*, meri librariorum stupores. *remorantur* em. Heins. Nodell Not. crit. p. 80 coni. *pernox* chorea; ut *παννύχιοι χοροὶ* ap. Sophoclem. [* Locum iam satis ineptum ineptiorem etiam reddiderat Bembi coniectura, dum legebat *Quantum te Peneu remorantem dia chorea*, quod quam multis numeris offendat, optime docuit Heynius. Idem etiam ubi huius loci remedium sit quaerendum, recte innuit, praeeunte Schradero l. l. qui *pernix* in codice Vossiano (?) legi affirmat. Codicum quos ego contuli lectiones hae sunt: Colb. I. *Quam tum te pernigre morantem*, Colb. II. *Quantum te pernigre morantem*, Thuan. I. *Quam te pernigrae morantem*, Helmst. *Qua te per gira* (a m. sec. *pigra*) *morantem*, omnibus praeterea in *diva* consentientibus. Hinc lectionem Aldinae et Fabricii, ab Heynio iusta interpunctione adiutam recepi, ut *Diva* ad *Delia* vs. 109. referatur, et *pernix chorea* de Satyris Dryadibusque intelligatur, quomodo Lucretius II. 636. Curetum *pernicem choream* dixit. Quis vero est, qui poetae absurda molimina non agnoscat? Comparantur Orpheus cum chorea pernice, Hebrus et silvae cum Diana. Ut tamen excusemus quodammodo poetam, tenendum est, nymphas Satyrosque comites ea tantum de causa commemoratos videri, ut inde appareat, quanta eorum multitudo fuerit, quum ipsam Dianam cursu velocissimam tenerent, ut moraretur. Hinc pro more poetarum Pseudo - Virgilius effectum pro re efficiente posuit, inepte tamen comparationem cum alia re instituit, cuius causa plane fuit diversa. Num fortasse ei ante oculos obversabatur Virg.

Digitized by Google

Aen. I. 499. *Exercet Diana choros, quam mille secutae Hinc atque hinc glomerantur Oreades?* Wakefieldus pro *Peneu* coni. *Phoebe.*]

119. *Multa tuo laete f.* vett. edd. *tuo laetae* (scil. choreae) Ascens. et aliae, quod et Heins. probat. *tuo latae* Ald. Quam nunc habemus, Bembina est lectio: *chorea — fundentes* nota synthesis. *tibi* int. Dianae, Lunae desuper adspicienti. *Multa tuo late f.* ed. Fabric. *tuae laetae f. g. luctu* Petav. Heins. coni. *fluctu.* Interpositi sunt ab alio vss. 116. 117. 118., et iuncti erant: *puellae Multa.* [* *Multa tibi laeto* ex Bembi inde tempore fuerat scriptum. Quum tamen Colb. I. II. Thuan. I. *tuae*, et Helmst. *tuo* habeant, et insuper in Colb. I. Thuan. I. *laete*, in Helmst. *late* legatur (in Colb. II. est *laeto*), restitui quod inde facillime exsculpi potuit *Multa tuo laetae. Naides* (nam de his sermonem maxime etiamnum institui docet vs. 121. *fessas*, neque aliter vix scribi potuit, quum de Dianae deae virginis comitibus agatur, Satyris Panibusque ad ulteriorem tantum ornatum additis) *te tenent multa gaudia fundentes* (abundanter testantes) *laetae tuo vultu*, gaudentes quod ipsis te adspicere licet. *Multa tibi latae* est in Ald. 1517.]

121. Haec adhuc ad Naidas referenda. Importunum tamen *Quis:* ferrem saltem *His dabat.* Mox *in antro* Ald. [* Bothium in loco tam facili offendere potuisse, eo magis miror quod Vossius eius sensum dudum aperuerat. Structura verborum haec est: *quibus* (Naisin) *ipsa loci natura, susurro resonante, domum dedit et fessas in dulci umbra refovebat.* Ita vindicatur *quibus* ab Heynii suspicione *His; domum* qua ratione sit capiendum, docent vss. 122. sqq. et Bothii coniectura *modum*, per se iam satis infelix, nunc plane concidit. Non magis prodest alterum quod Bothius protulit *fessos*, v. ad vs. 119. quamquam idem in Helmst. exstat, ubi etiam *domum* ex ipso versu exciderat sed postea supra lineam adscriptum est. Wakefieldus pro *domum* coni. *nomum*, coll. Suet. Ner. 20. cum intpp.]

122. *Nam primae in p.* coni. Heins. *prona vallis*, ut ap. Catull. [* *surgebat* Helmst.]

123. Recte hoc (Heinsium non probare miror) revocatum, Scaligero monente, et priscis edd. Ita quoque Bembus correxerat. Sed iterum illatum erat ex vett. edd., etiam Aldina: *Aeriae* platani. *inter quas* erat *impia lotos.* Sic et Petav. Saltem esse deb. *quas inter et i. l.* In marg. ed. Ven. Scoti notatum: alios legere: *Lotis*, quae nympha fuit. Perperam. [* *platanos* Colb. II. *platani* Colb. I. Thuan. I. Helmst.]

124. [* *itachi* Colb. I. *ita chimerentis* Thuan. I. *itaci — adegit* Helmst.]

126. *Ac* malit Heins., et *ignipedum c. p. equorum.* [* *Et* Helmst. In Thuan. I. prima huius versus litera excidit; secunda est c.

127. *Ambustus Ph.* legendum, pro *Ambustos*, quod in oculos incurrit et Scaliger monuit. Et hoc idem e ms. Helmst notatum video. [* *Ambustos* legitur quidem in Colb. I. II. Thuan. I. Praestat tamen lectio Scaligeri ab Helmst. confirmata Heynioque recepta, quia Phaethon vere ambustus fuit, de Heliadibus autem nihil tale legitur. *phoeton* Colb. I. II. *pheton* Helmst. *artus* omissum in Colb. I.]

128. *amplexae* passive accipit Taubm. Nec tamen vel sic expedio: *amplexae brachia truncis.* Nonnus Dionys. II, 167 Εἴην Ἡλιάδων καὶ ἐγὼ μία — φιλοθρήνοις τε κορύμβοις Γείτονος αἰγείροιο περίπλοκα φύλλα πελάσσω. Suspicor: *implexae brachia*, h. habentes ramos truncis (vicinarum invicem populorum) implexos. Nec aliter Heins. coni. *teneris*, et in marg. *tentis* ms. Koeler. [* Recepi Heinsii et Gronovii diatr. Stat. T. I. p. 145. ed. Hand. coni. *implexae* pro vulg. *amplexae.* Illud iam expressit Vossius in versione, et Gronovius ita explicuit: „Quia brachia „in multos divisa erant ramos, dixit implexas illas truncis brachia.“ Wakefieldus coni. *annexae.*]

Digitized by Google

129. *pandebant* coni. Io. Schrader., feliciter. *tentis* pro extentis. Sed facile incidit animus in *lentis*. Coniecit quoque Scaliger, et exstat in edd. Fabric. Sed idem malebat: *lentis sudamina ramis*, ingeniose; nam electrum stillare populus dicta vid. Ovid. Met. II, 364. sq., verum sic *candida* parum commode appositum esset. Heins. coni. *concita f. lentis ululamina r.*, parum feliciter: nam de umbra arborum quaeritur. [* *teneris* Helmst. In omni autem versu nihil mutatum velim, si quidem verba accuratius ponderata iustum sensum praebent. Nam *velamina*, quae latiori significatione sunt ea quae in universum rem aliquam velant, nostro loco de foliis dicuntur, quae terram velant, umbram demittunt. Ita fere Gronovius quoque sentit, nisi quod cum Barthio Advers. XXI. 9. ipsas Heliadas velari dicit. Ea vero velamina, folia funduntur a populis; atque *fundere*, ut saepe ita usurpatum invenitur, nihil aliud est. nisi abundanter gignere, procreare. Ita apud Virg. Georg. IV. 275. *sed in foliis, quae plurima circum Funduntur.* Quod Scaliger excogitaverat *lentis*, recte illud reiecerunt Heynius et Handius.]

130. 131. Misere corrupti versus nec sine libris facile sanandi, etsi unum et alterum coniectare licet: *Perfidiae lamenta*, et latere *inultis* in *multis;* ita ut expleri possint reliqua: *dolis quum lusit inultis*, vel propius ad corruptam scripturam: *malis quae flevit inultis.* Agi de amygdala, in quam Phyllis mutata fertur, seu quaecunque alia illa arbor fuit, obvium est. Sed primo loco monendum, in vett. edd. et codd. post v. 131 subiici alium: *perfide*, *multis*,

Perfide Demophoon, *et nunc defende puellam*, vel *puellis.*

Tum varietas lectionis haec fere est: in vett. edd. *Perfidia* legitur, Bembus reposuit *Perfidiam:* idem versum modo adscriptum eiecit. Probarem si sententia integra sic absolveretur: quae omnino sic nulla est, quantum video. Scaliger e vett. laudat *Perfida lamentandi mala*, et corrigit modo: *Perfida lamentandi diu mala*, ut sit *malum perfidum* pro perfidia; modo: *Perfidiae lamentandi mala:* Neutrum feliciter. Reliqua, versu a Bembo eiecto iterum admisso, sic constituit: *perfide multis*, *Perfide Demophoon et nunc deflende puellis.* Sed unde de Demophoontis amoribus, iisque adhuc a puellis deflendis, constet, Scaliger vix habuit dicere; et tota sententia ieiuna est; versus autem inepti versificatoris commentum, etsi etiam Barthius Advers. XXI, 9 sensum exsculpere eumque defendere maluit. *et nunc defuncte puellis* ms. Helmst. *Post etiam*, vel, *Post vero, cui D.* em. Heins.; tum iterum: *Post*, *meritus cui Demophoon aeterna reliquit Perfidiam lamentandi mala. Perfide*, *inultis*, *Perfide Demophoon et nunc deflende puellis.* Io. Schrader. *Perfidiae monumenta suae mala.* Omnino suspicor primo unum tantum versum adscriptum fuisse: *Posterius, cui Demophoon lamenta reliquit. Quam c.* [* Vulgo legebatur *Perfidiam lamentandi mala*, *perfida multis*, quae verba corruptissima tamen ita exhibent omnes quos vidi codd. Colb. I. II. Thuan. I. (in quo tamen per errorem legitur *mala perfidia multis*) et Helmst. Praeterea hic statim est notandum, post vs. 131. sequi in Colb. II. III. haec verba *Perfide Demophoon et nunc defende puellam*, in Thuan. I. *Perfide Demophoon et nunc defende puellis*, in Helmst. *Perfide Demopheon et nunc defuncte puellis*, unde Vossius aliquot verbis omissis novam commentus est lectionem in versione expressam sed vix a quoquam intellectam: *Ienc darauf*, *der einst Demophoon ewigen Iammer Lies durch gebrochene Treu*, *noch mitleidswürdig den Mägdlein.* Commemorata sed non refutata Bothii hariolatione, qui opinatur *Post etiam cui Demophoon aeterna relinquis Proh! fidei lamenta tuae*, *male perfide*, *inultis*, *Perfide Demophoon et nunc deflende puellis*, his inquam missis progredimur ad Handii sententiam l. l. propositam, quae haec est ut reliquis verbis servatis ex *multis* faciat *Phyllis*, hanc adiiciens explicationem: „*Perfidiam lamentandi mala* non „offendunt apud talem poetam, et *mala* posita pro doloribus, ut apud

Digitized by Google

„Seren. Sam. 1048. *mala frigoris atque caloris.* In seqq. vulgo legitur „*perfida multis* sine commodo sensu; nam praeterquam quod haec verba „per se intelligi non possunt, nexus verborum etiam languet et arboris „nomen desideratur. *Perfida* autem dicitur ipsa Phyllis, quippe quae eo, „quod reditum Demophoontis non exspectaret, datam fidem falleret. Et „ita multis in locis significatio verbi *perfidus* vel e contextu sermonis vel „e rei conditione erui debet, ut Catull. Epithal. 174. Servius ad Virgil. „Eclog. v. 10. *Phyllis et* amoris impatientia *et doloris impulsu, quod se* „*spretam esse credebat, laqueo vitam finivit et conversa est in arborem* „*amygdalum sine foliis.* Posset igitur etiam coniici: *perdita Phyllis* i. e. „amore perdita, ut notum." Sed pace Viri Celeb. dicam, sane offendere *perfidiam lamentandi mala.* Quid enim illud est: Demophoon ei reliquit aeterna mala, dolorem lamentandi perfidiam? Certe nihil aliud, nisi Phyllidem dolere sibi lamentandam esse perfidiam Demophoontis. At quam putida sunt haec omnia. In seqq. quamquam optime invenit Handius *Phyllis*, quod vide an confirmetur quoque per codd. lectiones *puellis* in versu spurio, *perfida* tamen adeo contortum est, ut Handium nunc quoque id probare vix credam. Et Heynio quidem in eo accedens, ut locum sine libris vix persanari posse putem, periculum tamen facere volui, quo efficeretur, ut locus certe intelligi posset. Hinc mutationibus nonnullis admissis, quae quomodo a librariis per errorem corrumpi potuerint, non est quod doceam Viros talium peritos, equidem scripsi:

Perfidia lamentari, male provida Phyllis,

hoc scilicet sensu: Praeterea etiam adstitit Phyllis (amygdalus ut modo Heliades pro ipsis populis dicebantur) quae *male provida* i. e. improvida dicitur, quia putaverat Demophoontem non rediturum qui tamen post eius obitum rediit. (Serv. l. l.) De ista autem huius adverbii significatione v. Bentl. ad Horat. Carm. III. 14, 11. Huic Phyllidi Demophoon *perfidia* i. e. per suam perfidiam *reliquit lamentari aeterna;* et *aeterna* pro aeterne sive perpetuo eodem modo dicitur, quo *crebra*, *multa lugere.* V. quos laudavi Catal. Artif. p. 55. sq. adde Ruddim. II. p. 159. Amygdalos autem *aeterna lamentari* recte dici potest, quatenus Hyginus fab. 59. ait: *arbores ibi sunt natae, quae certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia arescunt et diffluunt.* Restat interpretandum *reliquit lamentari*, de quo usu v. Vechneri Hellenol. p. 222. Ruddim. Instit. II. p. 228. sq. Cort. ad Lucan. VI. 776. unde huc maxime quadrant Horat. Epp. I. 16, 61. Sat. II. 5, 69.]

132. *fatali carmine* malit Heins.

133. *quam semina*, *victu*, vel *quam semina*, *adultae* coni. Heins.

134. [* *Triptopoli* Colb. II. *Triptolomi* Helmst. *ceristis* Colb. I.]

135. 136. Alter versus pro fulcro additus ab alio. *pinus edita*, h. excelsa (cf. inf. 170), *hirsuta per artus*, *magnum decus Argoae navi*, h. e. e qua Argo confecta et exornata fuit, *decorat silvas proceras;* nisi quod elegantius putem *Proceros — hirsuta per artus:* hoc et Heinsio video probari. Scaligerum itaque mireris primum legere: *Proceras decorans s.*, tum mutata sententia: *Hic — decorat silvas; hic suberis arbos Appetit a.* Male habuit virum optimum hiulca in seqq. oratio, sed ei medela in promtu est interpunctione: *Appetit a. — astra ilicis et nigrae — cupressus.* De voc. *edita* adhuc monendum, falsam eius acceptionem videri peperisse lectionem ed. Fabric. *addita.* Ita tamen etiam Heins. coni. et Io. Schrader. Emendatt. p. 23. [* *Hic magnum argo aenavidaeus* Colb. II. *navis* Helmst. — *Artes* Helmst. Recte quidem Bothius monet, versum insequentem lectioni *hirsutaque taxus* minime adversari; in textum tamen eam recipere non sum ausus, quia taxus, secundum Plin. H. N. XVI. 10. s. 20. arbor gracilis, tristis ac dira, et veneno quod habet perniciosa silvas decorare dici non potest. *Artus* vero pro *ramis* positi dubito an usquam praeterea inveniantur.]

Digitized by Google

136. *hirsutaque taxus* ms. Koeler., sed non consentit vs. sequens.

137. *Ac petit* em. Heinsius. *motibus* pro *montibus* emendat Scaliger; docte quidem, ut sit quod poetae βλωθρὸν appellant (secundum illud Virgilii: Quantum *vere novo viridis se subiicit alnus*). Sed quis non praeferat illud multo lenius et comtius; *aeriis frondibus*, quod et Heins. coni., vel *frontibus* vel *motibus*. Aldina et Fabric. edd. quoque: *coniungere*. [* *montibus* docte vindicat Huschkius ad Tibull. I. 7, 15. per Hom. Il. ξ. 287. Alter locus e Cicerone Tusc. V. 27. ab Huschkio allatus nihil huc facit. *Coniungere* suspicatur Gronovius Obss. II. 3. p. 231. (L. B. 1662.)]

138. *Ilicis species* pro periphrasi habendum, pro ilice simpliciter dicta. *series* tamen coni. Heins.; expectabam *vertex*. *laeta cupressus* adversatur arboris naturae et poetarum usui; nec Barthii defensio Advers. XXI, 9 bona est, ex eo petita, quod apud Aristaenetum inter amoenas arbores ea recensetur. Gifanius apud Scaliger. coniecerat *Lethaea* c., non male; modo non desideraretur copula. An fuit: *Ilicis et nigrae*, *et species Lethaea cupressus* (h. cupressi). Verum simpliciore modo vulgatae lectioni succurrere licet: *nec laeta cupressus*. Venit et hoc Heinsio in mentem. Idem vel, *et lenta* c. Io. Schrader. *et laeva* c. coni. Frisemann., nescio quo sensu. [* *laeta cupressus* v. Gronov. l. l. *moesta* edidit Wakefieldus coll. Statio Silv. V. 1, 106. Friesemanni coniecturam occupaverat Oudend. ad Lucan. III. 442.]

139. *Atque umbrosa manet f.* Frisem. e Io. Schrader., nescio quo fructu. *manent*. Vim vocis h. l. non satis assequor; an *virent?* vel *patent?* ut Iacobs coni. In Voss. erat *monent;* tum *ligantes ederae* scripsi pro, *ligantis*. Sequentia sic interpungo: — *fagus; ederaeque ligantes* — *ictus*, *Ipsaeque* — *Pinguntque* etc. Caussas deprehendere in promtu est. [* *Imbrosaeque* Thuan. I. Hucusque scribebatur *manent*, quod quum defendi nulla ratione posset, alii alia coniecerunt, adeo ut Bothius ad *movent* i. e. moventur delaberetur. Et quum in utroque versu nulla esset varietas lectionis, nisi quod Thuan. I. exhibet *populus hic tus*, in Helmst. a m. pr. *plangent me*, a m. sec. *plangant he*, ecce laborantibus nobis succurrit cod. Voss. qui Viris Doctis neglectus verum continere nobis videtur. Poeta enim vss. 126. sqq. *populis* satis eleganti imagine depictis reliquas iam arbores commemoraturus *fagum* etiam atque *hederam* nominat, quibus ex more hucusque observato aliquid tribuit, quod faciant, ut omnes istae arbores quasi animatae appareant. Fagus igitur atque hederae una populis adstantes his ipsis adeo sunt implicitae suis brachiis sive ramis, ut populorum brachia ligent et quasi monentes impedire videantur, ne populi fratris vulnera et mortem semper lugentes nimis doleant et *plangant*. Quam ipsam vocem poeta non sine aliquo consilio adhibuit; nam quum *plangere* primum de verberibus dicatur, rami populei per luctum vehementer moti vere etiam plangunt, quod ne faciant, *monent*, prohibent fagus et hederae adstantes. Similiter hoc verbum adhibitum invenies infra vs. 182.]

140. *fraternus* Voss. et Petav. *p. ne p. artus* vett. edd. Sane fulmine percussi Phaethontis artus laceros conquisivere Heliades, donec in populos mutarentur. Sed quomodo hoc facit ad ceteram sententiam? Bembus dedit: *ictus;* ita referam ad Phaethontem fulmine percussum, ictum. Phaethontis sorores in populos mutatas supra vidimus: eae fratris mortem lacrimis humectatae aeterno luctu prosequuntur. Melius sic me interpretari arbitror, quam Taubm. *ne plangat et percutiat ob fratrem fulmine ictum;* modo tum legas: *fraternos plangit quae populus ictus;* aut, ut copula adsit, *plangens et p.* pro vulgari: *brachia populi*, *quae plangit*. Sed totum v. 140 inepti versificatoris commentum esse arbitror ex vss. 128. 129 confictum, in quibus iam eadem res exposita fuit. Et series versuum fuit haec: *ederaeque ligantes Brachia*, *succedunt ad s.*

Digitized by Google

141. *excedunt;* suspicor fuisse *escendunt.* Nam *excedere ad* an dicatur, non memini, sed *escendere ad.* Nisi, ut copula importuna eiiciatur, malis: *Ipsae succedunt.* Porro *passuque erepunt* — *lento* coni Heins., quod *flexipedes* hederae dictae occurrunt apud poetas. Plin. XXIV, 10. s. 49 *Similem huic* (smilaci) *aliqui clematida appellaverunt, repentem per arbores.* [* *Ipseque* Thuan. I. Structura sane rarior *excedere ad* vindicatur loco simili Vell. Paterc. 1. 2. *Hercules ad Deos excesserat.*]

142. [* *Palluntque* Colb. II. per errorem librarii, qui veram lectionem mox superscripsit; *pallore pingere* adstruitur per Lucret. IV. 337. *Quae palloribus omnia pingunt.*]

143. Versus et hic insititius. Iam versus, qui hunc sequuntur, 144—154, Scaliger, ut supra vidimus, retraxit post v. 100. [* *facti* Helmst.]

144. *Et* Voss.

145. *Carmina per varios cantus;* ut alias, per sonos varios. Io. Schrader. coni. *per varios campos; per vacuos saltus.* Saltem bonus poeta sic scribere debebat. [* Iungendum potius videtur *resonantia per varios cantus* i. e. carmina quae vario cantu, prout variae aves canebant, resonuerunt. *Carmina* eadem sunt; *cantus* diversi.]

146. *superat* Voss. Petav. et Scalig. e vet. libro: ipse malit *superet.* [* *superat* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Verum restituit Bembus; de coniunctione imperfecti cum praesente v. ad Ciris vs. 358. Quid Scaligeri coniectura sibi velit, non assequor. Fortasse scripserat *super et* i. e. Praeter has arbores et aves fuit etiam seq.]

147. *placido liquore* melius dici monet Scaliger: recte, sed homini, qui haec scripsit, videtur placuisse: *sonare liquorem*, ut, *sonare carmina*, et alia similia. Scaliger quoque *sonet* substituit. *vomit* coni. Io. Schrader. *sonet ore* ed. Antwerp., forte et aliae. Certe *orta* otiosum est, Barth. XX, 23. emendat *aucta.* In ms. Voss. *acta.* Sed totus versus damnandus, non emendandus est. Est enim insititius cum seqq., in quibus eadem repetuntur, quae iam supra dicta erant v. 104. v. 46 sq. [* *Undam levibus rivis* consociatam recte tuitus est Huschkius ad Tibull. T. II. p. 687. Pro *orta*, quod hucusque legebatur, ut nihil languidius cogitari posset, ex cod. Voss. recepi *acta*, quod a *rivis levibus* pendet. Illustratur vero hic usus ab Ovidio Fast. I. 404. *rivus agebat aquas.* Cum *placidum liquorem sonare* apte comparaveris Virg. Georg. IV. 370. *Saxosumque sonans Hypanis*, et Cic. Arch. 10. *pingue quiddam sonantibus poetis*, quibus in locis, pariter atque in nostro praegnanti usu verbum *sonare* sumitur. Pro *liquorem* Bothius coni. *soporem.*]

148. *Et quanquam.* Corruptum hoc. Scaliger *Hinc illi gem.* Barthius ibid. coni. *Et quaqua.* [* Vulgo scribebatur: *Et quamquam*, quo extruso cum Scaligero e vetere scheda i. e. Contiana scripsi: *Hinc illi* i. e. pastori. Tum bene secum cohaerent *hinc* — *hinc.* Ex illis arboribus avium voces audiuntur; hinc ranae clamorem edunt. De *hinc* — *hinc* vid. Horat. Tursell. p. 280. Bothius coni. *Sed quaqua;* Helmst. *astrepat.*]

149. *Ac querulae feriunt voces* refingit Heins., ut suppleantur *aures* ex antec. *hanc q. reserant fauces* Io. Schrader. *Hac* var. lect. in vett. edd. *Hinc querulas referunt v.* bene Scaliger e vet. scheda: item *quae nantia:* ut sint λιμναῖα κρηνῶν τέκνα, ut is cum Aristophane loquitur, h. *ranae.* Ge. I, 378. *Et veterem in limo ranae cecinere querelam.* cf. Taubm. Sed iam Iul. Sabin. de ranis accepit. [* *Hinc* cum Scaligero scripsi e scheda Contiana. Vulgo *hanc* sine sensu; *hac* Colb. I. II. Thuan. I. *haec* Helmst. — *querulas* Scaliger e codice. Vulgo *querulae.* Cum eodem tamen *quis* mutare nolui; tum enim iungendum esset *corpora referunt voces*, quum potius *quis* pro *quarum* sumendum sit, ita ut a *fovet* pendeat.]

151. *et culta* vetus scriptura apud Scaliger., eaque elegantior. *ardore*, per aestum. Barth. l. c. coni. *fremunt ardere;* quod ipsi remittam. *fre-*

Digitized by Google

munt arbusta Heins., elegantius; idem in mentem venerat Iacobsio ex Ecl. II, 13. add. Ge. III, 328, et van Kooten Spicileg. ad Io. Schraderi Emendatt. pag. 8.

152. *fessae.* Io. Schrader. coni. *fusae.* [* *Et* Helmst. Schraderi coniecturam improbat Handius ad Stat. Silv. T. I. p. 214.]

153. *supra* Scalig. Puto fuisse: *cubuere capellae Excelsis subter dumis.* Sic in Pervig. Ven. *subter genestis explicant tauri latus.* Io. Schrader. *Excelsos subter dumos* Emendatt. p. 20. Desidero quidem commodius epitheton dumorum: videntur tamen *excelsi* dicti, qui in excelsis rupibus crescunt. *et amantes ardua dumi* etiam in Georg. Omnino *dumos* amant poetae commemorare, ut et *dumeta.* Et eo spectat, quod adiicitur, a ventis eos perflari: ἠνεμόεντας. Heins. coni. *excisis* l. *exesis;* et comparat illa: *Dum tenera attondent simae virgulta capellae.* Barthius XXI, 24. emendabat: *Excelsique super dumi. quae* vett. edd. et codd. *quos* a Bembo profectum est. Barthius non male coni. *qua. qua* vel *quo* etiam Heins. [* *Excelsos dumos* bene explicuit Heynius. Comparari potuit Stat. Silv. I. 1, 7. *domus ardua Daci*, coll. Gronov. diatr. T. I. p. 538. ed. Lips. De copula *que* explicandi notionem habente v. ad vs. 79. In Colb. II. *super* ad marginem tantum adscriptum est. — *quos* a Bembo profectum mutare nolui, praesertim quum in Thuan. I. et Helmst. etiam legatur. Mirum tamen est in Colb. I. (ubi per errorem exaravit librarius *que eleviter*) II. Viecht. exstare *quae*, ut fortasse pari iure *duma* et *dumi* dicta sint. — *leviter* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Veram lectionem restituit Bembus; quid in Viecht. legatur, dici nequit, quum Iäckius socordiam suam et inscitiam harum rerum permultis exemplis adeo patefecerit, ut nisi clare dicit, hoc illudve in codice legi, nihil eius excerptis tribuere possis. De *lenis* et *levis* inter se confusis locus, ut ita dicam, classicus est Santenii ad Terent. Maur. 1652. p. 238 — 250.]

154. *possit* friget; sed est genus circumlocutionis pro *confundit* aura dumos. *poscit* Contianus liber Scalig., qui explicat πειρᾶται, quasi: poscit sibi, aggreditur. Sic et ms. Helmst. [* *Poscit* etiam Colb. I. II. Thuan. I. mero ut videtur errore librariorum. Multi enim inveniuntur loci ubi *posse, velle* plane otiosum esse videtur, et Heynius inprimis ad Tibullum (I. 7, 3. 2, 92. al.) pleonasmum, si statuendus esset, vere vitiosum statuit. Ut ubique vero, ita et n. l. verbum illud auxiliare suam vim retinet. Nescit poeta num aura dumos conturbatura sit; facere certe potest per rationem qua sunt dissiti. *Aura venti* pari modo dicitur atque *aura Boreae, Zephyri* Val. Flacc. IV. 722. Lucret. I. 11.]

155. *ad fontes* vett. edd. mutavit Bemb. *requietus* coni. Heins., et mox *porrectus* Lindenbruch. Scaliger, qui hunc locum transpositione sanare voluit (vid. ad v. 100 et 143), reiectis ad superiora versibus 156. 157. sic interpolavit haec:

Pastor ut ad fontes *densa* requietus *in umbra*
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni fors incertos iussisset dicere *casus* etc.

Nihil est ex omnibus, quod placeat. Mihi omnes vss. 157 ad 160. usque Scholastici operam redolent.

158. *fessos* em. Nodell. Obss. crit. p. 38, atqui non minus illud bene dicitur. [* Recepi coniecturam Nodellii *fessos* pro vulgato *pressos.* Quamquam enim per se optime dici potest *artus somno pressi*, hoc tamen in loco ipsa grammatica mutationem suadet. Quodsi scilicet *securo somno* pro ablativis sumentes a *pressos* pendere volumus, tum non habet quo referatur *mandaverat*, nisi quis paullo liberalior pronomen *ei* supplere velit; sin vero *securo somno* a *mandaverat* pendere putantur, nescimus unde

membra premantur. Contra per alteram lectionem omnia bene se habent; *fessi artus* cum somno semper iunguntur; v. Virg. Georg. IV. 190. Aen. II. 253. III. 511. Quodsi tamen, quid ego de h. l. sentiam, declarandum est, fateor mendum potius in alio verbo latere. Nihil enim in vs. 158. mutans pro *lentus in* scribendum suspicor *languidus* ut sit constructio haec: *sed languidus artus somno securo pressos mandaverat herbis.*]

159. 160. Uterque versus laciniae sunt inepti versificatoris: qui variavit et obscuravit sententiam, quae iis sublatis bene procedit, modo v. 161. pro *Nam* restituatur *Cum* hoc modo: *Pastor — mandaverat artus: Cum solitum volvens ad t. t.* [* Quid auctor his versibus dicere voluerit, non est obscurum et Vossius in versione ita expressit:

Und des gelagerten Seele genoss der süssen Erquickung,
Wenn nicht hartes Geschick ein missliches Loos ihm verhänget.

Scribens scilicet poeta *ducere casus* de sortibus ex urna ducendis cogitavit. Incertus dicitur casus, quia nesciebat Fortuna, utrum pastor interimeretur per serpentem an a culice servaretur. Ceterum initio versus 160. in Thuan. I. Helmst. legitur *Si*, Bothius coni. *ludere casus.*]

161. *tractibus hydrae* ms. Helmst., et haec erat Aldina lectio ex interpolatione ducta. Vett. edd. *idem.* ms. Koeler, *idem*, et in marg. al. *Idra;* sic et Thuan. *Idae* Petav. *Ide* Voss. Bembus autem *iisdem:* hocque revocatum ab Scaligero ex veteri scriptura [sc. Cont.]: non enim *tractus* esse serpentis (subiiciuntur illi vs. 165); sed *loca eadem. volvens* autem vel *se*, vel *volvens torquebat.* In edd. Fabric. *sonitum volvens.* Barthius XXI, 23. emendabat *s. volvens — varie maculatus*, *corpora s.* Heins. [* et sic Viecht.] *involvens — tractibus undam* vel *umbras:* parum feliciter; idem mox *maculatus tergore.* [* *tractibus idae* Colb. I. Thuan. I. Viecht. *ydae* Colb. II. — *volvens*, cfr. vs. 193. et Vechneri Hellenol. p. 65. *ad tempus*, v. Hand. Horat. Tursell. I. p. 99. sq.]

163. *subsideret* Bembina emendatio, nescio an satis probanda, recepta a Scaligero. Vett. edd. *sub sideris aestu.* Serpens in limo, quem fons in propinquo effusus fecerat, a solis aestu recreare se volebat. conf. Ge. III, 432. *magnos subsideret aestus* iam Heins. emendavit ad Aen. XI, 268, ubi alia exempla quarti casus cumulavit. [* *sub sideris* Colb. I. II. III. Thuan. I. Helmst. Viecht.]

164. *Obvia vibranti* graece dictum puto pro adverbio; obviam, adversum vibrat lingua. Non expediebat se bonus Taubmannus. *gravis* de gravi anima. Ge. III, 415. *graves nidore chelydros. carpens aera lingua vibranti*, exserta. Miror vero placuisse poetae *carpens* non *lambens*, quod sollenne est. Heins. coni. *Obvia vibranti decerpens*, vel, *detergens gramina lingua.* Io. Schrader. *carpens gravis ore trilingui.* [* *aera* Helmst. Bembus, quod qui accusativum pluralem habuerunt, quasi ab *aerum* deducentes, egregie lapsi sunt; v. Schneider. Gr. Lat. P. II. p. 92. *aere* Colb. I. II. Thuan. I. Pro *obvia* in Viecht. est *oleviā.*]

165. *latis* ed. vet., nec male; at Aldina: *montibus.* Sollenne esset *nexibus.* [* *Squamosis* Helmst. *motibus* idem cum Bembo. *montibus* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Ald. 1517. 1527. — Wakefieldus coni. *Squamosos late vortebat tortibus orbis.*]

166. *Tollebant aurae venientis ad omnia visus.* Est haec Bembina et cod. Petav. lectio: quae sensu idoneo caret; etsi Barthius XXI, 23 aliquem inesse putabat. In ceteris magna varietas. Vett. edd. *Tollebant aurae iuventis* l. *inventis ad omnia nixus* l. *nissus;* Domit. Calder. et edd. Ascens. *vehementis ad omnia nisus.* Hinc in Aldina vir doctus castigavit: *Pallebant aurae liventis ad omnia visus.* Corrigit *ad omina* Scaliger: sic saltem tolerabilis sensus exit: *palluisse auras ad omina visus liventis*, h. oculorum obtutu e longinquo propius admoto. Etsi vel sic *aurae visus* fuissent opportuniores; et bene procudi posset versus sic:

Digitized by Google

Omnia pallebant visus liventis ad auras. Scaliger etiam coniiciebat: *Squallebant aurae vehementis ad omnia visus. Pallebant herbae* Heins., vel *Squalebant aurae vitiantis ad omnia visum* vel *virus.* Ovidius: *quique halitus exit Ore niger Stygio vitiatas conficit auras.* Enimvero ludimus operam; totus enim versus inepti hominis infelici opera irrepsit. [* Versum, ut apud Bembum et in omnibus meis codd. legitur, intactum reliqui quamquam certam hanc habens persuasionem eum esse corruptissimum. Est vero ita comparatus ut quaevis in eo coniicere liceat, semper tamen incertum maneat, ipsum auctorem an librarium emendaveris. Tam putida sunt omnia in his versibus dicta ut qui haec quoque a Virgilio scribi potuisse opinetur, nunquam vel unum Georgicorum versum legisse sit existimandus. Similia videas si placet in Statii Theb. V. 505—533.]

167. *corpus resolubile* malit Heins. [* *Iam magnis corpus* Colb. II.]

168. Ordo elegantior ex Aldina et a Bembo est. Edd. vett. *pectus nitidis.*

168. 169. *et se sublimi cervice caput.* Ita edd. vett., quod Ascens. interpretatur: et se attollit caput. At Aldina et hinc edd. Fabric. emendarant: *et fert S. c. caput.* Quod nunc habemus, *et se S. c. rapit* ex Bembino codice fluxit: sic et Petav. Io. Schrader. em. *exit S. c. caput.* Frisemann. *effert.* [* *caput* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. Oudend. ad Lucan. III. 421. dicit, eandem lectionem in Petav. et Vossiano exstare, unde de illo Heynium errasse est probabile.]

170. *Addita* malebat et hic Heins., etsi non video, quid in *crista edita*, alta, iure reprehendas. Supr. 135 *edita pinus.* In reliqua versus parte varia tentabat Io. Schrader., sed *maculatur* ausus est poeta dicere pro distinguitur, variatur, *purpureo amictu*, pro externa specie et colore. [* *maculator* Viecht. Crista fuit maculata i. e. variis coloribus distincta, praetexto limbo purpureo, unde ipsa lucebat.]

171. *micat flammarum lumine torvo* Petav. et Voss.; in hoc quoque *flammatum.* [* *micat flammarum* Colb. I. II. III. Thuan. I. Viecht. Helmst. *lumina* Colb. I. *lumine* Colb. II. III. Thuan. I. Helmst. *numine* Viecht. Recepi vero quod in omnibus codd. legitur *flammarum*, cum Bembus correxisset *flammantia*, quod vulgo legebatur. De genitivo adiectivi vicem sustinente v. ad vs. 15. Addendum est, versum 171. prorsus referendum esse ad vs. 168. ut verba *cui — crista superne* parenthetice sint capienda.]

172. *Metabat late circum loca:* de hydri capite quaquaversus se movente et circumferente, tamquam si loca circa se recognosceret et signaret. *Metari* ergo (de quo v. Taubm.) etiam *Metare* olim fuit. Et sane Horatio *Metatae porticus* dictae. Alioquin evitari poterat insolens forma — *micant flammantia lumina* Metantis *late circum loca.* Georg. II, 273 *sin pinguis agros metabere campi.* Et sic saepe *metari* in poetis. Pro *sese*, quod vulgo legebatur, ms. Voss. *late*, bene. Mox *tum* vett. edd. Sed in fine *ingens* nullum habet sensum: an fuit *anguis?* ut revocetur in animum subiectum. Et sic nunc diserte scriptum video in var. lect. ms. Koeler. et Helmst. Sentio tamen, quam molle et flaccum hoc sit. Praestat dicere, esse positum pro simplici *ille.* [* In Colb. I. II. III. Thuan. I. Helmst. Viecht. legitur *Metabat sese.* Unicum vero hic versus praestat exemplum verbi *metari* forma etiam activa usurpati, unde qui eum leviter corruptum dixerit, in nimium audaciae crimen vix incurrerit. Et puto poetam scripsisse *Metata est late*, unde simul explicari potest, quomodo ineptum illud *sese metabat* oriri potuerit, quod plane nihil est, cum *late* vel casu vel voluntate librarii excidisset. — *cum* om. in Colb. III.]

173. [* *recubere* Helmst.]

174. 175. 176. Etiam hos tres versus pessime cusos ex margine irrepsisse suspicor. *instat intendere diffundens* (pro simplici intendit) *lumina*, et, *saepius arripiens obvia torvo* (quae ipsi obvia, ante eum torvum ser-

Digitized by Google

pentem posita, erant) *infringere* (ut infringeret, propterea quod etc.), *comparat arma naturae.* Non tanti est locus, ut coniecturis in eo indulgeas. Forte tamen fuit: *Acrior instat, Lumina diffundens* intenta, ore *obvia torvo Saepius arripiens i. — mature comparat arma.* Et sane Voss. *matura*, unde Io. Schrader. *matura et c.* In Aldina et hinc in edd. Fabric. *Lumina d. intentus, et o. t.* excusum video. *instat intendere* defendit Heins. et accipit: intendere cursum, properare, et remittit ad Georg. I, 51. Inf. 320 *instat depellere.* Caesar. B. G. III *fuga salutem petere intenderunt* Mss., vulgo *contenderunt.* Propert. I, 20 *Oscula suspensis instabant carpere pennis.* Idem pro *obvia* coni. *sibila.* Forte hoc voluit substituere paullo ante pro *lumina.* Io. Schrader. coni. *contendens diffundere.* [* *inten... tenet* Colb. III. *contendere* Bothius. *Intendere* ex more poetarum pro verbo simplici dicitur, quod quam saepe *proficiscendi* significationem habeat non opus est demonstrare. — *tornus* Helmst. unde facile fingas *torvus.* Praestat tamen alteram lectionem retinere; notum enim est poetas saepissime adiectiva pro pronominibus demonstrativis usurpare. *Saepius* vulgo quum legeretur, ego ex coniectura scripsi *saevius*, in quod et Bothius inciderat. Nihil autem praeterea in hoc versu mutaverim. Tales enim, qualis hic legitur, exaggerationes poetas huius saeculi et ingenii non respuisse, docet Statius Theb. V. 514. *anguis miserae nunc robora silvae Atterit et vastas tenuat complexibus ornos*, et vs. 527. *percussae calidis afflatibus herbae, Qua tulit ora, cadunt moriturque ad sibila campus.* In Colb. I. versus 176. deest.]

175. *infrendere* vett. edd. et membr. Cont. expulsum ab Asulano et a Bembo, at defensum a Scaligero, Barthio et Taubmanno: est antiquior vox eodem sensu. Scaliger etiam emendabat: *arrepens.* Ascensius *abripiens* legerat; nam sic interpretatur: lumina intendere (coepit) et abripiens saepius obvia torvo adspectu infrendere.

177. Etiam hic cum tribus seqq. verss. inter insititios referendus. Prior quidem 177 tam inficetus est, ut etiam Barthio Advers. XXI, 18 suspectus fuerit. Io. Schrader. tamen tentat: *Stridet* vel *Frendet dente et insonat.* [* *stridonibus* Helmst. a m. pr.]

178. *Flexibus eversis* ex Aldina et a Bembo est; nec capio satis. Debebat *inversis* aut aliud quid legi. Vett. edd. *Flexibus et versis*, h. seu circumactis seu variatis; hoc tenebimus. *et versi* em. Io. Schrader. *orbis* pro orbes accipere praestat, ut magis poetica sit oratio: *serpens torquetur* (κατὰ) *c. orbes fl. v.* Heins. coni. *Flexibus et spissis torquetur corpora* (saltem deb. *corpus*) *in orbes.* Mox 179 *per tractus*, ut Georg. II, 154. [* *et versis* recepi ex Helmst. quum vulgo esset *eversis.* — *torquentur* Viecht. *corpibus* Helmst.]

180. *Spiritus et rumpit fauces* revocavi e vett., h. anhelitus. Nam Bemb. *Spiritibus rumpit fauces.* Heins. em. *Spiritus erumpit f. Quo cuncta parante* legendum monet et illustrat Scaliger. Sic iam edd. Ascens. *Quo c. paranti.* Hic vero in gravissimo narrationis momento nimis brevis, tenuis et exilis, est poeta. De Culice advolante et pastori consulente locus ornandus erat vel maxime. Sensit forte et Heins., cui versus unus et alter abesse videbatur. Saltem comtius foret: *Quo cuncta parante Parvulus humoris pastorem exterret alumnus.* [* *Spiritibus rumpit* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. quod revocavi, quum Heynius scripsisset *Spiritus et.* Lectio iam recepta comparari poterit Virgilio Georg. III. 328. *Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae*, coll. Copa 27. In Colb. III, Viecht. legitur *Spiritus rumpit.* In fine versus Scaligero, quamquam rectissime locum intellexit, tamen in eius emendatione assentire nequeo. Dativus enim *cui paranti* simpliciter pro dativo qui dicitur commodi est habendus. Exempla quaedam huius usus Graecis magis quam Latinis usitati (Matthiae Gr. Gr. §. 562. 2. ed. sec.) collegit Marklandus ad Stat. Silv. IV. 5, 18. p. 325. a. ed. Dr.]

Digitized by Google

181. Ed. ant. vitiose: *propior humeros*, vel *prior humeros*. Omnino seqq. valde turbata in vett. edd. *humoris alumnus* est culex. *conterret* vix satis commodum h. l. vocabulum. [* Quum hucusque legeretur *prior humoris* (Colb. III. *humeris*) *conterret* (Viecht. *conteret*) *alumnus*, quam scripturam Colb. I. II. III. Thuan. Viecht. confirmant, unius Helmstadiensis, qui iam supra haud raro optimas lectiones nobis suppeditavit, auctoritate fretus scripsi quod iam exstat. In eo enim haec leguntur: *propior humoris tenet alumpnus.* Quod ut reciperem movit me potissimum vox *propior*, quum pastor ad humorem, i. e. ad rivum esset stratus, serpens autem nunc demum arrepat. Praeterea scribendum certe erat *prius*, quum *prior* plerumque de duobus dicatur, qui idem vario tempore faciunt, *prius* contra de duobus varia vario tempore agentibus. Productio brevis syllabae *or* per arsin, quae librarios potissimum ad interpolationem movisse videtur, v. Schneider Gr. Lat. P. I. Vol. II. p. 744. sqq.]

182. Bembina est lectio; *acumina*, pro punctione, ictu aculei. Vetus lectio erat: *per culmina namque*, *Qua.* Praefert hanc Scaliger, ut sint *κρόταφοι*, *tempora*, et secundum eum Barth. Advers. XXI, 18. Ascensius sic reddebat: qua parte oculi aperti per summitates aperiebant sinus oculorum pupillis in morem gemmarum relucentibus. Heins. iungenda monet: *per acumina namque*, ut in vett. edd. erat. Recte, sed quid tum de reliquis? *per culmina* f. *per spicula.*

183. Bembina lectio, quam equidem quomodo interpreter non habeo. *pendebant* in textu Heins. esse relictum miror: scriptum enim haud dubie vitiose, pro *pandebant*, ut sit, *qua lumina diducta pandebant genas gemmis*, h. in ipso oculi sinu. *deducta* vett. edd., ex more. Laudat Io. Schrader. e Statio: *diducta putares Lumina consumtumque genis rediisse nitorem.* Scaliger *genas* pro palpebris accipit et legit *obdebant;* nam vett. edd. habere *ponebant;* nisi hoc ipsum sit pro *abdebant.* Io. Schrader. tentabat varie: *gemmans Hac s. e. n. pupula telo Icta levi.* [* *patebant* Colb. III. *pandebat* Helmst. Nihil praeterea varietatis lectionis in codd. meis inveni, neque dubito quin locus sit sanus. *Genae* enim sunt palpebrae, quam significationem exemplis non allatis Burm. Sec. ad Propert. p. 790. poetis tritissimam esse monuit; *Gemmae* autem iam Taubmannus recte interpretatus est de pupillis oculorum in modum gemmarum formatis et rutilantibus. Quum tamen vox *gemma* hoc ipso sensu nova plane et nisi fallor nunquam alibi obvia ratione legatur, quaeri potest, unde auctor noster gemmam pro pupula dicere potuerit. Quod puto factum est ex imitatione linguae Graecae. Etenim *ὀφθαλμὸς* et de oculo in facie hominis et de oculo in arboribus et fruticibus primo vere turgente dicitur, qui apud Latinos certe in vitibus *gemma* appellatur. Ergo sicut apud Graecos *ὀφθαλμὸς* ab hominibus ad arbores transfertur, ita apud Latinos *gemma* ab arboribus ad homines. Ita rem expediri posse opinor; et quum viri docti sententiam meam approbatione sua ornare haud poterunt, illud certe tenendum esse videtur, poetam nostrum de similitudine aliqua inter gemmam i. e. lapidem et pupulam humanam non cogitasse. A *genis* vero et *gemmis* discernuntur *lumina*, quae totum illud indicant, cuius partem illae efficiunt. Ubi igitur *lumina diducta* i. e. quando diducuntur (Cort. ad Lucan. VI. 574. Heindorf. ad Horat. Sat. I. 2, 66.) *genas* palpebras *pandebant* aperiebant *gemmis*, vel faciebant ut *gemmae* sive pupulae cerni et cernere possent, quae verba poetica descriptione medium oculum indicant, ibi culex pastorem pungebat. Palpebrae foribus quasi comparantur, quibus apertis vel reclusis pupulae prodeunt, et *pandere* verbum proprie de portis vel foribus dicitur. Wakefieldus edidit *pingebant.*]

184. *Hac senioris erat — Icta levi.* Etiam haec est Bembina lectio, cum Petav., etsi in ipsis Bembi edd. corrupta: *Hac ferioris* et *Hac saevioris.* Vetus lectio erat: *Ac senioris erat naturae pupula, telo Icta le-*

Digitized by Google

vi; quam Scaliger praetulit, adstipulante Barthio Advers. XXI, 18; *senioris naturae*, ut araneosam cutem et senilem, hoc est rugosam, intelligat. Senex enim pastor cf. v. 387. In Aldina excusum video: *Ac levioris erat naturae:* h. mollioris, quod mihi magis arridet. Forte enim olim scriptum fuit: *telo Icta gravi.* Io. Schrader. *tacta.* Vitiose aliae edd. *Hoc et pupula.* At in Fabric. non male emendatum: *Ut levioris e. n. p.* Totus versus est ab interpolatione profectus. Fuerat primo: *Qua diducta genas pandebant lumina, telo Icta levi:* scil. sunt. [* Legebatur *Hac senioris erat naturae pupula telo Icta levi*, ubi quomodo neminem permirus ac plane singularis plusquamperfecti usus offenderit, non assequor. Audi enim hunc temporum ordinem: ubi media oculi pars fuit, ibi pastor vulneratus fuerat (sc. olim?), quo facto furibundus prosiluit. Corruptus igitur hic locus habendus esset, etiamsi omnes codd. in ea lectione consentirent, quod tamen secus habet. Quum enim Colb. I. Thuan. I. *Hac* exhibeant et Helmst. *Hoc* praestet, Colbertinus II. *Ac* bene offert, quo recepto *pandebant* et *erat* recte sibi iunguntur. Tum post *pupula* commate est interpungendum, ut hinc demum apodosis incipiat. Pro *senioris* corrupte legitur in Colb. I. Thuan. I. *semoris*, Colb. II. *se moris*, Helmst. *sevioris*, et deinde in Colb. II. Helmst. *popula.* Ipsa autem periphrasis *pupula naturae senioris* quamquam satis inconcinna minus tamen eum offendet, qui meminerit, *naturae* vocem haud raro periphrasi inservire. (Walch. ad Taciti Agric. 13. p. 208.) *Icta* in uno Helmst. legitur; Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. habent *iacta*, unde quominus *tacta* corrigamus, impedit usus poetarum Latinorum solemnis, quo vulneribus et telis non *tactos* homines sed *ictos* dicunt. Ad illam ipsam vocem repetendum est *pupula*, ut *icta* pro praeterito pass. habeamus, omisso verbo substantivo *est* (Cort. ad Lucan. I. 120. II. 18.) Restat ut Bothii commentum afferatur, ita legentis: *Qua diducta* genae *pandebant lumina:* gemmans *Hac senioris erat* mature *pupula telo Icta levi*, qui *prosiluit.*]

185. *Cum pros.* Petav. Mox malim: *sic diss.*, vel *tum d.* [* *tum* Helmst. *cum* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht.]

186. In *dissitus* nil mutandum: quae disiecta sunt, ea sunt *dissita:* h. dispersa; *disserere*, dispergere. Vocabulum Lucretianum. *dissitus excessit* est ornate pro simpl. Omnis spiritus excessit, reliquit sensus. Nam *Spiritus sensus* non capio. *Sp. e. sensim* Aldina dedit; hoc et Heins. cum Io. Schradero probat; et praestare ipse arbitror. Dignius poeta esset *membris*, quod et Iacobs coni. [* Qui *membris* reciperet, poetam puto emendaret. Retinui *sensus*, accusativo ab *excessit* pendente; v. Cort. ad Lucan. I. 497. — *cum* Helmst. Pro *dissitus* Bothius malit *desitus.*]

187. Fortasse, ait Scaliger, *Tum torva tuentem Lumine:* nec improbat Heins., sed nihil mutandum. *Tenentem lumina* est, immotis luminibus stantem. *trementem* Heins. coni., quod vix accommodatum.

189. *compos mente* antique, pro mentis. *exanimi vix mente* Heins. maluit. In Petav. *exanimus. resurgit* reponi iubet ex vett., quibus ms. Koeler. adstipulatur, Scaliger: non parebo. Iam surrexerat pastor vs. 186. *Tum prosiluit.* [* *exanimus* Colb. II. Helmst. Viecht. *resurgit* Helmst.]

190. *ab orno* praeclare Bembus. Ant. edd. et codd. *ab ore.* [* *ab ore* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. *detraxit ab arbore truncum* Viecht.]

191. 192. 193. Interpolatio in his manifesta. Addo nunc vs. 194. deleta interpunctione post *tales.* In vett. edd., etiam in Aldina, nec non in ms. Helmst., medius versus *Namque illi* etc. abest; etiam in Petav. Natus videtur versus ex revocatis huc in margine e Ciri 279 *Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme, Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset.* Equidem omnes tres versus 191. 192. 193. a mala manu irrepsisse arbitror. Tentarat aliquis supplere: *Qui casus* (vel *Num casus*) *sociarit opem numenve deorum, Prodere sit dubium.* Subscripsit alius: *Namque* (f. Hancce) *illi dederitne viam casusve deusve, Prodere sit dubium;*

Digitized by Google

utrumque inepte; nec minus inepte supplevit versum alius: *voluit sed vincere talis* (sc. casus) vel *talem*. non enim dicam utrum; hoc tamen alterum sic accipies; *voluit deus vincere talem*, hominem sic armatum. At quam ieiune! *tali* Voss. *voluit sedere tales* Voss. et Petav. Ms. Helmst. habebat: *vincere callens*. Scaliger tantum duo versus *Namque illi — Prodere s.* iugulat, et legit: *Qui* (*casus sociarit numenve deorum*) *Horrida sq.*, ut *qui* sit pro *quo trunco*. Barthii conatum parum prosperum in emendando loco videat qui volet Advers. XXI, 18. Heins. coni. *sociarit* cum Aldo; et vidit *casusve deusve* Virgilianum esse; sic Aen. XII, 321. Idem laudat ex Aldo *vivere talis*, quod non reperio. Io. Schrader. *Quem* vel *Quam*, *casus sociarat opem;* et mox *dederit vitam* et *vincere fata* vel *clades*. [* Legebatur *Qui* — *sociaret* et post *deorum* plene interpungebatur. Tum sequebatur hic versus:

Namque illi dederitne viam casusve deusve
Prodere sit dubium.

Illum autem versum *namque* etc. qui misellae interpolationis indicia nimis clare fert, eieci secutus auctoritatem Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. et Wagneri mei in Iahnii annal. phil. Vol. II. p. 128. Quo facto statim elucet verba *prodere sit dubium* cum superioribus esse iungenda, et Scaligerum priori sua coniectura, quam Heynius laudare omiserat, rem acu tetigisse pro *Qui* legentem *Cui* i. e. pastori et pro *sociaret* post Aldum restituentem *sociarit*. De *casu* et *deo* sibi oppositis v. ad Ciris vs. 278. *Prodere sic* Helmst. *sed* om. Thuan. I. *talis* scripsi pro vulg. *tales*. Nescit poeta, utrum a deo aliquo an casu adiutus fuerit pastor; talis tamen seu deus seu casus eum vincere voluit.]

193. *volventia* vel *volventis* Ascens., alterum hoc etiam Heins. malebat. *crebro* ms. Helmst. [* *Horrida squamosi*, de correpta littera *a* v. Schneideri Gr. Lat. P. I. Vol. II. p. 706. *volentia* Thuan. I.]

194. *foedaeque* vett. edd. *potentis*, scil. ore, morsu. Sed Scaliger non male: *foedeque patentis Ictibus;* patet ictibus, vulneribus, qui recipit. Nec aliter. ms. Koeler. *creber* coni. Heins. Idem varie tentat: *avideque petenti*, vel *petentis*, vel *patentis Rictibus ora ferit*. [* Nihil in voce *petentis* mutaverim. Nam quem sensum suae coniecturae tribuit Scaliger „patet ictibus, qui nullo modo adversarii ictus repellit, sed re„cipit," is partim furori serpentis supra depicto, partim voci *reluctantis* mirum quantum est contrarius. Imo serpens summa vi sese defendere studuit. De *que* non suo loco posito v. ad Ciris vs. 323. Bothius coni. *frondemque*.]

195. Heins. refingit: *Ictibus usque ferit* vel *Ictibus ossa terit*. *feris* vett. edd. *feris* vel *feri* Ascens. *ferit, c. q. t. cristam* Bembina est lectio. *cristae* vetus erat lectio, ut video, ante Bembum, itaque recte emendavit Scaliger, cum Heinsio; ut sit, *qua cristae cingunt tempora*. Itaque revocavi. [* *cristae* Colb. II. Thuan. I. *cristam* Colb. I. Helmst. Viecht. — Pro *ossa* Bothius coni. *ora*.]

196. *somni* pro *omni* haud dubie cum Scaligero emendandum; sicque edd. Fabric., etiam ante Aldina. Sed totam sententiam vellem ut viri docti exposuissent. Scilicet et hi tres versus 196. 197. 198. insititii et spurii sunt. Voluit ineptus versificator in margine explicationem subiungere: pastorem tanto minus metu obtorpuisse, quod e somno repente expergefactus tempus non haberet de periculo cogitandi. Hoc binis versibus extulerat: *Et quod erat tardus somni languore remoto: Hoc minus implicuit dira formidine mentem.* Adscripsit alius: *Nescius adspiciens;* tum tertius misere explevit versum: *timor occaecaverat artus*. Barthius XXI, 20 frustra operam ludit in loco emaculando. Heins. *Utque erat haud tardus, somni languore remoto, Nec suus, adspiciens*, ut Ovid. *Vix meus;*

Digitized by Google

ubi vid. Not. Io. Schraderus em. *Nescius*, *ad speciem t.* In Voss. *excaecaverat.* [* Legebatur ita:

Et quod erat tardus, somni languore remoto,
Nescius adspiciens, timor obcaecaverat artus;

quae adeo sunt corrupta omnique sensu destituta, ut Heynio omnia pro interpolatis habenti irasci nequeas, praesertim quum per tantas tenebras tamen aliquam lucem detexerit. Primum quaeramus, de quo illa verba dicta sint. Et quum Heynius ea ad pastorem retulerit, equidem serpentem a poeta indicari contendo, quod partim ex verbo *implicuit* partim ex versu 199. colligo, ubi pronomen relativum unice de serpente intelligi potest. Nemo vero mihi persuadebit, vocem *quem* ad vss. 193. 194. pertinere; nimis tum illi essent remoti. Restat igitur ut serpentem magis in vicinia quaeramus, eumque vere ibi invenisse mihi videor. Singula iam pertractantes simul emendationes nostras, si ita dicere licet, in textum receptas asserere conabimur. Verba igitur *quod erat tardus* de serpente dicuntur. *Tardum esse* pro morari etiam ap. Tibull. I. 4, 27. legitur. Moratus vero fuerat serpens, tempus amiserat pastoris occidendi, quem sopitum facile interimere poterat; vid. vs. 180. sq. De pastore autem, quod omnibus interpretibus placuisse videtur, hoc adiectivum sumi non debere, docet vs. 189. *impiger.* Impetum igitur tum demum anguis fecit, quum languor pastoris per somnum contractus abiisset. Adeo in hoc versu nihil mutandum videtur; quod enim Scaliger *somni* coniecit pro *omni*, quae lectio est Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht., retinui ut perquam probabile, licet haud negem, etiam codicum scripturam ferri posse, dummodo productionem per arsin statuas, a qua noster non est alienus; vid. vs. 181. In seqq. multa insunt, quae corruptelarum suspicionem recte movere possint. Quis est *nescius?* deinde etiamsi hunc norimus, cuius rei est nescius? eadem dubitatio de voce *adspiciens.* Tum *timor obcaecaverat artus* et *minus implicuit formidine mentem*, quomodo inter se iungi possunt? Versus 198. partim per ipsa verba partim per sententiam iis comprehensam docet, nihil in eo depravatum esse; poeta enim claris verbis dicit, pastorem non tam timidum fuisse, quam fortasse exspectari poterat. Proinde magna illa repugnantia in versu 197. insit necesse est, quam ad opinionem salebrosa ipsorum verborum iunctura magis etiam nos ducit, quae iam ita si non emendanda at certe coniectura qualicunque paululum sublevanda videntur:

Nec prius adspiciens *timidos* caecaverat artus.

Omnia de serpente dicuntur, qui mentem pastoris propterea minus dira formidine implicuit, quod tum demum impetum fecit, quum languor somni iam esset remotus, et quod adspectu suo pastoris artus prius non caecaverat, ut timidi forent. *Caecare* vel quod idem est *obcaecare artus* audacius a poeta dictum illustrari potest per Graecum *τυφλοῦν*, de quo v. Passovii lex. Gr. Serpentem autem oculis in hostem defixis, solo adspectu reddere anxium et quasi caecum, constat; et quamquam nullum adhuc locum apud veteres scriptores inveni, quo id diserte dicatur, tamen non dubito hanc ex historia serpentium petitam observationem loco nostro adhibere. *Artus timidi* per prolepsin dicuntur pro facere ut artus timidi fiant; v. quos laudat Passovius ad Tac. Germ. 31. quibus adde Heindorf. ad Cic. N. D. I. 14. p. 40. et 16. p. 46. Bernhardy Synt. Gr. p. 427. sq. et ipsos *artus* dici posse *timidos* docet Ovid. Met. III. 40. *occupat artus attonitos tremor*, ubi item de serpente sermo est; adde Virg. Aen. VII. 446. XI. 424. Vossii versionem me non probare posse fateor; afferenda tamen est, quod quid Vir Egregius de h. l. senserit', ostendit:

Und je mehr, als träge des Schlafs Ermattung entflohn war,
Ihm unkundige Furcht vor der Schau die Glieder geblendet,
Desto weniger nun band zagende Angst die Besinnung.

Bothius haec protulit: *Et quod erat*, tarde *somni languore remoto*, Nescius, *an species tantum accessisset ad* artus,.]

198. *Non minus — mortem* ms. Koeler. *implevit* Voss. ap. Frisemann. [* *Hoc* cum reliquis meis codd. etiam Helmst. superscripto tamen *non*. Dicitur vero *hoc* pro propterea; v. Virg. Aen. IX. 492. Horat. Tursell. p. 278. ed. Lips. 1769. — *implevit* etiam Thuan. I.]

199. *cesum*, *languescere cepit* ms. Helmst. Heins. em. *Quae*, — *sedit*, scil. formido, vel *Quae — languescere desiit*, sc. mens.

200. *biiugis* vett. edd. ante Bemb. *quatit* equos, non flagrum, ut supplebat Scaliger. Idem: *Iam quatiens biiuges*. Mox *crebo* vett. edd., et hinc, quis crederet? edd. Fabric. *crebro*. Feliciter Heins. *Iamque atro b.* [* Hucusque legebatur *Erebo cit equos Nox* interpolatione Bembina, quod pluribus argumentis demonstrari potest. Nam in Colb. I. II. Thuan. I. legitur *Ereboeis*, Helmst. Viecht. *Erebo cis*, in Colb. III. *erebus equos nox*. Deinde permire, quod iam Heynius pronunciavit, dicitur *quatit* et *cit*. Tum *cit* nusquam praeterea legitur sed uno tantum in loco Stat. Theb. IV. 146. *excit*, quem propterea iam Priscianus laudavit, v. Struv. lat. Declin. et Coni. p. 204. Hinc *Erebois* restitui i. e. Ἐρεβωΐς, quod an alibi etiam legatur nescio, sed comparatione similium vocum Εὐβοιΐς (v. Hermann. ad Soph. Trach. 74.), Ἀχελωΐς, *Minois* ap. Catull. defenditur. Noctem vero ita dici posse docet epitheton *Tartareae* (Val. Flacc. III. 212.). Habitabat in Erebo (Eurip. Orest. 176. Pors. πότνια νὺξ, Ἐρεβόθεν ἴθι) vel in Tartaro (Hesiod. Theog. 744. sqq.). *Bigae* Nocti pariter tribuuntur atque quadrigae (Columna ad Ennium p. 409.), et *quatere equos* illustratur iis quae monui ad Ciris vs. 349. De hyperbato copulae *et* v. quos laudat Passov. ad Tac. Germ. 32. Ceterum *Nam* legitur in Thuan. I. *cepit* in Helmst. (superscripta tamen vera lectione), *biiugis* in Colb. I. II. Thuan. I.]

201. *aurata* Petav. et Voss. *Vesper procedit* vett. edd. *ab Oeta* conf. ad vs. 41 supra. *ab ora* ms. Helmst. [* *Iupiter* Viecht. *aurata* scripsi e Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. pro vulgato *aurato*. Eleganter mons ita dicitur propter splendorem, quem ultimi radii solis in eum coniiciunt.]

202. *duplicantibus* est pro duplicatis. [* *Tum* Helmst. In Viecht. hic versus deest. De significatione neutrali verbi *duplicare* monuit iam Anonymus ad Vechner. Hellenol. p. 75.]

203. Noluit, puto, *in requiem* dicere, ne confunderentur voces et fieret *irrequiem*. Ascens. et Taubm. iungunt: *dare requiem in artus*. [* *Requiem in artus dare* pro *artibus;* v. Burm. ad Petron. 33. Illustrari fortasse potest ex similibus locutionibus, qualis est *conferre beneficia in aliquem*.]

204. [* *et* Colb. I. *livor* Helmst. *somnos* idem a m. pr.]

205. *effuso requierunt membra sopore*. Magis accommodatum foret *infuso*. vid. Obss. ad Tibull. III, 4, 81. [* Wakefieldus coni. *e fuso* vel *offuso*.]

206. [* *eam* Helmst. a m. pr. *advenit* idem.]

207. *ab eventu c. c. amaro* coni. Heins.

208. *Quis meritis* vett. edd., etiam Aldina; unde Scaliger emendat: *Quis meritis*, *inquit*, h. quibus meritis. Nisi forte praestat: *Quis*, *inquit*, *meritis*. Licentius, adeoque felicius, Heins. *En*, *quid*, *ait*, *meritus; aut quo delatus*. Sed Scaliger pergit: *aut quae delatus*, antique, deferor aliquid. Alias, *ad quae delatus*, est: in quam culpam incidi? *dilatus* vett., ex more. Ascens. ad quae mala reservatus. [* Legebatur *quid meritus*, quo spreto lectionem Aldinae recepi *quis meritis*, quum in Colb. I. II. Helmst. Viecht. Cont. legeretur *quid meritis*. — *ad quae* bene restituit Bembus. In Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. exstat *atque*. De duabus interrogationibus eadem in periodo iunctis v. Cic. Mil. 14. §. 38. *Quem si interficere voluisset*, quantae quoties *occasiones*, *quam praeclarae fuerunt?* ubi v. Garat. p. 206. Or. id. Brut. 41. §. 152. *et* quae quibus *positis essent*. Cornel. Dat. 5. *a* quanto *bello ad* quam *parvam*

Digitized by Google

rem, Val. Flacc. II. 53. quanta quotiens *et Palladis arte*, ubi graviter erravit Heins. Tres adeo interrogationes iunxit Cornel. Timol. 2. quem *et ex* quanto *regno ad* quam *fortunam detrusisset.* Disputavit de hoc usu et apud Graecos et apud Latinos Reisigius ad Soph. Oed. Col. 809. p. 306. — *delectus acerbis* Helmst. De v. *inquit* orationi praemisso v. Catull. LV. 11. de *cecinit* — *inquit* per Graecismum sibi iunctis v. quos laudavi ad eund. LXIII. 77.]

209. *me carior ipso Vita fuit*, *vita rapior* vett. edd. Fertur autem anima per aerem ad loca infera. Sic mos poetis. Eorumdem more mox *Manes* sunt dii inferi, ut Ge. IV, 489. Notabile quoque, quod vss. 214. 215 trans Lethen Charon umbras vehit, non trans Stygem. [* *voces* Colb. II. *me* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. (in quo legitur *tua me dum*) Viecht. Bembus edidit *mi.*]

210. *rapior p. i. vectus* ms. Helmst. *per inania Averni* ingeniose Heins. coni. [* *venti* Colb. II. quod coniecturam Heinsii etiam probabiliorem reddit.]

212. [* *Erectus* Viecht.]

213. [* *letheas* Colb. II. *letias* Helmst. a m. pr. *leteas* idem a m. sec. *tranare* Helmst.]

214. *Videt*, *Videt et*, *Videt ut* vett. edd. *Vidi ut* ms. uterque et edd. Ascens. *agar* et *Vide ut* Petav. et Voss. *Video ut* Aldina. Et si verum dicendum, alterutrum probandum est. Narrat enim Culex sibi adeunda fuisse loca infera: adeoque *Vidi ut. Viden' ut* alienum ab h. l. est. *Vidi et* Heins., ut Aen. VI, 585 *Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas. telis* quoque ed. Ven. 1486.

215. *Lumina cum lucent* Petav. et Voss. *infectis* ms. Koeler. [et Colb. II.] *infernis* Domit. Calder., quod miror desertum esse a sequioribus edd. *inferna templa* sunt *Acherusia templa* Ennii. Manet tamen vel sic *omnia* otiosa vox. Heins. pro *templis* coni. *palmis*, quod non capio. Iacobs *Limina*, ut omnia infernorum templorum limina colluceant taedis. Suspicor versus dilatatos esse insertis ex margine laciniis diversis, et poetam tantum haec scripsisse: *video flagrantia taedis Lumina; Tisiphone, serpentibus undique cincta*, *Et flammas et saeva quatit mihi verbera Poena*, h. Furia, quatit flagrantia taedis lumina (faces), et flammas et verbera (flagella). [* *charonis* Colb. I. Thuan. I. Helmst. Viecht. *coronis* Colb. II. In seqq. legebatur:

— — — — *viden' ut flagrantia taedis*
Lumina collucent infestis omnia templis

ubi iam Heynius recte perspexit *viden' ut* plane alienum esse. Reposui igitur quod in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. scriptum est *Vidi ut* sequente indicativo, qui in oratione obliqua non rarus est. V. ad Catull. LXIII. 12. add. Ruhnken. ad Rutil. Lup. II. 6. p. 98. Lachmann. ad Propert. p. 9. sq. Ruddim. II. p. 347. sq. Deinde *flagrandi atedis* Colb. I. In vs. seq. *Limina* restitui ex coni. Iacobsii (coll. Virg. Aen. V. 4.), quam prorsus confirmat auctoritas Colb. I. *Collucent* a Bembo profectum esse videtur, quum in Colb. I. Thuan. I. Helmst. Viecht. prostet *cum lucent*, in Colb. II. simpliciter *lucent.* — *Infernis* post Calderinum denuo coniecerat Iacobsius. Ceterum confiteor parum abfuisse, quin pro *limina* reponerem *Moenia*, quod melius cum flammis componitur quam limina. Huc accedit quod Virgilius in descriptione inferorum bis hac voce utitur, VI. 541. 549. eaque cum *limina* saepe in codd. confunditur (Markland. ad Stat. Silv. Praef. p. IX. ed. Dr.). Bothius coni. *vidi et flagrantia taedis Lumina*, *quis lucent infernis omnia templis*, Wakefieldus pro *omnia* edidit *horrida.*]

216. [* *Tesiphone* Colb. I. *thisiphone* Helmst.]

217. *poenae*, prave, ut facile in oculos incurrit. *Poena* est Ποινή,

Digitized by Google

Furia. conf. Scalig., et sic vett. edd. Male mutavit Bembus: *poenae Cerberus.* Heins. coni. *poenam;* non video quam bene, vel *poenas.* [* Legebatur *poenae;* equidem scripsi Scaligerum secutus *Poenae.* Wakefieldus edidit *It flammis—Poena.*]

218. Vulgo *flagrant.* Haud dubie *flagrat* fuit: Cerberus flagrat ora latratibus. Dicitur autem flagrare, calere, ardere, de repetito alicuius rei actu et intentione operae. Notatum quoque *flagrat* video e ms. Koeler. et Helmst. Scaliger emendat *flagrans;* supplendum erit: obvius fit. Io. Schrader. tentat: *pandens*, *aperit.* Barthius XXI, 20 non nisi dura et contorta affert. At Heins. eleganter: *Cerberea et d. flagrant l. ora.* Ita tamen et alteri versui medendum. Idem coni. *Cerberus et diris acuens latratibus iram:* sed tum deficit verbum. [* Heynio in tractando hoc loco quamquam assentiens id certe addiderim, *flagrant*, quod in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. (ubi est *flagant*) defendi posse. Tum scilicet *Cerberus et ora* dictum est pro *Cerberi ora*, quo de usu v. quae attuli ad vs. 66. *Flagrandi* sensum bene illustravit Heynius. Ita etiam *tepidum limen* dicitur illud, quod saepe transgrediuntur homines vel in quo iuvenes amantes cubant, ut caleat; v. Catull. LXIII. 65. Propert. I. 16, 22. Similiter etiam *fervere* usurpatur a Virg. Aen. IV. 407. 409. Stat. Silv. I. 2, 47. quo verbo quum etiam noster uti potuisset, ipse pro more suo vocem elegit, quae ei multo gravior visa vere est perquam ridicula. — *latrantibus* Thuan. I.]

219. *arent cui colla* vett. edd., quod cum Scaligero explicari possit, squalent. *repexis* em. Heins., nam et supra 216 *serpentibus undique comta.* [* Lectionem huius versus, qualem eam post vett. edd. (Ald. 1517. 1527. Bemb.) exhibuit Heynius, confirmat Helmst. At in Colb. I. IV. Thuan. I. Viecht. legitur *arent*, in Colb. II. *hinc cui stant colla.*]

220. *orbes* per se sunt oculi, et ii *micant ardorem luminis sanguinei.* Sed vett. edd. *Sanguineumque:* quod melius. Sic *orbes luminis micant sanguineum ardorem.* Ms. Helmst. *Sanguineique ardore micant iam luminis orbes.* Petav. *Sanguineaque* et *orbos.* Heins. coni. *micant infandum.* Io. Schrader. *ardentis luminis.* [* Legebatur *Sanguineique micant ardorem luminis orbes*, quibus tamen in verbis *micant ardorem* nimis est durum, quam quod ferri possit. Plerique codd. in rebus gravissimis hanc scripturam comprobant, in levioribus tantum ab ea recedentes. Sic Colb. I. Thuan. I. habent *Sanguineaque*, Colb. II. *Sanguine atque*, Viecht. *ardore*, Colb. I. Thuan. I. *orbos.* Quod nunc in textu a me est repositum, debetur id Helmstadiensi, in quo tamen legebatur *iam*, quod equidem per coniecturam in *mihi* mutavi, ut vs. 217. Micant igitur oculi ardore luminis sanguinei.]

221. Sententiam non satis exploratam habeo. *gratia* tamen aut beneficium vel benevolentia, aut gratus beneficii accepti sensus est. Si prius, tum sententia est nimis forte arguta pro hoc poeta: Heu quare *gratia*, beneficentia et benevolentia mea, *digressa est ab officio*, scil. eo, quod mihi ipsi debebam. Cur mihi ipsi defui, dum alium servare studui. Sin alterum tenemus, queritur Culex de pietate et grata memoria, quae officio et beneficio accepto non respondet. Alterum hoc melius poni arbitror; *quantopere tu ab officio animi grati digressus es!* discessisti. Taubmannus *officium* de beneficio accipit; quo sensu reliqua, ignoro. Ascensius reddit: heu quid est gratitudo, digressa ab officio grati animi. [* Posteriorem explicandi rationem unice veram esse, nemo puto negabit. Expressit eam quoque versione sua I. H. Vossius.]

222. *lumine ab ipso* Voss. et Petav. [* Ita etiam Colb. II.]

223. Scaliger recte concinnius putat: *Praemia ubi pietatis? ubi pietatis honores? In vanas abiere vices.* Manifesta imitatio Virgiliani versus ex pr. Aeneid. *Hic pietatis honos?* etc. *in vanas vices* eleganter pro, in vanum. Vices fuissent in retribuendo. *et rure*, h. e. heu etiam inter

Digitized by Google

ruricolas abiit, recessit, *Iustitiae fides*, ornate pro iustitia: sed in reddendo, quod debetur, fides cernitur. cf. Ge. II, 473. 474. Male Aldina *et iure* cum Petav. et Voss. *iterumque recessit* coni. Heins. [* Interpungebatur *ubi? pietatis honores In vanas* etc. Quod ego dedi, partim id debetur Scaligero. Concinnitati et gravitati verborum tum melius consulitur.]

224. [* *abire* Colb. II. *iure* etiam Colb. II. Helmst.]

225. Bene cum Io. Schrader. Iacobs em. *Iustitia et prior illa Fides.* Mox *i. vici* vel *adivi* Heins. [* Schraderi Iacobsiique coniecturam (coll. Petron. Satyr. p. 591.) recepi, quum antea legeretur: *Iustitiae prior.* Wakefieldus ad Heinsii coniecturam *vici* adiuvandam laudat Virgil. Aen. XI. 160.]

226. [* *facta* Helmst.]

227. Iam ab his inde verss., quae sequuntur, meri sunt lusus versificatorum: in quibus tamen docti homines fuere. *fit—fit.* Scaliger haec corrupta arbitratus emendat: *sit poena merenti: Poena sit exitium; modo, si cui grata voluntas, Existat par officium.* Retineo saltem illud: *modo sit dum;* nisi malis: *modo dum sit*, pro dum modo sit *grata voluntas et par officium*, sc. ut memoriam Culicis gratus colat. Poterat tamen et ferri: *fit poena merenti*, h. mihi bene merenti; *Poena fit exitium;* h. e. et pro poena, mercede, exitium infligitur. Quae sequuntur putida sunt. Taceri hic nonnulla puta: tum pergit: sit ita: *modo sit dum* etc. (*cum g. v.* vett. edd.) dum modo sit grata voluntas! dum modo officium par beneficio meo existat! habebo hoc pro solatio. Paullo ante male interpungebatur plene post *relinquens.* Nam hoc significat: *vidi alterius fata instantia:* tum ego mea fata, vitae meae periculum, *relinquens*, negligens, *sine respectu agor ad p. e.*, ad eandem mortem praesentem propero. Interpolatoris tamen manum etiam in toto loco agnoscere facile est. Forte a poeta profecta sunt tantum illa: *Iustitia et prior illa Fides! feror avia carpens.* [* *parides* Viecht. In seqq. apud Heynium legebatur:

— — *fit poena merenti;*
Poena fit exitium; modo sit dum grata voluntas!

quibus in verbis denuo pro more suo multas et magnas interpolationes invenire sibi videtur. Ego contra denuo ab eo recedere cogor, neque video quid indignum sit poeta nostro, modo verba recte interpreteris et in rebus quibusdam minutissimis emendes. Culex scilicet queritur, se mortem pro pastore subiisse adeoque, quum beneficio dignus esset, poena affectum fuisse; atque ita clauditur vs. 227. Tum pergit: Ego tamen illam poenam immeritus subibo, quamvis ea adeo sit exitium, hoc unum requirens, ut gratus mihi a pastore significetur animus et par officium praestetur. Hinc pro *fit* scripsi *sit*, sensu concedendi, qua in emendatione iam mihi praecessit Iahnius meus, tacite eam in textu reponens. Quod sequitur *modo sit dum*, ferri nullo modo potest. Nunquam enim legitur *modo dum* pro *dummodo;* correxi igitur *modo sit tum*, sc. exitium non detrectabo, sed patienter feram, dummodo mihi tum gratia referatur. De adverbio *tum* post imperativum vel coniunctivum posito v. Horat. Tursell. p. 880. ed. Lips. 1769. Conditionem indicat, qua quis aliquid fieri vult. Verba vero *Existat par officium* appendicis quasi loco adiiciuntur, et ut saepe hoc in sententiis rem aliquam explicantibus observatur, ἀσυνδέτως dicuntur. Thuan. I. habet *volumptas*, in Viecht. iterum desunt vss. 228—304.]

230. Parum suaviter haec: *avia distantia inter lucos.* Unde inf. 258 *magis distantia limina.* [* *cummerios* Colb. I. II. *cum merios* Thuan. I. *Q A via cum merios* (chi above *cum*) Helmst. — Wakefieldus coni. *ducentia.*]

231. *Quem circa.* Etiam hunc versum eiiciendum censeo. Alienum esse arguit importuna iunctura et structura. Nam *quem* de Culice acci-

piendum. Feror carpens (cursu, volatu) avia (loca), avia distantia, inter Cimmerios lucos, dum circa me poenae tristes densentur *in omnia*, h. quaquaversum, undique. Sic enim videtur posuisse. cf. inf. 240. Iacobs noster, *densentur in agmina;* saltem *Quos* (lucos) *circa* legendum arbitrer. *densentur* recte revocatum. Alii *densantur* et *paene.* Describit autem Tartarum. Ceterum Scaliger hic iterum plures versus transponit, nullo ad poetam et sententiam cum fructu, me quidem arbitro. Scilicet post 231 *Quem circa*, inserit v. 246 *Atque alias alio* densent *super a. t.;* tum 237 *Terreor* etc. [* *densantur* Helmst. Versum spurium habeas cave. Quia tamen *quem* a *feror*, quo pertinet, nimis remotum esse videatur et praeterea culex se quasi medium inter omnes illos homines in Tartaro punitos ponit, unde inepta efficitur sententia, parum abfuit, quin scriberem *Quae circa* sc. avia.]

232. *victus* al. *moestus* Petav. Mox *Othon* pessime dederant. Est Ὠτὸς satis notus vel ex Od. Λ, 307. [* *victus* Colb. I. II. Helmst. Vera lectio exstat in Thuan. I. *othos* Colb. I. II. *odios* Thuan. I. *etos* Helmst. a m. pr. *otos* idem a m. sec.]

233. *Devinctum* lego, h. pariter vinctum. Id quoque Asulanus et Bembus ediderant. Intelligit Aloidas ex Aen. VI, 582. Vulgo: *Devictum*. Edd. vett. aliquot *Devictus*. Ceterum alligatos columnae Aloidas et alii dixere; sed sibi aversos. Hygin. f. 28 *Qui ad inferos dicuntur hanc poenam pati: Ad columnam aversi alter ab altero serpentibus sunt deligati. Est Strix inter columnam sedens, ad quam sunt delegati.* Postrema corrupta sunt, nisi, quod suspicor, ab alia manu adsuta; saltem: et *Strix in columna sedens.* [* *Devinctum* Colb. I. II. *Devinctus* Thuan. I. Helmst. *ephialtem* Helmst.]

234. *Conati quondam cum sint incendere* vulgg., prave; natum ex *inscendere. escendere* coni. Heins. In promtu erat *rescindere* e v. 583 Aen. VI et Georg. I, 280. Iam Io. Schrader. e cod. Voss. protulit in Emendatt. pag. 19. id quod posui: *C. cum sint quondam rescindere.* Non igitur recte positum est a Frisemanno, *inscendere* legi in Voss. et Petav. [* Recte legitur: *cum sint quondam rescindere;* sed Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. *quondam cum sint*, et deinde in Colb. I. II. Thuan. I. *inscendere* (quod iam Iacobsius coniecit), in Helmst. *incendere.* Nolui tamen lectionem Heynianam mutare, quae partim imitatione Virgiliana, partim auctoritate codicis Vossiani nititur, quam adeo mei codd. confirmant. Etenim transpositio verborum *cum sint* docere videtur, scripturam *inscendere* serioris demum esse originis, qua semel recepta necessario requirebatur, ut *quondam* reiiceretur.]

235. *tuas — iras* vett. edd., quasi sit: *memor iras.* [* *tityas* Colb. I. II. Thuan. I. *ticius* Helmst. — *tuas* — *iras* etiam Colb. I. II. Thuan. I. Helmst.]

236. *Implacabilis ira nimis!* per parenthesin cum exclamatione dictum. (De Tityo conf. ibid. 595.) Lectio est Bembina, et proba. Vett. edd. (non una, quod Scaliger putabat) sic efferunt: *I. ira iacet vivus alitis esca.* Emendatum in Ascenss. edd. *vivi alitis*, in edd. Fabric. *viva a. e.* At Scaliger inde refingebat: *Implacabilibus Divis iacet a. e.* Heins. *Iure inpacati fibris iacet alitis esca.* Virgil. *Nec fibris requies datur ulla renatis.* [* *latet* Helmst.]

237. *Terreor ah tantis* legendum; et edd. Fabric. bene exhibent. Vulgg. *a tantis.* Sed pessimi poetae versus sunt. [* *a* Colb. I. II. Thuan. I. *et* Helmst.]

238. 239. Sensum velim et hic subiecissent viri docti, qui, quantum intelligo, nullus est. *At Stygiis r. aquis* Voss. et Petav. Vett. edd. ad superiora trahunt interpunctione: quasi retrahatur ad Stygem Culex, *Vix ultimus amni*, vix proximus factus, Cocyto vel Phlegethonti, qui Tartarum ambit: h. cum vix ad amnem accessisset. Forte leg. *Vix ultimus amnis Restat* (sc. ei) *nectareas d. qui p.* Tantalo eluso fugiens a labiis

Digitized by Google

amnis vix in imo fundo alvei supererat. *ultimus*, infima pars. *amne* Voss., unde Heins. em. *Extat* eleganter, quatenus Tantalus in flumine stat, vix summa sui parte eminens. Pergit autem describere phantasma Tartari, quem tamen non adiit. [* Legebatur:

— *umbris,*
Ad Stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni
Restat, nectareas etc.

Ego Heynii et Vossii sententiam secutus post *umbris* plene interpunxi, ut a vs. 238. nova incipiat sententia, et omnia ad Tantalum referantur. Is igitur dicitur *Exstare* (ita enim legendum est ex Heinsii certissima coniectura) *amni* (ablat. v. Schneideri Gr. Lat. P. II. p. 227.), et quidem *ultimus*, quod Heynius recte interpretatus est „vix summa sui parte eminens." *Ultimum* scilicet omne id est, quod a nobis est remotissimum (Heusing. ad Cic. Off. I. 17, 9.), et sic etiam Tantalus *ultimus* dici potest, utpote cuius caput sit ultimum, quod ex fundo fluminis eminet. Adde Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 111.]

240. Aut foede corruptus est versus, aut, quod mihi probabile fit, margini fuit adscriptus. Certe sive amnem, sive Tantalum intelligas, nulla exit sententia commoda: Tantalus *revolutus in omnia*, in omnes partes convertens se, ut aquam captet, *sensu arenti gutturis*, prae siti. *in obvia* coni. Io. Schrader. Ut latina sint, audacius refingam: *Gutture ab arenti revolutis fluminis undis.* [* *Arenti sensu* causam indicat, qua Tantalus in omnes partes volvatur. *Sensus gutturis* autem pro ipso gutture dicitur. Seutit enim guttur inopiam aquae, unde aret. Bothius coni. *Gutturis urenti revolutus inanis ab orsu.*]

241. *de monte* Voss. *cui monte volutum* Heins. [* *Qui saxum* Colb. II. Thuan. I. *averso* Colb. I. II. Thuan. I. *revolvi* Colb. II. Paullo insolentius *quid qui* dicitur pro: *quid dicam eum qui?*]

242. *Quem vincit dolor contemsisse Numina*, satis ieiune. *dolor* ex eo, quod deos contemsit Ixion. *vincit dolor*, occupat, tenet. Poterat commodius verbum poni: etsi per se non est insolens, dolorem vincere, superare animum. *n. v. acerba* ms. Koeler. *acerbas* Voss. et Petav. Ex Heins. notatum: *Contemsisse labor quem numina sancit acerbi:* puto voluit: *acerbus.* [* *acerbas* Colb. I. II. Thuan. I.]

243. Haec et seqq. misere foedata sunt. Primo vett. edd. omnes ante Bemb. pro *Vos ite*, *sub lite* vel *sublite.* Codd. *fiblite.* Voss. *ceu vite, puellae;* tum *quaerentes f.*, ut ad Danaidas referatur, Ascens. Pomp. Sab. ms. Helmst. et idem e vett. edd. malebat Scaliger: *Otia quaerentes frustra sub lite puellae, Ite, q.*, nam certatim dolia implent; dure profecto. Heins. *O. quaerentem frustra sibi. Ite, p.* cum hiatu. Nec felicius in hoc loco sanando versata est Barthii opera lib. XXI, 20. quem adeat, cui placet; piget enim transcribere ea, unde nullus ad nos fructus redit. Retineo Bembinam lectionem *Otia quaerentem frustra*, ut adhuc ad Ixionem referatur. Verum appellationem *Vos' ite* prorsus alienam a loco esse video. Narrat enim Culex quae viderit. Forte: *Otia quaerentem frustra sibi? quidve puellas?* vel *frustra? Belive puellas?* (scil. quid memorem? ex v. 242.)

244. *Ite;* accipiendum erit: discedite a me! ut aversetur Culex adspectum. Sic fere Ascensius; satis frigide. *Ire* ed. Ven. 1486. F. *Dira;* quod mox per *tristis* interpretatum cum esset, glossa in textum venit. Forte fuit: *Dira quibus taedas accendit* pronuba *Erinnys;* subiecit tum alius versificator: *Sicut Hymen:* expletus versus mox ab alia manu. [* Locus ita legebatur:

— *acerbus,*
Otia quaerentem frustra? Vos ite puellae,
Ite, quibus etc.

quibus in verbis *quaerentem* exhibent Colb. I. II. Thuan. I. et paullo

Digitized by Google

post *sublite* Thuan. I. Helmst. *siblite* Colb. I. *syblitae* Colb. II. Priusquam tamen sententiam nostram de his lectionibus vere portentosis proferamus, paulo recedendum est ad vs. 242. quem Heynius ad Ixionem refert. Sed quum vs. 241. aperte de Sisypho sermo fuisset, poeta si statim ad Ixionem transire volebat, ex constanti linguae Latinae usu dicere debebat *quemque* nec quod iam legitur *quem*. Non possumus igitur, quin utrumque versum de Sisypho intelligamus, ad quem etiam omnia verba recte referri possunt. Profecto enim Sisyphus deorum numina contemserat secundum Schol. ad Hom. Il. ζ. 153. *ἐπιπέμπει οὖν Ζεὺς αὐτῷ (τῷ Σισύφῳ) τὸν θάνατον. ὁ δὲ Σίσυφος αἰσθόμενος τὴν ἔφοδον, δεσμοῖς καρτεροῖς ἀποδεσμεῖ τὸν θάνατον.* Iam venimus ad verba *Otia quaerentem frustra*, quae sane ad Sisyphum pertinere possunt, cum is saxum in montem evehere conetur, quo evecto se finem laborum adepturum sperat. Sed pari iure etiam *Danaides otia frustra quaerere* dici poterunt, quum eae semper sperent, se tandem aliquando dolia undis expleturas esse, quo facto statim labore sempiterno liberarentur. Sed frustra id sperant. Et hanc quidem sententiam ea de causa praetuli, quod, nisi haec verba de Danaidibus valent, nihil fere de iis dicitur, quum tamen de omnibus iis qui vs. 232. in Tartaro puniri narrantur ea afferantur, quae poenam eorum satis declarant. Post *acerbus* itaque signum interrogandi posui. Heynius vero iam notaverat codicem Helmst. *quaerentes* exhibere, unde de recipienda hac scriptura haud dubitavi. Tanto maiores sunt difficultates in verbis seqq. ad quae si Diis placet corrigenda et rectius interpretanda unus me duxit codex Vossianus, in quo est *ceu vite*. Hoc quidem omnibus indubitatum erit, *puellae* vix alia ratione explicari posse nisi si vocativum esse credas. Praecedunt enim pariter atque sequuntur accusativi. Ad vocem *puellae*, si casu nominativo sumuntur, nusquam verbum quod quadret inveniri potest, unde culex Danaidas quasi praesentes alloqui est putandus, cuius generis inversionibus poetae saepe utuntur. Quod igitur reliquos facere narrat, id Danaidas facere iubet, ad crimen eorum gravius indicandum. Iam vero Aloidae vincti sedent, Tityos a vulture discerpitur, Tantalus in aquis versatur, Sisyphus saxum volvit. Quid faciunt Danaides? Aquas hauriunt. Hoc igitur munus poeta iis imponere debet, et illud ipsum in scriptura codicis Vossiani quamvis depravata latere contendo. Ex FRUSTRACEU VITE feci *frustra*QUe HAu*Rite*, his scilicet observationibus diplomaticis nisus. Literae *qu* et *c* semper confundi, notum est; v. ad Ciris vs. 5. Remanent igitur syllabae *uvite* quod ortum est ex *aurite* pro *haurite*. Ipsum vero verbum *hauriendi* est illud, in quo omnis res versatur, neque necessarium erat, *aquas* addi. De *que* post tertiam vocem posito v. Cort. ad Lucan. IV. 679. In sequenti versu ex *Ite* facio *Rite* i. e. iure. Culex fatetur, Danaidas merito a Furiis plecti, ut proinde non de taedis nuptialibus sermo sit, sed de iis, quibus maleficos in Tartaro persequuntur. Id aperte docet vs. 246. in quo auctor de poenis per Furias sumtis loquitur. Ita Iuno ap. Ovid. Met. III. 264. de se dicit: *si maxima Iuno rite vocor*, coll. eod. ibid. VII. 798. — *Erynis* Colb. I. Thuan. I. *erinis* Colb. II. *herinnis* Helmst. Praestet fortasse scribere *Erinys* ex Graeco *Ἐριννύς*, ut nunc in optimis edd. vulgatur.]

245. Scaliger: *Si cui*, legit: sed quae sententia commodior sic exeat, non video. Vett. edd. *Sic Hymen.* Heins. *Quis et Hymen.* Io. Schrader. *Saevus H. post fata* l. per *facta*. Forte *praesaga:* est enim versificatoris lacinia ex interpretatione superioris versus nata: accipienda ea iterum de Erinny: *praesaga dedit connubia mortis* (scil. obtruncatis in thalamo sponsis), *Atque alias alio densat super agmine turmas* (scil. sponsorum numero L.); cumque his *Impietate fera v. C. matrem.* [* *Sicuti mens* Colb. II. Quid VV. DD. de h. v. sentirent, non explicuerunt sed statim ad emendationes processerunt. Mihi vero nihil corruptum esse vi-

detur et verba ita quidem intelligo. Hymen, cuius auctoritate connubia ineuntur, Danaidibus dedit connubia mortis (ubi genitivus, ut saepe, v. ad Ciris vs. 47. adiectivi loco dicitur, connubia letalia, utpote quibus et sponsi et puellae mortem subirent, occisae scilicet illae a Lynceo, Schol. Eurip. Orest. 871.). Ea connubia dicuntur *praefata*, quod participium quum plerumque sit idem quod *praedictus*, *supra commemoratus* (Gronov. Obss. in script. eccles. 8. p. 91.) aliam etiam significationem habere potest. Nam quum *praedicere* saepe pro vaticinari ponatur, causam non video, quidni et *praefari* ad vaticinia transferri possit. Connubiis igitur, quae Hymen Danaidibus dedit, iam antea talis exitus, qualem postea habuerunt, praedictus et vaticinio destinatus fuerat. *Sicut* igitur referendum est ad sententiam versus praecedentis et cum *praefata* iungendum. Cogitavit fortasse poeta etiam de singulari usu verbi *praefandi* in precationibus Romanorum (Cic. Divinat. I. 45.). Omnibus enim rebus agendis Romani, quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit, praefabantur, bonum inde omen capturi. Talis autem praefatio in connubiis Danaidum ineundis non fuerat, sed a pessimo potius omine auspicia sumebant, unde sensus huius versus hic esse videtur: connubia, quae Hymen Danaidibus dedit, bonum eventum habere non potuerunt. Omina enim et praefationes non laeta fuerant, sed indicaverant, Furias quondam Danaidas taedis suis ad opus faciendum stimulaturas esse. Ceterum hic versus parenthetice sumendus, ut sententia a vs. 244. ad vs. 246. statim progrediatur. Bothius ita interpungit et coniicit: *Erinnys. Sic et Hymen praesaga dedit connubia mortis*, *Atque alias* etc.]

246. *densat* Bembo debetur. *densas* vett. edd., etiam Aldina cum codd. *densent* Scaliger, qui retraxit versum post v. 231 *Quem c. tr.* Heins. coni. *Statque alias alio densens.* [* *densat* Thuan. I. *densas* Colb. I. II. Helmst. *agmina* Helmst. a m. pr. *Densat* sc. Erinnys, quae ad turmas sceleratorum semper novas addit.]

247. *Impietate fera cum cernam Colchida matrem* vett. edd. ante Bemb., quasi iungantur: *Ite — cum cernam*, scil. tamquam maius scelus. Sed malo *vecordem Colchida matrem — natis?* scil. an narrem? ex v. 241. [* Pro *vecordem* legitur *tu cordam* in Colb. I. II. Thuan. I. *tum quondam* in Helmst. *quum cernam* in Cont. Retinui tamen lectionem Bembinam reliquis verbis satis accommodatam, quamquam negare nolim, ex illis depravatis codicum lectionibus aliam lectionem elici posse, qualis est *turbatam*. Accusativus pendet a *densat.*]

248. *Anxia vulnera* vix placent; saltem: *Impia v.* [* *Ansia* Helmst. Nihil in hac voce mutandum, quae eleganter matris trepidationem et moerorem indicat, dum ea filios interficere vult.]

249. *Iam P.*, sc. an memorem? ex v. 241, nisi *An P.* scribendum. *miserandas* vett. edd. ante Bemb. cum codd. Heins. *s. miseranda sorte.* [* *Iam* transitioni inservit, quod quibus limitibus fiat, optime exposuerunt Heindorf. ad Cic. N. D. I. 12. §. 30. Ellendt. ad Cic. Brut. 43. §. 159. *Iamque* Helmst. Bothius coni. *tum. — miserandas* Colb. I. II.]

250. *Quarum vox querula est, superat quod* vett. edd. ante Bemb. Cum tamen in Bembina lectione metrum et sententia peccet, refinxit Scaliger: *Quarum vox querula est. Superas quoque B. R.* Codd. Petav. et Voss. *vox sit in edityn.* Heinsius apud Burmann. ad Anthol. Lat. p. 496 T. I. versum sic constituebat: *Quarum vox cit Ityn, et Ityn quoque B. R.*, satis dure. Puto ex vetere et Bembina lectione comparata veram reperiri posse: *Quarum vox Ityn ingeminat, quo Bistonius Rex Orbus epops maeret, v. c. in a.* Ad *ingeminat* adscripserat aliquis: *Ityn et Ityn.* Mox *quo orbus* iungo, quo Ity orbus Tereus. *Q. vox iteratur Itym quo* ms. Koeler. *Q. vox sit in itim* ms. Helmst. Io. Schrader. tentat: *Q. vox iterabat Ityn;* vel, *iteratur Itys.* [* Ex Bembi inde temporibus legebatur *Quarum vox Ityn et Ityn, quod Bistonius rex*, quae scriptura tot no-

minibus offendit, ut mirum sit, eam non dudum meliori mutatam esse. Heyniana quidem opinio reliquis Virorum DD. multo est praestantior, neque tamen a me impetrare potui, ut eam reciperem, quia a scriptura codicum nimis recedit, quae ita est comparata, ut rectius de simplici depravatione quam de glossemate cogitaveris. Praeter lectiones codd. ab Heynio iam allatas mihi hae sunt proferendae. In Colb. I. est *vox sit in edyntyn*, Colb. II. *vox it in aedytin*, Thuan. I. *vox sit inedytyn*, quod cum Petav. Voss. consentit. Et haec ipsa depravatio aperta nobis ansam dedit periculi faciendi, quo locus certe intelligi possit. Scripsi scilicet: *quarum vox Ityn edit Ityn;* et prius quidem *Ityn* facile detexi in *sit in* Colb. I. Thuan. I. Petav. Voss. Helmst. et potissimum *it in* Colb. II. Alterum *ityn* pariter in omnibus codd. prostat, et remanet trochaeus, qui nulla voce melius expleri posse videbatur, quam verbo *edit* i. e. nominat; hoc vero unice debeo codicibus Petav. et Voss. in quibus quod scribitur *edityn*, ita tractandum fuit, ut tantummodo literas *it* geminarem, quali ratione saepe corruptelas ortas esse constat. (Markland. ad Stat. Silv. I. 2, 59. p. 175. a. ed. Dresd.) *Edere* pro dicere, nominare notum est; sufficiat unum exemplum, quod huc potissimum quadrat, e Livio I. 46. *Hic L. Tarquinius Prisci Tarquinii regis filius neposne fuerit, parum liquet: pluribus tamen auctoribus filium ediderim.* Repetitio vocis *Ityn*, apud quemque poetam ferenda, apud nostrum tanto minus offendere potest, quod repetitionibus mirum quantum delectatur; ea vero nostro loco sane est gravissima partim propter ipsum scelus, quo Procne Medeae similis fuit, partim propter pronomen relativum statim sequens, cui vocem, ad quam refertur, saepe denuo apponi satis constat. Scripsi e codice Koeler. *quo*, ut recte iam intellexerat Heynius. — Thuan. I. *Bistonis.*]

251. [* Legebatur *volucris* ut est in Thuan. I. Helmst. Sed ambiguitatis vitandae causa scripsi *volucres* e Colb. I. II. Ald. 1517. *Volucres aurae* saepe commemorantur, Virg. Aen. V. 503. XI. 795. *Volucris* si quis ad epops referre voluit, per esset languidum.]

252. *Cadmeo semine* e ms. Petav. praestat legere cum Burmanno ad Anthol. Lat. T. I. p. 165. Exhibebat idem cod. Helmst. Heins. coni. *Cadmeo e sanguine.* [* *semine* scripsi e Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. quum vulgo legeretur *sanguine.*]

253. *vulnera* Bembus intulit. At *lumina* vett. edd. cum ipsa Aldina, etiam membrana Contii apud Scalig., quod unice verum; non iam pugnabant invicem, sed infestis oculis se invicem intuebantur; aversantes iam mutuam caedem peractam. Opinatur tamen legendum Heins. *ferunt infesti vulnera — sibi iam*, vel, *iamque et*, *gratatus uterque.* Apud Statium Theb. XI, 550 et sqq. sunt quae ad h. l commendes. *infectaque lumina* Petav. [* Quidni Heynius pro lectione Bembina *vulnera* revocaverit *lumina*, quod bene explicuerat, profecto mirum est. Omnes mei codd. in hac lectione consentiunt; *infectaque* exhibent Colb. I. Thuan. I. Helmst.]

254. *aversatus* haud dubie recte Bembus ediderat, ut mirer *adversatus* iterum relictum esse; nisi melius *aversatur*, quod in Voss. est, quodque Oudendorp. ad Iul. Obs. c. 118 e mss. affert; at in Petav. *aversatus.* [* *iam adversatus* Helmst. Reliqui (Colb. I. II. Thuan. I.) *aversatus*, quod hucusque legebatur. E Vossiano et codd. Oudendorpii scripsi *aversatur.*]

255. [* *germania* Helmst. *germana* Colb. II.]

256. *Heu! heu!* vett. edd., quod ex virorum doctorum opinione praestat; tum distinguo post *labor.* *Auferor ultra In d. magis.* Nam superiora illa adhuc ad Eteoclem et Polynicem refero. Aerumna eorum aeterna! Miro ausu versus hos tres 256. 257. 258 reiicit Scaliger infra post v. 381. 382, ubi vide Var. Lect. [* *Heu heu* scripsi pro vulgato *Eheu;*

Digitized by Google

v. quos laudavi in indice Catull. s. v. *heu* p. 283. In Helmst. est *heu mūdus*, Colb. II. *nunquam labor mutandus.*]

257. *numina distantia* velim explicet mihi aliquis. Edd. vett. *lumina*, quod de Elysiorum caelo puro ac sereno accipi potest; sed *limina* praestant. Margo ed. Ven. ap. Scotum et ed. Fabric. *flumina*, quod etiam melius. *distantia limine certo* refinxit Scaliger. *nomina* Petav.; forte iungenda: *In diversa: magis distantia;* cf. sup. 230. [* Recte edidisse puto Heynium *limina;* in Colb. I. Thuan. I. *nomina*, in Colb. II. Helmst. *numina.*]

258. Primum *Elysiam undam* nondum legi. Tum *tranandus* quod monstrum orationis est! *Elysium* legebat Barth. XXI, 20. Divinabat Io. Schrader. *Eridanus tranandus* (ex Aen. VI, 659). Obelo transfigendus et hic versus ex margine illatus, et ex v. 213 confictus. [* Legebatur *Elysiam tranandus agor delatus ad undam*, quibus in verbis ut *undam Elysiam* feramus de Eridano intelligentes, nunquam certe *tranandus* ad Culicem pertinere potest. Ut igitur locus saltem legi posset, Schraderi suspicionem *Eridanus tranandus* recepi. — *dilatus* Colb. II. Pro *tranandus* in Helmst. a m. pr. est *tranandum*, unde fortasse legere praestet: *Elysiam tranandam et agor.*]

259. *Persephone.* Restituit Bembus. Edd. vett. *Tisiphone*, cui in locis Elysiis nullus locus. [* *Persephone* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. — *heroida surget* Colb. I. *eroida surge* Colb. II. *Herodia surgunt* Helmst. Loci sententiam aperuit Vossius:

> *Dort die heroischen Weiber ermahnt Persefone nahend*
> *Auszustehn ihr Trauergeschick.*

Bothius coni. *immites Heroidas.*]

260. *Adversum* edd. vett., nonnullae etiam *praeferre:* ut et Heins. corrigit; modo sensum prodidisset. Idem coni. *perferre vices.* Io. Schrader. *acies.* Obscura est sententia; videtur *perferre faces adversas* dictum de amoribus infaustis (nam *curae miseras non ipsa in morte relinquunt*), ut nunc *Lugentes campos* describat. vid. Aen. VI, 440 sqq. Reliqua tamen de Elysiis campis agunt. [* *Praeferre* etiam Wakefieldus praefert coll. Stat. Silv. V. 1, 257. c. n. Marklandi.]

262. *Ipsa suis fatis A. fata m.* Est lectio Bemb. Nec facile quisquam subodoretur vitium, nisi vett. edd. et codd. inspexerit, in quibus: *Hic alcedonias*, Ascens. *Hic Calcedonias Admeti cura morata est.* Ascensius quidem post Domitium Megarenses interpretatur, quorum Chalcedon colonia fuit, et ad Scyllam Nisi refert: quod fieri non potest. *In Calcedoniis* Fabric. edidit ex Aldina, quod et ms. Koeler. legebat cum ms. Petav. Voss.; iidem *cura. Alcyonen*, pietatis in maritum, Ceycem, exemplum, facile quis in animum revocet: idque fecit Scaliger, qui, postquam in *Chalcedoniis* mulieribus argutatus erat, sine dubio legendum ait: *Isthic Alcyonas Admeti cura morata est;* ut Alcyonas plurali numero pro ceteris dixerit, quae similiter ex luctu de morte maritorum perierunt. Ipse exponit: stupuerunt Alcyones (saltem *Alcyonae*) exemplum simile Alcestidis in maritum; sed est durissimae venae versus per se; tum cum ceteris parum cohaeret; Bembina vero lectione ad sensum explendum carere plane nequimus. Suspicor itaque adscriptum fuisse a viro docto in margine exemplaris aliud exemplum *Ceycis et Alcyones;* quod alius librarius intexuit verbis poetae, quibus accommodarunt emblema alii. [* Locum ita, ut Bembus eum dedit, exhibui. Ut enim eum ex ingenio neque e codd. restituisset, nemo tamen negaret, rem ei feliciter cessisse; sed diserte affirmat in dialogo, codicem suum a reliquis mirum quantum dissentire, quos probabile est tales lectiones exhibere, quales sunt in Colb. I. II. *In chalcedoniis*, Thuan. I. Colb. III. *In calcedoniis*, et Helmst. *In Calchedoniis.* In iisdem quatuor codd. pro *fata* legitur *cura.* Vossius

Digitized by Google

quum codicum lectionem versione sua redderet, ambiguum est, quomodo explicuerit.]

263. *Icariotis* recte Bemb.; est enim Penelope Icarii f. Vett. edd. *una charontis.* Domitius legerat *Icariontis.* Non redolet versus doctum adeo poetam; manifestum tamen fit, *semper decus* esse aut corruptum aut admodum ieiunum, multo magis, cum iteretur versu seq. Nisi latet epitheton, v. c. *Ecce Ithaci coniux Laertiadae Icariotis.* Interpolatum erat in ms. Helmst. *semper decus enitet oris.* [* Legebatur *semper decus, Icariotis*, ubi Colb. I. Thuan. I. exhibent *Iharotis.* Ego tamen e codice Helmst. (coll. Virg. Aen. IV. 150.) scripsi *enitet oris.* Repetita vox *decus* in vs. seq. ingenio auctoris nostri inprimis est apta. In Colb. II. omnis versus deest. Pro *semper* Wakefieldus edidit *fertur.*]

264. *Femineum concepta d.* vett. edd. ante Bembum, etiam Aldina, cum codd., quod Scaliger verum esse ait, esse enim archaismum: *concepta decus*, nec tamen addit, quo sensu. *illa* ubique video post *procul*; ut mirer *illam* viros doctos maluisse. Interpunctionem mutavi, quae erat: *decus manet, et pr.* Versus autem hic et sequens non ad Cupidinis tela, quo male referunt Interpp., sed ad caedem respiciunt procorum ab Ulysse factam. [* Interpunxerat Heynius: *incorrupta decus: manet et*, ubi lectionem Bembinam *incorrupta*, quam etiam loci sensus suadet, retinui; in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. est *concepta.* Sed *manet* cum Iahnio ad Penelopen retuli, ut *incorrupta manet* periphrastice dictum explicationis causa versui priori addatur. — *illa* Thuan. I. Helmst. *illam* Colb. I. II. Bothius coni. *semper ducis — incorrepta* (sc. a Furiis).]

266. Totus hic de Orpheo, qui sequitur, locus novum facit episodium; quod a primo carminis auctore profectum esse vix potest. Vides ubique cumulata tentamina versificatoris refingendi et variandi studio occupati. *Quin* h. l. transitum orationis facere debet. Forte fuit *En m.*, *At m.* Voss. *Quid m.*, ut 241. *tanto m.* non satis intelligo, quid sibi velit. f. *tacito maerore.* Iacobs coni. *infando m.*, voce Virgiliana. Porro Barth. XXI, 20 coniiciebat *recesti* pro recessisti. [* Legebatur *quin*, cuius hic nulla est causa. Colb. I. idem exhibet; at Colb. II. habet *Quime fera*, Thuan. I. *Qui*, Helmst. *Quid*, quam ad lectionem confirmandam qui ab Heynio laudatur vs. 241., nullo modo huc quadrat, quia pronomen relativum deest. Ego reposui *Quo*, i. e. in eos campos, ubi Alcestis et Penelope commorantur, recessit Eurydice. Bothius coni. *quis*, i. e. quibus, procis. — *Erudice* Helmst. — *tanto* non mutaverim. Inveniuntur enim et alibi loci, ubi *tantus* elliptice pro immanis, maximus dicitur. Sic Val. Flacc. I. 60. *tantoque silet possessa dracone Vellera.* — *mermore* Colb. I.]

267. Versum, ut nunc est, vix expedias, etiamsi *Orpheus* pro *Orpheu* accipias. *Orpheos* alii, ut secundus casus sit. An poeta significare voluit: Eurydicen esse in Elysio, Orpheum vero seiunctum ab ea puniri, quod eam respexit. Scaliger emendavit: *Poenaque respectus et nunc in te manet, Orpheu.* Heins. ingeniose: *Poneque respectans et nunc manet Orphea serum*, et ablegat ad Voss. Anal. II, 9. Nec tamen ipsa respectabat, verum Orpheus. [* Legebatur: *et nunc manet Orpheus in te*, ubi Scaligeri de invertendis verbis suspicionem Schneiderus Grammat. Lat. II. p. 304. calculo suo approbavit. Vix enim cogitari potest, poetam in eadem voce duo admisisse, quae vitanda erant, unum ut diceret nominativum pro vocativo, alterum ut eundem nominativum bisyllabum redderet trisyllabum. Inde scripsi *et nunc in te valet Orpheu.* Haec vero verba non ita sunt capienda, quasi Orpheus apud inferos puniretur. Sed quia Eurydice propter Orphei imprudentiam in campis lugentium versabatur, quo Orpheus ire non debuit, imprudentiae suae etiamnum poenas dare dicitur, ut seiunctus a coniuge. Quod vero Orpheus discidium ab uxore

Digitized by Google

luget, huic etiam causa est luctus. — *conspectus* Helmst. *valet* coni. Iacobsius.]

268. [* *Cerbera nunquam* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst.]

269. *ille* edd. vett. [* *aut* Helmst. *haut* vel *haud* Colb. I. II. Thuan. I. *ulli* Colb. I. II. Thuan. I. *illi* Helmst.]

270. *furens* edd. vett. vitiose, etiam Aldina cum codd.; iidem *haud illi* et *unda*. [* *furens* Colb. I. II. Helmst. Thuan. I. a m. sec. *ferens* idem a m. pr. *unda* idem.]

271. *obtentu Ditis f.* codd. et vett. edd., quod Ascens. reddit: in possessione Ditis. *obtentu diro et f.* a Bembo est; ut sit *obtentus* caligo, quae obtenditur. Scaliger antiquam scripturam ita refingit: *obtenta Ditis ferrugine:* Ditis tenebris obtentis. Aldina exhibet: *Nec moesta obtentum Ditis ferrugine regnum;* ex emendatione, ut iudicare licet, viri docti non inscita. *obtuitu* corr. Heins. [* Legebatur: *obtentu diro et ferrugine regna*, ubi nemo demonstrare poterit *obtentum* idem esse quod caliginem. In Colb. I. legitur: *obtentu ditis ferrugine*, Colb. II. *obtentu ditissime f.* Thuan. I. *obtentu ditu.* Unice praestat quod a Scaligero coniectura repertum totidem literis in Helmst. exhibetur.]

272. Scaliger in membr. Contiana reperiebat: *Nefossas* (in Helmst. ms. *Nec fessasq.*, in Voss. *Nec f.* erat), et recordabatur antiquae vocis apud Festum: *Cnefosum* pro obscuro: ex κνέφας. Ita vero prima vix producta esset. *Defossae domus* haud dubie eleganter pro locis subterraneis. Sic *Defossos specus* Ge. III, 376 vidimus. *Depressasque* coni. Iacobs, h. domos profundas, qua voce delectantur poetae. Porro *ad T.* vitium ed. Taubm., nil amplius. *Tartara nocte obsita:* bene; sed *nocte cruenta?* an simpl. pro horrenda? Sic et Iul. Sab. accipit, ut sit, saeva. Nisi aliud olim fuit epitheton: *nocte tremenda*, *nocte silenti.* [* *Nefossasque* Colb. I. *Nefosasque* Colb. II. *Nec fossasque* Thuan. I. Colb. III. — Iungendum esse *Tartara cruenta* vidit Bothius. Ita vero dicuntur ob caedes ibi punitas.]

273. *nec faciles:* ad quas non facilis aditus, quae non admittunt aliquem, nisi iudicium subierit. Aen. VI, 431 *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes.* Scaliger maluit tamen: *nec faciles Dictaeo iudice sedes;* h. Minoe, docte; *scit iudicis urna Dictaei* Statius VIII, 102. [* *ditissime* Colb. II. *vindice* Helmst.]

274. *indicat* vett. edd. *iudicat* vet. cod. Scaligeri, et sic edd. Verum e Bembi codice *vindicat* eodem sensu doctius positum, respectu suppliciorum simul habito infligendorum ex sententia lata. [* *Vindice* Helmst. *vindicet* idem.]

275. *Sed f. favens* em. Heins. Edd. Ald. et hinc Ge. Fabric. cum ms. Koeler. et Helmst. et Petav. ac Voss. *audacem fecerat*, *ante Iam r.* [* Legebatur *fecerat Orphea.* Ex codd. ab Heynio laudatis quibus nunc accedunt Colb. I. II. Thuan. I. scripsi *fecerat ante;* i. e. sed eum (qualia pronomina a poetis quaque fere pagina omittuntur) iam ante quam in Tartara descenderet, fortuna valens audacem reddiderat.]

276. [* *omnes* Colb. I. II. Thuan. I.]

277. *insiderat* Petav. et Voss. Reliqua versus verba non satis docta sunt: *regionem* multo minus expectabas. [* *Blanda* recte Colb. I. Thuan. I. *Blandia* Colb. II. *Blande* Helmst. et Heynius errore, ut videtur, typographico. — *insiderat* Colb. I. II. Thuan. I. Verum exhibet Helmst.]

278. *unam* vett. edd. pro *imam*, ut saepe alias. *viridis* ms. Koeler. *Iam vox una viri euridicem moverat* ms. Helmst. [* *viri* Colb. I. Thuan. I. *Iamque* Helmst. a m. pr. *Iam vox* idem a m. sec. reliquis verbis ita scriptis: *ima viri euridicem moverat.*]

279. *que* a Bembo illatum post *steterant*; in vett. edd., etiam Aldina, non male abest. Sed omnino interpolatio in h. l. grassata est. *steterant amnes* iam praecesserat v. 277. Heins. coni. *sequiturque comes;* tum so-

Digitized by Google

noros mavult. [* Legebatur *steterantque*, quod et in Colb. I. Ego encliticam delevi auctoribus Colb. II. Thuan. I. Helmst. et praeterea *steterunt* scripsi, quod plusquamperfecto hic nullus est locus. De media syllaba correpta omnia nota. Tum legebatur *amnes*, quod quam ineptum esset iam Heinsius Heyniusque perspexerunt; in Helmst. est *omnis*, unde restitui *comites*. Ex *quercus* enim praecedente numerus pluralis repetendus est, quia illud substantivum h. l. vim habet collectivam. Transitum istum ex singulari ad pluralem pluribus illustravit Cortius ad Lucan. IV. 367. Quercus igitur loco suo motae Orpheum circumsteterunt ei comites. Bothius coni. *steteratque amens.*]

280. *c. avara* Petav. et Voss. Heins. f. *vertice prono.* [* *avara* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. quod recepi, quum antea legeretur *amara*. Cortex recte avara dicitur, quippe quae carminibus Orphei satiari nequeat. Iam Vossius ita versione expressit. — *rapiebat* Helmst.]

281. *Albentes* tentat Io. Schrader. Sed versificator dixit *labi per sidera. Lunae* Voss. et Petav. [* Legebatur *Luna* sine sensu, et ineptissime poeta a Luna ad Lunam transiit. Nihil enim aliud significare poterant ista verba: *Luna etiam biiuges per sidera labentes pressit; tu etiam, menstrua virgo, Luna, currentes tenuisti.* Laus hunc locum, ubi Heynium de interpolatione non cogitasse sane mirum est, recte explicuisse debetur Ioanni Henrico Vossio, qui in versione sua *Lunae*, quod praeter codices ab Heynio laudatos etiam Colb. I. Thuan. I. Helmst. exhibent, praetulit hoc quidem sensu: *Orpheus pressit etiam equos Lunae biiuges per sidera labentes, et tu o Luna eius lyram auditura currentes equos tenuisti.* Recepi igitur, ut par erat, *Lunae.* Verbum *premere* ab habenis ad ipsos equos translatum; Virg. Aen. I. 63.]

283. *nocte relecta* coni. Markland. ad Statium p. 283. [* Marklandus ad Stat. Silv. V. 3, 29. p. 375. b. ed. Dr. coni. *nocte relecta*, quod a loci sensu abhorrere vidit Bothius. Is enim, qui equos retinet, iter non relegit; add. Bentl. ad Horat. Carm. I. 34, 5. cuius de hoc verbo classica est disputatio. Quam vero ipse Bothius duplicem ingreditur explicationis viam, neutra probari potest. Aut enim, ait, *nox* significat *nubem*, qua discussa Diana patitur se conspici; sed primum de adspectu Dianae nihil in his verbis inest, tum vero *nox* quando pro *nube* dicitur, semper in procellis et tempestatibus commemoratur, id quod omnes ab illo ipso laudati loci comprobant. Aut, pergit, veram noctem intelligas licet, cuius remota caligine conspiciendam se dedit diva. Quisque vero videt, hanc alteram interpretationem priori prorsus similem esse. Ineptissime, quod summum est, Luna nocte relicta interdiu lucere diceretur. Hinc ad nostram sententiam proferendam nos conferre liceat, quae, ut breviter dicam, haec est, ut *relicta* pro *non curata* sumamus. Quamdiu Diana per coelum vehitur, tamdiu nox est; ea discedente, sequitur Apollo. Illa autem nocte Diana retinuit equos, non curans, utrum noctis spatium iustis circumscriberetur terminis, an ultra, quam par esset, produceretur. *Relinquere* ita dici, ut idem sit quod *alicuius rei rationem non habere, praetermittere, desistere ab aliqua re*, notum est; v. Cort. ad Lucan. VII. 127. Hand. ad Gronov. Diatr. I. p. 505. Schütz. et Ellendt. ad Cic. Brut. 19. §. 76.]

284. [* *Eurydicen* omissa enclit. *que* Colb. II. quod quin probarem parum abfuit. Tum enim *reddere* pendet a *vincere* hoc sensu: Haec lyra potuit te Proserpina vincere i. e. eo permovere ut ultro redderes Eurydicen Orpheo ducendam. Infinitivus stabilitur per Horat. Carm. I. 2. *Omne quum Proteus pecus egit altos visere montes.*]

285. 286. *Non fas, Non erat in vitam Divae exorabile Numen* Bembina lectio: in qua non constat verborum sententia. Vetus lectio erat: *Non erat in vitam divae*, vel *dive*, et in Aldina *dirae, exorabile mortis:* quod et Petav. habet. Arripuit Scaliger *dirae e. mortis*, nec expedito

Digitized by Google

tamen satis sensu. Videtur voluisse dicere: nec tamen fas erat, nec divae numen exorabile, ut et *in vitam* redderet Eurydicen *reducendam:* nam legem adiecit, qua frustraretur promissum suum. Edd. Ascens. *nam fas Non erat invitam, nec divae exorabile mortis.* Acute Heins. *viro* pro *ultro.* Post omnia tamen haec vss. 285, 6. pro alienis habeo. [* Bembina lectio, iam ab Heynio allata, hucusque in edd. regnans omni sensu est destituta, quamquam Bothius contrarium nobis persuadere vult, qui satis prudenter verba *non fas* silentio praetermittit. Vossius in versione magis edd. Ascensianas secutus esse videtur, me tamen quid sibi velit non intelligente:

— denn nicht vergönnt war
Sie zu geben mit Zwang, dem erfleheten Willen der Göttin.

In Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. pro *numen* legitur *mortis* et in Helmst. pro *in vitam* exstat *in victa*, quod postea est mutatum in *in vita.* Hinc certa puto emendatione scripsi *invita diva*, sc. Proserpina, quo ductus sum per vocem *ultro;* genitivus *mortis* pendet a voce *fas.* Ut enim apud Tacitum Annal. I. 19. legitur *fas disciplinae*, apud eund. I. 42. *fas gentium*, II. 10. *patriae*, Hist. IV. 58. *armorum*, Flor. II. 20. *fas deum*, ita etiam auctor noster dicere potuit *fas Mortis*, ius Mortis divinum, quod nemo potest effugere. Opposuisse videtur poeta *Mortem* ut personam mythicam Proserpinae, cuius iussis illa cedere debuit. Hoc igitur urget, quod volente Proserpina Orpheus Eurydicen in vitam reducere potuit, qua abnuente nihil profecisset. Ita *Mors* et *Proserpina* etiam in Alcestidis fabula sibi opponuntur; Apollod. I. 9, 15. *καὶ αὐτὴν πάλιν ἀνέπεμψεν ἡ Κόρη, ὡς δὲ ἔνιοι λέγουσιν, Ἡρακλῆς μαχεσάμενος Ἅιδῃ*, quem ab aliis *Θάνατον* dici constat; Eurip. Alc. 1160. Herm. Sensus igitur verborum hic est: nisi Dea voluisset, Mors ab Orpheo exorari non potuisset; et quamquam eius cantu delinitus Eurydicen tamen retinuisset. De *erat* sensu hypothetico omnia nota, et ut apud Tacit. l. l. I. 42. legitur *fas gentium rumpere*, ita nihil impedit, quominus nostro loco *fas Mortis exorabile* dicatur.]

287. [* *securos* Helmst.]

288. 289. *inter Limina* vett. edd., et mox iterum: *nec d. c. limina.* Etiam Scaliger *corrupit limina* profert e membr. Contiana et praefert: vetuerat enim, inquit, Proserpina loqui intra limina et respicere. Bembinam tamen lectionem deserere nolim: *munus Proserpinae* erat venia data relinquendi loca infera; reditus in vitam. Illa *non corrupit munus*, non irritum reddidit, *lingua*, loquendo. Ms. Koeler. prorsus corrupte: *Lumina, quae divae nec rupit imagine linguam.* Ms. Helmst. *nec rupit munere linguam.* [* *Prereptum* Helmst. *linguam* Helmst. cuius lectionem non ita, ut in codice exstat, attulerat Heynius, dicens scriptum esse: *nec rupit munere linguam.* In Colb. II. *corripit.*]

290. [* *crudelis* semel tantum legitur in Colb. I. Thuan. I.]

292. 293. Bembina lectio. Edd. vett., etiam Aldina, *gratum si Tartara nossent. Peccatum meminisse grave. et vos s.;* sic et Petav. et Voss., nisi quod *possent*, Antiqua *et est vos s.* Scaliger veterum lectionem praefert et interpungit: *gratum si T. nossent Peccatum meminisse. Grave: at vos;* sensum tamen non satis ad liquidum perducit, mox autem emendat: *Peccatum minus esse.* Atqui iniquum est deserere meliora, quae libri dant, quaeque hausta esse ex Ge. IV, 489 manifestum est: *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.* Si quid e vet. lect. servare placet, esto illud: *Grave. At vos*, ut sit: Grave quidem est hoc. At contra, ex adverso, a Campis lugentibus, habitat, in piorum sede, heroum contubernium. Sensum teneo; verba tamen sunt aspera ac dura. Saltem delebo *vos* altero loco, ut sit: *Sed et me sede piorum manet h.* heroum manus, *contra vos*, ex adverso, *in sede piorum*, manet me, adeunda mihi est.

Digitized by Google

Nam de his nunc sequitur locus. Mox in fine *priorum* male recensio Heins. et Burm. cum vett. edd. Sic saepe *priorum* et *piorum* permutantur. *sedem piorum* quis nescit! *contra* est ἄντα. Maiorem interpunctionem apposui ante *Sed et vos*. [* Legebantur hucusque hi versus ita:

> 292. *Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent*
> *Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum*
> *Vos manet Heroum contra manus.*

Ubi quum primus versus et alterius hemistichion prius apud eos, qui quid in codd. legatur nesciunt, nullam dubitationem nisi forte de voce *parvum* satis languida movere possint, in seqq. certe verbis quisque offendat necesse est. Quem enim alloquitur poeta? Orpheum et Eurydicen? Imo Eurydice in campis lugentium etiam porro versatur; Orpheus vero quum nunquam in his campis commoratus sit, eum etiam manus Heroum in sede piorum *exspectare* non potest. Huc accedit, quod Culex nunc non ea narrat, quae apud inferos aliquando erunt, sed quae cum maxime ibi fiunt. Tum intelligi non potest copula *et*, quae h. l. pro *etiam* dicitur. Etenim neminem antea commemoraverat, quem Heroes exspectarent. Transitus porro a campis lugentium ad piorum sedes nimis violentus est. Per sedes enim sceleratorum (vs. 214. sqq.) pervenerat Culex (vs. 256.) ad campos lugentium, ubi feminae infelices habitant, et quum iam nihil aliud exspectetur, nisi ut etiam ad Elysios campos se delatum esse dicat, nihil de se commemorat, sed omnia ad Orpheum et Eurydicen refert, quorum certe haec nunquam eo pervenire potuit. Quae omnia argumenta de corruptela loci cogitare nos iubent, quam opinionem confirmant codicum discrepantiae, quas hic omnes apponam. Et pro *parvum* quidem in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. legitur *gratum*, pro *ignovisse* in iisdem codd. omnibus *meminisse*; tum vero Colb. I. Thuan. I. exhibent *tuo grave sede*, Helmst. *tuos grave*, Colb. II. *grave tuos*. Initio versus 294. Thuan. I. habet *Hos manet*, Helmst. *Vas* (a m. sec. *Vos*) *manet Heroum cum contra manus*. Nemo non videt, maiorem corruptelam in vs. 293. inesse, unde ad hunc tractandum statim nos convertamus. Supra vidimus, culicem campis lugentium relictis iam in Elysium progredi, unde de se ipso nunc verba facit. Inde vero sequitur alterum, posterius scilicet hemistichion huius versus priori opponi, unde ex *meminisse tuos* vel *tuo* facio *meminisse. At nos*. Particulam *at* in oppositione pronominibus personalibus semper praemitti, docuit Handius Horat. Tursell. I. p. 420. sqq. Tum, quod hic notandum, etiam in vs. seq. pro *Vos* restituendum est *Nos*, quod errore suo confirmat Thuan. I. exhibens *Hos*. Nihil praeterea mutandum, et *grave*, ut saepe id in neutris adiectivorum usurpatur, orationi inseritur, ut, quo animo aliquid ab aliquo fiat vel toleretur, appareat; v. ad Ciris vs. 245. Queritur hoc loco Culex, quod sibi fuit migrandum etiam per Elysios campos. Etenim praesens *manet* non ita est intelligendum, quasi nondum in Elysio fuerit sed postea demum eo progredi debeat; imo haec quoque loca iam adierat Culex, (unde enim, nisi adiisset, omnia quae sequuntur scire potuisset?) et praesens est historicum, quo declaratur, Culicem iam Elysium ingressum esse et postea etiam illud ingredi debere, nisi pastor tumulum ei conditurus esset. *Contra* adiectivi instar sumitur, i. e. manus Heroum quae in parte campis lugentium contraria, exadversus sita commoratur. (Vechner. Hellen. p. 227. sqq. Iacob. ad Lucil. Aetn. 139. p. 122.) Has igitur lectiones partim e codd. partim e coniectura restitutas in textum recepi; recipere nolui quae in vs. 292. veriora mihi videbantur, quia lectio Bembina, etiamsi fortasse rectius interpolatio dicatur, bonum certe sensum fundit et mihi ipsi de veritate emendationis meae ex omni parte nondum est persuasum. Equidem hoc ut certum pono, *meminisse* ab ipso auctore manasse, unde ex *nossent* restituendum censeo *nollent*. Reliquum est *gratum*, quae lectio omnium puto codd. corrupta in *tantum* i. e. tan-

Digitized by Google

tillum, tam parvum (v. ad Ciris vs. 17.), mutanda videtur, ut locus ita sit scribendus:

Dignus amor venia, tantum si Tartara nollent
Peccatum meminisse. At nos, grave, sede piorum
Nos manet Heroum contra manus.

In verbis autem, quae sequuntur *Hic et uterque* cave copulam ad priora referas. Pertinet potius ad vs. 299. ubi quum poeta *et* repetere deberet, per anacoluthon omisit, quales errores tum potissimum orti sunt, quum longius intervallum enunciationes a se dissecat.]

295. *Peleusque una et T.* Heins. coni. Saltem malim sine copula: *Peleus una et T.* nam hi sunt Aeacidae. [* *thalania virtus* Helmst.]

296. Vett. edd. *locantur*, et *locitantur.* A qua lectione discessum esse videtur, quod transpositas esse voces non videbant viri docti: *per patris secura locantur n.* Sed totus locus sic procedebat: *Hic et uterque Aeacides, Peleus nempe et T. virtus, Per patris secura locantur numina.* Ut sit: namque hic locantur, collocati sunt, (etsi satis tenue hoc est) uterque Aeacides. *patris numina* ad Iovem, patrem Aeaci, avum Pelei et Telamonis, erunt referenda. Scaliger emendavit: *munia*, id est, praefecturam Aeaci, quam obtinet ille apud inferos. *munera* in Aldina expressum video. Tamen vel sic *secura* parum placet; erunt: perpetua, aeterna. Saltem praestabat scribere: *Peleus — virtus Laetatur secura, patris per numina.* [* In Helmst. *lumina.* Verba intacta reliqui, quae ita ut in textu leguntur, etiam in codd. exstant. *Patris numina* unice de Aeaco intelligenda, qui immortalitate donatus *numen* recte dici potest. Id iam Vossius in versione expressit, qui vero in reliquis verbis fortasse aliam lectionem est secutus. Quod enim dedit:

Freun sich in ruhiger Wonne geschenkt vom richtenden Vater,

in vulgata scriptura non inest. Equidem duriusculam interpretationem admittens *securos latices* (Virg. Aen. VI. 715.) huc traho, ut sensus hic esse videatur: Peleus et Telamon per iudicium Aeaci patris securi facti sunt, omnium, quae in terra pertulerant, obliti. Pro *laetantur* dicere etiam potuit *Versantur;* elegit vero verbum praegnans, cuius propria vis est in iis quae de sedibus piorum narrantur.]

297. *C. genus et v.* Io. Schrader. emendat, vere arbitror. [* *Conubiis* Colb. I. *Conubiis* Colb. II. Thuan. I. Helmst. Illud recepi, quum Heynius edidisset *Connubis*. Prosodia huius vocis anceps est; v. Hand. ad Stat. Silv. I. 2, 194. p. 294. Munckerus contra in dissert. de aevo Hygini *ŭ* semper producendum ratus synizesin ubique statuit; Ramshornius denique grammat. Lat. p. 723. b. prosodiam secundum significationem variari ait, sententiam suam magis corroborans in Ephem. liter. Ienens. 1826. nr. 132. p. 94. — *Venerem* vero suo loco ne deturbes. Eleganter enim ipsa Dea comite Virtute Peleo et Telamoni feminas adduxisse sumitur, quasi pronuba. Uterque enim coniugem non soli Amori sive Veneri, sed simul etiam suae virtuti debuit, quum Telamon Hesionen in expugnatione Troiae ut praemium reportaret, Peleus vero Thetidi varias easque truculentas formas induenti non cederet.]

298. *Hunc rapuit feritas:* vetus erat lectio; manifeste corrupta. De nuptiis Pelei et Telamonis agitur; alteri Virtus, alteri Venus, eas adstruxerat; ille Thetidem duxerat, hic Glaucen, Periboeam, et Hesionen: quam Troia capta ab Hercule accepit et abduxit. Potuit adeo ille ipse dici rapuisse Hesionen: *Hic rapit Hesionen;* at alterum amat dea. At: *Hunc rapuit serva: ast;* Bembina lectio, digna utique quam amplectamur: quidni enim Hesione bello capta minus *serva* dici potuit, quam Tecmessa Aiacis? et bene oppositae sunt Nereis et serva: diversa ut sit Telamonis et Pelei fortuna. Maluit tamen Scaliger retrahere pristinum: *H. r. feri-*

Digitized by Google

tas, ut sit virtus, ἠνορέη Homerica. *H. r. ferrum* ms. Helmst. Petav. et Voss. *ferit. ast. Hunc rapit Hesione* substituit Heins. Pari iure substituas: *Hunc cepit Periboea; illum N.;* et hoc substituit quoque Io. Schrader. Emendatt. p. 24 *Hunc rapuit Periboea;* estque illud propius ad litterarum ductum in codd. [* *ferit ast* etiam Colb. I. II. Thuan. I. Lectionem tamen Bembinam mutare nolui, in qua defendenda plura conveniunt. Etenim tam docta est, ut librario vix deberi videatur; deinde, quod Heynius iam observavit, bene sibi opponuntur *serva* et *Nereis.* Id vero Heynius non attendit, poetam in ipsis verbis *serva rapuit* lusum aliquem sibi indulsisse. Serva autem est Hesione, Apollod. II. 6, 4.]

299. Aiacem memorari manifestum est. Achilles non sequitur nisi v. 319. *A. ac i.* vett. edd., Aldina quoque, et *sociat te gloria sortis*, et Ascens. *ac i. sociatae gloria sortis;* quod Scaliger probavit, ut esset: *Assidet hac iuvenis, sociatae gloria sortis, Alter*, ut sit, puto, *sors sociata*, consessus heroum in Elysiis modo memoratus. Ita tamen melius procederet sententia, si legeretur: *Assidet his iuvenum sociatae gloria sortis: Alter*, sc. Aiax, h. assidet par iuvenum aequali fama; ut sit: *gloria iuvenum*, iuvenes gloriosi, gloria cumulati. Barthius XXI, 20 malebat: *Assidet at iuvenis, sociat quem gloria sorti. sociat quem* Petav. quoque, et *sortis* idem cum Thuan. Heins. emend. *Assidet hunc iuvenis sociatae gloria sortis.* Ita tamen *sociata sors* cum Peleo et Telamone vix esse potest. [* *Hac* Colb. I. II. Thuan. I. *hec* Helmst. *sociat quem gloria*, *fortis* Helmst. *sociat de gloria sortis* Colb. I. II. Thuan. I.]

300. 301. *inexcussus* etiam e Bembino codice; accipio, ut sit imperterritus, qui mentis statu non excutitur. Vett. edd. *Alter in excessum.* Aldina: *in excelsum*, et Scaligeri duae membranae: *Alter in excissum* (hoc etiam in Petav. et Voss.) et *in excidium*, quod et in ms. Helmst. erat: unde ille fecit: *in excursu r.* Heins. coni. *inexustis navibus. referens repulsos* est pro repellens incendia a Troianis illata classi. Iliad. *μ.* sqq. *Phrygios — repulsus* edd. Fabric. *P. turba fremitante r.* ms. Helmst., interpolate. *turba feritate refulsos* Petav. et Voss. [* *Alter* in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. quae vox cum *acer* saepe confunditur; Heins. ad Ovid. Remed. 651. — *inexcussus* quum aliunde probari non possit, recepi cum I. H. Vossio *in excidium* e codice Helmst. In Colb. I. II. Thuan. *inexcussum.* Quod sequitur verbum *referens* quum Heynius cum *repulsos* coniungeret, Vossius in versione verbi sensum felicius indagavit dum per *narrans* interpretatur, quod unice verum esse ostendit vs. 302. *ignis* Colb. I. Thuan. I. *turba* Colb. I. II. Thuan. I. *feritate* Colb. I. II. Thuan. I. *repulsos* Colb. II. Helmst. *refulsos* Colb. I. Thuan. I.]

302. *O quisnam* ms. Helmst. *tali devortia bellis* Petav. et Voss. [* *quis non* Colb. I. II. Thuan. In seqq. vulgatum agnoscit Helmst. At in Colb. I. *tali devortia belis*, Colb. II. *tali devortia bellis*, Thuan. I. *tali denorcia belis*, Colb. III. *talibus divortia bellis.*]

303. *Troiae viri:* saltem *Troes*, aut potius: *Quae Troes videre, viri videreque Graii.* Sic *Graii viri* apud Ovidium. Heins. *Troes feri* vel *Troiae subiere viri.*

304. *magno — sanguine;* non dubito fuisse, *multo.* Est enim haec perpetua mutatio ex primis statim Tibulli versibus nota. Vidit quoque Io. Schrader. et late illustrat Emendatt. pag. 21. [* *Teveria* Colb. I. *Magno sanguine* defenditur iis quae de Tibulli loco disputat Santenius ad Balb. p. 1829. ap. Huschk. T. I. p. 4. sq.]

305. *Sigea*, non *Sigaea.* Est τὸ Σίγειον. *propter* malebat Heins. et Io. Schrader. Emendatt. p. 27. Interpunctionem mutavi; cum ea esset: *X. liquor*, *Sigeaque praeter Littora: cum.* [* *xantique* Helmst. *Xhanctique* Viecht. Heynius interpunxerat:

Digitized by Google

— *Xanthique liquor; Sigeaque praeter*
Litora cum —

utique contra grammaticam, quia tum propter verba antecedentia scribendum fuit *Viderent*, coll. *cum tellus manaret*. Hinc ego denuo *litora Sigea* ad praecedentia retuli, ut *praeter* non sit praepositio sed adverbium adiectivi locum sustinens, ut *contra* vs. 294., quo facto *cum* perfecto indicativi iunctum indicat tempus, quo potissimum tellus sanguine manarit. Ipsa litora circumiecta vident caedem.]

306. 307. *cum Troes saevi vos Hectoris ira* Bembina erat lectio, ut sit: *cum videre* (scil. homines) *vos, o Troes: paratos inferre* etc., quod ingratum est. Vett. edd. *cum Troas saevi vos Hectoris ira Viderit*, et ms. Helmst. *Vidit, et* (Voss. et Petav. autem *Vidi in cl.*): Neutrum satis commode. Licet *Troas* tenere et suspicari in *vos* latere *actos: Sigeaque propter Littora cum Troas saevi actos Hectoris ira Videre;* ut ipsa littora viderint. Alioqui debebat *videret* sequi: excidit forte hoc ad finem versus, v. c. hunc in modum: *cum Troas saevi Hectoris ira videret Fortiter in classes—inferre paratos*, aut, quod ms. Helmst. habet, *parantes. Hectoris ira*, μένος Ἕκτορος, pro Hectore. Sed Scaligerum hoc eo ducebat, ut *vis Hectoris* mallet, et reliqua accommodaret: *cum Troas saevi vis Hectoris ire Viderit in cl.* In ed. Ven. 1484. *vox Hectoris* erat vitium. Ecce tamen protulit Io. Schrader. Emendatt. p. 27 e cod. Vossiano, quod totam litem tollat; esse enim in eo diserte scriptum: *Troas saevi ducis Hectoris ira.* Verum adeo esse non potest, quod apud Frisemannum est, in Voss. et Petav. legi *saevi dos.* At *Troas* iam in edd. vett. et in Petav. visitur. *Pelasgas* vid. ad Aen. I, 624 Not. [* Cum lectione Heyniana in plerisque consentiunt codd. nostri, ubi dissentiunt, errores tantum librariorum manifestos exhibentes. Nam pro *ducis*, quod Colb. I. II. praebent, in Thuan. I. Helmst. legitur *duos*, in Viecht. *se viduos;* deinde in seqq. pro *neces, ignes*, quod est in Helmst., exstat in Colb. I. Viecht. *nece signas*, in Thuan. I. *neces signas*, in Colb. II. *ne te signas.* Una est dubitatio de voce *videre*, pro qua in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. scribitur *Vidi in*, in Helmst. *Vidit et in.* Debetur ea Bembo, unde mox in Aldinam 1517. transiit; et quum sane ita sit comparata, ut ab ipso auctore eam profectam credere possimus, ab lectione hucusque recepta facilemque sensum praebente recedere nolui. Liceat tamen hic suspicionem qualemcunque attexere, nemini nisi forte chartae nocentem, quum doctis hominibus iudicium liberum reliquerim. Orta ea est mihi scripturam codicum consideranti. Ut paucis complectar dicam quid sentiam. Librarium codicis Helmst. veram scripturam nobis servasse ratus nihil praeterea muto, nisi ut pro *ira* scribam *iram*, locumque ita refingam:

— *cum Troas saevi ducis Hectoris iram*
Vidit et *in classes inimica mente Pelasgas*
Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.

Troas est nominat. singul. pro *Troia* dictum (v. Gesner. thes.): eo tempore quo Troas vidit iram Hectoris. Copula *et* (omisso pronomine *eum*), ut saepe explicationi inservit; v. ad vs. 79.]

309—313. Quatuor hi versus, forte etiam sequentes, a deterioris notae versificatore inserti videntur.

309. *Ipsa magis* edd. vett. *Ipsa vagis* Ald. cum Petav. et Voss. In fine *et ipso* ed. Ven.

310. *Ida faces* Ald. cum ms. Koeler. *Datque faces* edd. vett. *Daque f.* Petav. Unde Scaliger refingebat: *Ipsa magis namque I. p. f. et ipsa Acta* vel *Dicta faces. Dicta* ita, Δίκτη, mons erit; *acta*, ἀκτή, ut Aen. V, 613. Mire autem et insolenter dictum: *Ida potens feritatis*, pro, ferarum potens, ut μητέρα θηρῶν alii dixere. Scaliger etiam

Digitized by Google

multo durius *ferarum arborum altricem* exponit. Heins. non emendat, sed substituit: *Ipsa iugis namque Ida parens* (vel *patens*, quod Petav. et Voss. habent) *vernantibus* (vel, *frondentibus*) *ipsa Ida faces altrix c. p. a.* „Meurs. Exerc. Crit. P. II, p. 103 *Ata parens:* nam Ata collis, in quo sita Troia. Apollod. III et Lycophr., ubi idem Meurs. videndus.“ Male vero Meursius. Nam *Ates collis* est: vid. Apollod. p. 245 et Not. p. 743 τῆς Ἄτης λόφος. Verum totum versum non sanandum, sed eiiciendum arbitror tamquam insititium: et legendum in proximo: *Ida faces altrix cup. p. alumnis*, h. Troianis suis. Et Voss. cum Petav. *Daque feces a. cupidus f.* [* Legebatur:

Ipsa iugis namque Ida potens feritatis, et ipsa
Aequa faces altrix cupidis praebebat alumnis,

quibus in verbis Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. exhibent *Ipsa vagis*, Helmst. *natis*, Colb. I. II. Thuan. I. *Daque faces*, Helmst. *Datque*, Colb. II. Thuan. I. *cupidus — alumnus*; in Viecht. hic versus deest. Recepi autem emendationem Heinsianam, quae multo minus a codicum scriptura recedat, quam primo obtutu videatur. Nam *patens* est in Petav. Voss., *Ida faces* in Koeler., et remanet unum *frondentibus*, quod facillime in *feritatis et* corrumpi potuisse, omnes fatebuntur, qui codices manibus suis tractarunt. *Potens feritatis* nihil erat.]

311. [* *Omnes* Helmst. *in* omittit Colb. II. *ethei* Thuan. I. *rethei* Helmst. *rhoei* Viecht.]

312. *flamma lacrimante* ut codd., sic vett. edd. ante Bembum, etiam Aldina, et membranae Scalig., quod hic praefert; ut sit δακρυόεσσα φλὸξ, πόλεμος δακρυόεις· sed hoc Virgilius reddebat: *lacrimabile bellum*, et sic malim *lacrimabilem flammam*, non *lacrimantem*. Heins. coni. *populante* vel *crepitante*. [* *lacrimante* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. quod Vossius ita expressit *in tröpfelnder Flamme*. Mihi tamen audacius dictum videbatur, et retinui *superante*. An forte *lacerante* latet? — *darentur* Helmst.]

313. *opp. conto* coni. Io. Schrader. ex Homero. [* *appositus* Viecht. *thelamonius* Helmst. *teleamonis* Thuan. I. *aeros* Viecht.]

314. [* *clepeo* Colb. I.]

315. *summum Troiae decus* Ald.

316. 317. Ergo erit: acer uterque velut tonitru, hic super ignibus telisque. Laborat in his τὸ *super*. Forte, *furens*. Tum Heins. *Ignibus hic taedisque.* Vett. edd. *Fulminibus caelo veluti fragor editur ense. Tegminibus telisque super Sigeaque praeter Eriperet reditus;* quo et alludunt ms. Koeler. Voss. et Petav., nisi quod in hoc *Fluminibus*, et *editus in se.* Aldina: *Fulminibus veluti fragor sonat* (in Ald. 1534 mutatum in *intonat*) *aetheris in se Tegminibus telisque super Sigeaque praeter Eriperet reditus.* In his corrupta haud dubie et eiicienda illa: *Sigeaque praeter* ex vs. 305 huc retracta, et tenendum est, quod habemus: *si classibus Argos Eripiat reditus:* est hoc, quod Scaliger quoque monet, Homericum, ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ. *si eripiat* pro ut, uti Aen. VI, 78 *magnum si p.* At priora e vetere lectione non male procedant: *Fulminibus caelo veluti, fragor editur ense Tegminibus telisque super.* Comparatio illa Virgilio quoque frequentata. *tegmina* sunt clipei; malis quidem: *Tegminibus galeisque super;* sed ferendum est alterum. Scaliger tentat: *Fulminis ut caelo volitat fragor*, vel, *Fulmineus* (hoc et Heins. coni.) *caelo veluti fragor:* ut *super editur* sit, sc. *uterque*, quam dura haec et invita! [* Legebatur:

— — *acer uterque,*
316. *Fulminibus coelo veluti fragor editus alto;*
Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat reditus — —

Magna in his verbis est auctoritas codicis Bembini, quae in plerisque est

Digitized by Google

tenenda, quamquam in aliis ut ab eo recedamus, reliquorum librorum consensus suadet. Et primum quidem in vs. 316. Colb. I. III. Helmst. praebent *Fulminibus*, Colb. II. Thuan. I. Viecht. *Fluminibus*, iidem codd. omnes omittunt *coelo*, quod errore librarii evanuisse videtur, qui similitudine literarum vocis *veluti* seducebatur; tum in Colb. I. Thuan. I. est *edibus*, in Colb. II. *aedibus*, in Colb. III. *et edibus*, in Helmst. *et tedibus;* denique pro *alto* in omnibus istis libris legitur *in se*. unde restitui *ingens*, quam vocem Virgilius saepe *fragori* addit (Aen. VIII. 527. XII. 724.). In vs. seq. codd. vulgati magnas turbas faciunt, qui primum miro consensu exhibent *Tegminibus telisque*, quorum verborum prius in hunc locum neutiquam quadrat. Secutus igitur sum codicem Bembinum pariter atque in extremis verbis, ubi non minor interpolatio grassatur. Etenim in Colb. I. II. Helmst. Viecht. legitur *Sigeaque praeter*, in Thuan. I. *Sigeaque praeterit*. Remanet unica vox *super*, a Wakefieldo per Aen. VII. 462. non vindicata, pro qua Heynianam coniecturam recepi *furens*. Bothius quidem, quod et mihi in mentem venerat, corrigebat *subit;* at male ita legeretur, quia in vs. seq. ex omnibus meis codd. scribendum fuit *Eriperet*. *Furendi* verbum significatione praegnanti usurpatur, eaque coniectura etiam literarum ductus satis sequitur. Singulis igitur verbis ita constitutis, in universum ea contemplari licet. Quaeritur vero primum, unde imperfectum *eriperet* pendeat. Omni loco accuratius inspecto dubitare non possumus, quin *erat* vs. 315. huc referatur, quo facto verba *acer — ingens* parenthetice sunt sumenda et tum oratio a vs. 315. denuo resumitur per pronomen *hic*, quod ad aliquam rem clarius indicandam apodosi saepe inseri constat.]

318. 319. *Eriperes* ante Bemb. *Eriperet* codd. et vett. edd. *alter Vulc.* ante Bemb., et *proiectus* et *instat;* sic et codd. forte: *ille at — protectis navibus instat*. In edd. Ge. Fabricii emendatum video: *protectis navibus*. Flammarum autem incendia dixit *Vulcania vulnera*, quae Aiax avertit. Aen. IX, 109 *Cum Turni iniuria matrem Admonuit ratibus sociis depellere taedas*. Heins. coni. *alter Vulcania tergo Sulphura protectus:* ut sit tergum pro clipeo; et *sulfur* pro igni. [* Legebatur — *ille ut — instet;* male hoc quidem. Primum enim non videmus unde pendeat *ut*, nisi quidem *oppositus erat* huc trahere velimus; tum vero omnis loci natura requirit *instaret*. Hac de causa scripsi ex omnibus meis codd. *alter — instat*. *Hic — alter* sibi opponuntur; Cort. ad Lucan. III. 672.]

320. 321. 322. Etiam hi tres versus acumen interpolatoris sapiunt. Malim tamen eos e lectione Bembina sic legere, ut sunt. In vett. edd. et codd. *Hoc e. A. vultu l. honore* vel *honores*, et vs. 322 *Hectora lustravit victor de corpore Troia*. Aldina utrumque versum paullo aliter expressit: *Hoc erat A. multum l. h.*, idque non male teneas; quod et Heins. facit; et *Hectore lustrarit victor de c. Troiam*. Ms. Helmst. et Koeler. *Hector lustravit victor de c. T. Hectora lustravit victor de c.* Voss. et Petav. Scaliger audacter satis ita refinxit, ut ad unum Achillem omnes tres versus spectent: *Hic erat Aeacides, vultus elatus honore, Alter Dardanio fusis quod sanguine campis Hectoreo victor lustravit corpore Troiam*. At Heins. emend. *Dardaniisque alte fuso quod sanguine*. Etiam Io. Schrader. coni. *alte*. [* Legebatur: *Aeacides alter laetatus*, ubi iungendum fuit *erat laetatus*, quod inepte tantum est factum, quod Aiax apud inferos non laetatus erat sed semper laetabatur. Culex enim narrat, quae ipse oculis suis viderit. Hinc nullus dubitavi recipere lectionem Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht. *vultu*, ut iungatur: *Hoc erat Aeacides vultu*, scilicet, quae vivus ante Troiam fecerat, ea etiamnunc animum eius implebant, ita ut quae sentiret vultu exprimerentur. In eodem versu pro *honore* ex iisdem codd. restitui *honores*, cum pari iure dicatur *laetari re* et *rem;* v. Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 51. nr. 29. — In vs. seq. Helmst. ita habet: *aliter suo — campus* (a m. sec. *campos*). Ad

Digitized by Google

alter ex superioribus intelligendum est *laetatus est;* de copula *que* suo loco non posita v. ad Ciris vs. 323. Quod denique legebatur *Hectoreo victor lustravit corpore Troiam*, Bembus non ineleganter quidem intulit, magna tamen et violenta usus transpositione. Etenim in Colb. I. II. Thuan. I. legitur *Hectora lustravit victor de corpore Troiam*, quibuscum Viecht. consentit, nisi quod *vector* exhibet; in Colb. III. inveni *Hectore elustravit victor de corpore Troiam.* Ego vero secutus auctoritatem codicis Helmst. et Koeler. scripsi *Hector lustravit devicto corpore Troiam*, hoc scilicet sensu: Achilles apud inferos laetatur, quod ipse Hectorem occidit eiusque corpus circa Troiae moenia pone se traxit. Hoc ad ipsum Hectorem transfertur, ita ut non amplius Hectori accidisse, sed ipse illud fecisse narretur. *Lustrat* vero Hector *corpore* suo *Troiam*, ut apud Virgil. Aen. IX. Turnus *huc turbidus atque huc Lustrat equo muros.*]

322. Inter hunc et v. 323 inseruit Scaliger inf. versus 335 et 336.

323. *fremit* vett. edd. *acerba*, pro acerbe. *latat*, *laetat* vett. edd., eodem sensu, ut sit *letat* vel *lethat;* leto dare, *πέφνειν·* corruptius alii *laedat.* Ms. Koeler. *fremunt pars huic pars destinat illi.* Ad rem vid. Aen. VI, 56 sqq. Sed uterque versus subdititius. [* *delectat* Helmst. *necat et ullus* Viecht. *humus* Colb. II. *Paris hunc quod letat* Colb. I. II. Thuan. I. Cont.]

324. *Alma* a Bembo venit; vett. edd. *Arma* cum Petav. et Voss., vel *Alta:* hoc haud dubie praestat et Scaligero quoque probatum. *huius*, sc. Aiacis: et ad armorum iudicium respicitur. Ms. Koeler. *virtusque c. ira.* [* *Arma* Colb. I. II. Helmst. Viecht. *Alma* Thuan. I. et edd. vulgatae, cui voci quum h. l. nullus sit sensus, scripsi *Alta.* Etenim *Arma* margini ad explicandum versum fuerat adscriptum, quod postea in textum receptum quum intelligi nequiret, librarii inde *alma* fecerunt. — *virtus quoque incidit* Helmst.]

325. Ulysses ex adverso Aiaci, sed averso propter arma Achillis intercepta vultu, sedere et veterum factorum recordatione delectari fingitur. Sed vett. edd., etiam Aldina, *Hinc gerit eversos p. L. currus:* ut poeta adhuc in emblemate descripti belli ad Troiam subsistat. Ita *currus Rhesi* intelligendi sunt, unde solutos equos abigit apud Homerum Ulysses Iliad. ϰ, 498 sqq. Sed potuit hoc variare poeta. Scaliger coniicit *aversos*, ut abegerit ipsum currum: ut testatur auctor tragoediae Rhesi. Nisi *currus* dixit Homerico more pro equis, quos abegit; vid. Aen. I, 472. Heins. coni. *Hinc regit aversos p. L. currus.* conf. Io. Schrader. Emendatt. p. 18 et 171. Petav. *virtus.* [* *Hinc* Helmst. Reliqui codd. *huic;* tum in omnibus libris *eversos*, nisi quod in Viecht. est *eversus.* *Vultus* in Colb. I. II. Helmst. Viecht. *vultos* Thuan. I. unde in omnibus Bembum sequor. Ab Aiace avertitur Ulysses; cur avertatur, docet versus proxime antecedens.]

327. *Palladio laetatur ovans* Ald. et ed. Fabric. [* *tremescit* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht.]

328. Corrupte edd. vett. *Pamoicon asiamque h. L. atrox*, vel *atros.* Aldinae: *Iam Cicones: iamque horret atrox Laestrigone*.* Pro hoc in fine versus *atros* vulgo lectum; *acres* ed. Fabric. effinxit; sed tenendum *atrox.* Voss. lectio: *Iam Cic. iamque horret atrox Laestrygonas ipse*, praefertur a Io. Schradero in Emendatt. pag. 28, quia *iamque* dicendum erat, non *iamiamque.* conf. sup. 253. 254. Recte hoc. Reposuissem et ipse hoc, nisi finem versus in *ipse* claudicare viderem; id quod et Aldina lectio docet. Quod habemus, sic refinxit Scaliger. [*Bembus et Scaliger dederant *Iam Ciconas, iam iamque horret Laestrigonas atros*, quod et Heynius recepit, nisi quod scripsit *atrox.* Sed in Colb. I. II. est *Iam Ciconas iam quae horret atrox lestrigone*, in Helmst. *Iam Cicones iamque horret atrox lestrigones et*, in Viecht. *Iam oicini iamque horret atrox lestrigone.* Quod ego reposui, totidem literis inveni in Thuan. I. nisi quod et in hoc *lestrigone*, maluique lacunae signum apponere, quam foedum librarii alicuius

Digitized by Google

glossema recipere. Fortasse tamen excogitari potest, quid poeta scripserit; et in memoriam revocans quae Scholiastes ad Hom. Od. κ. 81. narravit: *ἀπὸ τοῦ βασιλεύσαντος Λαιστρυγόνος Λάμου τοῦ Ποσειδῶνος παιδός. ἢ ὄνομα Λαιστρυγόνος*, haec inquam reputans vix dubito quin reponendum fere sit *Laestrygone natos*, quia tota gens ab eo nata et nomen tulisse credebatur.]

329. [* *Molosis* Colb. I. II. Helmst. *Illam* idem a m. pr.]

330. *metuenda Charybdis.* Voss. corrupte *ranolea*, unde Io. Schrader. Emendatt. p. 26 eruit *Zanclaea*, docte, ut ap. Ovid. Fast. IV, 499. [* *Zanclaea* recepi cum I. H. Vossio pro vulgato *metuenda.*]

331. [* *Pallantesque* Colb. I. II. (hic a m. sec.) Thuan. I. *Pallentisque* Helmst. Quid in Viecht. vere lectum fuerit, non assequor. *squalia* Helmst. a m. pr.]

332. Vett. edd. *Hic et Tantaleae gener Aeacus amplus Atridae* vel *Atrida.* Sic et Petav. ac Voss., sed omisso *Aeacus.* Non male Ascensius *Tantaleus* legit (ita esset: *Tantaleus gener: Aeacus: amplus Atrida)* et de Amphione, Niobes marito, accipit. Nec tamen is in hoc de Troianis temporibus loco sedem recte suam tueretur. Alia corruptela in ms. Koeler. *gemmatae prolis Atridae.* Ms. Helmst. *est Tantaleum genus iam Plistenatrides.* An *Plisthenes*, Agamemnonis pater, fuit memoratus? *Hic et Tantalei stirps Plisthenis, amplus Atrides.* [* In codd. magna hic regnat corruptela. Etenim in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. legitur: *Tantaleae generamplis*, deinde in Colb. I. *Atridae*, in Colb. II. Thuan. I. Viecht. *Atridae.* Scaligero iubente scripsi *Atrida*, antiqua nominativi forma; v. Schneideri Gr. Lat. P. II. p. 29. sq. Parum etiam abfuit, quin corrigerem *Tantaleae gentis.*]

333. *tegente* vett. edd., sed *quo regente* est, quo moderante, imperante: *οὗ στρατηγοῦντος*, ut bene Taubmann. Agamemnonis ductu eversa Troia. [* *quod* Viecht. *regentem* Helmst.]

334. *Oris E.* male vett. edd. *flamma Doris*, Dorica, Achivorum. Ausus idem Maro lib. II. Aen. 27, ubi vid. Not. *Erichthonias arces:* de Ilio vid. Iliad. *v*, 219 sqq. [* *erecthonias* Colb. I. *erictonias* Helmst.]

335. *furenti* erat in vett. edd. Sed *ruenti* praestat. Est autem verborum ordo ac sensus: *O Troia, reddidit tibi ruenti poenas gravius*, pro, *poenas graviores*, scil. Agamemnon; domum redux a coniuge interemtus. Quae sequuntur, iterum interpolatoris manus sunt, meo iudicio. In Agamemnonem profecto hoc non convenit, quod in Hellesponto obierit. Itaque Scaliger, qui primum corrigebat: *Heu reditus Graium p.*, mox transponit versus supra ante v. 323 *Rursus a. f.*, ut ad Achillem retrahantur, quem ad Sigeum, adeoque ad Hellesponti ostia, sepultum esse constat. Barthius XXI, 20 reponere iubebat vs. 336 *obituris*, quam obituri. Dure! ut fere omnia huius viri. In Ald. scriptum: *Reddidit heu Graius poenas tibi, Troia, furenti* (ut fere Voss. et Petav., nisi quod *gravis).* Ita de toto Achivorum exercitu accipiendum. Nec tamen is in Hellesponto sed ad Euboeam naufragium fecit. Heins. *Graiis* adoptabat; non video quo sensu: tum versu altero *subiturus*, vel *luiturus* et *Euboicis.* Sed pannus hic est ab alio versificatore assutus, qui iterum de Achille cogitabat. Sequentes quatuor versus sunt nimis exiles. [* Pro *obiturus* Wakefield. edidit *abiturus*, „simul atque ponto egressus sit in terram, et domum venerit.“ — Legebatur *gravius*, quod etiam exstat in Colb. I. II. Helmst. Viecht. Sed ex vestigiis codd. Voss. Petav. Thuan. I. in quibus omnibus exstat *gravis*, restitui *Graius*, praeeunte I. H. Vossio, quum *Hellespontiacae* undae vs. seq. commemoratae huic coniecturae non refragentur; v. ad Ciris vs. 412. — *furenti* in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Viecht.]

Digitized by Google

337. *copia* pro multitudine hominum, pro copiis. Ita Virgilius vix est loquutus. Etsi pedestrium scriptorum exempla non desunt. vid. Barth. XXI, 20. [* *vires* Helmst. De *copia* pro *copiis* v. Virg. Aen. II. 564.]

338. 339. *proprio* vel *prono* em. Heins. Scaliger ex membrana vet. excerptorum sic legit: *Cur aliquis propriae fortunae munere dives Tendit inevectus caelum super?* Iterum hic *inevectus* pro evectus. Male vett. edd. *in aeternum*, et edd. Ge. Fabric. *in evectos*. *inevectus* etiam Petav. Heins. iterum *humo evectus*, ut v. 160. Lenius Io. Schrader. *ne—f. m. fidens Tenderet evectus c. s.* Mox haud dubie distinguere praestat: *omne propinquo F. i. t. decus;* non ut ante erat *super omne; pr.* Aldina: *telo; deus ibat.* Iterum nova interpolatio, a loco aliena, sed docti hominis, hinc orditur: *Ibat in a.* [* *Ne quis propriae* Colb. I. Thuan. I. *Ne quo* Colb. II. *Neque* Viecht. *Haec etenim* Helmst. *fortunate* Viecht. Bothius coni. *Iverit evectus.*]

340. [* *deus* Colb. I. II. Viecht. *alto* Thuan. I.]

341. *Vis Argoa petens* a Bembo est. Ita vero *Argiva* legendum: nam *Argoa* ab navi Argo esset ductum. Aldina dederat: *Vix Argo repetens p.* *Vis Argo r.* Petav. cum Voss. Ms. Helmst. *Vix agros r.* Edd. vett. *Bis ergo repetens* vel *Bis repetens Argo*, vel *Vis r. Argo;* unde Scaliger coni. *Vis repetens Argos patrium.* Sed nimis durum, ut *Vis* absolute pro copia ac classe dicta sit. *Vis argea*, Ἀργεῖοι, vel *Argiva* Heins. et Io. Schrader. Emendatt. p. 23. [* *Vis Argo repetens* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. *dotataque* Viecht. *praedam* Thuan. I.]

342. *comes aura;* πόμπιμος οὖρος, ut Scaliger illustrat. [* *Arus* Viecht. *Artis erictoniae* Helmst. *erecthoniae* Colb. I.]

343. 344. Scabri et biulci versus ex margine profecti. Forte fuit: *comes huic erat aura secunda; Per placidum cursus pelagus* (sc. fuit), *Nereides undis Innabant* (nam alterum barbarum aut corruptum est). *Pars inflexis super acta carinis:* designat currus, quibus insident, belluis iunctis? Scaliger emendat: *Nereides undis Signa dabant:* et mox *pars* (scil. Nereidum) *i. subit acta carinis;* subit adeo navi pars Nereidum, ut propellat; sed quid *acta* esse dicemus? Barth. XXI, 20 *Nereia turba* legebat, et de delphinibus accipiebat; esse enim in vet. edit. *Nereia fundit.* Videtur barbarus et illepidus interpolator iunxisse: *pars* (cursus per pelagus) *superata erat*, h. confecta erat a classe. *inflexae carinae;* ornat epitheton; ut *curvae pandae.* Ms. Koeler. *Per pl. cursus pelagus venientis — superata carinis.* Heins. coni. *Nereides udae Signa dabant* vel *Adnabant;* et: *pars inflexas circum acta carinas.* Nodell. Not. crit. p. 81 coni. *pars inflexis* subiecta *carinis.* [* *pelagos* Thuan. I. *abundans* Viecht. *Signabat* Helmst. *superiecta* Colb. I. *subacta* Helmst. *superiecta* Viecht. Uterque autem versus hucusque ita et legebatur et interpungebatur:

— comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus; Nereis ad undas
Signa dabat, pars inflexis etc.

Ibi primum quaeritur, cuius rei Nereides signa dederint. Vossius enim, quem maxima ex parte in h. l. intelligendo sequor, nimis libere haec verba reddidit, ut infra videbimus. Hinc post *secunda* interpunxi, et pro *cursu* ex cod. Koeler. scripsi *cursus*, qui genitivus pendet a *signa.* Nulla praeterea mutatione opus, ut iam Vossius versione sua indicavit:

— Nereische Jungfraun
Zeigten die Bahn, theils fahrend in muschelförmigen Wagen.

Nereis pro *Nereides* usu poetis frequenti, quem egregie illustravit Ruddim. I. p. 160. Verba vero quae sequuntur *pars inflexis* etc. ita sunt capienda, quasi dixerit poeta: Nereidum pars ad undas, pars acta super inflexis

Digitized by Google

carinis signa dabat. *Inflexae carinae* illustrantur per Orph. Hymn. 24, 4. *Τριτώνων ἐπ' ὄχοισιν ἀγαλλόμεναι* (*Νηρηΐδες*). Ut *currus* apud Catull. LXIV. 9. pro *navi*, ita *carina* h. l. pro *curru* dicitur. De anastropha praepositionis *super* v. ad Ciris vs. 55.]

345. *Cum ceu coelestis f. s. s. orto* Petav.

347. *anxia* parum dixit commode. Heins. coni. *concita.*

348. *Sideribus*, ad sidera.

349. *Corruere et Sol iis et sidera.* Parum propitia Musa procusus versus: ex Bembina lectione. *Corripere et Sol et* vel *et Sol iam* vett. edd. An fuit: *iamque superne* (maris unda) *Corripere et solem et iam sidera cuncta minatur.* Giganteum hoc; sed versificatore, quem saepe in carmen hoc grassari vidimus, non indignum. Ms. uterque *et soles et.* Nec longe abit Aldina lectio: *iamque superne Corripere et soleis et sidera cuncta minantur. Ac ruere in terras c. fragor.* Petav. *supernae Corripere et solis et s.* Heins. coni. *iamque superne Corripere*, vel *Opprimere*, *et soles et s. c. minantur. Ac ruere in terras caeli fragor:* ut Phaedr. LXXIV, ubi leg. *Canes confusi*, *subitus quod ruerat fragor.* [* Legebatur:

— iamque superne
Corruere et Sol iis et sidera cuncta minantur,

languida prorsus oratione. In Colb. I. III. Thuan. I. Helmst. Viecht. legitur *Corripere et solis et sidera*, quibuscum consentit Colb. II. nisi quod *Corripuere* habet. Nihil autem in hac omnium librorum lectione mutandum censeo, nisi ut *soles* scribatur, quo facto *soles* (pro *sol;* Virg. Georg. I. 66. et ubique) et *sidera* (nominat.) *corripere minantur cuncta* (accusat.). Poetica est descriptio undarum immane quantum assurgentium, ita ut undae ab ipso coelo attrahi videantur. Bothius coni. *undae—certant — Sol his*, Wakefieldus edidit: *Sol ipse et.*]

350. *Ac vero in t.* Petav. et Voss. *Ac venit* melius alii. *Ac ruere in terras* Aldd., ut modo vidimus. *caelo* coni. Io. Schrader. *Hic modo laetum*, pro laetorum, Bembus dederat. *Hinc m. laeta* vett. edd. *Hic modo laeta* alii. *Hic modo lethum* ms. Koeler., cum ms. Voss. Petav., in quibus *laetum.* Mox *Copia* iterum pro copiis, classe. [* In priore huius versus hemistichio legebatur:

Ac venit in terras coeli fragor,

quae verba nisi cum antecedentibus coniungantur, nemo intelligit, cur addita fuerint. In Colb. I. II. III. Thuan. I. Viecht. legitur *Ac vere*, in Helmst. *At ruere*, unde scripsi cum Aldina *Ac ruere* infinitivo historico, deleto puncto post *minantur.* — *in terris* Colb. III. — In seqq. Colb. I. II. III. Thuan. I. Viecht. *hic modo letum*, Helmst. *hic modo laetus.* Scripsi *hic* i. e. tum, pro eo quod hucusque legebatur *hoc*, cui lectioni iam refragatur prosodia vocis *modo*, et ex vett. edd. retinui *laeta.* Bothius coni. *minantur*, *Ut — fragor; ac modo laeta* etc.]

352. Conf. Aen. XI, 259. 260, unde *Capherei* refingendum. [* *Immoritur* om. *que* Helmst. *super* omittit Colb. I. *capherei* Colb. I. II. *capharea* Viecht. *saxa pherei* Helmst. *ferei* Thuan. I.]

353. *E. en per c.* vel *at per* Heins. malebat. *Heraeaque — littora* iam Scaliger monuit in Euboea nulla memorari, et egregie emendavit *Gyraea.* *Γυραῖαι πέτραι* et *Γυραί*, Homero Odyss. δ, 500. 507, ad quas Aias Oilei interiit In vett. edd. et membr. *Caeicaque* legitur: „An, pergebat ille, in membranis scriptum fuit *Aecea* pro *Aegea?* Nam *Aegea littora* legendum esse, etiam Euripides docet in Ione — *πέτραις Καφηρείαις ἐμβαλὼν αἰγεῖτε.*" Probat emendationem Io. Schrader. Emendatt. p. 29; accedere enim Voss. *Egea.* At debebat docere vir doctus, quae-

nam sint *Aegea littora.* Leg. *Aegaea littora*, seu maris Aegaei: seu, quod praefero, ab Aegis, Euboeae urbe maritima aut insula in ipso littore; a qua etiam nomen ductum putatur maris Aegaei; v. Hesych. in *Αἰγαί*, et Strabo VIII, p. 592 B. C. Et locus, quem Scaliger respexit, non est Ionis, sed ex Helena 1140 *πέτραις Καφηρίσιν ἐμβαλὼν, Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς. Aegeaque* e ms. Koeler. quoque notatum video. Alius vir doctus in ed. Aldina emendavit: *E. aut per cautes Oeteaque*, minus feliciter. Nam Oetam in Euboea non novimus. Etiam alienum *Cenaeaque:* nam illud promontorium in diversa Euboeae parte. *E. aut per cautes Aereaque* Petav. et Voss. apud Frisemannum; quod de Vossiano recte pronuntiatum non est. [* *et* Helmst. *aut* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. Tum legebatur *Heraeaque*, quod et exstat in Thuan. I. Viecht. Sed in Colb. I. II. est *ereaque*, in Helmst. *phereaque.* Ego recepi Scaligeri Schraderique emendationem, quam etiam Heynius iteratis curis probaverat.]

354. *tum P.* malebat Heins. *praeda peracta* vett. edd., quod Scaliger retrahere iubet, ut sit penitus aversa et convectata, ut *sidus peractum*, confectum. Quae non satis capio: dicam saltem *praedam peragere* esse dictum pro agere. *vaga praeda perempta* Aldina dedit; nec aliter Voss. et Petav., qui et, *cum Phrygia.* [* *Litore* Colb. II. *peremptae* Helmst. *perempta* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht.]

355. *F. aequoreo omnis iam* edd. vett., vel *Fl. aeq. nunc omnis*, et in fine *fluctu:* quod et Scaliger legit; in Contii ms., ut et in ms. Koeler., erat *luctu.* In eodem (et Voss. ac Petav.) *Fl. omnis in aequorio naufragia*, unde Scaliger coni. *navifraga.* Sed praestat vel sic Bembina lectio. *navifraga tractum* Petav. *fluctu* et ipse probat Heins. et coni. *male naufraga.* [* *Omnis fluctuat* Viecht. *aequoreo* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. *aequore* Helmst. *iam* omittunt omnes mei codd. *naufraga* Helmst. *naufragi* Colb. I. *naufragia* Colb. II. Thuan. I. Viecht. *luctu* omnes mei codd. Quibus ex vestigiis librorum scripsi *navifraga* (cum Scaligero), parum etiam abfuit quin cum eodem Scaligero et edd. vett. reponerem *fluctu*, quia *aequorei fluctus* etiam ap. Ovid. Met. XV. 605. leguntur et etiam alibi substantivis adduntur epitheta eiusdem significationis, quod illustravit Kootenius ad Epit. Iliad. Homer. 862. p. 254. *Tractum* tamen ut doctius e Petav. praetuli; v. Virg. Ecl. IV. 51.]

356. *Hinc alii sidunt* Aldina. *Hoc alii assidunt*, vel *se dant* coni. Heins. [* *Hic* omittit Thuan. I. spatio tamen vacuo relicto. — *sidunt* Colb. I. Helmst. *sident* Colb. II. Thuan. I. Viecht.]

357. *Heroes—omnes.* Totus versus ludus est hominis, qui superiorem versum aliis verbis reddebat. *m. insistunt s.* Heins. coni. vel *incedunt.* [* *Neroes* Thuan. I.]

358. Sensus: *Quos omnes Roma suscipit*, vel pro suscepit, quorum parens fuit Roma, vel pro tenet, habet. Alii accipiunt, suscipit in numerum principum virorum suorum. Nec praestat legere: *suspicit*, miratur. Hoc tamen coni. Heins. et Frisem. Post hunc versum Scaliger vs. 368 *Iure igitur t.* retrahit. [* *quod* Viecht. Recte Heynius defendit *suscipit;* multo enim magis est, Romam eos viros genuisse, quam eos admirari. Praeterea tanta erat Romanis admiratio maiorum suorum, ut non *omnis Roma*, sed *totus orbis* eos venerari cogitaretur. Quam exilis contra esset versus, si *suspicit* legeretur, quod tamen tacite Iahnius recepit!]

359. *Gracchia* Voss. apud Io. Schrader. [* *oratio* Colb. I. Thuan. I. Viecht. *oracio* Colb. II. In Helmst. om. *et*, tum scribitur *oro* a m. pr., *oratia* a m. sec. Antea *decusque* Colb. II.]

360. *n. m. peraevum* vett. edd., etiam Aldina; unde patet, *Camillum*

Digitized by Google

interpolatoris manu irrepsisse. Ms. Helmst. *n. m. Metelli* legebat, et hunc versum superiori praemittebat. Voss. et Petav. *mota Melli.* Itaque, quod Scaliger iam fecit, iungenda: *Hic et fama vetus nullum* (nam sic leg. pro *nunquam) moritura per aevum*, *Curtius:* ut ipse Curtius sit κλέος, fama vetus, nota elegantia: καὶ μῦθος παλαιὸς ὁ Κούρτιος. Heins. tamen emend. *Hic fama et veteris.* [* *nunquam mora melli* Colb. I. II. Thuan. I. *mora belli* Viecht. *Camilli* nomen recte restitutum puto a Bembo sive ingenio sive e libro ms., neque causam video cur ipsum hoc nomen interpolatori alicui imputemus.]

361. *e mediis* Aldina; sicque emendat Scaliger. Equidem desidero *in mediis.* [* *medius* Colb. I. II. Thuan. I. *mecius* Helmst. Illud restitui, quum antea legeretur (etiam in Viecht. ut videtur) *mediis.*]

362. Bembina lectio est. Vett. edd. *gurges in unda;* Voss. autem *greges in unda.* Scaliger hinc effingit: *gurges inundans.* De Curtio narratio fuit valde diversa, quod Scaliger iam monuit. In pugna cum Sabinis facta sub Romulo narratur ille traiecto lacu in medio foro salvus evasisse. v. Dionys. lib. II, 42. Varro triplicem historiam affert de LL. IV, p. 36 ed. Dordr. Potuit itaque et alia esse, qua Curtius in eo lacu periisse ferebatur. Fit tamen manifestum, *bellis* esse corruptum; forte *tetri c. gurgitis.* Ceterum *devotum* puta inferis Manibus. [* *Devotum bellis* corrigere nolui, quum fortasse poeta dicere voluerit, Curtium illum, ut Livii VII. 6. verbis utar, iuvenem *bello egregium* fuisse. Negare tamen nolo, audacius illud dictum esse, et quum Livius l. l. narret, Curtium priusquam cum equo in voraginem desiliret manus modo ad coelum modo ad *Deos manes* porrexisse, *Divis* vel tale quid reponendum videtur. Tum legebatur *gurgitis haustus;* sed quum in Colb. I. II. III. Thuan. I. Viecht. Helmst. scriptum sit *gurges in unda*, Scaligeri emendationem recepi. Et *gurgitem* quidem poeta noster illum locum dicere eo maiori cum iure potuit, quod vulgo *lacus Curtius* dicebatur; v. Burm. Sec. ad Propert. p. 599. sq. qui hanc etiam Heinsii coniecturam de his verbis affert: *Devotum inferni consumsit gurgitis haustus*, Wakefieldus edidit *Devotum tellus consumsit gurgitis haustu*, pereleganter.]

363. 364. Versus in seqq. suspicor esse plures in margine adscriptos ab iis, qui nova exempla cumulare vellent. *prudens*, sciens ac volens. Sed quid vs. 364 velit non satis capio. Scaliger dedit: *Legitimi — Regis:* ut Porsenna sit, cum Scaevola antea scribam falso pro rege habuisset. Parum placet acumen. Malim *Legitime* ad *passus* adnectere: ut forte cavere voluerit poetaster, ne ob maleficium perpessus ignem putaretur. Etiam Burmanno in Anthol. Tom. I, pag. 199 parum placere video *Regem legitimum;* coniicit ille *Finitimi*, quod et Heinsio in mentem venit. Cur tamen non placuit *Clusini*, *Etrusci*, *Tyrrheni?*

365. *Huic C.* Heins. em., bene; et mox *illi.* Iungenda: *socius virtutis et ille:* si versus sequens deletur.

366. *flammis* edd. vett. Hunc Flaminium, qui flammae se dederit, nemo facile ex historia vetere eruat. Sin est auctor cladis ab Annibale acceptae, devovisse ille dici posset corpora Romanorum rogo; ita vero vix inter heroes erat numerandus. Metaphorice accipi de bello, adeoque de Flaminio Cos., qui cum Annibale conflixit, Scaliger: nimis argute. Satis prodit vel inepta allitteratio: *Flaminius flammis*, ab indocto homine procusum versum esse, qui veteri poetae excidere non potuit. Accommodatior historiae est Iac. Nic. Loensis Epiphyll. IX, 2 emendatio: *Caecilius*, *devota dedit qui lumina flammis*, ut sit notus ille Metellus, luminibus orbatus, quod Palladium ex incendio aedis Vestae rapuerat. Enimvero Curii memoratio vix alium quam *Fabricium* postulat vel admittit. Forte librarius turbas fecit, cum esset exaratum: *Mucius et*, *prudens ardorem*

Digitized by Google

corpore passus. Hic Curius, clarae socius virtutis et ille Fabricius, cessit cui fracta potentia Regum. Iam adscriptum repererat ille in margine ad v. 363 *devota dedit qui corpora flammae.* Nec longe ab hoc aberat Io. Schrader. [* In quatuor hisce versibus 363—366. aliquid esse interpolatum nemo fere negabit, qui locum accuratius inspexit. Etenim quod in plerisque interpolationem prodit, simplicitas quaedam orationis et ridicula abundantia, hoc etiam in loco adsunt. Omnia ita sunt comparata, ut ab eo qui nihil nisi verba spectat, ferri quodammodo possint; quodsi vero versus inter se comparamus, panni assuti conspiciuntur. In universum Heynius verum vidisse videtur, quum verba *devota dedit qui corpora flammae* adscripta putaret versui 363. quibus receptis fictus quoque est *Flaminius* quispiam in historia plane ignotus. In omnibus igitur Heynio assentio, nisi quod ad codices etiam magis accedens ita scribendum puto:

Mucius et prudens ardorem corpore passus.
Hic Curius clarae socius virtutis, et ille,
Aeacidae *cessit cui fracta potentia Regis.*

Rex Aeacides est Pyrrhus; docte vero intelligitur, non nominatur Fabricius. Est hoc ex usu poetae nostri, qui nomina heroum reticet, facta eorum celebrans. cfr. 239. 241. 299. 321. Ceterum non sine acumine Bothius coni. *Lucmonis;* Viecht. habet *cui cessit facta.* vs. 365. *clare* Colb. I. Thuan. I. vs. 366. Bothius et ante eum Wakefieldus coni. *corpora famae.*]

367. *talis* pro *tales* accipiendum: *Iure igitur sedes pietatis*, piae sedes, *honorat tales.* Versus parum affabre procusus. Vett. edd. cum Petav. et Voss *honores.* Heins. coni. *Iure triumphali*, nescio quo fructu. [* In omnibus meis codd. est *honores*, quod quum Bembus non intelligeret, *honorat* scripsit. Recepi illud, quod est praesens coniunctivi verbi *honorandi*, et utitur poeta ex more suo apostropha satis audaci, ipsam scilicet sedem pietatis adhortans, ut *tales heroes iusto honore afficiat.* Simul punctum quod vulgo post *honorat* ponebatur delevi, quia vestigia codd. docent *Scipiadasque* legendum esse, non *Scipiadaeque*, ut proinde accusativus pendeat a verbo *honores.* In hoc mihi iam praeivit I. H. Vossius. Bothius hunc versum ut spurium damnat.]

368. *Isthic* vett. edd. *Istarum piadasque duces quae vox triumphet* Petav. *Scipiadasque duces quorum d. tr.* Scipiadae *rapidi*, qui et Virgilio: *duo fulmina belli.* Aldina: *Scipiadasque.* [* Legebatur: *Illic Scipiadaeque duces.* In codd. omnia sunt luxata et corrupta; et in Colb. II. III. Thuan. I. Viecht. legitur *Istarum piadasque duces quorum devota triumphis*, quibuscum consentit Colb. I. nisi quod legitur *pia ad asque*, et Helmst. a m. pr. in quo levi nonnisi errore est *piiadasque;* idem a m. sec. habet *Istic Scipiadasque*, quam scripturam, omisso tamen pronomine *quorum* foeda interpolatione intruso, ego nunc recepi.]

369. *Moenia Romanis* ms. Koeler. et Voss., parum commode. *Moenia rapidis L.* ms. Helmst. *M. quos rapidis* Petav., melius. [* In Colb. II. hic versus excidit. In Colb. I. Thuan. I. Helmst. Viecht. deest *quos*, et tum legitur *rapidis*, pro quo Helmst. levi errore habet *iapidis.* Hae librorum in utroque versu lectiones faciunt ut etiam h. l. Bembum magis ingenio quam codd. obtemperasse putem, meamque ipsius opinionem de toto loco scribendo apponam, qui tum fere in omnibus ita legitur, ut codd. eum exhibent. Verebar tamen textum ad meam sententiam refingere, quia de fide Bembina nondum adeo mihi constat, ut eam omnino reiicere possim. Sic igitur poetam scripsisse existimo:

Digitized by Google

Iure igitur tales, sedes pietatis! honores
Scipiadasque duces, quorum *devota triumphis*
Moenia laurigeris *Libycae Carthaginis horrent.*

Omisi primum *istic*, quod exsculptum ex *Istarum* ad omnem locum minime quadrat. Quum vox *Scipiadasque* semel esset corrupta, librarii pro arbitrio plura sibi indulserunt, ut certe versus qualiscunque effingeretur. *Triumphi laurigeri* etiam apud Martial. III. 66. Claudian. Cons. Honor. III. 12. leguntur; et structura horum verborum haec est: *quorum triumphis laurigeris moenia Carthaginis* (tum etiam stantia) *devota* (Scipiadis) *horrent.*]

371. *locos* corr. Io. Schrader. *viduos a lumine P.* ἡλιοστερεῖς ex Sophocle appellat Scaliger. Malis tamen *viduatos lumine.* Et sic Heins. quoque coni., vel *viduos ah l.*

372. 373. Scaligero commodius videbatur legi posse: *Cognita discernit scelerata piacula sede:* ut sensus sit: Minoem discernere maxima piacula scelerata cognita, h. diiudicata; sede h. sedibus pro ratione criminum assignatis. Equidem haec non minus scabra esse sentio quam vulgata: *quo*, aut potius *qua*, qua parte, ubi (et sic edd. Ge. Fabricii), *Minos discernit maxima vincula conscelerata* (h. Tartarum, unde nullus reditus; qui etiam Maroni est, *Sedes scelerata) pia sede*, h. a sede pia. Barth. Advers. XXI, 20 primum se iactat loci sententiam perspexisse; *vincula* esse corpus, *conscelerata*, contaminatum a scelerata anima. Nihil vidi contortius. Io. Schrader. *discernit saecula.* Iacobs coni. ingeniose: *quo proxima M. — discernit limina sede.* Nodell. cum Io. Schradero coni. *quo*, maxime *Minos, Conscelerata pia* discernis *vincula sede.*

372. [* *phlegeton* Colb II. *maximinos* Colb. I. *Vincula* ego etiam pro *moenibus* dictum puto; coll. *Neptunia vincula* ap. Catull. LXIV. 367. Wakefieldus edidit *maxime — discernis singula.*]

374. A Bembo est lectio, in qua *vinctae* expeditu difficile. *cinctae* em. Oudin. Misc. Obss. crit. nov. Tom. IV, p. 313. Ferrem, si angues vel serpentes adiecti essent. Nisi verbera pro flagellis dicta esse putes, cum Propertius flagellis incinctas Furias dixerit. Praestaret tamen *me — vinctum.* Vett. edd. et Aldus: *Ergo quam caussam mortis*, *quam d. vitae;* quam lectionem reduxit Scaliger: *Tò quam* ego non magis expedio; saltem malim sic constituere: *Ergo iam caussam mortis, iam dicere vitae*, scil. cogunt. Et adspirat Petav. *Ergo quam c. m. iam discere vitae.* [* Legebatur *Ergo iam causam mortis me dicere vinctae* sine ullo sensu. In Colb. II. Thuan. I. Viecht. scribitur *Ergo quam causam mortis iam discere vitae*, quibuscum et consentiunt Colb. I. Helmst., nisi quod in illo exstat *qua*, in hoc omittitur *causam.* Vossius Scaligeri lectionem versione sua expressit; omnis tamen interrogatio ab hoc loco aliena videtur, in quo Heynium veritati proxime accessisse puto, cuius coniecturam ego nunc recepi. Minois commemoratio antea facta Culicem admonet, sibi quoque eius iudicium subeundum esse, non vero libenti sed a Poenis eo adacto. Bothius coni. *dicere iunctae.*]

375. *saevae* vett. edd., ut *saevae Poenae* sint Furiae, idque melius: etiam codd. Tum Scaliger cum Heinsio emendat, *cogunt sub iudice.* Forte poeta *a iudice* sic dixit, ut sit: ad iussum iudicis. [* Pro vulg. *saevo* ex Colb. II. Thuan. I. scripsi *saevae.* In Colb. I. *saeve*, in Helmst. *scaevae.* — *sub iudice* Scaligeri est emendatio. Vulgo *ab*, Helmst. *a;* de confusis istis praepositionibus v. Ovid. Heroid. IX. 129.]

376. *malignae conscius* vett. edd. cum codd. Petav. et Voss. *conscius* h. l. tamquam advocatus, συνήγορος. σύνδικος. *c. ausis* coni. Heins. [* *causam alme* Viecht. *maligne conscius* Colb. II. Helmst. a m. pr.

Digitized by Google

malignae Colb. I. Thuan. I. In Viecht. vulgata esse videtur, ut et est in Helmst. a m. sec.]

377. *Nec t.* Bembina lectio sensum vix habet. *Sed tolerabilibus euris* vett. edd. quod merito revocat Scaliger: sunt enim *curae tolerabiles* mediocres, modicae. Audis haec, nec multum mea calamitate tangeris, parum memor beneficii mea morte accepti. Codd. Petav. et Voss. cum Aldina: *Sed tolerabilius.* [* *tolerabilius* Thuan. I. Helmst. qui etiam *hoc* exhibet. Reduxi vero lectionem Bembinam *Nec* pro vulg. *Sed*, quod in omnibus codd. exstat. Novam enim ab hoc versu sententiam oriri neque eum prioribus versibus coniungendum esse, docet indicativus *audis* post *cum adsis.* Hinc noster versus ad sequentia est trahendus, ubi *tamen* clare apodosin indicat. Quacunque vero demum ratione versus 378. scribatur, hoc saltem certum est, Culicem queri verba sua, quae pastor dormiens audiverit, negligi et ut vana somnia ventis tradi. At, inquiunt, *nec* sensu caret. Audio, si cum *tolerabilibus* iungitur; iungendum vero est cum *immemor*, ut sensus sit: Haec quae iam dixi tu audis non immemor (tam mei facti quam orationis) curis tolerabilibus, i. e. curae tuae adeo sunt tolerabiles, ut te non impediant quominus mei recorderis. Bothius coni. *adsis Non tolerabilibus curis.*]

378. Est Bembina scriptura. Vetus vero: *Et tamen in vanis dimittes* (Aldina *dimittis*) *somnia ventis*, quam Scaliger sic ornat et cum versu 381 continuat: *Tu tamen in vanos dimittes somnia ventos Et mea diffusas rapientur dicta per auras.* Sin alterum nec admiseris, prius tamen erit refingendum: *Haec tamen, ut vanis dimittes somnia ventis? somnia* Heins. quoque em., vel propius ad vulgata: *Quae tamen haud vanis permittens omnia ventis.* Sed totus versus miseri interpolatoris est. Debuerat saltem cum sup. iungere: *Ut vana haec rapidis dimittens somnia ventis.* Porro autem Scaliger post hos quos dixi versus: *Tu tamen — Et mea* — inseri volebat versus 256 — 258 *Eheu m. — In diversa — Elysiam.* Tum subiici novissimos vss. 379. 380. 382 *Digredior* etc. [* Legebatur: *Quae tamen, ut vanis dimittens omnia ventis, Digredior.* Sed in Colb. II. Helmst. legitur *Et tamen ut vadis dimitte somnia ventis*, Thuan. I. *Et tamen ut vadis dimites omnia*, Viecht. *Et tamen ut vadis dimittes omnia ventus*, Colb. I. *Erramus ut vada dimittes omnia ventis*, Colb. III. *Et tamen ut vadas dimitte somnia ventis.* Quibus ex codicum lectionibus primum recepi *Et tamen*, tum *somnia*, deinde *dimittes*, et remanent voces *ut vadis*, unde restitui *usque vagis*, i. e. semper vagis, quamquam inficiari nolo, ab alio critico feliciore meliorem fortasse lectionem exsculpi posse. Plene autem post *ventis* interpunxi. Bothius coni. *Et tanquam vani* (i. e. mendacis culicis) *dimittes s. v.*]

379. *D. n. moriturus* Voss. [* *frontes* Colb. I.]

380. [* *nemorum silvas*, v. Heins. ad Ovid. Fast. I. 512. *silva* Viecht. *scenas* coni. Wakefieldus coll. Aen. I. 164.]

381. *At mea* forte. *rapiuntur* Ald. cum Petav. Heins. *En mea — raptantur.* Verum est et hic versus interpolatoris. [* *rapiuntur* scripsi ex omnibus meis codd. pro vulgato *rapiantur.* Ceterum hic versus sine dubio post 378. collocandus; causa perturbationis fuit initium trium versuum ab eadem voce *et.*]

383. *inertia vitae* quid hic sit, non dicam. Lego: *inertia somni*, h. somnus, ubi pastorem dimisit, reliquit. *visi* coni. Heins. [* *inertia vitae* non tentandum, sed cum Marklando ad Stat. Silv. I. 4, 55. p. 202. ed. Dr. de ipso somno explicandum. Ceterum inconcinne dixit poeta *hunc;* pastor enim quum sit intelligendus, hic tamen tertio demum et quarto versu abhinc commemoratur, ita ut ex grammaticae legibus potius ad Cu-

Digitized by Google

licem pronomen pertineret. Ceterum haud cunctabundus egregiam recepi Bothii coni. *Sollicitae* pro vulg. *Sollicitum*, coll. Horat. Sat. II. 6, 61. *nunc* somno *et* inertibus *horis Ducere* sollicitae *iucunda oblivia* vitae.]

384. *aegret* Scaliger emendat, nec male. Potest tamen oratio continuari: *aeger nec tulit* pro, *non t.*, ut feci, sublata distinctione post *aeger*. Aliam lectionem, quam etiam ms. Helmst. cum Petav. et Voss. habet, profert Scaliger et probat: *Interius graviter regementem:* ita enim scribendum, non *rege mentem.* Iacobs noster em. *Ingemit et gr.* Malim *Ingemuit graviter*, *mentem aeger*, *n.* [* Legebatur *Interius graviter mentem aeger nec*, quam vocem pro *non* dici frustra contendit Heynius. Pro *mentem aeger* in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. legitur *rege mentem*, quod Scaliger, sequente I. H. Vossio, ex *regementem* ortum esse bene vidit. Ipsum vero verbum *regemere* v. apud Stat. Theb. V. 389. Tum vero eiusdem Scaligeri auctoritatem secutus interpunctionem post vs. 385. delevi, ut protasis usque ad vs. 387. extendatur, apodosi inde a vs. 388. sequente. Pro *graviter* Wakefieldus edidit *graditur.*]

385. *S. inclusum* ms. Koeler. [* *Culios* Colb. II. *domorte* Helmst. Pro *infusum* Iacobsius ex scriptura codicis Koeler. elicuit *Incussum.*]

387. *Queis*, *Quis*, viribus. *pugnas* vett. edd. male. *hostem* int. hydram.

388. Uti distinximus, *v. s. fronde latentem locum* iunximus. Alii *Rivum latentem* iunxerant, vel *hostem latentem.* [* *propter* Colb. II. Viecht. *praeter* Thuan. I. Helmst. *propterea viridis* Colb. I. *fronte* Helmst. a m. pr. *labentem* Viecht. Ego *latentem* denuo ad *rivum* retuli, qui muscosus fuit.]

390. *hac ferri cupidum* vett. edd., male. [* *Distinat* Colb. II. Thuan. I. Viecht. *hac* Colb. I. *fieri* Helmst. *cumulum* Colb. II.]

391. abest in vett. edd. *ut:* tum Aldina cum edd. Ge. Fabric. *viridi fodiens de. capulum in usum repetere* mire dictum est. Heins. coni. *ac ferri c. r. acuti*, quod non satis facit. [* *ut* deest in Colb. I. II. Helmst. Viecht. *Graminea viridi* Thuan. I. *fodiens* Helmst. unde locum ita, uti nunc est, scripsi, quum vulgo legeretur *Gramineam ut — foderet.* Mire vero dicitur *terram gramineam de viridi cespite fodere*, neque intelligo quod Vossius vertit: *dass er die grasige Erd' aufwühlt' aus grünendem Rasen.* Hinc iungendum puto *terram de cespite viridi gramineam*, ubi *de* originem et causam indicat, ut *de gente;* v. Markland. ad Stat. Silv. V. 3, 1[illegible]6. p. 388. ed. Dr.]

392. In hoc et seqq. plura plurium versificatorum tentamina. Hic saltem versus delendus.

393. *Aggestum* c. Heins. em. et *utque a. m.* Forte fuit: *Aggestam cumulavit humum.*

394. [* Ianus Douza ap. Lindenbrochium suspicatur *cumulus.*]

395. Scaliger coni. *Quem circum lapidum laevi de marmore formas Conserit:* ut sint crustae marmorum, emblemata: nimis eleganter et opipare pro pastore. *d. m. acervans* Heins. coni., et *lapidis* et *Congerit.* Valer. Fl. VI *supremos puero sic fatus honores Congerit. Lapidem* tamen et *marmor* quomodo iungam non video. An *lapide et laevi de marmore.* Pessime vero interpolator marmor memorat, cum saltem maceria aut *θριγκὸς* aggestam humum circumdare deberet. [* Iungendum est: *circum quem orbem conserit lapidem*, *formans laevi de marmore*, qua ratione omnes difficultates sublatae videntur.]

396. *assiduae curae memor;* iners repetitio est ex v. 392, cum deberent sequi gramina, herbae, flores, quibus conserit tumulum. Saltem iung. *Quem conserit:* ita *lapidem formans* de monumento intellige. *Con-*

Digitized by Google

gerit coni. Heins. *acanthos* Ald. [* Puto scripsisse poetam *assidue curae memorem*, i. e. lapidem qui curam tumulo erigendo impensam assidue memorat, praetereuntibus ob oculos ponit. *achantos* Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. *acanthos* Viecht. qui et *curae* omittit.]

397. *crescens* ms. Koeler. *purpureum crescit rubicunda tenorem* ms. Helmst. *purpureum crescent r. t' rorem* Petav. *pudibunda rubore* Voss. eleganter; idque recte probat Wakef. ad Lucret. II, 416. [* Legebatur *rubicunda colore*, quo eiecto praetuli scripturam codicis Vossiani. *Purpureum* est in Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. *crescent* Colb. I. II. Thuan. I. Viecht. *terorem* Colb. I. *terrorem* Thuan. I. *colorem* Colb. II. *rubicundata* Viecht.]

398. *Et violae omne genus*, *hic est* vulgg. *Spartica myrtus* merito suspecta iam Scaligero: qui varie tentat: *Astartica*, ab Astarte, Venere, vel *Parthica;* est enim myrti genus, philadelphum, quod apud Parthos inveniri Athenaeus tradit, tandem agrum Sparticum Achaiae ex Theophrasto narrat. Dalechamp. ad Plin. XV, 29. Veneris aliquod nomen latere videtur: forte etiam regionis. Aegyptia myrtus olim praestitisse ceteris narratur (Athenaeus XV, p. 676 D.). Coniiciat aliquis *Memphica*, *Nilotica*. Myrtus ad Eurotam Catullus memorat 63, 89. Verum a *Sparta* non fit *Sparticus*. Heins. coni. *Epirotica*, quod miror. Io. Schrader. *Cythereia*. [* Legebatur *genus omne*. Ego scripsi *omne genus* ex Colb. I. II. (in quo praeterea legitur *Sunt violae*) III. Thuan. I. Helmst. Viecht. Athenaei locus a Scaligero laudatus XV. p. 682. C. hic est: *Ἀπολλόδωρος δ' ἐν τετάρτῳ Παρθικῶν ἄνθος τι ἀναγράφει καλούμενον φιλάδελφον κατὰ τὴν Παρθικὴν χώραν, περὶ οὗ τάδε φησὶ „καὶ μυρσίνης γένη ποικίλα μῖλάξ τε καὶ τὸ καλούμενον φιλάδελφον.“* Neque tamen *Spartica* reieci, partim quia Apollodori locus non talis est, ut ex eo *myrtus Parthica* plane defendatur, partim quia in adiectivis gentilibus Graecorum varia inveniuntur, quae contra vulgarem usum pugnant; v. Buttm. Gr. Gr. ampl. T. II. p. 331. 339. sq.]

399. *Cilico* edd. vett. Scaliger archaismum inesse putabat. Sed cur *Cilix arvum* non feramus? Est tamen aliud vitium, quod hic latet: si de croco agunt poetae, non memorant *arvum* sed *antrum* Corycium Ciliciae. Hoc videtur h. l. reponendum; et iam repositum nunc video in Aldina, et hinc in ed. Ge. Fabric. *additus* malebat Heins. Idem ante: *et hinc C.* [* *crosus* Colb. I. II. Thuan. I. *crocus* Helmst. Viecht. *Culici* Viecht. *auro* Helmst. In voce *hyacinthus* consueti inveniuntur errores librariorum.]

400. *L. item decus*, *exurgens rh.* vett. edd., sed laurus *Phoebi decus* recte. *Laurus item Phoebea ingens d.* coni. Heins., tum ed. Ge. Fabric. *hic urgens rhododaphne;* quod vitium operarum esse arbitror. *rhododaphne* est nerion Plin. XXIV, 11, s. 53, et in nostris herbarum auctoribus. [* *surgens decus* Helmst. *decus surgens* Colb. II. Thuan.
t ges
I. Viecht. *phoebi dec surgens hic.* — *rododaphne* Helmst. *orodapnhe* Viecht.]

401. *non avia cura* a Bembo restitutum; forte quod ipse ros marinus vulgo nascitur. Heins. coni. *non avia turba*. Vett. edd. *novania cura*. Voluit aliud exsculpere Scaliger: *Nonacria tura*, ut ros marinus Arcadibus pro ture fuisse dicatur, vel *non annua cura;* sed non successit. [* *rosis* Colb. I. II. Thuan. I. *marina* Colb. I. Thuan. I. In Helmst. et Viecht. vulgata scriptura servatur.]

402. *Sabinis* vett. edd. Scaliger: *Sabina* Bembus restituit, et herbae nomen id est. Plin. XXIV, 11, s. 61 *Herba Sabina*, *brathy appellata a Graecis*, *duorum generum est*, *altera tamaraci similis folio*, *altera*

Digitized by Google

cupresso. — *A multis in suffitus pro ture adsumitur.* Numeratur nunc inter Iuniperos. [* *thuris* Helmst. Vulgo *turis.* — *piscis* Thuan. I. *mutata* Helmst. *Sabina* etiam membrana Contiana. *sabinas* Colb. I. Thuan. I. *sabinis* Colb. II. Helmst. E Viechtiano ad hunc versum nihil est notatum.]

403. *Chrysanthesque* Scaliger emendat ex Nicandri versu apud Athenaeum lib. XV, p. 684 D. Videtur idem esse ac chrysanthemum. Mox *ederae nitor* pro edera nitente. Scaliger *ῥόδον ἀγλαΐαν* apud Theocritum comparat. Genera eius plura esse notum est; h. l. candida intell. conf. Georg. IV, 124. Ecl. III, 39. *palante* coni. Heins., quia sunt *errantes hederae.* [* *Chrysanthesque* ex Nicandro post Scaligerum scripsi cum Vossio. Vulgo *Chrysanthusque.* — *heredeque* Colb. I.]

404. Quod aliunde non constat, ex h. l. discimus, florem fuisse Bocchi nomine insignitum. Rex ille Mauretaniae facile hunc honorem consequi potuit Iubae Regis beneficio, quem cum de aliis rerum naturis tum de plantis scripsisse ex Plinio tenemus. *Bacchi* edd. vett. *Boccus* Ald. Heinsius laudat Hesych. *Βὼχ, βοτάνης εἶδος,* ubi vid. Not. [* *bochus* Colb. I. *Boccus* Helmst. *hocus* Viecht.]

405. *Bumastusque* Ald. cum vett. edd. et codd. Petav. et Voss. Est ea quidem inter uvarum genera, vid. Georg. II, 102, sed inter flores *Buphthalmus*, quem Bembus primus edidit, erat serendus: vulgari nomine *Buphthalmum.* Inter pratenses flores etiam a Nicandro ponitur loco sup. laudato, quem Scaliger emendavit. Nunc inter Teucria referri solet. Heinsius tamen tuetur *Bumastus*, ut sit herbae nomen; laudatque Hesych. *Βουμανῆς, οἱ δὲ Βουμαστὸς, εἶδος βοτάνης.* „Bumastus semel iterumque Columellae restituimus" subiicit Heinsius. In fine *semper florida picris* a Bembo erat reposita, quae apud Plinium inter lactucas et intuba numeratur. Sed Scaliger defendit veterem lectionem *pinus*, ut sit *χαμαίπιτυς*, quae inter flores topiarios est; et Columellam laudat, ubi scilicet IX, 4, 2 *semper virens pinus* est, sed non de herba ibi agitur, nec apud Virgil. Georg. IV, 112, ubi vid. Not. Heinsius tamen et ipse: „*picris*, perperam; *pinus*, bene; posuit pro frutice, quomodo Columella: *Posthaec frequens sit incrementi maioris surculus, ut ros marinus et utraque cytisus, et semper virens pinus et maior ilex.* Ita et Ovid. in Arte: *Ros maris et lauri cultaque pinus abest*, ubi plura annotamus. Salmasius in hoc loco et in Columellae et Nasonis *tinum* pro pino voluit reponi. vid. Constant. Fanens. Collect. cap. 9. Bochart. Hieroz. lib. II, cap. 5." [* Legebatur: *Buphthalmusque.* Ego reduxi *Bumastusque* ex omnibus codd.; in Helmst. *Humastusque.* Cfr. Salmas. ad Solin. p. 259. — *tinus* reposui cum Salmasio l. l. p. 198. non renuente Heinsio ad Ovid. A. A. III. 692. Praeivit mihi Vossius in versione. Vulgo *pinus.*]

406. 407. Inserti versus ab eo, qui recensum florum augere volebat; sed parum scite; vult dicere: correptum fuisse amore sui ipsius ex superbia, quam de forma susceperat. *cui gratia formae* cum Francio coni. Burmann. ad Anthol. Tom. I. pag. 101. *qui gloria formae* legebat Heins., vel *gratia formae.* [* *illinc* Colb. I. Thuan. I. Viecht. *illic* Helmst. *illi* Colb. II. — *narcisus* in omnibus libris.]

408. [* *vernantia tempora*, v. Markland. ad Stat. Silv. III. 1, 135. p. 264. ed. Dr.]

409. *His* floribus *tumulus superinseritur*, vel *super*, in superficie. *ingeritur* Heins. coni. et laudat locum Quinctil. Declam. V (cap. 6). *tum fronde* vett. edd., vel sollenni vitio, vel ex vs. 388.

410. *Eulogium* Ald. *quod firmat* eadem et ceterae edd. vett., quod praefert Scaliger. [* *Et longium* Colb. I. *format* Colb. I. *forma* Viecht. *firmat* Helmst. *firma* Colb. II. Thuan. I. *litera vita* Viecht.]

Digitized by Google

411. *custos pecudum* vett. edd. *nil tale merenti* vett. edd. *tibi tale* Donatum legere Ascensius monet. An is in Culicem scripsit? et Ascensio visus est? Iung. *tale officium.*

412. *reddo* vett. edd., sed alterum stilo lapidari magis consentaneum. *funeris officium*, h. l. de sepultura, cenotaphio. In edit. Virgilii cum Opusculis, Antwerp. Exc. Mart. Nutius 1556, 12. pag. 418 Culici subiicitur hoc epigramma:

ALBANI COMANTIS

Rana loquax, Graia multum celebrata Camena,
Et Phrygii docto carmine lecta senis,
Quid tibi cum nostris animantibus usque pusillis?
Si potuit fructus vincere Nux reliquos?
Et licet inde Elephas pretioso dente superbus
Barriat, hunc potuit nunc superare Culex.

Non vacabat, dum in his occupati eramus, in auctorem carminis inquirere, quod alibi occurrere non meminimus. [* *redit* Helmst. *Libellus qui nominatur Culex Virgilii Maronis finit* Thuan. I.]

C U L E X.

PROBABILITER RESTITUTUS

CUM NOTATIONE INTERPOLATIONUM *)

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum:
Lusimus: haec propter Culicis sunt carmina dicta,
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo.
Notitiam ducunt voces. Licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare iocos Musamque paratus,
Pondere vel culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora portus,
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonae magnique Iovis genus, aurea proles,
Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor
Et recinente lyra fautor; seu detinet illum
Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriae, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Vos quoque Pierii laticis decus, ite, sorores
Naiades celebrare deum plaudente chorea.
Et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum fetura; tibi sit cura canentis
Aerios nemorum tractus silvasque; virentes,
Te cultrice, vagus saltus feror inter et antra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,

*) Cum ne tolerabilis quidem lectio Culicis sit, nullaque inde omnino percipi possit voluptas: periculum feci, an mutata eius lectione, tum ex librorum corruptelis, tum ex virorum doctorum emendationibus et coniecturis, interpolationibus vero charactere litterarum diverso notatis, exiturum esset carmen, quod sine offensione legi possit. Me non omnes mutationes praestare aut veram ac genuinam lectionem ubique restitutam venditare, vix opus est ut moneam. In iis, quae interpolatorum intemperantia et mala sedulitate interposita sunt, haud pauca legi suspicor meliora iis, quae ipsi erant commenti parum docte ac scite. Licebat similem operam Ciri commodare. Verum specimen proponere volebam; in quo expoliendo, impugnando, defendendo, qui velint, ingenia exerceant! Lusus ingenii et hic esto.

v. 3 seqq. et 11 seqq. Interpolatio variorum.

v. 18. Nova interpolatio. Iterum 20.

Digitized by Google

Octavi venerande, meis adlabere coeptis.
Triste Iovis Coeique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto
Iacta, meo quaerent iam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientes undique Persas;
Mollia sed tenui percurrere carmina versu, et
Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet.
Et tu, sancte puer, memorabere; sic tibi perstet
Gloria perpetuum lucis victura per aevum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos
Grata, bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
Igneus aetherias iam Sol penetrarat ad arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas
Pastor, et excelsi montis iuga summa petivit:
Uvida qua patulos velabant gramina colles.
Iam silvis dumisque vagae, iam vallibus abdunt
Corpora; iamque omni nemoris de parte vagantes
Scrupea desertae perrepunt avia rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina dente;
Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit rodente cacumina morsu,
Vel salicis lentae vel, quae nova nascitur, alni,
Haec tenerae fruticem sentis rimatur, at illa
Imminet e ripa prostans in imaginis umbram.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta ruris fastidiat; illi
Omnia, luxuriae pretiis, incognita, curis
Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum
Picturaeque decus; lapidum nec fulgor ab ulla
Cognitus utilitate movet; nec pocula Graium
Alconis referunt Boethique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: At pectore puro
Saepe super tenero prosternit gramine corpus:
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas

Interiecti ab alia manu v. 33. 36 ad 40, et v. 43. 53. 54. 55. 56.

Vere novat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum calamo laetum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem et fraude remota,
Pollentemque sui, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gravidae roranti lacte capellae,
Et nemus, et fecunda Pales, et valle sub ima
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior aevo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas inhiavit opes; non tristia bella
Nec funesta timet validae certamina classis;
Non, spoliis ut sancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum saevis ultro caput hostibus offert!
Illi falce deus colitur, non arte, politus;
Ille colit lucos; illi Panchaia rura,
Floribus agrestes herbae variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera; simplicibus curis: huic imminet, omnes
Dirigit huc sensus, haec cura est subdita cordi,
Qualibet ut tenui victu contentus abundet,
Iucundoque liget languentia lumina somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe,
Naides ac Dryades: quarum non divite cultu
Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poetae
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis baculo dum nixus agresti
Pastor agit curas, et dum, non arte canorus,
Compacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit iam evectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo;
Qua iacit Oceanum flammas in utrumque coruscas.
Et iam compellente vagae pastore capellae
Lene susurrantis repebant ad vada lymphae,
Quae subter viridem resonabat garrula muscum:
Iam medias operum partes evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Et procul adspexit luco recubare virenti,
Delia diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agaue
Infandas scelerata manus e caede cruenta;
Et gelidis bacchata iugis requievit in antro,
Posterius poenam gnati de morte datura.

Ab v. 78 inde interpolationes variorum; saltem novae sunt accessiones v. 85. 93 et 97 sq.

Digitized by Google

Hic etiam viridi ludentes Panes in herba
Et Satyri Dryadesque choros egere puellae
Naiadum et coetus: Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo:
Quantum te pernix remorantem, diva, chorea;
Multa tibi laeto fundentes gaudia vultu.
Ipsa loci natura domum resonante susurro
His dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aeriae platanus; inter quas impia lotos,
Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos;
Ac, quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris implexae brachia truncis,
Candida pandebant lentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit
Perfidiae lamenta, *dolis dum lusit inultis*
Quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae;
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoae navi decus, edita pinus
Proceras decorat silvas hirsuta per artus;
Ac petit aeriis contingere frondibus astra
Ilicis et nigrae et species haud laeta cupressus;
Umbrosaeque patent fagus; hederaeque ligantes
Brachia, fraternos plangit quae populus ictus;
Ipsae succedunt ad summa cacumina lentae,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos;
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus;
Adstrepit et gelidis manans e fontibus unda,
Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et circum geminas avium vox obstrepit aures;
Hinc querulas referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aeris echo,
Argutis et cuncta fremunt arbusta cicadis.
At circa fessae passim cubuere capellae
Excelsis subter dumis, quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis

Interpolationes variorum inde a v. 106, aliae praeclarae, ut v. 114. 115. 120 sq. 132 sq., aliae deteriores, ut v. 112. 113. 116—119. 130. 131.

Digitized by Google

Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos voluisset ducere casus.
Cum solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magnos subsideret aestus,
Obvia vibranti lambens gravis ore trilingui,
Squamosos late torquebat nexibus orbes.
Pallebant herbae visus liventis ad auram;
Iam magis atque magis corpus resolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: dum crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
*Metabat late circum loca; tum videt *herba**
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intenta, ore obvia torvo
Saepius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset, matura et comparat arma.
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus et versis torquetur corpus in orbes;
Manant sanguineae per tractus undique guttae;
Spiritus et rumpit fauces: quo cuncta parante,
Parvulus humoris pastorem exterret alumnus,
Et mortem vitare monet, per spicula; *namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturae pupula telo
Icta levi. Sic prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit membris. Tum torva tenentem
Lumina prospexit serpentem cominus; inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno;
Qui casus sociarit opem numenve deorum:
Namque illi dederitne vitam casusve deusve
Prodere sit dubium: voluit sed vincere talem.
Horrida squamosi volventis membra draconis,
Atque reluctantis, crebris foedeque patentis
Ictibus, ossa ferit, qua cingunt tempora cristae.
Et quod erat tardus, somni languore remoto:
Nescius adspiciens; timor occaecaverat artus

Prava interpolatio v. 140. 143. 147. 152—154. 159 et 160.

Ornamenta serpentis aliunde illata a v. 166 ad 180. A deteriore poeta v. 184 insertus et locus turbatus, iterumque v. 191. 192. 193 et 197 — 200, qui omnes pessimi versificatoris fetus sunt.

Digitized by Google

Hoc minus implicuit dira formidine mentem;
Tum, postquam vidit caesum languescere, sedit.
Iamque atro biiuges oriens Erebo cit equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta:
Cum, grege compulso, pastor, duplicantibus umbris,
Vadit, et in requiem fessos dare comparat artus.
Cuius ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque infuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
En, quid, ait, meritus, aut quo delatus, acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania Averni.
Tu lentus refoves iucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethaeas cogunt transnare per undas.
Praeda Charontis agor; video ut flagrantia taedis
*Lumina *collucent infestis omnia taedis*.*
**Obvia* Tisiphone, serpentibus undique cincta,*
Et flammas et saeva quatit mihi verbera Poena.
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla repexis,
Sanguineumque micant ardorem luminis orbes.
Ecquid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti iam limine ab ipso!
Praemia ubi pietatis? ubi pietatis honores?
In vanas abiere vices; et rure recessit
Iustitia, et prior illa Fides. Instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens:
Ad pariles agor eventus; fit poena merenti;
Poena fit exitium; modo sit dum grata voluntas,
Existat par officium. Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos;
Quae circa, tristes densentur in omnia poenae.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
Devinctum moestus procul adspiciens Ephialten;
Conati cum sint quondam rescindere mundum:
Et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae,
(Implacabilis ira nimis!) iacet alitis esca.
Terreor ah, tantis insistere terreor umbris
Ad Stygias revocatus aquas: Vix ultimus amni

Ab versu inde 215 variorum hominum ingenia et conatus ornamenta nova inferendi et lacinias alias super aliis assuendi cognoscere in promtu est. Ita a v. 222 alieno loco sententiae interpositae sunt, quae adscriptae fuerant ad v. 209—214. Inferas res persequuti sunt plures, quibus pessimus versificator alia intertexuit, ut v. 231. 232. 238. 239.

Digitized by Google

Extat, nectareas divum qui prodidit escas,
Gutture ab arenti revolutis fluminis undis.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Numina contemsisse dolor quem vincit acerbus,
Otia quaerentem frustra sibi! quidve puellas,
Dira quibus taedas accendit pronuba Erinnys,
(Sicut Hymen praesaga dedit connubia mortis;)
Atque alias alio denset super agmine turmas?
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem vulnera natis?
An Pandionias miserandas prole puellas?
Quarum vox cit Ityn et Ityn, quo Bistonius rex
Orbus epops moeret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo semine fratres
Iam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
Alter in alterius; iamque aversatur uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Heu! heu! mutandus nunquam labor! Auferor ultra
In diversa. Magis distantia limina cerno;
**Laeta loca* Elysiamque vagor delatus ad umbram.*
Obvia Persephone comites heroidas urguet
Adversas perferre vices. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod saeva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
*Ecce Ithaci coniux *Laertiadae* Icariotis*
Femineum incorrupta decus! manet et procul illa
Turba ferox iuvenum telis confixa mariti.
Quid misera Eurydice! tacito moerore recessit,
Poneque respectantem et nunc manet Orphea serum.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
Nec moesta obtutu dira et ferrugine regna
Defossasque domos ac Tartara nocte tremenda
Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes,
Iudice, post mortem qui vitae vindicat acta.
Sed fortuna favens audacem fecerat Orphea;
Iam rapidi steterant amnes, et spissa ferarum
Blanda voce sequax insiderat arva corona;
Iamque imam viridi radicem emoverat alta
Quercus humo, sequiturque comes, silvaeque sonoros
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes biiuges etiam per sidera Luna

Locus de Orpheo inde a v. 269 sq., etsi alieno loco interpositus, est tamen ex felicioribus.

Vss. 282. 283. 284. 287. 294 sqq. varias manus experti sunt. At vss. 303 sqq. a docto poeta profecti sunt.

Digitized by Google

Pressit equos; et tu, currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte relecta.
Haec eadem potuit, Ditis, te vincere, coniux,
Eurydicenque viro ducendam reddere. Non fas,
Non erat, invitam. Divae exorabile numen!
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Praeceptum signabat iter: nec retulit intus,
Lumina, nec divae corrupit munera lingua.
Sed tu, crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti iussa deorum:
Dignus amor venia, gratum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede Piorum,
Vos manet, heroes, contra nemus. Hic et uterque
Aeacides, Peleus nempe et Telamonia virtus,
Per patris secura locantur numina; quorum
Connubls Venus et Virtus iniunxit honorem:
Hunc cepit serva, ast illum Nereis amavit.
Assidet his iuvenis, sociat quem gloria; fortis,
Acer, inexustis referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios, torva feritate repulsos.
O quis non repetat talis divortia belli,
Quae Troes videre, viri videreque Graii!
Teucria cum multo manaret sanguine tellus,
Et Simois Xanthique liquor; Sigeaque, propter,
Littora cum Troas, saevi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, neces, ignes, inferre paratos.
Ipsa iugis namque Ida patens vernantibus, ipsa
Ida faces altrix cupidis praebebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhoetei littoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Obiectoque dabat clipeo certamina; et illinc
Hector erat, Troiae summum decus: acer uterque,
Fulminibus coelo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic taedisque furens, si classibus Argos
Eripiat reditus; ille at Vulcania ferro
Vulnera protectis depellere navibus instat.
Hic erat Aeacides alter, laetatus honore,
Dardaniis alte fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Troiam.
**Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et huius*
**Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.*

Diversorum forte ingeniorum conatus sunt versus 314 sqq., utique vss. 321 sqq., interpositis a mala manu 324 et 325, et iterum 336. 337. Praeclarus locus sequitur inde a v. 341.

Huic gerit aversos proles Laertia vultus,
Et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade iam laetatur ovans; rursusque tremiscit
Iam Ciconas, iam rursus atrox Laestrigonas horret;
Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Aetnaeus Cyclops illum, Zanclaea Charybdis,
Pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen; quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit heu Graius poenas tibi, Troia, ruenti!
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam nimium fortunae munere fidens
Tenderet evectus coelum super; omne propinquo
Frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
Vis Argeia petens patriam ditataque praeda
Arcis Erichthoniae; comes huic erat aura secunda;
Per placidum cursus pelagus; Nereides undis
Innabant, pars inflexas circum acta carinas:
Cum seu coelesti fato, seu sideris ortu
Undique mutatur coeli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt concita; iam maris unda
Sideribus certat consurgere, iamque superne
Corripere et soles et sidera cuncta minatur;
At ruere in terras coeli fragor. Hic, modo laeta,
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
Euboicas et per cautes Aegaeaque late
Littora: tum Phrygiae passim vaga praeda peremtae
Fluctuat omnis in aequoreo navifraga fluctu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroes mediisque siti sunt sedibus omnes;
Omnes Roma decus magni quos suspicit orbis,
Hic Fabii Deciique; hic est et Horatia virtus:
Hic et fama vetus nullum peritura per aevum
Curtius, in mediis quondam quem sedibus urbis
Devotum tetri consumsit gurgitis haustus.
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime, cessit cui fracta potentia regis.
Hic Curius, clarae socius virtutis et ille
Fabricius, cessit cui fracta potentia regis.
Iure igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadaeque duces, devota triumphis
Moenia quos rapidis Libycae Carthaginis horrent.

Pessima interpolatio vss. 358. 365. 368. 377 sq.

Digitized by Google

Illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduatos lumine Phoebi,
Et vastum Phlegethonta: atro quo flumine Minos
Conscelerata pia discernit limina sede.
Ergo iam caussam mortis, iam dicere vitae,
Verberibus saevo cogunt a iudice Poenae:
Cum mihi tu sis caussa mali, nec conscius adsis;
Sed tolerabilibus curis haec immemor audis;
Haec, vana ut, rapidis dimittens, somnia ventis.
Digredior, nunquam rediturus. Tu cole fontes
Et virides nemorum silvas et pascua laetus.
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
    Hunc ubi sollicitum dimisit inertia somni:
Ingemuit graviter, mentem aeger; nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcunque sibi vires tribuere seniles,
Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem,
Rivum propter aquae, viridi sub fronde latentem
Conformare locum parat impiger; hunc et in orbem
Destinat, *ac ferri capulum repetivit in usum,*
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Aggestam cumulavit humum; iamque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem.
* *Quem circum lapidum laevi de marmore formans*
Conserit, assiduae curae memor: hic et acanthus
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violae genus omne hic est; Spartanaque myrtus
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus antro;
Laurus item Phoebi surgens decus; hic rhododaphne
Liliaque et roris non avia cura marini,
Herbaque turis opes priscis imitata Sabinis,
Chrysanthesque, ederaeque nitor pallente corymbo,
Et Bocchus Libyae regis memor; hic amarantus
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus;
Non illinc Narcissus abest: cui gratia formae
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super ingeritur; tum fronte locatur
Elogium tacita quod format littera voce:
Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

388 ieiuni versificatoris conatus, et 392 sq. et 396. 397. Inde doctus poeta manum admovit.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

UT VULGO FERTUR

C I R I S

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIUM
IN CIRIN

Carmen hoc, etsi inter Virgiliana opuscula vulgo referri solet, an Virgilium tamen auctorem habeat, fides nos satis certa deficit. Sunt quidem multa, quae probabile hoc faciant: nec dubitationis tamen caussae desunt ex parte altera; itaque aegre ferendum non est, si in diversas opiniones discessisse viros doctos videas. Scilicet de rationibus, quibus contenderunt inter se, videndum erat; inter eas autem multas esse leves ac futiles negari nequit. Ea tamen omnia, quae de his dicta sunt, ut iterum recocta apponam necesse, puto, non est; ut potiora summatim pro more meo exponam, iudicio meo qualicunque interposito, hoc forte est, quod lector a me exspectet.

Qui *Virgilio* carmen vindicant, argumentis fere utuntur iis, quibus carmen hoc politissimum praestantis ingenii poeta, ipsoque Marone, non indignum declarent. Ita vero non evictum est, habendum quoque esse Virgiliani ingenii fetum, si quod carmen est, quod eum non dedeceat. Vetus aliqua eaque idonea auctoritas allata in medium non est. Nam, quod ex Seneca vulgo laudatur Ep. 92 ***ut ait Virgilius noster in Scylla***, non viderunt viri docti ad Aen. III, 426 sq. spectare, et ***in Scylla***

Digitized by Google

esse in loco de Scylla. Quid? quod nec a Pseudodonato, qui reliqua carmina Virgilio tributa recenset, nec, quantum memini, ab alio vetere Grammatico, in simili instituto, Ciris mentio fit. Indocti enim monachi, Servianis in Aeneidem commentariis in fronte adsutus, pannus, in quo Cirina scribitur *), memorari adversus me vix potest. Quod autem poematii praestantiam verbis quoque ornant, ut Scaliger id nulli Latinorum neque nitore, neque elegantia cedere dicat, Barthius vero luculentissimum inter omnia antiqua poematia appellet, in eo studium virorum doctorum video, iudicii subtilitatem desidero. Non enim satis circumscribunt praedicationem suam, eoque, dum ultra terminos evagantur, ne id quidem obtinent, quod in medio positum erat, quodque recte se habebat. Quod in carmine hoc tantopere admirati sunt viri docti, si propius intuearis, nihil aliud fuit, quam orationis in plerisque locis dignitas, ornatus praeclarus, splendor quoque; tum numerorum concinnitas. Haec sunt, quae viris doctis tantopere se probarunt; sed, an haec illa sint, quibus poeticae laureae decus parari possit, admodum dubito.

Omnino ab inventi felicitate, quae tamen res una omnium maxime poetae nomen et laudem continet, carminis huius laus magna vix peti potest: uti nec tractatio arte aliqua se commendat, nisi in locis singularibus iisque fere ad communem poetarum orbem spectantibus: cuiusmodi est nutricis opera in virginis dolore allevando, puellae miserae querelae, et sic alia. Contra sunt loca alia ad pedestrem orationem proniora: ut locus de diversis super Scylla opinionibus v. 63 sqq. —90, alius super fabulae in Britomarti varietate 303 sqq. Haec et similia cum tractata nitescere nequeant, bonus

*) Ita etiam in ms. Helmstad. exaratum erat *Decircina*, non, Ciris.

Digitized by Google

poeta non facile attinget. Alia ad rhetoricam δεινότητα egregie accommodata sunt, ut in querelis puellae: et, si quid est, quo adducar, ut Maroniani ingenii fetum esse hunc putem, hunc propiorem ad tragicam vehementiam et rhetoricam declamationem affectum esse dicam, quem in Virgilio me agnoscere iam alibi accuratius exposui*). Accedit orationis poeticae facultas, quae in hoc poeta fuit eximia: quae ea ipsa caussa fuit, qua adducti viri docti cetera etiam omnia in eo carmine pronuntiarent esse summa. Poetae Maronis ingenium agnoscere mihi videor etiam in eo, quod, cum argumentum hoc ab aliis poetis esset pertractatum, relictis ille iis, quae ab aliis praerepta erant, ingenium applicuit iis ornandis, quae ab aliis nondum essent occupata. Ita forte excusari potest, quod ille id, quod summum rei momentum, ipsa ἀκμὴ, erat, resectionem comae, verbo exposuit, et vero ne verbo quidem attigit ea, quae resectam Nisi comam subsequuta sunt, donec abstraheretur Scylla navi alligata. Exspectabam in primo Minois conspectu, in pactione cum eo sancienda, in coma Nisi resecanda, tradenda, et fide Minois ex conditione pactionis exigenda, poetam disertum, copiosum et ornatum. Vix verbo memoravit haec omnia. Vitio hoc factum dices; nisi iudicio illi subtiliori illud tribueris. Levioribus equidem argumentis accensebo omne illud, quod a repetitis tot Virgilianis versibus ducitur, sive ut hinc colligas ipsum Maronem sive ut alium auctorem fuisse statuas. Vix enim firmo fundo nititur argumentum, quo Scaliger usus est, cum diceret: auctorem carminis ut esse Virgilium credamus, hanc unam rationem vincere, versus crebro hic repetitos**), qui passim in

*) Vid. Vol. II. Disquis. I. s. VIII extr. s. XIII. Exc. ad Aen. II, p. 306. 7. Vol. II. et Aen. X pr. Vol. III.

**) Apposuit eos Io. Schrader. Emendation. p. 33 sq.

Digitized by Google

Aeneide et in Georgicis atque in Bucolicis leguntur. Atqui potuit carminis esse alius serior auctor, qui ex Virgilio plurima mutuaretur, vel qui id ageret, ut Virgilii nomen et auctoritatem mentiretur.

Commemoravi adhuc ea, quae probabile facere possint, ad Maronem auctorem hoc carmen referendum esse. Alias rationes Barthii aliorumque nec commemorare iuvat, nec opus est, cum eas dudum exposuerit ac refellere studuerit doctissimus Praesul, Iustus Fontaninus in Hist. Litt. Aquilei. p. 35. Eodem loco magna cum iudicii subtilitate ac doctrina vir doctissimus ex Virgilii Ecl. VI, 74 sqq. verum Ciris auctorem eruisse visus est, ut, quod Gifanius iam olim suspicatus erat, Barthio mox probante, is *Gallus* sit, cuius carmina illis versibus attigerit poeta plura, inter quae duo fuerint: alterum, quod nunc habemus, Ciris, de Scylla, Nisi f., in cirim mutata, alterum de Scylla, Phorci filia: *Quid loquar? aut Scyllam Nisi? aut quam fama sequuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates et gurgite in alto Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?* Non equidem, tamquam satis valida, argumenta omnia amplectar, quae ille attulit; nec tamen quicquam ingeniosae coniecturae obstare video: convenit enim aetas Galli ac Messalae; nisi quod difficile est ad intelligendum, quo cum pudore tot ex Ciri versus Virgilius in sua carmina, aut ex his Gallus in Cirin, adoptare potuerit. Nam, quod Gallum Epicureae philosophiae operam dedisse nunc ignoramus, morari potest neminem, quin assentiatur Praesuli dignissimo. Superest igitur, ut versus illos seriore aetate ab interpolatrice manu in Cirim insertos esse dicamus: quod nec improbabile fit.

Qui *Catullum* pro auctore carminis habuere (in quibus Eglinus fuit, cuius *Vindiciae Ciris Catullianae*

Digitized by Google

sunt), quandoquidem cum Epithalamio Thetidis et Pelei nonnulla posse comparari videbant; non animadverterunt, Messalae, cui inscripta est Ciris, aetate se refelli: nam is paucos ante Catulli obitum annos natus est. Sed et haec accurate tractavit Fontaninus l. c. pag. 33. 36. Quo argumento *Valerium Catonem* Ciris auctorem ediderit Delrius in Comment. ad Senecam, ex eius verbis intelligi nequit. Quod si tamen Virgilium auctorem Ciris adoptare cum Scaligero et aliis *) malit aliquis, non tamen cum eodem Scaligero comminiscetur tot alia, quae probatione idonea destituuntur: paullo ante mortem suam, et Athenis aut adeo Megaris, Virgilium hoc carmen composuisse: etsi iam tum, cum Cirim scriberet, auctor carminis nonnulla carmine se tractasse, et, cum famae poeniteret, iis depositis ad philosophiam se contulisse narret ipse v. 1 sqq. 42 sqq. Iuvenem tamen se testatur auctor satis manifeste vss. 42 sqq. ***Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes, Nunc primum teneros firmamus robore nervos: Haec tamen interea quae possumus, in quibus aevi Prima rudimenta et primos exegimus annos, Accipe.*** Si porro Messalam ***iuvenum doctissimum*** v. 36 appellare potuit, iuvenili aetate constitutum eum et ipsum tum fuisse necesse est, cum Maro illa scriberet; id quod temporum docet comparatio **). Rem tamen vel sic in medio relinquere satius duco.

Inter haec, etsi carminis facies omnino satis liberalis est: negari tamen nequit, varices passim et ulcera corpus obsidere, loca occurrere plurima

*) Nuper quoque Io. Schraderus Emendatt. c. 3 pag. 31 Virgilio Cirim vindicavit: nec tamen is argumentis gravioribus, quam alii, suffultus. Idem docte adversus Galli nomen disputat p. 48, et adversus Catullum auctorem p. 46, Scaligerum autem refellit p. 41.

**) Natus enim Virgilius a. U. C. 684, Messala a. 695, nec hic claruit ante 718, aet. 23.

Digitized by Google

scabra et horrida, versus duriores aut pedestri oratione depressos, alios prorsus corruptos ac sensu carentes, ut interdum honestas illa oris foede contaminata ac prorsus obliterata sit. Scilicet primum id, quod in carminibus his minoribus evenisse videtur fere omnibus, etiam in Ciri factum arbitror, minore tamen cum audacia quam in Culice, omnium uno maxime foedato carmine, ut iam antiqua satis aetate in ea exercerent se poetarum seu versificatorum ingenia, variando et amplificando carmine. Adscripti in margine versus, saepe imperfecti, a librario, qui describebat codicem, in textum sunt recepti, nonnulli satis arguti, alii ex similibus veterum poetarum locis retracti vel adumbrati; qua de re supra ad Culicem dictum est. Accessit alia calamitas, ut carmina illa per plura saecula ignota et sepulta iacerent, et ut vix unum vel alterum exemplar ad nostram aetatem perveniret; quod cum obscuris fugientibusque litteris oculos librarii recentioris, aut etiam operarum typographicarum, falleret, corruptelas infinitas inferri necesse fuit.

Conspirant itaque in corruptelis editiones fere omnes, nec e libris scriptis, qui et numero paucissimi, et, quantum intelligo, omnes recentiores sunt, auxilium exspectari posse videtur. Nic. Heinsius in epistola ad Octavium Falconerium fatetur, Ciris exemplar sibi nullum evolvere licuisse, ante artem typographicam inventam descriptum. Evolvit tamen ille postea ms. Basileensem, aut variantem lectionem ex eo accepit; attamen et ille fuit chartaceus, et, quantum intelligo, in corruptelas vulgares ubique consentit. Abfuit Ciris a prima Virgilii editione, etsi ea minora Virgilii poematia complectitur, accessit vero in Romana altera: vid. Recensum edd. h. a. Omissa hinc ab aliis, ab aliis addita: cf. Fontanin. Hist. litt. Aquilei. p. 40. Enarrare eam primus aggressus est Domitius Calderinus

Digitized by Google

in edit. Ven. 1483 per Baptistam de Tortis, hinc 1489. 1491. 1492 et al. Paullo doctior commentator successit Iulius Pomponius Sabinus, commentariis a. 1486 vulgatis, et 1519. 1544 hincque in edd. Henricopetrinis repetitis: tum copiosior commentator Ascensius a. 1500. 1505 et al. Tandem etiam critica manus accessit, eaque viri summi Iosephi Scaligeri in Appendice Virgiliana Lugd. 1573; multas ille attulit emendationes praeclaras, alias durissimas, nonnullas prorsus non ferendas. Lectiones eius et interpretationes recepit omnes Taubmannus, vir doctus, qui, quod supra iam diximus, ex aliorum iudicio totus pendebat, suo parce uti solitus, edita Ciri a. 1618. Vix bis terve Barthium comparat, qui interea 1608 Cirim commentario instruxerat, valde tum adolescens, et omnino doctrinae copia praestantior quam iudicii subtilitate. Attigit idem loca nonnulla in Adversar. XX, 20. XXII, 9. XXIII, 9 et 21. XXX, 24, et, ut eo loco se facturum profitetur, denuo Cirim edere constituerat, si exemplum aliquod manuscriptum nancisci unquam posset. cf. Fontanin. l. l.

Equidem comparatis antiquis, quae ad manum erant, editionibus, omnes fere inter se in easdem lectiones et vitia conspirare intellexi. Quod cum semel animadversum esset, satis habui, Venetam 1484 per Thomam de Alexandria expressam, mox quoque Aldinam primam 1505, comparare. Manum emendatricem non experta est Ciris nisi in Aldina: *diversorum veterum poetarum in Priapum lusibus* etc. 1517, de qua editione ab Asulano curata et 1534 repetita iam in prooemio ad Culicem dictum est*). Ex Bembino codice, cuius ope Culex

*) Editio illa 1517 intelligenda, quoties Aldina, tamquam emendatior, a me excitatur. Reliquas duas non nisi in nova recensione nactus eram.

Digitized by Google

tam praeclare fuit emendatus, Ciris nihil auxilii consequi potuit; quandoquidem in eo codice illa exarata non erat. Alios igitur codices Asulano in Ciri ad manum fuisse necesse est, de quibus nunc nihil constat; profitetur quoque vir doctus in praefatione, se haec carmina *collatis pluribus exemplaribus* emendasse. Aldinam recensionem expressit in plerisque editio Veneta apud Aloysium de Tortis 1541, sed pleraeque aliae, quod mireris, Aldinam deseruere et veterem lectionem repetivere. Occurrunt mox editiones, uti Ven. apud Hieron. Scotum 1544, apud Bonellum 1558, Georg. Fabricii, Plantini, quae in margine varias lectiones habent, quarum magnam partem emendationes virorum doctorum esse vidi. Nam fuere passim, qui singula loca in Ciri, ut in aliis veterum libris, emen darent. Sic, ut unam vel alteram Iani Parrhasii et Paulli Leopardi correctionem taceam, plurima correxerat in Miscell. Epiphyll. VIII, 23 sqq. Iac. Nic. Loensis, qui ab amico Leopardo exemplum Ciris acceperat ex prisca editione descriptum, addita eius castigatione. Hanc ipsam editionem Catalectorum intelligo fuisse illam, quam Heinsius diu se frustra quaesivisse ait in Epist. ad Daumium Tom. V Sylloges Burmann. p. 218; nam Barthius in Adversariis ea non ipse usus est, sed ad Loensis fidem provocat. In Miscell. Obss. Vol. IV loca nonnulla ex Ciri retractarunt viri docti: sed levioris fere momenti.

Cum a nemine adhuc operam datam viderem, ut lectionum origines et caussas indagaret: studium in ea re posui praecipuum, etsi res molestiae plus quam credi potest haberet. Quandoquidem autem inde intellexeram, librorum scriptorum auctoritatem nos fere deficere: coniectandi licentiae materiem in hoc libello relictam nobis esse putavi tanto maiorem. Ea itaque ita usus sum, ut, quam

Digitized by Google

aliis veniam dederim, vicissim et mihi ipsi a viris doctis petam.

* * *

In nova recensione anni LXXXVIII ad manus fuere Schedae Heinsianae, de quibus supra ad Culicem dictum est, tum Io. Schraderi; hae tamen tam moleste ac perplexe scriptae, ut iis extricandis vacare vix possem; inprimis cum in Cirim meliora iam ipse in Emendationibus vulgasset. Cum a viro docto *Eduardo Burnaby Green* ad calcem Apollonii Rhodii T. I versam in Anglicum sermonem Cirim recordarer, multis emendationibus appositis (1780): has quidem enotare institueram; mox tamen sensi calamo frenum iniectum, cum perpaucae in iis sint, quae sermonis indoli conveniant aut sententiam expeditam habeant.

EPIMETRUM EDITORIS DRESDENSIS.

§. 1.

Quum Heynius sententiam suam de auctore Ciris dubitanter modo pronunciaverit, alii VV. DD. iudicia sua candide profiteri haud verebantur, et Virgilio quidem nos illud poema debere, quod post alios a Schradero in emendatt. p. 30. allatos etiam Wagnerus meus (ad Eleg. ad Mess. p. 4.) summis laudibus celebravit, de eo consentiunt Heinsius ad Val. Flacc. VIII. 452. Bentleius ad Horat. Od. I. 25, 11. Wartonus in history of English poetry Vol. III. p. 406—409. Lond. 1781. Valckenarius Diatr. de fragm. Eurip. p. 160. Huschke ad Tibull. IV. 1, 202. Böttigerus in praelect. mythol. de Iove I. p. 22. Geelius in Bibl. Crit. Nova Vol. V. P. I. p. 251., qui ta-

Digitized by Google

men omnes opinionis suae argumenta non protulerunt. Tanto maiori cum diligentia et copiosa eruditione Schraderus l. l. illam litem retractaverat, qui ab Heynio, si, quae eius sententia fuisse videtur, in illius partes transire nolebat, acrius impugnandus fuit, quam ab eo factum esse videmus. Nostrum igitur est, Schraderi argumenta denuo examinare, unde patebit, quid de Virgilio illo, ut breviter dicam, personato sit statuendum. Singula quae Schraderus dixit, deinceps exponam, quo facto ea quae nova insuper Virgilianam poematis nostri originem impugnare videntur, corollarii loco addam. Ac primum quidem Schraderus p. 31. Servii foede interpolati testimonium in vita Virgilii Aeneidi praemissa sententiae suae favere ait, et quod ibi Heinsium pro *Cirinam* recte restituisse *Cirin* memorat, plene id confirmatur per libros Parisinos; etenim in cod. Regio 7959. saec. IX. haec leguntur: *scripsit etiam septem sive octo libros hos: cirina. etnam.* (i. e. cirin, aetnam) *culicem. priapeia. catalecton. epigrammata. copam. diras*, quibuscum consentit cod. 7960. saec. X. nisi quod ibi librarius iam paullum aberrans exaravit: *crina etnam.* Idem vero liber aliam quoque poetae nostri vitam continet, ubi de spuriis eius carminibus haec inveniuntur: *deinde catalecto de priapria et epigrammata et id.. rasitem* (l. et diras, item) *cerem*, *culicem.* Corruptio nominis librariis vix unquam auditi ulterius etiam est progressa in cod. 7930. saec. XI. ubi *Cirimus* audit. Hoc tamen e Servio petitum nihil probare dudum Heynius recte perspexerat, unde ei refutando diutius immorari nolo; pluris contra est Donati silentium. Non magis valet quod de codd. narravit Schraderus, quum unus, quo nititur, Basileensis merum sit apographum editionis principis (v. infra §. 4.). At aliorum etiam codd. R. A. auctoritas, qua ille gloriari potuisset, illud modo ostendit, Cirin cum nonnullis similibus poematis genuino Maronis operi quon-

dam casu in codice aliquo additam fuisse, unde sententia de Virgilio eorum auctore tanto facilius invaluit, quanto minus parvus genuinorum Virgilii operum numerus multis eius admiratoribus probari potuit, qui undecunque corrasa poemata ei tribuentes non intellexerunt, hac liberalitate honori poetae Mantuani vix consultum iri. Minorem etiam persuadendi vim habet quod Schraderus philosophia Epicurea carmen ut Virgilianum comprobari dicit. Verum est, Ciris auctorem scholam Epicuri sectari (v. ad vs. 3.), quam Virgilius quoque iuvenis certe est professus (Iahn. introd. p. VII.), neque tamen inde sequitur Virgilium, quia Epicuri doctrinam est amplexus, Cirin scripsisse. Eodem scilicet iure Horatius etiam Cirin sibi deberi contenderet, utpote qui se ipsum Epicuri de grege porcum appellet. Simile est illud, quod Schraderus opinioni suae defendendae inservire putat, Virgilium pariter atque auctorem Ciris multa ex Catullo et Lucretio hausisse; et de Catullo quidem et Ciris auctore hoc verum esse, post alios infra §. 3. docebimus, Lucretium autem uno tantum in loco Ciris auctor imitatus esse videtur (v. ad vs. 13.), quum potius contrarium animadverti possit in Virgilio, qui Catullum nunquam, nisi forte huc trahere velis Catull. LXVI. 39. coll. Virgil. Aen. VI. 460. et Catull. LXIV. 170. 171. coll. Virgil. Aen. IV. 657. 658., Lucretium aliquoties ante oculos habuisse videtur (Macrob. Saturn. VI. 1. 2.). Qua ex observatione statim apparet, hoc etiam Schraderi argumentum eiusdem ponderis esse, cuius priora vidimus; quo accedit, talem consensum quamvis maximum nihil fere efficere, nisi utrumque poetam, et Virgilium et auctorem Ciris Lucretio et Catullo pariter fuisse delectatum. Quid porro dicam de Messala, cui auctor Ciris vs. 53. coll. vs. 35. carmen suum dedicavit? Hunc Schraderus celeberrimum illum oratorem et victorem Dalmaticum, M. Vale-

Digitized by Google

rium Messalam Corvinum fuisse affirmat, nulla utens opinionis suae probatione sed rem pro certa et indubitata ponens. Quodsi vero vitam viri huius inter paucos sui temporis praestantis, de quo conferantur quae post alios Wagnerus meus ad Eleg. ad Messal. p. 4. sqq. et Ellendtius in prolegomenis ad Cicer. Brut. p. CXXX—CXXXVIII. docte collegerunt, accurate consideraverimus, illud statim permirum nobis obvenit, Messalam qui anno 685. natus per primas statim post Iulii Caesaris obitum seditiones varia ratione rebus publicis interfuit (v. Ellendt. p. CXXXII.), a Virgilio nulla alia nisi *doctrinae* laude tum satis vulgata condecoratum fuisse, quum tamen iam ante annum 706. in foro esset. Sed haec etiam missa faciamus concedentes Virgilio fortasse iustam causam fuisse, quae eum ad hanc in Messala laudando parsimoniam impelleret, hoc potius gravissimo argumento Schraderum impugnantes, Virgilio nunquam coniunctionem nedum familiaritatem cum Messala intercessisse, qua de re Wagneri verba, qui l. l. p. 12. primus eam subtiliter indagavit, in usum nostrum convertere liceat: „a rerum „illius temporis scriptoribus non accipimus, Virgi„lium arctiore amicitiae vinculo cum Messala con„iunctum fuisse. Cuius rei mentio ut ab aliis ne„glecta sit et praeterita, ab ipso Virgilio eam iure „exspectare possis. Sed nullum de Messala verbum „neque in Bucolicis, neque in Georgicis, neque „etiam in Aeneide. Ubi cum multorum, qui tum „clari erant, Romanorum mentio iniiciatur, mirari „licet, M. Val. Publicolam, Bruti, qui satis ibi cele„bratur, auctoris libertatis, in Consulatu collegam, „silentio esse praetermissum; cuius Virgilius, si „Messalae nostri, qui ab illo genus suum deduce„bat, familiaritate usus esset, valde dubito an ob„litus fuerit;“ et ut ipse hoc addam, Virgilio fortasse iusta causa erat, cur a Messala celebrando abstineret; hic enim et Maecenas nimium inter se

Digitized by Google

dissimiles erant. Hinc inter tres sententias optio nobis relinquitur, vel alium Messalam quempiam fuisse, diversum ab oratore, cui Virgilius Cirin dedicarit, vel Messalae oratori eam inscriptam esse a poeta incerto, vel denique alium Messalam serius viventem intelligendum esse, cui poeta pariter incertus carmen suum miserit, quarum sententiarum quaenam praeferenda nobis videatur, ex sequentibus prodibit. Ultimum denique argumentum originis Virgilianae, in quo Schraderus plurimam vim inesse putabat, multi versus subministrant: „non „solum dimidii, sed etiam, quod maioris ponde„ris, integri iique continui in Eclogis, Georgicis et „Aeneide creberrime repetiti,“ quorum deinde satis magnum numerum a pag. 34—40. enumerat, iis dicta sua unice confirmari ratus. Nihil autem, si quid video, magis opinioni, quam defendit, contrarium Schraderus ponere potuit, quam versus illos repetitos, qui ipsi produnt, Cirin Virgilio abiudicandam esse, ut iam Fontaninus p. 36. bene animadvertit, tum omnia veterum poetarum opera, unde tot versus in Aeneidem translatos notat Macrob. Saturn. VI. 1., ad unum Virgilium pertinere putanda esse. Nonne etiam eodem iure, quo Schraderus Cirin Virgilio tribuere voluit, Ausonii Centonem ad eum referre liceret? Hic certe non fuit tam curti ingenii, ut se ipsum adeo compilaret, et ex carmine iuvenili quingentos fere quadraginta versus comprehendente quadraginta versus integros neque parvum mutatorum numerum in maiora sua carmina transferret. Quod quum omnino omnes poetae cuiuscunque demum gentis vitaverint et vitare debeant, tum Virgilium carminibus expoliendis et limandis unice intentum adeo ineptum habere nefas est, et varii quos iam per vitam nactus est obtrectatores, talem sive negligentiam sive fraudulentiam silentio non praeterivissent. Nemo nobis facile obiecerit illos versus numero paucissi-

mos quos Virgilius in ipsis maioribus suis carminibus bis posuit, singulari cura tractatos a Iahnio meo ad Virg. Georg. II. 129. Eorum enim plane alia est ratio, et sufficit hac de re lectores ad Weicherti V. Clar. dissert. de verss. Maronis et Valerii Flacci iniuria suspectis p. 65. sqq. remittere, qui p. 67. caute quidem pro suo more, sed ut de vera eius sententia dubitare non liceat, hoc fert iudicium, versus in Virgilii operibus genuinis et Ciri recurrentes contra Scaligerum, Schraderum eorumque asseclas graviter pugnare. Quodsi hucusque contra Schraderum nobis disputandum fuit; in ea quaestione, quae nunc paucis attingenda est, ab eius iudicio pendere possumus. Scaliger contenderat, Cirin ultimam a Virgilio compositam esse, quod iudicium Schraderus p. 41. sqq. examini suo subiecit; cuius de hac re disputationem carptim repetemus. Dixerat Scaliger, Virgilium Cirin Megaris scripsisse, motum memoria rei, quam ipse locus ei excitasset, coll. Donat. Vita Virg. §. 51. „ac cum Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, „languorem nactus est,“ quibus autem ipsis ex verbis Schraderus Scaligerum erroris convinci recte iudicat. Incredibile enim esse, poetam languidum carmen tanto labore vigilatum (vs. 45.) edidisse. Alterum opinioni suae fulcrum Scaliger versum 10. esse voluerat, de quo male in usum vocato Schraderus ait, incredibile esse, Virgilium qui moriens Aeneida ut imperfectam comburi voluerit, ab ea limanda ad tam leve poemation transiisse, quo edito non amplius arti poeticae operam impendere vellet. Num porro, ut hoc ipse addam, sumere licet, Virgilium eodem tempore, quo Aeneida deleri iuberet, ex ipso illo carmine tot versus in Cirin denuo recepturum fuisse, ita haud tecte indicantem, se Aeneida carmen posteritati quavis ratione tradendum existimare? Tum finxerat Scaliger, Virgilium Athenas profectum esse, ut philosophiam

Epicuri perdisceret, cuius profectionis multo aliam causam idem Donatus l. l. indicat: „statuit in Graeciam et Asiam secedere, triennioque continuo „omnem operam limationi dare, ut reliqua vita „tantum philosophiae vacaret." Deinde auctor Ciris vs. 41. sqq. est professus, se primis tantum labris philosophiam gustasse, quod Virgilius vir quinquagenarius non amplius dicere potuit, quippe qui in Eclogis, Georgicis et Aeneide summam philosophiae scientiam comprobavisset. Ineptus etiam fuisset Virgilius, si Bucolicis et Georgicis publicatis et Aeneida tum maxime editurus Ciri talem invocationem praemisisset, qualis vss. 97. sqq. legitur. Messala autem, cui carmen inscriptum est, anno 735. quo Virgilius in Graecia fuit, quinquagesimum annum agebat summis iam honoribus functus, unde Schraderus perabsurdum recte dicit talem hominem *iuvenum doctissimum* vocare. Denique Scaliger ab ipso auctore Ciris redarguitur, qui vs. 44. affirmat, se in Ciri scribenda *prima rudimenta et primos annos exegisse*, quae proinde secundum Schraderum, post Culicem a Virgilio est facta, antequam Eclogas ederet. Quod quum supra satis refutasse nobis videamur, non possumus quin iis assentiamus, qui Cirin neque a iuvene, neque a sene Virgilio scriptam esse asseverant, quam ad sententiam alia etiam argumenta nos ducunt, quae ipsum carmen nobis subministrat.

Auctor igitur carminis nostri statim ab initio se vario laudis amore iactatum irrita vulgi fallacis praemia expertum esse dicit, unde primum hoc colligere debemus, eum quo tempore Cirin edidit, non amplius in prima iuventa constitutum fuisse. Quodsi porro quaerimus, quis ille varius laudis amor fuerit, quibus auctor iactaretur, quae deinde illa praemia irrita vulgi fallacis, nemini in mentem veniet, ea cum Heynio de fama poetica interpretari. Aut potius verba de honorum cupidine, aut de laude

oratoria sunt intelligenda, quarum explicationum cur ego priorem praeferendam putem, in commentario ad ipsum locum docui. Utramvis autem praestare malis, hoc certe clarum est, talia Virgilium nunquam de se dicere potuisse, ut qui neque reipublicae particeps esse voluerit, neque foro operam dederit, nisi forte Donati verba in Vita Virgilii §. 26. huc trahas: *egit et causam unam omnino, nec amplius quam semel.* Quod autem dixi auctorem Ciris non in prima amplius iuventa stetisse, alio etiam loco ipsius carminis comprobatur. Nam quum vss. 43. 44. dicat, se Messalae suo, dum carmen de philosophia Epicurea scribere possit, hoc de Ciri poemation mittere, addit se in eo perficiendo primos annos primaque aevi rudimenta exegisse, atque unum illud esse, quod iam Messalae mittere possit. Si autem poeta quum carmen misit, etiam tum adolescens fuit, cur addidit se illud per primos aetatis annos fecisse? Hinc una nobis relinquitur via ut ponamus, auctorem Ciris carmen suum iam mature exorsum fuisse, tum variis laboribus aliisque studiis poeticis impeditum illud interrupisse, et serius demum, quum Messala iuberet poetam promissis stare, eo rediisse, qua explicandi ratione admissa verbis quoque *quae possumus* clara lux affunditur; vid. comment. ad h. l. Ampliore et doctiore poemate didactico poeta Messalam tum mactare voluit, quando iustos in philosophia Epicurea progressus fecisset. Quae hucusque disputata quum alii cuivis quam Virgilio carmen nostrum vindicent, aliud etiam argumentum accedit, quod rem conficit. Auctor scilicet vs. 18. 19. narrat se interdum carmina ludere et gracilem versum molli pede claudere. Quae verba quum de uno carminis elegiaci genere dici possint (v. comment. ad h. l.), Virgilius, si ei Ciris tribuitur, inter poetas elegiacos est referendus, quod num Scaliger et Schraderus nunc concessuri essent, valde dubito. Ruaeus in Vita Virgilii etiam

Digitized by Google

versus 10. 11. tanquam contra Virgilium pugnantes affert, ut quem non tantum rei poeticae taedium ceperit, ut in tam levi opere desinere non dubitaret. Initium Eclogae sextae, quod quis cupidior etiam nostrae sententiae favere dixerit, cur missum faciamus, Epimetrum ad Culicem exponit.

Progredimur iam ad ea argumenta, quae ex oratione carminis petere licet, in quo quum Schraderus p. 54. dictionem et prisca quaedam vocabula scriptorem Virgilii tempore viventem indicare contenderet, hoc non pronunciandum sed demonstrandum erat. Ceterum de poeta, num Virgilii temporibus vixerit, nunc non dispicimus, sed illud unum demonstrare conabimur, Virgilium Cirin non scripsisse. Quod ostendunt ipsa verba Graeca *Sophia* vs. 3. *psalterium* vs. 177., qualia Virgilius nunquam sibi permisisset; his accedat *nymphae* usus plane Graecus vs. 434. Deinde nonnulla verba inveniuntur in Ciri, quae in toto Virgilio frustra quaeras, *obnixe* vs. 300., *denubere* vs. 329. et *hortulus* vs. 4., quae vox deminutiva imprimis a Virgilii ingenio abhorret. Tum in verbis vulgaribus quaedam nove auctor Ciris sibi permisit, vel certe Virgilio insolita, ut *currum* pro *navi* vs. 25., *naturam* vs. 123. 316. significatione alioquin non obvia, *sal viridis* vs. 460., *glomerare* vs. 316., *mori circum aliquam rem* vs. 235. Audacissime etiam *bigae* vs. 37. *caeruleae* dicuntur, et iusto crebrius auctor vocem *ritus* usurpavit; v. ad vs. 36. De particularum usu singulari egregie disseruit Fridericus Iacob Vir Eruditissimus ad Propert. p. 165. sq. cuius diatriben huic Epimetro inserere tanto minus dubitavi, quanto maius ornamentum ita ei accedere scio. Haec igitur sunt eius verba: „Quod alii probare conati sunt, non esse Vir„gilii Cirin, id ego quoque via alia eaque satis mu„nita invenisse mihi videor, ex particularum obser„vatione. Quot res ab hac parte quantam lucem „accipere possint, uno hic exemplo docere liceat.

„His itaque particulis (at multis, ut in brevi poema-„tio,) Ciris auctor a Virgilio recedit. 1: *Etsi*, quod „Virgilius nunquam habet, hic legitur vss. 1, 414. „2: *Si* nunquam a Virgilio reticetur, noster reticet „vs. 446*). 3: *Quum*, quod alii etiam poetae raris-„sime faciunt, nunquam Virgilius, iungitur hic cum „plusquamperfecto coniunctivi vs. 365. 4: *Quod* „plerumque hic indicativum adsumit, Virgilius prae-„tulit coniunctivum. 5: Idem valet in *antequam*. „6: *ubi* hic imperfectum et plusquamperfectum pa-„titur, quod vitat Virgilius. 7: Contra *ut*, tempo-„rale, quod nemo Virgilio frequentius usurpavit, „hic semel legitur vs. 429. *ut vidi*, *ut perii* etc., loco „illo ex Ecl. VIII, 41 subrepto, cuius exemplar „Theocrit. *Εἰδ. γ.* 42 Homerum expressisse vide-„tur: *Ἰλ. ξ.* 294: *Ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν Ἔρως πυκινὰς* „*φρένας ἀμφεκάλυψεν.* 8: *Simulac*, quod, si in Vir-„gilio invenitur, ex Codicibus in *simul ut* mutandum „est, Ciris auctor posuit vs. 162. 9: Denique sin-„gularem usum observes apud Virgilium in particu-„la *Adeo*, et in quo neque alium habet auctorem „ipse, neque imitatorem quenquam. Est enim „haec ipsi usitatissima (vicies quater invenitur) in „unoquoque versu vox altera, nisi quod praece-„dente vel negatione vel copula cum elisione etiam „tertium locum obtinet; veluti: *Haec adeo, Restituant* „*adeo, Nec me adeo*, *Iamque adeo.* Uno tantum loco „in medio versu legitur, Aen. XI, 309, ut tamen „enunciationis itidem altera vox sit, easdem regu-„las secuta:

Concipis. etsi adeo dotalis regia cordi est.

„Contra Ciris auctor, ut reliqui omnes, quovis eam „loco collocat, qui anapaestum recipiat; vs. 406: „*Vos ego*, *vos adeo* etc.“

*) Hanc de Ciris loco factam observationem a me comprobari non posse, pace Viri pariter humani atque eruditi profiteor.

Digitized by Google

De interiectionibus ab auctore Ciris mediae orationi saepissime interpositis vid. ad vs. 298., et quae praeterea rhetorica possunt colligi argumenta, in alium locum, §. 3. reieci, ubi ingenio poetae nostri in universum describendo aptius collocari videbantur.

§. 2.

Videmus quid de eorum opinione statuendum sit, qui Virgilio Cirin vindicandam esse censeant; transeundum nobis iam est ad eos VV. DD. qui *C. Cornelio Gallo* Cirin tribuerunt, quae sententia quo speciosior videbatur, eo plures asseclas est nacta. Et primum quidem, qui in hanc coniecturam incideret, Obertus Gifanius fuisse videtur, si Barthio Adv. III. 21. fidem habere licet, quum ipse Gifanius in ind. Lucret. s. vv. *aera*, *barbaricae* et *ritus* de Virgilio auctore non dubitet. Eo maiori cum confidentia Barthius pluribus in locis (ut ad Stat. Silv. I. 2, 49. IV. 7, 2. et maxime Advers. l. l.) Gallum hoc carmine beare voluit, longe tamen superatus a Fontanino Hist. liter. Aquilei. I. 2, 6. p. 1—62. et I. H. Vossio, Viro immortalis memoriae, ad Virg. Eclog. VI. 74. p. 328. sqq. quorum argumenta suo iudicio approbarunt Weichertus in dissertat. de vss. Virgilii iniuria suspectis p. 67. et in vita Apollonii Rhodii p. 56. Passovius in Wachleri Philomathia Vol. II. p. 124. et Meinekius ad Euphor. p. 54. quem tamen nunc plane aliter sentire ex ipsius Viri Eximii colloquiis comperi; perquam circumspecte de hac re loquitur Ellendtius l. l. p. CXXXV. Priusquam tamen ad Fontanini et Vossii rationes accuratius exigendas transeam, pauca de *C. Cornelii Galli* vita praemittenda sunt, quae Italo illi eruditissimo accepta refero. C. Cornelius Gallus eques natus est a. u. 685. Foroiulii, eiusque potissimum opera Virgilius Augusto innotuit, qui illo variis suis

Digitized by Google

in bellis, maxime in Aegypto post pugnam Actiacam utebatur. Hinc Gallus ab Augusto praefectus Aegypti est constitutus, ubi, postquam Thebas, quae a Romanis defecerant, a. u. 725. poenae causa deleverat, sua ipsius manu cecidit a. u. 728., motus, ut Fontaninus putat, falsis criminationibus, quas Romae ei Valerius Largus homo scelestus carminibus suppositis intenderat; coll. Ovid. Amor. III. 9, 63. Ab eo probe sunt discernendi C. Asinius Gallus, qui a. u. 786. iussu Tiberii obiit, Gallus Amerinus a Propertio memoratus (v. Barth. in Clavi Propert. s. v. *Gallus*) et Cornelius Gallus praetorius ap. Plin. VII. 35. Et ad illum quidem *C. Cornelium Gallum* Cirin referendam esse, collegerunt ex Virg. Eclog. VI. 74—77. qui in Ciri vs. 58—60. recurrunt. Hos igitur versus a Gallo primum factos Virgilium illi Eclogae ipsum Gallum celebranti interposuisse, ut et huic et Asinio Pollioni gratificaretur. Silenus igitur in hoc carmine a pueris per vinum somnolentus deprehenditur, a quibus vinctus et facile se rogari passus, sublimia carmina de exordiis rerum cantat varias tum fabulas et mythicas et heroicas addens. In his Virgilius Gallum suum suaviter adulabundus Silenum huius etiam cum Hesiodo comparati mentionem iniicere iubet; quo facto Silenus denuo ad narrationem fabularum progreditur et primam historiam de Scylla in monstrum marinum mutata proponit. Haec igitur Galli Scyllaeque apud Virgilium vicinia potissimum suspicionis illius a Gifanio motae argumentum praebet, ubi tamen plane incredibile est, Viros DD. non intellexisse versus Virgilii 74—77. de Gallo sumi non potuisse, quia non Linus, cuius verba ad Gallum dicta statim praecedunt, sed denuo Silenus eos canit, ut, si nonnullorum interpretum sententiam secuti Silenum personatum Gallum habere velimus, Gallus etiam ea omnia scripsisse putandus sit, quae inde a vs. 31. Silenus omnis humanae divinaeque

Digitized by Google

sapientiae interpres prudentissimus cantaverat. Mihi potius Virgilius, si Galli poema aliquod de Scylla respexisset, eadem perspicuitate mentionem eius facturus fuisse videtur, qua carmen de nemore Gryneo memoravit. In his etiam summam Virgilii artem cognoscere licet, qui ut Gallo a Sileno laudato maiorem fidem pararet, hanc ipsam laudem non ad finem Eclogae poneret sed reliquis fabulis mediis intertexeret, quo quasi Gallus non amplius suus aequalis sed vates aliquis mythicus fingeretur. Ineptus etiam fuisset Virgilius, si eundem Gallum a duobus vatibus et Sileno et Lino laudari voluisset, quod multo gravius per unum Linum fieri potuit. Nescio an disputatio mea, cuius partem aliquam licet valde exiguam Schraderus p. 51. occupavit, ad persuadendum sit apta, mihi certe luce, ut aiunt, clarius est, Virgilium, si his etiam verbis Gallum celebrare voluisset, multo aliam viam ingressurum fuisse ac iam factum videmus. Ceterum addo, in legendo hoc loco unice me probare Iahnii mei doctam expositionem, qua codici Mediceo hic quoque honor suus tribuitur. Postquam igitur demonstrasse nobis videmur, locum Eclogae ad Gallum referri nequire, reliquis argumentis, quibus Fontaninus et Vossius opinionem suam stabilire sunt conati, repellendis supersedere bene possemus, praesertim quum ea ita sint comparata, ut ipsi illi duumviri vix multum momenti iis tribuerint; noluimus tamen has quoque partes deserere, ne nostro officio, quatenus id explere possumus, defuisse arguamur. Tantum ubique consensum elucere dicit Fontaninus p. 34. inter ea, quae de Gallo narrentur a Sileno Virgiliano et quae de se ipso narret Gallus in Ciri, ut nihil supra. Silenum enim de Gallo scribere, *errantem ad flumina Permessi* ab una ex novem Musis in montes Aonas ductum; Gallum in Ciri, quo respexerit Silenus dicere, *se vario iactatum laudis amore, sub viridi umbra in Ce-*

cropio hortulo florentis Sophiae consedisse, et Eratum Musam, amorum praesidem, cuius nomen reticuerit Silenus, *paucis placitum collem* nempe Aonium adscendisse. Nolo nunc urgere, Eratum non nisi falsa lectione in Cirin illatam et a Fontanino male in auxilium vocatam esse; tanto gravius est, ut Schraderi fere verbis p. 49. utar, non observasse, aliud esse, in Aonium montem ab una Musarum duci et calamos accipere, quibus *Grynaei nemoris dicatur origo*, *ne quis sit lucus*, *quo se plus iactet Apollo*, aliud nuntium Musis fere remittere et in hortulo Cecropio philosophiae vacare. Fontaninus porro mala apud Virgilium lectione *quid loquar ut Scyllam Nisi*, *aut quam fama secuta est* male abusus mire comminiscitur, Silenum his verbis indicare, Gallum utramque Scyllam et Phorci et Nisi filiam cantasse, et ex Ciris vs. 89. adeo colligit, Gallum ibi profiteri, se Scylla Phorci in aliud tempus seposita, Scyllam Nisi suis carminibus celebrandam delecturum, quod quomodo quis in illis versibus invenire potuerit, iam Schraderus p. 50. se non intelligere ait. Quod deinde magna cum confidentia Fontaninus ponit, Servium ad Virg. Eclog. X. init. VI. 72. testari, Virgilium versus illos saepe memoratos a Gallo mutuo accepisse, cupidius quam verius dictum est. Servius enim illo in loco „libros „poetae commemorat, hic vero Euphorionis carminum, quae dicit eum in Latinum sermonem „*transtulisse*, exponit argumentum; sed huius ope„ris, quod tamen Maronis interpres memorare de„buerat, non meminit. (cfr. Meineke de Euphor. „fragm. p. 101. sq.) Luce clarius est, Fontaninum „Virgilii verbis (Eclog. VI.) non intellectis dece„ptum, nullo iure Scyllae, Phorci filiae, et Terei „et Philomelae metamorphoses inter Galli libros „retulisse.“ (Schrader. p. 51. 52.) Nihil etiam iuvant verba Servii ad Virgilii Eclog. X. 46. a Fontanino laudata: *hi omnes versus Galli sunt*, *de ipsius carmi-*

Digitized by Google

nibus translati. Spectat enim hoc scholion, ut quisque mente non praeoccupata videt, non ad Eclogam VI. sed ad X., in quam nonnullos Galli versus a Virgilio receptos fuisse, Servio et Fontanino Schraderus p. 53. recte concedit. Ut vero ibi veteres commentatores hanc Virgilii gratam erga Gallum adulationem observarunt, quidni idem eos, si potuissent, facturos fuisse putaveris ad Eclog. VI.? ut quae Fontaninus in suum commodum dicta opinabatur, potius contra eum valeant. Ultimum Fontanini argumentum — Cirin quamvis carmen elegantissimum tamen ob traiectionem verborum alicubi durius videri, quem naevum in carminibus Galli Quinctilianus X. 1, 93. tetigerit — Schraderus p. 52. eo elevat, quod nullae verborum traiectiones in poemate deprehenduntur et duritiei etiam ab uno Quinctiliano in Galli elegis notatae vestigia in Ciri non inveniuntur. Quae praeterea I. H. Vossius ad Cirin Gallo vindicandam dixit, ea non certis testimoniis nituntur, id unum probantia, Gallum Cirin scribere potuisse. Hac mente varia narrat de Galli iuventute, de ratione quae ei cum Messala intercesserit, et Cirin ante bellum Mutinense scriptam esse asseverat, quia Virgilius in Ecloga II. a. u. 712. duos versus 5. et 11. ex Ciri vs. 207. 369. posuerit; idem vero non explicat, quamobrem Virgilius parvum illud poemation in omnibus suis carminibus tam anxie expresserit. Ut enim hoc Viris Doctis illam sententiam defendentibus largiamur, Virgilium in Eclogis suis Gallum fuisse imitatum, sive ipsius viri studio incitatum sive Asinio Pollioni sese commendaturum, nemo tamen virtutes poematis tantas esse contendere velit, ut Virgilius perpetuo illud sibi exemplum proponeret, quasi alteram post Homerum Iliada vel Odysseam. Insuper, quod gravissimum est, Virgilius Galli carmina tanto studio imitari omnino non potuit, quum iste ultimo vitae suae tempore in summam Augusti invidiam

incidisset. Hinc Virgilii, qui totus ab Augusti favore pependit, erat omnia vitare quae Augustum Galli commonefacerent, et Virgilii obtrectatores tam egregiam aemuli sui felicissimi evertendi occasionem certe non praetermisissent, si minus cautus etiam a mortuo Gallo laudando non abstinuisset. Sed certe abstinuit, quod Grammatici clare testantur. Etenim Donatus in Vita Virgilii §. 39. haec prodidit: „usque adeo hunc Gallum Virgilius ama„rat, ut quartus Georgicorum a medio usque ad „finem eius laudem contineret. Quem postea, iu„bente Augusto, in Aristaei fabulam commutavit." Haec ab Heynio perperam in dubitationem vocata narratio, quam ipse Vossius p. 321. pro vera agnovit, satis puto demonstrat, Virgilio non licuisse in Aeneidem Galli versus recipere; licuit autem, si Fontaninum et Vossium sequimur. Unde porro Vossius audiverit, Gallum tales fabulas, qualis nostra est, praeterea etiam scripsisse, nescio; certe illud non colligere debemus inde quod Parthenius amatorias suas narrationes ei dedicavit, quod argumentum tum demum aliquam probabilitatis speciem haberet, si Parthenius in collectione sua Scyllam sive Cirin et originem nemoris Grynei verbo attigisset. At ne tum quidem res statim conficeretur, sed alia etiam fulcra accederent oporteret. Quod deinde Vossius contendit, primos Ciris versus de Gallo bene intelligi posse, recte quidem hoc dicit, sed eodem iure de quovis cive Romano dicere possumus, qui prius captator aurae popularis serius ab ea deceptus sensit idque est professus. Denique Vossius in excusando Virgilio versatur, qui quod paucos(!) versus ex Galli Ciri in opera sua receperit, non ingenii inopiam prodiderit, sed existimationem Galli prae se tulerit; versus illos in iis scilicet Eclogis inveniri, quae in laudando Gallo vel Asinio Pollione ei amico versentur. Summam sine dubio voluptatem Gallum per ipsum locum

Eclogae VI. 72—81. cepisse, ubi Silenus sacro numine afflatus non tantum carmen ipsius de nemore Gryneo memoret, sed adeo ex Ciri poemate vetustiore, quod Gallus iuvenis fecerit, versus 58—60. cum levissima mutatione repetat, et insuper fabulae de luscinia versum 81. qui est vs. 50. in Galli Ciri, admisceat. Quae omnia qui accuratius consideraverit, pariter atque superius dicta omni fundamento destituta esse videbit, et quum fidem ab una lectoris credulitate exspectent, Vossius tam firmiter iis insistere non debebat. De paucis Ciris versibus a Virgilio in carmina sua receptis iam supra est disputatum, Eclogis opposuimus Georgica et Aeneidem. De nemore Gryneo audio; at Ciris in seqq. non indicatur ut Galli carmen, quum non amplius Linus haec verba ad Gallum loquatur, sed Virgilius in Sileni cantu pergat. Ultimus autem versus de luscinia contra ipsum Vossium pugnat, quia auctor Ciris eum non de luscinia sed de Ciri sua usurpat. Virgilius si hoc modo Gallum adulari voluisset, de eadem avi versu illo uti debebat, de qua Gallus eo usus fuerat, quod de ipsa Ciri pariter valet. Etenim mirum est, Viros DD. non vidisse, Virgilium, si Galli aliquod poema imitari voluisset, ab eius narratione non recessurum fuisse, qui, si aliter rem instituisset, Gallum rei minus recte factae arguisset. Quum igitur Ciris auctor sive Gallus hanc fabulam secutus esset, qua Scylla in avem mutata credebatur, Virgilius quoque idem narrare debuit; quod quum non fecerit sed Scyllam in monstrum biforme abiisse dicat, hoc etiam contra Fontaninum et Vossium recte proferri videtur. His quae hucusque contra Fontaninum et Vossium disputavi duo sunt adiicienda, quae Gallum Cirin non scripsisse evincunt, primum quod nusquam aliquid vel de Ciri vel de similibus narrationibus mythicis a Gallo scriptis narratur, quum versiones ex Euphorionis carminibus factas huc trahere non liceat; al-

Digitized by Google

terum, quod Grammatici veteres, ubi de talibus versibus loquuntur, qui et in Virgilii operibus et in Ciri exstant, de Gallo eorum auctore nihil dicunt, cum tamen, si Virgilius eos a Gallo accepisset, Virgiliomastiges illud vix tacuissent. Duo tantum huius rei exempla eaque gravissima proferam in Ciris versu 429.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error

qui et in Virg. Eclog. VIII. 41. legitur. Ibi quum Servius Theocriti imitationem memoret, nihil dicit, eam primum factam esse a Gallo; idemque deprehendimus in Ciris vss. 58—60. quos Gellius Noct. Att. II. 6. e Virgilii loco saepius laudato affert et post Annaeum Cornutum varias Grammaticorum de iis sententias enumerat. Viri harum rerum intelligentes facile perspicient, cur aliis versibus quos producere poteram missis hos potissimum urgendos censeam, cum quibus huic dissertationis nostrae parti finem imponamus.

§. 3.

Paucioribus verbis defungamur in *Eglini* sententia iudicanda, qui ad calcem castorum Catulli carminum p. 17—21. Cirin a *Catullo* scriptam esse sibi persuaserat. Primum huius opinionis argumentum petiit ex similitudine Epithalamii Catulliani et Ciris, de qua, ut statim docebimus, plura etiam dicere poterat, unde colligit, utrumque carmen ab eodem poeta scriptum esse. Schraderus tamen p. 46. nullum in Ciri versum Catulli, sed dictionem, numeros et manifestam poetae Veronensis imitationem agnosci recte monet, simul addens, hinc non sequi, Cirin a Catullo scriptam esse, praesertim cum tanta eorundem versuum copia in ea et Maronianis carminibus habeatur. Non minus infirmum est alterum Eglini

Digitized by Google

argumentum ex Plinio H. N. XXVIII. 4. sumtum, qui Catulli incantamenta laudat. Haec ea esse, quae nunc in Ciri vss. 368 — 376. legantur; ea vero, ut Schraderi verbis utar, „adeo pauca, ut „Catullum Plinius, etiamsi verus auctor habitus „esset, ob ea Theocrito et Virgilio non adiunxis- „set, qui late materiam tractarunt Idyll. II. et „Eclog. VIII. Verisimilius igitur est, opus Catulli „deperditum respici. — Quam multa vero pos- „sunt afferri, quibus Egliniana convellatur opi- „nio! Nam quis veterum Cirin Catullo tribuit? „quis Messalae veneratorem fecit? quis philoso- „phiae tradit fuisse deditum?“ Illud quod Barthius ad Claudianum in Rufin. I. 253. Fontaninus et Heynius Eglini sententiam funditus evertere prae se tulerunt, aetatem Messalae, Schraderus minus urget, et hoc quidem recte, quia Messala a. u. 685. natus, a Catullo qui certe anno u. 707. superstes fuit, *iuvenum doctissimus* dici potuit. Nonne etiam, qui Eglini vestigia sequens Catullum Ciris auctorem habere vellet, dicere posset, non Messalam illum gentis suae celeberrimum, sed alium quempiam huius nominis intelligendum esse?

Tutissimam eamque unice veram viam illi ingressi mihi videntur, qui Cirin opus incerti poetae iudicarent, ut Scriver. ad Martial. VII. 69. Broukhus. ad Tibull. p. 90. Ruaeus in Hist. Virgil. ad a. u. 696. Martynus in vita editioni Eclogarum praemissa p. 25. Marklandus ad Stat. Silv. V. 2, 81. p. 363. ed. Dresd. Wagnerus ad eleg. in Messal. p. 21. et Iacobus ad Propert. p. 165., et quum quid de aliorum VV. DD. opinionibus circa carminis nostri auctorem sentirem, supra dixerim, ea nunc colligam, quae ipsa Ciris nobis subministrat. Sunt quidem ea valde pauca, neque ita comparata, ut certum inde iudicium de vero Ciris auctore ferre audeamus; sed haec ipsa, quam nunc tractamus, quaestio in earum numerum re-

Digitized by Google

ferenda videtur, de quibus summus Hermannus in Opusc. Vol. II. p. 288. ait: „est quaedam etiam „nesciendi ars et scientia. Nam si turpe est ne- „scire, quae possunt sciri, non minus turpe est, „scire se putare, quae sciri nequeunt. Alterum „enim segnitiem aut inertiam, alterum assentandi „levitatem aut temeritatem coniectandi arguit." Uti enim Virgilium pariter ac Gallum et Catullum a scribenda Ciri alienos fuisse supra vidimus, ita etiam in aliis carminibus dubiae originis fieri haud raro animadvertimus, ut quum quis nomen invenisse sibi videatur, cui hoc illudve poema tribuendum sit, alter criticus eam coniecturam ut minus stabilem evertat. Quod summam nobis in hac quaestione cautionem commendavit, et satis fecisse putabimus, explicantes, quid de Ciris origine iudicari oporteat, non quid iudicari possit. Et primum quidem poeta quicunque ingenio praeditus, quale si sibi contigisset multi poetarum nostrorum recte gratularentur, quum epico carmini pangendo se imparem esse intellexisset, narrationem aliquam mythicam tractandam sibi elegit, cuius argumentum, morem poetarum Romanorum secutus, non ex suae patriae historia sed ex Graecia petiit, et Graecum etiam exemplum, in quo eadem res narrata fuerat, ante oculos habuit, ut interdum eum vere graecissare dicere possimus (v. ad vs. 105. 135. 172. 251. 326. 330. 434. 483.). Quam Graeci poetae imitationem ita temperavit auctor noster, ut quantopere prae ceteris poetis Romanis Virgilium et Catullum admiraretur, non occultaret, sed laudi suae haud parum consultum iri confideret, si ex utroque quantum liceret sumeret, qua observatione etiam I. H. Vossium refutari puto, qui l. l. sibi persuadere non potuit, seriorem aliquem poetam adeo impudenter aliena scrinia compilaturum fuisse, quod etiam per exordium carminis demonstretur. Imo

Digitized by Google

de fraude nunquam cogitavit auctor Ciris, qui profecto perquam ineptiisset, si talem in Virgilio poeta omnium celeberrimo factam rapinam paucos duntaxat dies occultari posse opinatus esset. Aperta potius Virgilii imitatio poetam nostrum hac culpa liberat, qui si mala dexteritate uti voluisset, multo cautiorem sese praestitisset, nisi forte ipsum quoque Virgilium hominem fraudulentum dicas, ut qui multos Homeri versus expresserit. Iusto plura tamen nostrum sibi permisisse, neque eorum quae tam e veterum rhetorum disciplina quam per suam experientiam de *imitatione* egregie monet Quinctilianus Inst. Orat. X. 2. memorem fuisse, carmen ab eo scriptum docet. De versibus Virgilii nihil amplius dicere opus est; de Catullo Viri DD. rem magis indicarunt quam explicuerunt, et paucis lectorem advertendum esse puto, quibus in rebus imitationem Catulli apud Ciris auctorem deprehendisse videar. Ea cernitur tam in singulis enunciationibus quam in omni carminis descriptione. Illarum quidem Lenzius in editione epithalamii p. 82. sq. non exiguum versuum numerum collegit, quos poeta noster ex ipso illo epithalamio in Cirin receperit; sed magna eorum pars nihil probat, cum ita sint comparati, ut quisque fere poeta in eadem incidere deberet. At sunt alii loci, in quibus apertam Catulli imitationem lector vel maxime incredulus agnoscat, quos iam a Schradero indicatos hic repetamus. Itaque cum

Ciris	vs.	1.	conferas	Catull.	65,	1.
—	—	3.	—	—	64,	87. sq.
—	—	11.	—	—	76,	13.
—	—	43—45.	—	—	101,	7—9.
—	—	54.	—	—	62,	16.
—	—	121.	—	—	64,	309.
—	—	167. 511.	—	—	64,	63.
—	—	205.	—	—	64,	122.
—	—	241.	—	—	68,	17.

Digitized by Google

cum Ciris	vs.	306.	conferas	Catull.	65,	9. sq.
—	—	365.	—	—	64,	369.
—	—	430.	—	—	64,	175.
—	—	441.	—	—	64,	153.
—	—	442.	—	—	64,	160. sq.

Neque vero intra hos arctos fines sese continuit auctor Ciris, sed fabulam ab ipso narratam ita tractavit, ut alterum quasi Epithalamium Catulli nobis in manus tradatur. Videmus scilicet peplum Panathenaicum eadem cura describi, qua Catulli stragulam, et in utroque poeta non facile excuses, tantum verborum episodio tribui; videmus Graeciam et Cretam tanquam terras hostiles sibi oppositas, quod ipsum effecisse puto, ut auctor Ciris hanc neque aliam quampiam narrationem versibus suis exornare vellet; videmus vim amoris in Scylla pariter atque Ariadna manifestatam, puellam quae amoris causa patrem prodiderat, postea a viro amato desertam. Carme et Aegeus paene eadem loquuntur et luctus Scyllae quantam cum lamentis Ariadnae similitudinem habeat, neminem latebit. Videmus porro in utroque carmine Nereides, hic novum navis monstrum, illic puellam navi alligatam admirantes; videmus poetam etiam aperta Catulli vitia servili prorsus imitatione exprimentem, dum gravissima quaeque obiter tantum attingens in orationibus plane rhetoricis fingendis mirum quantum moratur. Id iam Heynius in prooemio animadverterat, qui tamen quum contendit, breviorem rerum notarum narrationem iudicio poetae subtiliori tribuendam esse, qui notioribus omissis exornare voluerit, quae ab aliis nondum fuissent occupata, huic plura nimis liberaliter condonavit. Omnis enim fabula nota erat, et poeta si hoc agere voluit, opusculum suum scribere omnino non debuit. Ulterius etiam procedit Gierigius ad Ovid. Metam. VIII. 151. qui Virgilium Cirin scripsisse tanquam certum ponens, Ovidium ipsam Scyllae mu-

Digitized by Google

tationem paucioribus contra morem suum verbis memorasse ait, quod iam Virgilius in carmine suo egregie occupasset. Mira sane Ovidii et proinde etiam auctoris nostri excusatio, quam pluribus refellere non opus videtur. In contrariam potius opinionem inciderat Ruaeus, Ovidium (Metam. IX. 382 — 431.) a poeta nostro in colloquio Scyllae cum nutrice expressum fuisse, quod vero Fontaninus et Schraderus p. 54. negarunt. Ut nomen poetae, ita etiam aetas qua floruit est incerta. Quodsi tamen coniecturam proponere licet, eum paullo post ipsum Virgilium eiusque adeo temporibus vixisse dixerim. Virgilius enim quum anno urbis 735. obiret, insigni iam gloria gaudebat, atque Aeneis Augusto adhuc vivente in scholis praelegebatur (v. Iahn. introduct. ad Virg. p. 29. sq.), unde certe hoc colligere licet, Cirin, quae tota e Virgilii admiratione profluxit, sub Augusto oriri potuisse. Eam autem non serius scriptam fuisse, locus iam supra, alio tamen consilio a me tractatus ostendit. Poeta enim primo statim et secundo carminis versu se irrita praemia vulgi fallacis expertum dicit, quod vix aliter quam de honoribus et magistratibus intelligi posse supra vidimus. Vulgus autem fallax illo tantum tempore dici potuit, quo candidatis honores petitos vel tribuebat vel auferebat, et quum Tiberius primo statim imperii anno (767. u. c.) comitia e campo ad Patres transtulisset, hinc sequitur, Cirin ante hunc ipsum annum et proinde sub Augusto scriptam fuisse, et Messala ille a poeta compellatus fortasse ille fuit, qui adulationis servilis erga Tiberium unicum exemplum dedit (Tacit. Annal. I. 8.). Sermo etiam elegantissimus, quo carmen nostrum est conscriptum, facile de hac aetate cogitare nos sinit, quamquam non ii sumus, qui cum nonnullis VV. DD. illud vere divinum dicere audeamus. Parenthesium certe usus nullis fere finibus circumscriptus hac laude poetam nostrum privat, et licet tu-

Digitized by Google

mor et quaesita sublimitas, quae serioribus poetis fere omnibus communis est, in Ciri non reperiatur, multa tamen, ut iam Ruaeus et Heynius viderunt, in carmine exstant, quae ab eo abesse malis. Huc referas etiam mirum illum excursum de peplo Panathenaico (vs. 20. sqq.) nonnullasque affectuum humanorum descriptiones, quae quia latius vagantur et in universum dictae de quovis alio etiam homine valere possunt, non parum frigent. Rhetorem etiam magis quam poetam sapiunt crebrae repetitiones singulorum verborum in duobus deinceps versibus (vs. 17. 18. — 129. 130. — 134. 136. — 334. 336. — 371. 372. — 373. 374. — 487. 488.), quae quamquam etiam ab aliis poetis propter orationis et sententiarum gravitatem admissae sunt (Toup. Opusc. T. II. p. 191. Köler. ad Catull. Epithalam. 62. p. 114.), in poemate tamen tam parvi ambitus non adeo saepe occurrere debuerunt.

§. 4.

Superest ut pauca de critica conditione dicamus, qua carmen ad nostra tempora pervenerit. Et quum foetus ille poetae non inelegantis casu olim Virgilii operibus genuinis additus esset, factum est primum ut ei tribueretur, quomodo saepe illud in carminibus minoribus accidisse scimus. Postea rarissime a librariis carmen est descriptum, qua de re Heinsium loquentem Heynius laudavit. Mihi tamen per singularem fortunam contigit, ut quatuor subsidia critica nanciscerer, quod in libro tam raro obvio plurimi est faciendum. Et *Rehdigerani* quidem codicis praestantissimi, qui saepe veram poetae manum restituit, saepius etiam viam coniecturae faciendae munit, notitiam primam hausi ex Handii Praef. ad Stat. T. I. p. XXV. Cuius libri, de quo nunc v. praefationem meam ad Statii Silvas p. XXI., ut excerpta acciperem adii b. Man-

sonem, qui precibus meis commotus effecit, ut Augustus Wellauerus Vir et doctrina et humanitate conspicuus collationem huius libri in meos usus instituendam susciperet, quod negotium summa cum cura et diligentia administravit. Quo non contentus alium etiam codicem Ciris Vratislaviensem nunc in bibliotheca Regia, quondam in bibliotheca fratrum Ordinis praedicat. ad *S. Adalbertum* asservatum contulit. De eo iam Lingius in quaestionibus Plautinis praef. p. X. egerat, et quamquam liber initio demum saeculi sexti decimi exaratus est, multa tamen habet, quae in emendanda Ciris oratione mihi profuerunt. Eo magis est dolendum, multa in eo deesse, quum inde a vs. 252. omnia perierint. Hunc codicem litera *A.*, illum litera *R.* indicavi. De *Helmstadiensi* in epimetro ad Culicem egi. *Editionem Principem* huius carminis Romae a. 1471. in lucem emissam Parisiis a. 1824. contuli, Van-Praetio id comiter permittente. Codicis *Basileensis*, cuius excerpta Heynius post Friesemannum dederat, plenam et accuratam collationem Gerlachius Professor Basileensis Casparo Orellio Turicensi, quem hac de re rogaveram, impetrante instituit. Ipse tamen Orellius in literis ad me datis significavit, hunc codicem merum apographum Editionis Principis esse, quod ex epistola Ciri praemissa clare apparet, quae eadem est, quam Io. Andreas Episcopus Aleriensis illi editioni praemiserat; postea mihi lectiones codicis Basileensis et Editionis Principis comparanti nullus de hac re dubitandi locus est relictus. Omnibus autem illis Viris Doctissimis, qui de Ciri tam benevole meruerunt, grates maximas ago, id unum cupiens, ne eos operae carmini a se navatae poeniteat.

Ex his igitur subsidiis criticis orationem incredibile quantum corruptam emendare vel certe viam monstrare sum conatus, qua critico feliciori progrediendum videretur. Multa in carmine difficilli-

Digitized by Google

mo ulteriore ope egent, quam cum multis Viris doctis a Weicherto et Naekio cupidissime exspecto. Unum praestitisse puto, ut non amplius de interpolationibus dicatur, quae in hoc potissimum carmine tam raro descripto certis argumentis nunquam adstrui poterunt. Et de hac quidem re plura dicere possem, nisi pietas in decessorem meum id prohiberet, cuius opera quamquam tumultuaria perquam mihi utilis fuit.

Digitized by Google

C I R I S*)

AD MESSALAM

ARGUMENTUM

M. Valerio Messalae inscriptum est carmen: eique in exordio satis diserto ad v. 100 illud offert poeta. Narrare inde incipit fabulam de Scylla, Nisi Megarensium regis filia. Habebat Nisus in vertice crinem purpureum, urbi ac regno fatalem, ut capi Megara non possent, quamdiu ille incolumis esset. Minos, Cretae rex, Megara urbem cum obsideret, Scylla, cum ex muro

) Ciris quaenam veteribus avis dicta fuerit: nondum satis expedita res est. Accipitris genus fuere qui putarent: idque Etymol. M. firmat: Κίῤῥις, εἶδος ἱέρακος. Inde alii eandem eam cum circo tradidere. vid. Muncker. ad Hygin. f. 198. De haliaeeto (halyaetum scribunt alii, non satis bene) minor est dubitatio: cum ipsum nomen aquilam marinam prodat, et Aristoteles Hist. Anim. IX, c. 32 inter sex aquilarum genera ἁλιαιετὸν recenseat. Addit alia Plinius lib. X, 3. cf. Muncker. ad Antonin. cap. 11. Thynoaquilam, seu potius Dunoaquilam, nunc appellari Loensis tradit in Miscell. Epiphyll. VIII, 26, quoniam versatur in dunis seu collibus arenosis iuxta mare. Cuniculis quoque eum insidiari et fetus depraedari. Perdicem alios putasse esse cirim, quae solitaria avis sit, disco ex Iulio Sabino. Notas edidit poeta ipse has: esse eam pulcriorem cygno vs. 489, in vertice crista purpurea 501, pluma vario colore 502, crura rubentia 505. 506, degit solitaria in locis desertis 518. 519, odium in eam pertinax est haliaeeti 532 sqq. Adde eam in Graecia, et Italia forte, habitare, et inter serenae ex pluvio caelo tempestatis praesagia referri in Ge. I, 404 sq., si in conspectum veniat haliaeetus cirim fugans. Quae de ciri commemoravimus, vix videntur in alaudam cadere, quam uno cristae argumento multi [et in iis Fontaninus p. 32.] in ea quaesivere: in quod avium genus saevire solet accipiter fringillarius, dictus inde aliis Nisus.

Digitized by Google

forte eum prospexisset, insano eius amore correpta est: quo illa victa noctu surrexit, ut crinem illum fatalem clam rescinderet, quo sibi Minois amorem conciliaret. Exeuntem cubiculo animadvertit nutrix, Carme, Iovi olim amata, ex quo illa Britomartin pepererat. Ea alumnae meliora primum persuasit, mox autem multis frustra tentatis ut Nisus pactione bellum componeret, in nutriciae sententiam concessit. Resecta igitur Niso coma aurea et cum urbe Minoi tradita. Is vero facinus tam atrox et im-

Scaliger ad Cirim v. 528 falconem interpretatus est haliaeetum, cirim autem Egrettam: quo nomine appellasse videtur Ardeam albam minorem, Garzettam quoque appellatam. Inter haec nihil effici potest, nisi avium per istos tractus genera melius teneamus; fit enim probabile, domesticam Megarensibus avem Cirim fuisse. Mergum Megaridem frequentare (αἴθυιαν) ex Pausan. I, 5, p. 13 didici.

In fabulae autem tractatione per hoc carmen mirum videri potest, multa vix verbo attingi, quae tamen potiora narrationis capita esse videbantur, ut comae ipsa resectio et Scyllae cum Minoe super ea pactio. Quae quidem res aut poetae vitio aut loci luxatione accidere debuit, aut a poetae arte profecta est, dum ille leviter tantum attigit ea, quae ab aliis diligenter erant ornata. Fabula enim a multis iam erat tractata, Graecis scilicet poetis, et variis figmentis etiam per interpretationem, exemplo ipsius Callimachi, in *Αἰτίοις*, variata: quod in ipso carmine, etsi parum poetice, exponitur, vss. 54 sqq., ubi vid. Not. Neque Hyginus inscitiae accusandus erat, qui fab. 198 in piscem mutatam esse Scyllam narravit. Tradiderat et hoc scilicet alius poeta, forte Tragicus aliquis. Aeschylus Choeph. 607. monili aureo corruptam Scyllam, *φοινίαν Σκύλλαν*, Minoi patris immortalem capillum (*ἀθανάτην τρίχα*) prodidisse: *κιχάνει δέ μιν Ἑρμῆς*, quod ad Nisum refert eiusque mortem Scholiastes; nisi de Scylla illa accipienda putes, ut exquisitior aliqua fuerit narratio de poena per Mercurium ab ea sumta. Prior tamen explicatio cum eo convenit, quod apud Apollod. est III, 15, 8 *ταύτης ἀφαιρεθείσης τελευτᾷ.* Ceterum Aeschylus ad avaritiam refert Scyllae facinus, quod alii ab amore incesto repetunt. Capilli color purpureus a plerisque traditus; etiam a Callimacho apud Suid. in *Κρέκα. Πορφυρέην ἤμησε κρέκα*, *demetuit crinem purpureum:* cf. Toup. Curae noviss. p. 81 et Apollod. Auream comam narrant nonnulli, confusa forte fabula simili, cum Pterelao Neptunus immortalitatem dedisset *ἐν τῇ κεφαλῇ χρυσῆν ἐνθεὶς τρίχα* Apollod. II, 4, 5, ubi conf. Obss. Omnino haud assequaris, quid antiquos homines in his fabulis ad hoc figmentum adduxerit, ut, quod etiam de Samsone narratum novimus, in capilli natura mirabilem aliquam virtutem latuisse narrarent.

Cum *Κρὲξ* et ipsa sit inter aves carnivoras aliis infestas (v. Aristot. H. An. IX, 1 et 17), putabam forte nominis lusum fabulae opportunitatem dedisse; nec tamen eam avem in hac fabula memoratam vidi. Sed Scyllam a Minoe ex navi suspensam, et quidem gubernaculo alligatam, inde in cirim avem mutatam, tradiderat quoque Metamorphoseon libello, qui nunc inter deperditos est, Parthenius: ut ex Eustathio ad Dionys. Perieg. 420 didici (v. de eo Mellmann. de caussis et auctoribus Narrat. de mutatis formis pag. 83). Iam hunc nostro poetae ante oculos fuisse probabile facit studium Parthenii legendi et latine convertendi, quod inter Latinos poetas magnum fuit: Hos autem in argumentis mythicis, a politioribus poetis Graecis tractatis, inprimis ingenia exercuisse, tot aliis carminibus, quorum nonnulla quoque servata sunt, satis constat. Ceterum similia argumento

Digitized by Google

pium aversatus, cum in Cretam rediret, puellam, ne piaculo tanto classem contaminaret, ne navi quidem recipere voluit, sed ex navis exteriore latere alligatam secum duxit. Tum illa multa diu conquesta in avem Cirim mutata est: additus tamen mox ei pater Nisus in haliaeetum mutatus, qui Cirim avem internecino odio persequitur.

carminis nostri sunt nonnulla in Propertii Eleg. IV libri IV de Tarpeia, quae Sabinis Capitolium prodidit. [* De Scyllae fabula in universum legi merentur quae Pausanias I. 19, 5. II. 34, 7. narravit. Propertium etiam Heynius apte comparaverat, ad id tamen minus attendens, hunc quoque in amore Tarpeiae causam eius criminis latere tradidisse. Ceterum Callimachum ἐν Αἰτίοις neque in Hecale, quae fuit Toupii sententia in Opusc. T. II. p. 237. Lips., hanc rem narrasse docet Martialis X. 4., et ante illum iam Stesichorus carmen de Scylla scripserat (Schol. ad Apoll. Rhod. IV. 828). Nostris temporibus I. H. Vossius in epp. mythol. I. p. 219. fabulam docte exposuit, quaedam insuper addente Lobeckio in Aglaophamo I. p. 283. sq. Quod ad ipsum Ciris nomen attinet, notatu certe dignum est, eo apud Lacedaemonios Adonin dictum fuisse (Mülleri Dores I. p. 406. Welckerus in Iahnii Annal. Vol. VI. p. 431.), alia referente Chöroboseo in Bekkeri Anecd. T. III. p. 1389. s. v. κῖρις. Nuper referebatur (Ephemerid. scholast. 1828. nr. 14. pag. 110.), in Saverno fluvio a. 1824. vas antiquum aheneum detectum fuisse, ubi cum alia caelata conspicerentur tum historia Nisi et Scyllae his verbis inscriptis *Scylla metens crinem mereatur crimine.* Cui tamen reperto nihil pretii statuendum est, quum non sit dubium, quin ex manu artificis saec. XV. vel XVI. prodierit. Qui vero novis antiqua coniungere cupit, is legat quae Hammerus in Historia Osmanica I. pag. 84. narrat, coll. Parthenio Erot. 9.]

Etsi me vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiae complectitur umbra,
(Tum mea quaeret eo dignum tibi currere carmen,
Longe aliud studium quum aliosque accincta labores
Altius ad magni suspexit sidera mundi
Et licitum paucis ausa est adscendere collem:)
Non tamen absistam coeptum detexere munus,
In quo iure meas utinam requiescere Musas
Et leviter blandum liceat deponere morem.
Quod si (mirificum modo sit tibi velle libido!)
Si me iam summa Sapientia pangeret arce,

VARIETAS LECTIONIS HEYNIANAE.

5. NUM — SIBI QUAERERE 6. ATQUE ALIOS 7. SUSPENDIT 8. PLACITUM
12. 13. QUOD SI MIRIFICUM PROFERRE VALENT GENUS OMNES
MIRIFICUM SAECLI, MODO SIT TIBI VELLE LIBIDO

Cum difficultas huius carminis interpretandi plerumque ex depravata lectione proficiscatur: ad criticas animadversiones pleraque reiicere et hic necesse fuit.

1—9. Iungenda sunt: *Etsi— non tamen absistam.* In primis versibus se, abiectis iis studiis, quibus apud vulgus inclarescere voluerit, philosophiae Epicuri operam dare ait. Color orationis similis est Catulliano carmini LXV *Etsi me assiduo confectum cura dolore Sevocat a doctis, Hortale, virginibus. vario amore laudis*, variis modis ac viis laudem et famam venatus erat. Sed vid. Var. Lect. *irrita praemia*, h. vana, inania; sunt autem ipsa fama et gloria, quam carmine consequi studuit. 3. *Cecropius hortulus.* Epicuri sectam ac disciplinam per hortum eius, quem Athenis habuit, in quo docere solebat, declarari notissimum. Illustrat locum Barth. Advers. XX, 20, et Io. Schrader. Emendat. p. 31 sq.

5—8. *Musa*, cuius nomen in corruptis vs. quarti verbis latere necesse est, *accincta aliud studium et labores*, h. aggressa aliud studium, philosophiae scilicet (ut Aen. IV, 493 *magicas*

Digitized by Google

Quatuor antiquis quae heredibus est data consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere atque humiles possem contemnere curas;
Non ego te talem venerarer munere tali,
Non equidem, quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli liceat pede claudere versum,
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,

invitam accingier artes), *suspendit* (vel *se*, h. suspensa est, suspenso animo contemplatur, vel *me*, ut Iulius Sabinus explet, aut, quod melius, *subtendit*) *altius ad magni sidera mundi, et ausa est*, Collem Sapientiae, ad quem pauci emergunt, adscendere: absolvam tamen coeptum carmen. Videtur carmen iam olim coeptum, mox sepositum esse. Ceterum carminis initium habet aliquam similitudinem cum epigr. VII inf. in Catalectis.

13 — 40. Si in philosophiae studio iam satis profecissem, — ut maius carmen de rerum natura conscribere possem: hoc tibi dedicarem. Haec subiiciuntur vs. 35 sqq. *summa arce* cf. ad v. 8. *me pangeret*, figeret, statueret, collocaret. 14. Arx, quam quatuor summi philosophi tenent, Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus. (Pro Zenone Pythagoram veteres interpretes nominant.) *arx data est consors*, elegantius, quam *iis consortibus*, quatenus heredes sunt Socratis. Expressus autem totus locus ex Lucretii notis verss. lib. II, 9 sqq. [* coll. III. 26. Schrader. Emend. p. 49. 59.]

20 sqq. Celebratissima res in Panathenaeis magnis, quae Athenis quinto quoque anno agebantur, peplum Minervae. vid. Meurs. Panathen. c. 17 seqq. Ducebatur occultis machinis per terram navis, ad speciem remis instructa, ad Minervae templum: peplum, pro velo suspensum, mox utrum pro veste Minervae signo iniectum, an sedentis gremio appositum, an, quod probabile fit, pro aulaeo praetextum sit, nulla auctoritate expressa doceri posse video. Ceteroqui Aulaea signis deorum obducta in adyto passim fuisse satis constat: unde etiam in ultimam opinionem proniores sumus cum Stuarto (*Antiqu. of Athens* T. II, p. 7.). Pollucis auctoritas, qui VII, 50 πέπλον etiam ἐπίβλημα fuisse ait, idque colligi posse ἐκ τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων, de amiculo vel indumento est accipienda: id enim ipsi est ἐπίβλημα. Peplo intextae res a Pallade gestae, inprimis pugna cum Titanibus et Gigantibus: mox quoque strenuorum ducum Athenis egregia facta, aiunt viri docti, Scaliger ad h. l. et Meurs. l. c. Volunt id docere ex Aristoph. Equ. 563, ubi maiores praedicantur digni ea urbe καὶ τοῦ πέπλου. Hoc

Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castae solvuntur vota Minervae
Tardaque confecto redeunt Quinquennia lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebruit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere currum.
Felix illa dies, felix et dicitur annus,
Felices, talem qui annum videre, diemque.
Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae;
Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis;
Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco;
Additur aurata deiectus cuspide Typhon,
Qui prius, Ossaeis consternens aethera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.

23. QUINQUATRUA 24. CONCREBUIT 26. ILLE
27. QUI TALEM 31. TYPHO

tamen clariorem locum afferri velim: nam Comicum pompam Panathenaicam respicere potius arbitror, qua armati incedebant viri. Etiam Pepli nomen, quo Aristoteles librum inscripsit, quem de heroum tumulis confecerat, viri docti hinc illustrant. Nostri poetae locus rem non magis probat. cf. inf. ad v. 36.

20. *si fas est dicere:* non tam ad religionem refero, quam ad audaciam coepti; et *olim*, pro *tum*, sequente etiam *cum*. Aen. VIII, 391 *Non secus atque olim*, ὡς δ᾽ ὅτε.

24. 25. *Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro:* alternis Zephyrum cum Euro spirare ait, eoque tempus Panathenaeorum habendorum declarat: quod hic ad primum ver retrahere videri potest. Mense tamen Hecatombaeone, et quidem die XXIII, tertio cuiusque Olympiadis anno, ea celebrata esse satis constat; est ille primus mensis anni Attici, quem a primo plenilunio post solstitium aestivum processisse quis ignorat? Aestatis igitur ingressae tempus declarari hoc versu dicendum est: quod tamen quam commode per pugnam Zephyri cum Euro designetur, non dicam. Etsi Zephyri flantes non modo ver, sed et aestatem ineuntem alibi quoque indicant, cf. Ge. III, 322. Hactenus itaque illud ferri potest. Si tamen, quod paullo ante memoravi, navis, etsi machinis acta, velis expansis ventum excipere visa est: expedita est vss. 24 et 25 sententia. cf. V. L.

28—33. Locus, etsi ab h. l. forte alienus, classicus tamen post Eurip. Hecub. 466 sq. de peplo Minervae. conf. ad vs. 20. *Giganteis tropaeis;* praelio et victoria de Gigantibus Pallante

Tale deae velum solemni tempore portant;
Tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
Purpureos inter soles et candida lunae
Sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis,
Naturae rerum magnis intexere chartis;
Aeternum Sophiae coniunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina seclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes,
Nunc primum teneros firmamus robore nervos,
Haec tamen interea, quae possumus, in quibus aevi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,
Accipe dona meo multum vigilata labore
Promissa atque diu, iam tandem exordia rebus:
Impia prodigiis ut quondam exterrita amoris

34. SOLEMNI IN MAGNA 46. ET PRAEMISSA TUIS NON 47. EXTERRUIT AMPLIS

et Echione Enceladoque prostratis inprimis dea tum inclaruit. *pinguntur*, quod vs. 29 *texuntur.* Typho vel Typhoeus, diversum a Gigantibus monstrum, saepe tamen in eorum censum a poetis relatum, procellarum et turbinum, cumque iis eructantium ignes montium, symbolum satis frequentatum: Ab aliis ille a Iove prostratus narrari solet: quae vel ex Apollodoro teneas. Minervae in ea victoria partes etiam Horatius tribuere videtur in noto loco Carm. III, 4, 53. Stans cum hasta capiti prostrati monstri imposita dea occurrit in patera Medicea apud Demster. t. V. *Emathius vertex*, Pelion esse debet, Olympo h. l. impositus, ut Ge. I, 281 Ossae.

35. *Tali ritu*, hoc modo ait auctor velle se, tamquam peplum, carmen de rerum natura scribere eique Messalae nomen intexere. 36. 37. Luna, quae invehitur per *orbem*, caelum, bigis. *Sidera* Lunae pro sidere, et *pulsare* de curru, seu equis curru tracto solum quatientibus sollenne. *purpureus* pro pulcer, frequens poetis.

39. 40. *Nomen tuum*, *coniunctum Sophiae*, *carmine*, (h. nomini Sophiae in carmine), *pagina nostra loqueretur aeternum saeclis senibus*, h. seris.

41. *ad tantas artes:* non de poetica, ut perperam post ceteros Fontaninus quoque Hist. litt. Aquilei. p. 37 statuit, sed de philosophiae studio accipe, ad quod nunc primum accessit.

46. *Et praemissa.* Si sensus inest, debet poeta significare, se praemittere quasi exordia, s. praeludia, carmini, quo ali-

Digitized by Google

Scylla novos avium sublimis in aëre coetus
Viderit, et tenui conscendens aethera penna
Caeruleis sua tecta supervolitaverit alis,
Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo
Proh patris solvens, excisa et funditus urbe.
Complures illam et magni, Messala, poëtae —
Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum —
Longe aliam in perhibent mutatam membra figuram,
Scyllaeo in saxo monstra infamata vocari;
Esse, aerumnoso quam saepe legamus Ulixi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae,
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero;
Ipse Crataein ei matrem; sed sive Crataeis

48. NOVOSQUE 49. SIDERA 52. PROQUE — EXCISA FUNDITUS 55. ALIA PERHIBENT — FIGURA; 56. SCYLLAEUM MONSTRA IN SAXUM CONVERSA 57. ILLAM ESSE, AERUMNIS 61. MAEONIAE HAEC 65. IPSI SEU LAMIE MATER SIT, SIVE

quando Messalae res gestas persequetur, hos lusus, *ut Scylla in avem mutata sit:* quod eleganter extulit: *ut — novos avium, sublimis in aere, coetus Viderit, et tenui conscendens sidera penna Caeruleis sua tecta supervolitaverit alis.* 47. Corruptis verbis declarat versus ipsam Scyllam exterritam fuisse forma sua mutata, videns scilicet se avem factam.

53 sqq. Multi poetae Scyllam in Saxum Scyllaeum, naufragiis infame, in Italiae extremae ab occidente oris, haud longe a Freto Siculo, mutatam narrant. cf. ad Aen. III, 555. Nota res est, de Scylla diversas fabulas tradi, et plures Scyllas ab aliis memorari, ab aliis confundi. conf. ad Ecl. VI, 74. et ibi Exc. IV. *monstra conversa in Saxum Scyllaeum* pro monstro. *canibus marinis*, quibus succincta erat Scylla. cf. Aen. III, 424 sqq. 431. 432.

65. Ordo sententiae ab his usque ad v. 88 sqq. procedit: *Sed ipsi seu Lamia mater sit,*

Digitized by Google

Sive illam monstro genuit germana biformi,
Sive est neutra parens, atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido;
Sive etiam iactis speciem mutata venenis
Infelix virgo: (quid enim commiserat illa?
Ipse pater scaeva in timidam complexus arena
Coniugium carae violaverat Amphitrites;
Attamen exegit longo post tempore poenas,
Ut, cum cura sui veheretur coniugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum:)
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes

66. PERSEA 69. ETIAM EST 71. PATER NUDAM SAEVA

seu Crataeis, *seu Persea*, h. e. Hecate; *sive illa allegorice est libido Venerea*, *sive puella a Neptuno oppressa et in monstrum mutata*, *sive puella quaestum corporis faciens: Quicquid est*, *de ea potius agamus Scylla*, *quae in Cirin mutata est*. *Lamiae* filiam tradiderat Scyllam Stesichorus. vid. Schol. Apollonii IV, 828. *Crataeidis* autem Homerus Od. μ, 124. *Persea* est Hecate, Persae ex Asteria filia. *monstrum biforme*, διφυὴς, Phorcys vel Phorcyn.

67. 68. Seu fabula Scyllae allegorica est libidinis narratio. Simili modo eam interpretatur Fulgentius Planciades Mythol. II, c. 12 et Heraclides in Allegor. p. 496.

69. Ex poetae verbis talis fabulae habitus esse debuit: Scylla a Neptuno oppressa Amphitrites iram in se concitaverat; quae eam aliquanto post ita ulta est, ut, cum marito per mare vecta, veneno aquas inficeret, quo illa aqua marina corpus lavans in monstrum mutaretur.

71. *Ipse pater*, Neptunus, ex noto poetarum more de Iove, de Plutone et Neptuno. Alii, pro mari, fontem, in quo Scylla se lavaret, Amphitriten medicaminibus inquinasse narrarunt: ex quibus Tzetza rem exponit ad Lycophr. 45. 648. Circes artibus id factum traditur in vulgari narratione de Glauci amoribus apud Ovidium, Hyginum et alios. 74. 75. *ut misceret* Amphitrite *pontum multo sanguine*, quem pro veneno dictum esse necesse est. Dum invehebatur mari *cura coniugis:* ipsa Amphitrite. Olim ad Scyllam nautas laniantem referebam, ut multo *sanguine* misceretur mare.

76 — 87. Sive Scylla fuit puella eximiae formae, quae corporis quaestum fecit et a Venere in monstrum marinum est mutata.

Digitized by Google

Et cupidos quaestu passim popularet amantes,
Piscibus et canibusque malis vallata repente est:
Horribiles circum vidit se sistere formas,
(Heu quotiens mirata novos expalluit artus
Ipsa suos, quotiens heu pertimuit latratus!)
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum
Et dictam Veneri voto intervertere poenam,
Quam mala multiplici iuvenum consaepta caterva
Dixerat atque animo meretrix iactata ferarum;
Infamem tali meritorum more fuisse,
Docta Palaephatia testatur voce papyrus.

77. SPOLIARET 78. CANIBUS RABIDIS — EST om. 80. QUOTIES—ARTUS! 81. SUOS QUOTIES 83. VOTORUM VERTERE 84. QUOD SAEPTA 86. MERITO RUMORE

82. 83. Laeserat, ad horum poetarum mentem, Scylla meretrix numen, intervertendo et intercipiendo *poenam votorum dictam Veneri* a iuvenibus, quos illa amore sui irretierat. Ut *voti reus* aliquis dicitur, cui, successu secundo, ex voto persolvenda sunt, quae voverat: sic spectat *poena* ad reatum quasi votorum, quibus se obligaverant Veneri, quaeque ipsi nunc erant persolvenda; sed iuvenes ea, quae ex voto debebant, aut voti solvendi caussa Veneri destinaverant, ad puellam, quae quaestum faciebat, apportabant. Scaliger aliter accepit: „ποινὴν „more Graecorum, debitam mer„cedem: an quod noluit persol„vere decumas quaestus sui, „quas voverat Veneri? sed tunc „melius legeretur: *avertere*, an, „quod melius est, mercedem a „iuvenibus accipiebat, iuvenes „ipsos excludebat?" Haec Scaliger; sed in poetae verbis vix ea latent. Scyllam de scorto avaro etiam Heraclitus de Incredib. cap. 2 exposuit.

84 — 87. Quam merito tali rumore infamem fuisse, recteque adeo illa de ea narrata esse, testatur Palaephatus, quod, septa meretrix multiplici iuvenum caterva, atque animo ferarum (h. fero ac saevo) *iactata*, agitata, *mala dixerat*, fraudes, mendacia: quo latratus, pro poena Scyllae mutatae attributus, respicere videtur. Ceterum, cum de lectione *Palaephatia* vix dubitari possit, apparere videtur etiam hoc ex loco, nos verum Palaephatum non habere, et esse alterius auctoris libellum περὶ ἀπίστων, qui a nobis teritur; nam in hoc c. 21 diversa utique ratione, etsi satis inepta, de navi Tyrrhenorum piratica, fabula exponitur. Viderunt hoc iam Grotius et Scaliger. Nisi

Quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sint: potius liceat notescere Cirin,
Atque, unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare, quae, cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
Pierides — quarum castos libamina postes
Munere saepe meo inficiunt, foribusque hyacinthi
Deponunt flores, aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha,
Sparsaque liminibus floret rosa —, nunc age, divae,
Praecipue nostro nunc adspirate labori
Atque novum aeterno praetexite honore volumen.

93. ALTARIA

forte permutavit auctores poeta; nam is, qui nunc sub Heracliti nomine venit, *περὶ ἀπίστων* scriptor fabulam fere ad istum modum interpretatur. In eodem c. 14 occurrit simile quid de Sirenibus, quod sub Palaephati nomine profert Hieronymus Chron. Euseb. n. 843. Miror tamen, hominem nostrum ad Palaephatum provocare, cum notior ei esse deberet Callimachi auctoritas Fragment. CLXXXIV: is sive in *Αἰτίοις*, sive in Hecale, (ut Toup. Cur. noviss. ad Suid. p. 80 putabat,) Scyllam mulierem libidinosam ediderat: *Σκύλλα, γυνὴ κατακᾶσα, καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα. Scylla, meretrix, nec falsum nomen habens.* Dixerat de eadem: *πορφυρέην ἤμησε κρέκα*, h. e. *τρίχα*, v. ad pr.

88 sqq. Verum cuiusque modi haec omnia sint, quicquid et ut quisque de iis narravit; equidem de ea Scylla agam, quae in Cirin mutata est: inclarescat illa meo carmine, nec sit *una de multis*, ignobilis. *Clades* videtur ipsa perniciosa puella esse: *fundi nostri calamitas.*

91—99. *Quare — divae Pierides — nunc age, divae, nunc praecipue adspirate labori nostro.* Is ordo sententiae; ideoque pravam interpunctionem emendavi.

93. 94. De sacrificio Musis fieri solito agit: *quarum castos postes altaria saepe inficiunt munere meo.* Ara in templi aditu vel vestibulo stabat; ita, victimae sanguine, postes ac ianua templi adspergi poterant. Ita saltem ea, quae habemus, interpretanda sunt. Sintne integra, alia est quaestio. Videtur potius de corollis et sertis agi, quibus ornantur fores templi et parietes. Scaliger *inficiunt* ad nidorem refert: *Κνισσῶσι.* Durum hoc, meo sensu.

95. 96. Vestigia Virgilianae Musae: Ecl. III, 63 *suave rubens hyacinthus.* Ecl. II, 50 *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

Digitized by Google

Sunt Pandioniis vicinae sedibus urbes
Actaeos inter colles et candida Thesei
Purpureis late ridentia litora conchis,
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Actaei quondam munita labore
Alcathoae Phoebique: deus namque adfuit illi;
Unde etiam, citharae voces imitatus acutas,
Saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus,
Et veterem sonitu Phoebi testatur amorem.
Hanc urbem, ante alios qui tunc florebat in armis,

105. ALCATHOI 107. MUNERA 108. HONOREM 109. TUM

100 seqq. Ornate. Inter alias Athenis vicinas urbes fuit Megara. Pandionem Athenarum regem fuisse notum est. *littora candida* propter marmor candidum; et *ridentia conchis*, accurate ad naturam loci: nam, quod Scaliger iam monuit ex Pausania lib. I, 44, totus ille tractus agri Megarensis lapide conchite abundat, candido admodum colore, cui plurimae insunt conchae marinae.

104 sqq. Fabula Megarensium domestica; v. Pausan. lib. I, 42 pr., quam iam Theognis attigit v. 771. 772. Alcathous Pelopis f. Megaram, seu verius acropolin, Nisaeam, muris cinxisse ferebatur, Phoebo operae consorte: unde seu saxum aliquod, cui Phoebi cithara fuerat imposita (sic Pausan. l. c. et Epigramma a Scaligero laudatum, quod vide in Antholog. lib. IV, pag. 490. Steph. p. 351. nunc Analect. To. III, p. 192. Iacobs T. III, p. 160.) seu turris erat, quae lapillo percussa, in citharae tactae morem, resonabat (Ovid. Met. VIII, 14 sqq.). Alcathous *Actaeus* h. l., quatenus Megarensis ager Atticae pars haberi poterat, et olim in Atheniensium ditione fuisse credebatur; cf. Pausan. I, 39, p. 94. f. 95. Nam alioqui e Peloponneso advenerat Alcathous, Pelopis quippe filius.

106. *imitatur* saxum citharae sonum. *Cyllenia munera*, lyram a deo Cyllenio, Mercurio, inventam. Lapis igitur pulsus, si percussus fuerit, *recrepat* lyram, h. resonat, imitatur sonum lyrae. *veterem Phoebi honorem:* videtur hoc eodem sensu dictum, pro munere, invento, Apollinis, cithara, cuius sonum saxum refert, adeoque memoriam lyrae ei impositae servat.

109. *florebat* absolute: cum alias adiici soleat, laude, virtute. Sic Catull. *florentem Iacchum* absolute dixerat, scilicet annis, LXIV, 251, ob sempiternam iuventutem. *remige:* docte: nam cum classe advenerat Minos, cuius θαλασσοκρατίαν illustravi-

Digitized by Google

Fecerat infestam populator remige Minos,
Hospitio quod se Nisi Polyïdos avito,
Carpathium fugiens et flumina Caeratea,
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretaea sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Vincere et indomitas virtute retundere mentes,
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis — mirabile dictu —
Candida caesaries, — florebant tempora lauro —
At roseus medio surgebat vertice crinis,
Cuius quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
Concordes stabili firmarunt numine Parcae.
Ergo omnis caro residebat cura capillo,
Aurea solemni comptum quem fibula ritu
Crobylus et tereti nectebant dente cicadae.
Nec vero haec urbis custodia vana fuisset,
Nec fuerat, ni Scylla novo concepta furore,
Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulcrum,
Minoem cupidis si non inhiasset ocellis!

117. DUCERE — INDOMITA — MENTIS 121. FULGEBAT 126. QUOQUE 127. MOPSOPIO — NECTEBAT 128. VOBIS 129. NISI 131. O NIMIUM

mus in Commentar. Soc. R. Gotting. T. I, P. II, p. 71 sqq. 111. Caussa belli Niso a Minoe illati memoratur, quod Polyidus, qui Creta aufugerat, a Minoe armis repetebatur. v. V. L.

115 sq. Sed Megarenses et Nisus non cunctantur Minoi occurrere et muros urbis defendere: quippe capillo purpureo (de quo v. ad pr. Ciris) confisi etc.

122. *Cuius — natura*, pro qui crinis. Barthius Advers. XXIII, 9 laudat ex Avien. Perieg. (v. 57) *pigra ponti Se natura tenet*, h. pontus.

126. 127. Fibula aurea nectebat eum crinem dente tereti cicadae. Erat scilicet fibula in cicadae formam facta *ritu* Attico. Nota nunc res, Athenienses τεττιγοφοροῦντας fuisse, habuisse cicadam auream crinium cincinnis innexam. Post Scalig. et

Digitized by Google

Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Iupiter — ille etiam Poenos domitare leones
Et validas docuit vires mansuescere tigris,
Ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est —,

Taubmann. ad h. l. et Meurs. v. Perizon. ad Aelian. IV, 22. Sed princeps locus est Thucyd. I, 6. [* Adde Columu. ad Ennium p. 330. Anecd. Hemsterh. Vol. I. p. 108 sqq. Iacobs. ad Philostr. Imag. p. 493.]

132. Non ignobilis de Amoris potentia locus, etsi a multis tractatus, et alienus forte ille ab hoc loco, cum ira Cupidinis nullum in seqq. locum habeat: quo tamen viam sibi poeta struit ad ipsam narrationem a v. 138 sqq. Quae tamen inde sequuntur omnia sunt foede corrupta et interpolata usque ad v. 162. Obscura quidem res est, sed Scyllam apparet religionem Iunonis violasse, cum inter lusum pilae cum aequalibus in loco sacro ulterius, quam fas erat, processisset. Ita evenisse, ut Minoem prospiceret eiusque amore capta insaniret. Nec vero apparet e poetae verbis: peccatumne fuerit in hoc, quod locum sacrum et arcanae religionis imprudens adierit; an quod nudaverat corpus; qua quidem re Iunonem tantopere exarsisse quis non miretur; ferres, si Diana aut Minerva esset. Nostri poetae multa haberent, quibus haec probabiliter fingi possent. De ludis Iunoni, quales Paus. V, 16 memorat, institutis agi non videtur. Quid? quod nec Iunonis templum aut praecipua aliqua religio Megaris fuisse videtur. Certe Pausanias ne aedem quidem vel signum Iunonis in ea urbe memorat. Videtur aliquid de periurio puellae attingi, quo Iunonem laeserit. Sed locus tam stribliginosus est et interpolatus variis versificatorum laciniis, ut nihil habeas cui satis confidas. Expectabam cum Scaligero, ut studio ludendi provectam ad ipsa urbis moenia pervenisse diceret puellam poeta, unde illa cum prospiceret, Minois amore esset correpta. Sed in poetae verbis nihil, quod eo ducat, video. Poterat a poeta caussa irae Iunonis ex eo adstrui, quod Minos Iovis erat filius ex pellice. Nec illud satis dilucide exposuit poeta, quare et quatenus Amor Iunonis irae ac vindictae in amore puellae iniiciendo indulserit. Veneris impulsu Minoem a Scylla amatum esse prodiderant alii, quos Hygin. sequitur f. 198. Monili aureo inductam Scyllam Aeschylus: vid. sup. ad pr. Ciris.

133. *pater atque avus idem Iupiter.* De hoc v. docta disputatio Valckenarii ad Eurip. fragm. p. 159. add. Musgravii ad Hippol. 539. Scilicet a diversis poetis Venus Iovis filia et eadem mater Amoris e Iove tradita fuerat; unde nunc lusus. Iun-

Digitized by Google

Idem tum tristes acuebat parvulus iras.
Iunonis magnae, cuius periuria divae
Olim si meminere, diu periura puellae
Non ulli liceat, violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata deae lascivit et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam castos gustaverat ignis honores,
Necdum solemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae;
Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relapsa
Procurrit virgo; quod uti ne prodita ludo
Auratam gracili solvisset corpore pallam!
Omnia, quae retinere gradum cursusque morari

139. SE MEMINISSE 145. AGITAVERAT 149. QUO UTINAM 150. AUREA TAM — CORPORA PALLA 151. CURSUMQUE

genda autem: *Sed malus ille puer*, — *Idem tum* vs. 137.

Vs. 137. *Idem tristes.* Quantum ex loco salebroso assequi licet: puella religionem templi Iunonis violaverat, inter ludendum cum aequalibus pila in sacrarium temere emissa; quam cum repetitum ivisset, in templi penetrale irruperat. Ut puellam puniret, infausto amore eam a Cupidine inflammari curavit Iuno.

140. Violata loci sanctitas esse videtur inter ipsa sacra facta, puella procurrente ante coetum matronarum et puellarum. *sedem* de templo et *τεμένει* accipe. *sacris operata deae lascivit*, sacris dum operatur, puella cum aequalibus ludit. [* *Sacris operari*, v. Liv. I. 31.] 144. 145. Veste igitur recincta, soluta, procurrit: ita ipso cursu auram movet vestis agitata.

145. 146. 147. Obscura sententia, quam nec Scaliger habet quomodo expediat. Videamus verba: *honores ignis castos nondum agitaverat* sacerdos, h. e. nondum flabello aura agitata ignem succenderat in ara; *necdum solemni* — h. nec ea rite lota [* Saubertus de sacrif. pag. 222.] caput ex more sacrorum sertis et infulis velaverat: cum pila eius manu elapsa est. 149. *prodita*, in fraudem inducta, ut religionem violaret. 151. Obscura et hiulca tota haec oratio. Utinam veste impedita, retenta fuisses, quominus longius procederes! Sic nunquam violatae religionis poenam dedisses. Si

Possent, o tecum vellem tua semper haberes:
Non unquam violata manu sacraria divae
Urendo, infelix! nequidquam thura piasses.
Et si quis nocuisse tibi periuria credat,
Causa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quaeritur ex omni verborum iniuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium mentem et nimium irritantia visu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem
Et validum penitus concepit in ossa furorem;
Saeva velut gelidis Edonum Bistonis oris,
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe,
Non styrace Idaeo fragrantes tincta capillos,

154. IURANDO — IURA TIRYNTHIA 160. TERETI NIMIUM 164. CICONUM BISTONIS IN 167. PICTA

modo ea per periurium declarari potest; periurii tamen proprie dicti nulla hic subest ratio. Vid. Var. Lect.

158. *ex omni verborum dicto:* Est ex Scaligeri sententia *dictum* h. l., ut ἔπος, res; sed potius ad iusiurandum voluit referre inscitus homo, qui hos versus seu struxit seu interpolavit: *iniuria verborum*, offensio.

160. 161. Vid. Var. Lect. Ex toto loco eiectis quae ab indoctis interpolatoribus illata sunt, sana videntur habenda esse haec vs. 128 *nisi Scylla, novo concepta furore, Minoi cupidis si non inhiasset ocellis! Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem, Aurea fulgenti depromens tela pharetra Virginis in tenera defixerat omnia mente.*

162. Comparat Scaliger Catull. LXIII (Epithal. P.), 91 sq. add. Apollon. III, 280 sq., et ad v. 164 Nicand. Alexipharm. 217 sqq. Ἢ ἅτε κερνοφόρος etc.

165. *Ictave*, h. tibia Phrygia audita stimulata et in furorem acta. Alias Gallos nominare solent poetae: nunc una ex Maenadibus intelligenda, cf. Catull. LXIII (de Aty), 22 sq.

166. Cf. Aen. IV, 300 sqq. de Didone, et VII, 376 sq. de Amata. Sed seqq. adumbrata sunt ex Catullo LXIV, 63 sqq.

167. *Styrax*, frutex et succus seu gummi officinis adhuc nostris pharmaceuticis frequens, *storax* vulgo dictus, ex Syria

Digitized by Google

Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens baccata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
Saepe redit patrios adscendere perdita muros
Aëriasque facit caussam se visere turres;
Saepe etiam tristes volvens in nocte querelas
Sedibus ex altis coeli speculatur amorem
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit, carum non respicit aurum;
Non arguta sonant tenui psalteria chorda,
Non Libyco molles plauduntur pectine telae.
Nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viscera mortem;
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur, et horribili praeceps impellitur oestro,
Ut patris, ah demens, crinem de vertice sacrum
Furtiva arguto detonsum mitteret hosti—
Namque haec conditio deceptae ponitur una—,
Sive illa ignorans: quis non bonus omnia malit

171. PRODITA 176. NEC 184. FERRET 185. FURTIM, ATQUE 186. MISERAE PROPONITUR

plerumque petebatur. Plin. XII, 17, 40. Styracem Idaeum, h. Creticum, Plin. XII, 17, 40. Plinio parum probari lib. XII, 25, 55, iam a Scaligero notatum est.

178. *Libyco pectine:* citrino vel lotino, ait Scaliger: nisi malis cum Taubmanno de eburneo accipere. Nam et *ebur* ex Libya. Iulius Sabinus *Palladium* interpretatur, quia Minerva Tritonia a Libyae palude Tritonide dicta: quod nimis subtile. *plauduntur*, pulsantur *telae.* Proprie latus vel corpus texentis plauditur, pulsatur, ex statu et motu dum *pectinem*, radium, cum subtemine, inter stamina inserit. Ita pulsatur corpus subinde admotum τῷ ἱστῷ aut ei parti, cui tela detexta induitur; dicta h. l. voce generali, *tela;* transfertur nunc res ad hanc ipsam telam, quae appulso corpore et ipsa pulsatur, plauditur. Latus *plaudi* dictum simili modo a Tibullo II, 1, 66, ubi vid. Obss. et sup. Exc. I ad Aen. VII, 1. [* Adde nunc Huschk. ad Tibull. l. l.]

179. Laudatum iam ab aliis tamquam ex Ovidio: *Non bene conveniunt pudor atque amor.* In nostro vereor ne nimium acumen illatum sit.

Credere, quam tanti sceleris damnare puellam?
Heu tamen infelix — quid enim imprudentia prod-
est? —
Nise pater, cui, direpta crudeliter urbe,
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido.
Tu quoque avis moriere; dabit tibi filia poenas.
Gaudete, o celeres, subnixae nubibus altis,
Quae mare, quae virides silvas lucosque sonan-
tes
Incolitis, gaudete, vagae blandaeque volucres;
Vosque adeo, humanos mutatae corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellae
Dauliades, gaudete: venit carissima vobis
Cognatos augens reges numerumque suorum
Ciris, et ipse pater. Vos, o pulcherrima quondam
Corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
Qua novus ad superûm sedes Haliaeëtus, et qua
Candida concessos adscendat Ciris honores.
Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat, vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio iactabat inani;
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia tentat,

188. TANTO SCELERE 197. HUMANI 199. (CRUDELE) 203. CALCHEIUS

187. *Sive illa ignorans*, scil. hoc fecit, ut crinem Niso patri auferret, cum nesciret fata regni in eo esse posita.

194. Non male inventa, quae sequuntur. Nam si Nisus Pandionis II. Athenarum regis fuit filius, Philomelam et Procnen, Pandionis I. filias, quarum altera Tereo, Daulidis regi, nupta fuit, ei cognatione coniunctas fuisse necesse est. *Vos, o puellae Dauliades, crudeli fatorum lege mutatae* (κατὰ) *artus corporis humani.*

201. Vos, Philomela et Procne in aves mutatae, advolate, in occursum, (*praevertite nubes in aethere*) qua novus haliaeetus (ut pro *Calcheius* legendum) et ciris in aves et ipsi mutati evolabunt.

205 sqq. Qui sequitur locus magno poeta dignus videri potest.

207. *studio iactabat inani,*

Et pressis tenuem singultibus aëra captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur, ferroque manus armata bidenti
Evolat; at demptae subita in formidine vires.
Caeruleas sua furta prius testatur ad umbras.
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paullum remoratur, et alti
Suspicit ad Lunae nutantia sidera mundi,
Non accepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phoenicis filia Carme

216. ALTUM 217. CULTI

excubias agebat: sed respectu Scyllae, quae eos fefellit.

211. Ovid. Fast. I, 425 *Surgit amans, animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu.* Mox *ferrum bidens* int. forficem.

219. *Ogygii Phoenicis filia Carme.* 294 *o Britomarti, meae spes una salutis* sqq. Non obscurum nomen in priscis Cretensium, et hinc Aeginetarum et Megarensium, fabulis nomen *Carmes*. v. Pausan. II, 30. Diodor. V, 76, ibique Wessel., Antonin. Lib. Met. c. 40. *Phoenicis* filia h. l. editur, uti quoque ab Antonino Lib. Metam. c. 40 Cassiepiae, Arabii f., et Phoenicis, Agenoris f., nisi quod ibi in Phoenicia nata proditur; nunc, cum *Ogygius* Phoenix appelletur, ad Boeotiam vel Atticam illud nomen Phoenicem retrahit, qui cum Cadmo venire potuit. At Eubuli, ex Carmanore prognati, filiam Cretenses tradebant ap. Pausan. l. c. Diodor. V, 76. Carme a Iove oppressa *Britomartin* partu edidit, quae et ipsa a Minoe tentata narratur se in mare praecipitasse. Qua de re locus classicus Callimachi in Dian. 189 sqq., ubi v. Intpp. et Meurs. in Creta IV, 3. Hanc fabulam in seqq. poeta vs. 285 ad 308 exponit, ut Britomartin, venatricem et in Dianae contubernio habitam, dum Minoem fugit, narret in mare praecipitem datam, secundum alios *Aphaeam*, secundum alios *Dictynnam* esse appellatam. *Numina* enim *Aphaeae virginis* haud dubie vs. 302 legendum. Sub hoc nomine apud Aeginetas Nympha habuit templum, et ad eam Pindarus (ᾆσμα) hymnum scripserat in Aeginetarum gratiam: Pausan. II, 30. cf. Antonin. l. c. Hesych. in Ἀφαία et ibi VV. DD., item ad vocem *Βριτόμαρτις*, de cuius nominis etymo v. Etymol. M. Videtur vetus Hecates adeoque Dianae nomen fuisse *Βριτώ*. Dictynnae nomen, vulgo, etsi invito Strabone X, p. 733. C., ad retia (δίκτυα) trahi solitum, quibus excepta Nympha servata est (v. Diodor. l. c.), Cretensibus fuit domesticum, ut Pausan. l. c.

Digitized by Google

Surgere sensit anus — sonitum nam fecerat illi
Marmoreo aeratus stridens in limine cardo —,
Corripit extemplo fessam languore puellam,
Et simul „O nobis sacrum caput,“ inquit „alumna,
„Non tibi nequidquam viridis per viscera pallor
„Aegrotas tenui suffudit sanguine venas.
„Nec levis hoc faceret (neque enim pote) cura; subegit,
„Haud fallor, quod ut o potius, Rhamnusia, fallar!

226. FACERES — CURA SUBEGIT; 227. QUOD TE POTIUS R. FALLIT

docet *); acceptum tamen a Samiis, Herodoto auctore lib. III, 59. Fuit certe Dictynnae fanum in terra Cydoniate Cretae, ubi et Dictynnaeus mons et promontorium. Idem nomen alii, ut Eurip. Hippol. 146. 1130, ubi cf. Schol., Aristoph. Ran. 1402, ubi Schol., de Diana interpretati sunt, sed reprehensi a Diodoro V, 76, ubi tollenda est ante ἀφ' ἧς et post Ἄρτεμιν parenthesis: nam ad Ἄρτεμιν spectant ea, quae sequuntur. Sequitur tamen istos auctor noster vss. 245. 304. 305. et Ἀρτέμιδος Δικτύννης fanum fuit in Laconica: Pausan. III, 24, 6. Ἄρτεμις Δικτυνναία Ambryssae culta, Pausan. X, 36, 3. In numo Cydoniatarum et in altero Lacedaemonio eam deprehendit V. C. Neumann. Num. ined. p. 240. Factum autem hoc et alias, ut modo deorum nomina transirent ad heroes, inprimis deorum liberos: ita Aristaeus Ζεὺς et Ἀπόλλων Ἀγρεὺς et Νόμιος ap. Pindar. Pyth. IX, 110 sq., quem respicit Diod. IV, 81; modo heroum nomina adiicerentur diis: sic Pythaeus Apollo a Pythaeo filio apud Hermionenses, Pausan. II, 35. Laudari vidi Dictynnam, tamquam Catonis alicuius carmen. Sed ea *Diana* fuit, Valerii Catonis amica. v. Sueton. Gramm. XI, ubi Cinnae versus: *Saecula permaneat nostri Diana Catonis.* Ceterum Carme, bello capta et longe avecta, ut ex v. 289 intelligitur, in Nisi potestatem venerat et ab hoc Scyllae filiae nutrix data fuerat. [* Nunc maxime conferenda sunt ea quae erudite et subtiliter disputarunt Müllerus in Aeginet. p. 163 — 170. et I. H. Vossius in epist. mythol. III. p. 157 — 161.]

222. *Corripit* Carme eam, ut sustineat lapsuram. Ceterum comparari cum seqq. potest Ovidii locus de Myrrha eiusque nu-

*) Vidi nuper haec docte iterum pertractata esse in *Mémoires de l'Institut national* To. I. p. 170 sq. ad Marmor Massiliae repertum, in quo Θεα Δικτυα Δημος Μασσ legitur, pro, Θεᾷ Δικτύᾳ Δῆμος Μασσιλιητῶν.

„Nam qua te caussa nec dulcis pocula Bacchi
„Nec gravidos Cereris dicam contingere foetus;
„Quae caussa ad patrium solam vigilare cubile,
„Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
„Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
„Dic age nunc miserae saltem, quod saepe petenti
„Iurabas nihil esse mihi, cum moesta parentis
„Formosos circum virgo morerere capillos?
„Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
„Ille, Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
„Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastea,
„Laedere utrumque uno studeas errore parentem!
„Quod si alio quovis animis iactaris amorem —
„Nam te iactari, non est Amathusia nostri
„Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo —,
„Si concessus amor noto te macerat igne;
„Per tibi Dictynnae praesentia numina iuro,
„Prima deûm quae dulce mihi te donat alumnam,

230. QUA 237. ARABIS 240. ANIMO—AMORE 245. QUAE TE MIHI DULCEM

trice Met. X, 382 sqq. 224. *viridis pallor*, ex χλωρὸς pro ὠχρός, nota res est. 227. quanquam utinam fallar, o Nemesis! De verbis vid. V. L. 229. *gravidos Cereris fetus.* Scaliger γονίμους, fecundos vel fetificos, interpretatur. Ge. II, 143 *gravidae fruges* et Ge. I, 319 *gravida seges*, ubi ad succum nutritium retuli. 231. *requiescunt*, transitive, ut obvium est videre, pro retardare: uti iam Eclog. VIII, 4 vidimus.

237. De Myrrha nota fabula ex Ovid. Met. X. *Arabs* ea dicta, etsi Cinyrae Paphiorum in Cypro regis filia fuerit, sitque omnino narratio ex Cypriis fabulis ducta. Sed fuga delata est Myrrha in Arabiam ibique in arborem mutata, ut ipse Ovid. X, 477 *latosque vagata per agros, Palmiferos Arabas Panchaeaque rura relinquit — tandem terra requievit fessa Sabaea.* 240. *utrumque parentem*, scil. Myrrhae. Argutatur Scaliger, qui Nisum et nutricem Carmen intelligere iubet. Videtur autem Carme suspicari, Cirim patris amore incesto exarsisse.

240. Procedit sententia ad vss. 248. *Quod si alio quovis animo iactaris amore;* nam te amore aliquo iactari bene intelligo; *Si*, inquam, *concessus amor noto*

Digitized by Google

„Omnia me potius digna atque indigna laborum
„Millia visuram, quam te tam tristibus istis
„Sordibus et morbo patiar tabescere tali.“
Haec loquitur, mollique ut se velavit amictu,
Frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
Quae prius in tenui steterat succincta crocota.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
Persequitur miserae caussas exquirere tabis,
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam retulit intra.
Illa autem „Quid nunc me,“ inquit „nutricula, torques?
„Quid tantum properas nostros novisse furores?
„Non ego consueto mortalibus uror amore,
„Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
„Nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnes.
„Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
„In quo falsa tamen lateat pietatis imago;
„Sed media ex acie, mediisque ex hostibus. Heu, heu,

248. SCORIA 251. CORONA 263. QUE om.

te macerat igne: sequitur apodosis: *Per tibi D.*

244. Dictynnam nunc de ipsa Diana poeta videtur accipere. cf. ad v. 219 f.

249. Utque ipsa, scil. Carme, amicta erat molli veste. Nota forma dicendi, pro quoniam, quandoquidem.

255. Interrogat eam simulque intra cubiculum reducit: conf. 221—223.

259. *notorum vultus*, non noti, amici, *deflectunt lumina.* Ait se non amicorum amore tangi, sed, quod vix credibile, hostium, ut Scaliger bene explicat. *Deflectunt lumina*, oculos nostros, ea, quae admiramur aut quorum amore et cupiditate incendimur, ut ab intuitu male nobis temperemus atque eadem discedentes respiciamus. Mox *ultro* significatione accipiunt illa, qua pro ultra, insuper, positum habetur; immo vero, multo magis; ut Aen. XII, 3 et toties.

262. *In quo f.* puta, si patrem amaret: in quo lateat, etsi falsa, imago tamen pietatis: h. e.

Digitized by Google

„Quid dicam, quove ausa malum hoc exordiar ore?
„Dicam equidem, quoniam — quid non tibi dicere nutrix
„Non sinis? — extremum hoc munus morientis habeto.
„Ille — vides —, nostris qui moenibus assidet hostis,
„Quem pater ipse deûm sceptri donavit honore,
„Cui Parcae tribuere nec ullo vulnere laedi —,
„Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis —
„Ille mea, ille idem, oppugnat praecordia Minos.
„Quod per te divûm crebros testamur amores,
„Perque tuum memori sanctum mihi pectus alumnae,
„Ut me, si servare potes, nec perdere malis;
„Sin autem optatae spes est incisa salutis,
„Nec mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
„Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,

264. IPSA 265. QUONIAM QUID TU 272. TE PER — OBTESTOR 273. MEMORIS HAUSTUM 274 et 276. NE

amoris in consanguineos, qui praetexi possit.

268. *Quem pater ipse deum sceptri donavit honore;* vel quatenus omnes reges διογενεῖς sunt, a Iove regnum habent; vel quod Minos a Iove genus ducit. Sed alterum 269 *Cui Parcae tribuere nec ullo vulnere laedi*, obscurum est; fabulam reconditam continere videri potest. Minoem tamen vulnerari nequiisse, non aliunde constat. Sed expeditur locus, si cogites te in auctore versari, qui a proprietate verborum saepe recedit. Haud dubie immortalem fore Minoem, inter deos aliquando recipiendum heroem, declarare vult. Aliis huius loci partibus non deest elegantia sua.

274. Laudarunt viri docti ad h. l. illud ex Medea Ovidii: *Servare potui: perdere an possim, rogas?* ex hocque versu Ciris auctorem profecisse crediderunt. Antiquiorem auctoritatem Aristophanis Nub. 1179 *Νῦν οὖν ὅπως σώσῃς μ', ἐπεὶ κἀπώλεσας* commemorat Burmann. Sec. ad Anthol. T. I, p. 149; verum nec ex hoc nec ex illo versum hunc

Digitized by Google

„Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset,
„Aut ferro hoc“ — aperit ferrum quod veste latebat —
„Purpureum patris dempsissem vertice crinem,
„Aut mihi praesenti peperissem vulnere letum.“
Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines
Et graviter questu Carme complorat anili:
„O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
„O iterum nostrae Minos inimice senectae,
„Semper ut aut olim natae te propter eundem
„Aut amor insanae luctum portavit alumnae
„Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
„Tam grave servitium, tam duros passa labores,
„Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
„Iam iam nec nobis ea, quae senioribus, ullum
„Vivere uti cupiam vitae genus. Ut quid? ego amens
„Te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulcri,
„Te, Britomarti, diem potui producere vitae?
„Atque utinam celeri ne tantum grata Dianae
„Venatus esses virgo sectata virorum
„Cnosia heu Partho contendens spicula cornu!

287. ET — NATA O MEAE — SALUTIS 293. COPIA VIVENDI 294. 298. CNOSSIA NEU

fluxisse arbitror. Est sententia, quae se sponte ingenio poetae in tali rerum articulo offerre debuit.

279. *aperit ferrum quod veste latebat.* Aen. VI, 406 *aperit ramum qui veste latebat.*

285 sqq. Respicit fata filiae Britomartis, cuius amore Minos exarserat, quem illa fugiens a Dictynnaeo promontorio in mare se praecipitare maluerat. vid. ad v. 219. 287. Et semper propter te eundem aut olim nata, Britomartis, (te fugiendo) aut (nunc) amor alumnae Scyllae luctum mihi attulit.

289. *capta atque tam longe avecta.* Ex Creta igitur Carme captiva abducta Megara pervenisse putanda. Nec tamen hic Minoem se effugisse videt. 292. 293. Iam nec in senio quidem mihi vita tolerabilis relinquitur! Sed verba sunt scabra.

296. Britomartis venatrix a Minoe conspecta, et, ut eius insidias fugeret, praeceps in

Digitized by Google

„Dictaeas ageres ad gramina nota capellas:
„Nunquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
„Praeceps aërei specula de montis obisses,
„Unde alii fugisse ferunt, et numina Aphaeae
„Virginis assignant; alii, quo notior esses,
„Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
„Sint haec vera velim; mihi certe, nata, peristi:
„Nunquam ego te summo volitantem in vertice montis
„Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
„Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
„Verum haec tum non sic gravia atque indigna fuere, —
„Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret; —
„Et vox ista meas nondum violaverat aures.
„Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
„Tene, o sola meae vivendi caussa senectae?
„Saepe tuo dulci nequidquam capta sopore,
„Cum premeret natura, mori me velle negavi,
„Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.

301. AEREIS—MONTIBUS ISSES 309. NOBIS

mare delata. cf. Var. Lect. et ad v. 219, ubi et de vss. 302 sqq. in quibus illa nomina *Aphaeae* nymphae et *Dictynnae* accepisse narratur.

304. Alii Lunam tuo de nomine Dictynnam appellavere: id quod ponit tacite, Dictynnae nomen Britomarti fuisse inditum. At illa fuit Dictynna dicta a Dianae nomine; quae h. l. eadem cum Luna esse editur. Diversitas utique narrationis in hoc fuit, quod alii Dictynnam interpretabantur Dianam, alii Dianae nympham. conf. sup. ad v. 222.

309. *indigna*, intolerabilia, ut saepe alias. Evenerunt haec acerba filiae fata tum, cum te alumnam haberem. *fuere*, evenerunt. Sed oratio scabra, et vix sana; vid. V. L. Mox 311 *vox ista* de amore Nisi, et 313 *vivendi caussa meae senectae*, mihi seni.

314—316. Saepe Scylla infante in sinu dormiente, cum ipsa dolore animi victa vita se privare vellet, mortem distulisse se ait, ut antea viro nuptam eam videret. *capta*, delectata: an, et ipsa ad somnum invitata, sed nequicquam? *cum*

Digitized by Google

„Quo nunc me, infelix, aut quae me fata reservant?
„An nescis, qua lege patris de vertice summo
„Edita candentes praetexat purpura canos?
„Quae tenuis patrio prae sit suspensa capillo?
„Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
„Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum;
„Sin est, quod metuo, per te mea alumna, tuumque
„Expertum multis miserae mihi rebus amorem,
„Per, te saeva precor, per lumina et Ilithyiae,
„Ne tantum in facinus tam nulla mente sequaris.
„Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
„Flectere amore, neque est cum dîs contendere nostrum;
„Sed patris incolumi potius denubere regno
„Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates.
„Hoc unum, exitio docta atque experta, monebò.
„Quod si non alia poteris ratione parentem
„Flectere — sed poteris; quid enim non unica possis?—,
„Tunc potius tamen ipsa, pio cum iure licebit,
„Cum facti caussam tempusque doloris habebis,

317. NUMINA SERVANT 320. TENUI PATRIAE SPES 323. ME 325. ME ET SACRA — FLUMINA ILITHYIAE 326. MOLLI 329. TE NUBERE

premeret natura, senectus moleste gravaret. De *flammeo*, veste seu velo ac tegmine, quo novae nuptae nubebantur, eoque flavi coloris, nota sunt omnia. *lutum*, herba, cuius succo inficiuntur vestes. v. ad Tibull. I, 8, 52. *Corycium*, a Coryco Ciliciae monte, croco, cui similis luteus color est, celebrato. Sed *glomerare* mire dictum est pro texere: proprie est colligere fila, quae pro stamine texturae sint.

317. *infelix!* διὰ μέσου, ut Scaliger monuit, sine regimine! δαιμονίη. Quae numina, et quo, nunc me servant? Mox 319 *Edita*, nata, et 324 *Expertum* passive.

333. *quid enim non unica possis?* cum unica sis filia. 334. *pio cum iure licebit*, si parens negaverit nuptias cum Minoe

Digitized by Google

„Tunc potius conata tua atque incepta referto;
„Meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
„Polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.“
His ubi sollicitos animi relevaverat aestus
Vocibus et blanda pectus spe vicerat aegrum,
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis et placidam tenebris captare quietem,
Inverso bibulum restinguens lumen olivo.
Incipit ad crebros insani pectoris ictus
Ferre manum, assiduis mulcens praecordia palmis.
Noctem illam sic moesta super morientis alumnae
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum
Praegelida veniens miseris quatiebat ab Oeta,
Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae —
Hesperium vitant, optant ardescere Eoum —;
Praeceptis paret virgo nutricis, et omnes
Undique conquirit nubendi sedula caussas.
Tentantur patriae submissis vocibus aures,
Laudanturque bonae pacis bona; multus ineptae
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit
Communemque timere deum, nunc regis amicis,

349. Et gelido v. mani 351. solem 358. amicos

ineundas. *tempus doloris*, cum tempus dolendi habebis iustum, adeoque erit, quod doleas, negatis a patre nuptiis. *referto:* iterum consilium hoc extremum resecandi capilli patrii revoca, repete. 337. *Meque deosque.* Comparat Scaliger Graeca: *ὡς ἐμοῦ σὺν θεοῖς συλληψομένης σοι, οὕτω ποιοῦ.* 338. *nihil est:* non res est, quae non nisi longo tempore et multo apparatu perfici possit: sed res est brevi tempore expedienda. Verum recte Iul. Sabinus in sententiam mutavit: nihil est longum, quod ipsa natura ordine texuit; et sic nunc interpunxi.

348—350. Descriptio orientis diei; quae an cum iudicio

Digitized by Google

Nunc ipsi verita est, orbum flet moesta parentem.
[Cum Iove communes qui quondam habuere nepotes;]
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, et divûm terret formidine cives;
Nunc alia ex aliis, nec desunt, omina quaerit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates,
Ut, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
Esset, qui generum Minoa auctoribus extis
Iungere et ancipites suaderet tollere pugnas.
At nutrix, patula componens sulfura testa,
Narcissum casiamque herbas contundit olentes,
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; „Ter in gremium mecum" inquit „despue virgo,
„Despue ter, virgo: numero deus impare gaudet."
Inde Iovi magno geminat Stygialia sacra,

359. NAMQUE IPSO V. E. ORBARI M. PARENTE 366. ESSENT 367. SUADERENT 369. INCENDIT 373. GEMINAT MAGNO

ornata sit, vid. Var. Lect. Solem *quatere lumina* dixerat auctor Culicis v. 42. Paullo ante *fri-gidulos oculos* ex Catullo mutuatus est LXIV, 131.

358. *Communem deum:* belli fortunam. Alias dicimus Martem communem. Laudat Taubm. illud Annibalis Liv. XXX, 30 *Cum tuas vires, tum vim fortunae Martemque belli communem propone animo.* Sed et inf. in Catalect. XI, 50 *Communem belli nec timuisse deum.* Conf. Burm. Antholog. Lat. Tom. I, p. 299. [* Gronov. obss. IV. 17. p. 270.] De toto loco corrupto v. V. L.

368 sqq. Locus, qui sequitur de magicis sacris, ab anu factis, antiquis acceptior et suavior, quam nobis esse debuit; nec male tamen a poeta est tractatus, etsi aliorum poetarum exemplo, nec forte satis accommodate ad h. l., cum ea non ad amorem instillandum, sed ad Nisi parentis animum flectendum et, ut filiae cum hoste Minoe nuptias probaret, impellendum valere debeant. Vs. 369 *Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes;* compositus ad illum Ecl. II, 11 *Allia serpillumque herbas contundit olentes.* Vs. 370 *Terque novena ligat triplici diversa colore Fila.* Novem fila triplicis coloris nectit ter, seu nodo facto, seu inter se implicita. Sumtum ex Ecl. VIII, 73 *Terna*

Digitized by Google

Sacra nec Aeaeis senibus nec cognita Graiis;
Pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere divi —
Tanta est in parvo fiducia crine cavendi —;
Rursus ad inceptum facinus se cingit alumna
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Praelongo quod iam captat succurrere amori;
Non minus illa tamen, revehi quod moenia Cressa
Gaudebat; cineri patria est iucunda sepulto.
Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens deciditur ostro;
Tum capitur Megara et divûm responsa probantur;

374. IDAEIS 380. SOCIAM SE ADIUNGIT ALUMNAE 382. CUM LONGO 383. CRESCANT 384. GAUDEAT, ET 385. METU 386. SUCCIDITUR

tibi haec primum triplici diversa colore Licia circumdo. Inde etiam vs. sq. repetit: *numero deus impare gaudet.* Tum 375. 376 *Amyclaeus thallus*, θαλλὸς, ramus, termes olivae esse videri potest, quo aram aqua adspergit: nam Aen. VI, 230 in lustratione: *Spargens rore levi et ramo felicis olivae.* Itaque olivarum proventum in Laconica fuisse ex h. l. patet, quod Scaliger partim ex studio palaestrae, partim ex Statio, qui *Eurotam oliviferum* appellavit, firmari posse putabat. Verum palaestrae studium non statim olivae culturam infert; et in Statio lectio est ambigua: Theb. IV, 227; nam alii *oloriferum Eurotam* habent, quod verius esse arbitror; nam idem Eurotas arundinosus, δονακοτρόφος, Theogn. 763, quales amnes amant olores; tum *olivifer* ad idem palaestrae studium inter Laconas referendum erat. Nec vero ad haec confugere necesse erat. De myrto accipiendum esse thallum Amyclaeum, ex carmine Catulli patet, quod toties expressum in Ciri. Nam v. 89 *Quales Eurotae progignunt littora myrtus.* Alioqui lauros ad Eurotam memoravit ipse Maro Ecl. VI, 83. *Iolciaca vota*, sunt devotiones Thessalicae. [* V. Salmas. ad Solin. p. 766. b.]

382. 383. 384. Sententia esse debet: partim ut alumnae amori succurrat, partim quod in patriam sic se redituram et saltem tumulum in solo patrio habituram esse videt.

386 sqq. Potiora narrationis capita tantum verbo attingit: vid. ad pr. carm.

Digitized by Google

Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare caeruleum trahitur Niseïa virgo.
Complures illam nymphae mirantur in undis,
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys,
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores;
Illam etiam, iunctis magnum quae piscibus aequor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothee, parvusque dea cum matre Palaemon;
Illam etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Iovis soboles, magnum Iovis incrementum,
Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces atque haec lamenta per auras
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad coelum infelix ardentia lumina tendens,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas:

393. Illa 396. Illi 401. tollens

388. Mira Minois crudelitas, quod puellam navi alligat; cf. v. 415. 416; non adiicitur, an in prora, ubi parasemum erat: in quo forte fabulae potest origo ac caussa latere: cum puella effícta esset, quae suspensa per mare trahi videri posset; Tzetza ad Lycophr. 648 *κρεμασθεῖσα τῆς πρώρας τῆς ἐκείνου νηὸς* etc. In diversa abit Apollodor. III, 14, 8 Minos *τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας, ὑποβρύχιον ἐποίησε.* Etiam alios fabulam sic exponere, notavit Scaliger. Propert. III, 17, 26 [IV. 18, 26.] *Pendet Cretaea tracta puella rate:* ubi cf. Intpp. Potuit et hoc subesse poetae, qui primus finxit, animo, quod Scylla ob tantum facinus digna erat, cui *tellus pontusque negetur*, ut verbis Nasonis utar. Alii poetae fabulam aliter tractavere: Navi eiectam in mare a Minoe, ad Scyllaeum Argolidis promontorium delatam mortuam acceperat Pausan. II, 34, p. 192. At dolore furentem, cum se a Minoe relinqui videret, in mare se praecipitasse, et puppi abeuntis navis inhaesisse narrat Ovid. Met. VIII, 142 sq., ubi similes querelas Scyllae comparent studiosi cum loco, qui sequitur, non male elaborato a poeta: et in quo ille cum Catullo LXIV, 130 sqq. certasse videtur.

390. *Complures illam Nymphae mirantur.* Frequentatum poetis phantasma: ut in Argonautarum historia. Proxime tamen Catullum respexisse videtur LXIV, 14. 15. In vss. 393. 394.

„Supprimite o paullum turbati flamina venti,
„Dum queror — et divos, — quamquam nil testibus illis
„Profeci, — extrema moriens tamen alloquor hora.
„Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et aurae,
„Vos, Pandionia si qui de gente venitis;
„Cernitis: illa ego sum cognato sanguine vobis
„Scylla; quod, o! salva liceat te dicere Procne;
„Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
„Certatim ex omni petiit quam Graecia regno,
„Quam curvus terris amplectitur Hellespontus;
„Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniux
„Dicta tibi; tamen haec, etsi non accipis, audis.
„Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
„Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
„Non equidem me alio possum contendere dignam
„Supplicio, quod sic patriam carosque penates
„Hostibus immitique addixi ignara tyranno.
„Verum isthaec, Minos, illos scelerata putavi,
„Si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
„Facturos, quorum direptis moenibus urbis,
„O ego crudelis, flamma delubra petivi;

407. MATUTINA 409. AH 412. QUA — TERRAS 420. ESTO. HAEC

395 disertus locus de Ino et Meliceria.

403 — 457. Lamenta haec Scyllae non sunt a poeta tenuioris ingenii profecta; desideres modo severius iudicium in dilectu rerum et sententiarum.

413. 414. *Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniux Dicta tibi.* Aut exciderunt multa, aut non satis praestruxit narrationem poeta. Intelligendum scilicet est, dato capillo Scyllam fidem a Minoe matrimonii iungendi accepisse. Ad pactionem eandem sunt *foedera* referenda vs. 421. Ceterum cum his Scyllae querelis cf. eas, quas Ovid. Met. VIII, 108 sqq. eius ore profert, ut intelligas, in hoc ingenii lusum, in nostro poeta doloris acerbitatem ex naturae veritate.

417. Non equidem aliud quid merui quam tale supplicium — 420. *illos s. — Facturos, quorum:* Megarenses, si rescivissent proditionis consilia! Mox 430

„Te vero victore prius vel sidera cursus
„Mutatura suos, quam te mihi talia captae
„Facturum metui. Iam iam scelus omnia vincit.
„Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
„Ten' ego, nec mirum, vultu decepta puella
„Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
„Non equidem ex isto speravi corpore posse
„Tale malum nasci; forma vel sidere fallor.
„Me non deliciis commovit regia dives,
„Curalio fragili, atque electro lacrimoso,
„Me non florentes aequali corpore nymphae;
„Non metus incensam potuit retinere deorum.
„Omnia vincit amor: quid enim non vinceret ille?
„Non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
„Pronuba nec castos accendet pinus honores,
„Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.
„Magna queror; nec me illa quidem communiter alma
„Omnibus iniecta tellus tumulabit arena.

432. Non me 433. Coralio—ac 438. odores 440. nec et—communis alumna

speravi pro metui, putavi, ut saepe: conf. Aen. I, 543. IV, 419. non in animum venit, tantum scelus a viro tam formoso proficisci posse; forma ego misera decepta sum.

432. *Non me commovit:* ut absterrerer a prodenda patria. Loquitur enim de Nisi patris regia, et de bonis, quibus illa adhuc usa erat. 434. *aequali corpore*, aetate, aequales, ὁμήλικες κόραι, ut Scaliger illustrat.

437 — 439. Ad nuptiarum sollennia referendum, quibus se nunc privatam conqueritur; sponsa perungitur: taedae lucent: purpureus torus sternitur: h. e. vestis purpurea in citrino lecto. Nam *Libys*, Libycus, *lectus*, ut *Libycum pecten* sup. 178, eburneum vel lotinum vel citreum. Ante oculos autem habuit poeta Catull. LXIV, 43. 48. 49.

441. Comparat Scaliger Catull. Epithal. Thetid. 153 *neque iniecta tumulabor mortua terra:* et cum seqq. verss. ibidem versus 158 sqq. Scilicet cum se etiam tumulo privari dixisset, addit Scylla, debuisse saltem tamquam captivam in Cretam abduci et in servitio coniugis Minois haberi. Mene non licuit famularum munere fungi? et fusos penso gravidos coniugis tuae devolvere? Imago servitutis

Digitized by Google

„Mene inter matres ancillaresque maritas
„Mene alias inter famularum munere fungi,
„Coniugis atque tuae, quaecunque erit illa, beatae
„Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
„At belli saltem captivam lege necasses!
„Iam fessae tandem fugiunt de corpore vires,
„Et caput inflexa lentum cervice recumbit,
„Marmorea adductis tabescunt brachia nodis.
„Aequoreae pristes, immania corpora ponti,
„Undique conveniunt et glauco in gurgite circum
„Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
„Iam tandem casus hominum, iam respice, Minos!
„Sit satis hoc, tantum solam vidisse malorum,
„Vel fato fuerit nobis haec debita pestis,
„Vel casu incerto, merita vel denique culpa.
„Omnia nam potius, quam te laesisse, putabo."
 Labitur interea revoluta ab litore classis,
Magna repentino sinuantur lintea Coro,
Flectitur in viridi remus sale, languida fessae
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,

442. COMITES, ANCILLARUMQUE CATERVAS 449. ADDUCTISQUE LABASCUNT 450. PESTES 456. INCEPTO

poetis frequentata: et Catullo eodem loco in Ariadnes querelis 160 sqq. cf. Mitscherlich. Lectiones in Catull. pag. 107.

454. Sit satis me unam omnium puellarum tantam miseriam experiri, h. nunquam aliam esse expertam maiora mala. 457. Non vulgarem magni ac generosi amoris sensum redhibet hic versus: Iniuriae culpam, etsi tam indigne ab amante habita, tamen deprecatur et ab eo in quodvis aliud transfert: putabo omnia potius laesisse me, caussam, cur infelix sim, fuisse, quam te laesisse me, h. tua fraude et scelere hoc factum. Aliter Ariadne Catulli LXIII, 188 sqq., quae diras Theseo imprecatur. Mox v. 461 elegans descriptio vocis deficientis cum viribus.

462. Navigationis narratio laude sua non caret. Ex sinu Megarico inter ἄκρας, Minoam et Nisaeam, in altum evectus a dextra Isthmum et Corinthum, quam unus ex Cypseli stirpe tenebat, et propiore loco Sciro-

Cypselidae magni florentia regna Corinthi;
Praeterit abruptas Scironis protinus arces,
Infestumque suis dirae testudinis exit
Spelaeum multoque cruentas hospite cautes.
Iamque adeo tutum longe Piraeea cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Iam procul e fluctu Salaminos suspicit arva,
Florentesque videt iam Cycladas; hinc Ceus illi,
Sunion hinc, statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereïdum matri et Neptuno Aegaeo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon
Marmoreamque Paron, viridemque allapsa Donusam
Aeginamque simul sementiferamque Seriphum

469. MINOIA RESPICIT 470. STROPHADASQUE 471. HINC SINUS

nides petras habet, subter quibus specus est, quam Testudo inhabitabat, devorans hospites a Scirone in mare proiectos; est ea Testudo *infesta suis*, Megarensibus; nam Scylla loquitur. Ulterius provectus Athenas praeterit, tum, sinu Saronico relicto cursum tenet in medio Cycladum versus Cretam. Similes navigationes locorumque enumerationes sunt inprimis in Ovidii Metamorph. et Statii Achill. II pr. 468. *secum respectat*, h. respiciendo apud animum suum cogitat. Barthius iam comparavit ex Ge. I, 389 de cornice: *et sola in sicca secum spatiatur arena*, et ex Claudiano Epith. Pall. 47 *quid medio tecum modularis in aestu?* Scaliger *notas secum* per archaismum dictum volebat pro *sibi*. Elegans autem τὸ *respectat*, ut et alibi *respicere*, *adspectare*, ut Ge. III, 228. De reliquis vid. Var. Lect. 470. *Florentes Cycladas*, propter silvas longe conspicuas navigantibus. Sic Ovidius inter Cycladas *florentem Cythnon* Met. VII, 464, et noster poeta paullo post *viridem Donusam* dixit; quod etiam Aen. III, 125 memoraverat, etsi ibi Serv. ad marmor viride respici ait. 475. *Marmoream Paron*, a marmorum fodinis, etiam Ovidius dixit Met. VII, 465, loco, quo eum ante oculos habuisse h. l. suspicor: *viridem Donusam*, iam Aen. III, 125 vidimus. Interea laboris huius taedium levare liceat alia observatione. In loco Aen. III, 125 Aeneas a Delo evectus iter faciens per Cycladas relinquit Naxum, Donusam, Olearon etc. Hoc loco prospicit Scylla Cythnum, Paron, Do-

Digitized by Google

Fertur et incertis iactatur ad omnia ventis,
Cymba velut, magnas sequitur cum parvula classes,
Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo;
Donec tale decus formae vexarier ultra
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus
Caeruleo pollens coniux Neptunia regno.
Sed tamen externam squamis vestire puellam,
Infidosque inter teneram committere pisces
Non statuit — nimium est avidum pecus Amphitrites —;
Aëreis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclaeo formosior ansere Ledae.

480. VEXAVIT, ET AEGROS

nusam. Situs adeo huius insulae ex his ipsis aliqua ratione aestimari potest; quandoquidem accuratior ratio non suppetit. Corruptelam itaque in Stephano Byz. in Δονουσία (quam antiquam satis esse Eustathii alter ille locus ad Perieg. 530 declarat) etiam haec arguunt: Δονουσία, νῆσος μικρὰ Ῥόδου. Enimvero nimis longe ab ea abesse debuit, si Maro non turpiter errasse dicendus est. Sin Rhodiis eam paruisse dicere volebat, νῆσος τῶν Ῥοδίων dicturus fuisset; et quorsum hoc potissimum notandum veniebat in hac insula? Immo νῆσος μικρὰ Σποράδων, vel, ut alias amat Stephanus (v. c. in Γύαρος), νῆσος, μία τῶν Σποράδων. Quod ibid. subiicitur, in eam insulam a Baccho ex Naxo Ariadnen traductam, viciniam non minus arguit. Plinius IV, s. 23 Donusam inter Telon et Pathmon memorat, etsi ibi *acervatim ponere* se Sporadas ait. A Cellario alieno loco, infra Icariam, collocata est Donusa.

478. 479. Comparatur alligata navi Scylla cum minore navigio navi alligato. Ut sit: velut cymba parvula, cum sequitur magnas classes, et cum turbo Afer bacchatur in aequore; h. dum interea Africus procellas movet. Eandem comparationem Statius I Silv. 4, 120 sqq. adhibuit: ut iam alii notarunt. [* *Cymbae* imaginem illustravit Lindenbruchius.] Paullo ante v. 473 *ad omnia* debet esse ad omnem motum, impulsum, venti.

483. 484. 485. Noluit mutare in piscem, nam ita a belluis et pristibus devorata fuisset, qui minoribus piscibus insidiantur. *externam puellam*, in externa corporis superficie. *teneram committere inter pisces:* pro, piscibus, seu relinquere inter belluas marinas; insolenter dictum; scil. metuens, ne ab iis devora-

Digitized by Google

Hic velut in niveo, tener est cum primitus, ovo
Effigies animantis et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
Semiferi incertis etiamtum partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos primum et multis optata labella
Et patulae frontis species concrescere in unum
Coepere, et gracili mentum producere rostro;
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores,
Puniceam concussit apex in vertice cristam;
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes minioque infecta rubenti
Crura novam macies obduxit squalida pellem,
Et pedibus teneris ungues affixit acutos.
Et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum.
Nunquam illam post haec oculi videre suorum

489. Ac — teneræ cum 493. etiam nunc 500. Purpuream 505. nova — pelli 506. confixit 509. posthac

retur. *pecus Amphitrites:* antiqua poetarum formula. Notum est Naevii, quod et Taubmann. laudat, *Lascivum Nerei simum pecus.* add. Lucret. II, 342. 343, et inprimis notum illud Horatii: *Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes.* Mox 487 *in terris,* inter homines appellatur Ciris ἀπὸ τοῦ κείρειν, detonsa patris coma.

489 sqq. Totus locus de metamorphosi hac, et inprimis comparatio inchoatae mutationis Scyllae in alitem cum vitello ovi in pullum abeunte, ex elegantissimis est, et miror, eam Nasoni, ingeniosissimo homini, non in mentem venisse. 490. 491. *internodia fluitant membris* pro vulgari: internodia membrorum fluitant. 492. *liquido circumfusum aequore corpus:* nescio an arguter: sed malim non tam exemtum vinculis et mari natans, quam potius, ut pullus in ovo liquore ambitur, sic humore seu nebula inclusum corpus, dum mutabatur, significari.

499. Est adeo Ciris avis cum

Purpureas salvo retinentem vertice vittas,
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
Nullae illam sedes: quid enim cum sedibus illi?
Quae simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad coelum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in aequora rorem;
Infelix virgo nequidquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit aevum,
Rupibus et scopulis et litoribus desertis.
Nec tamen hoc iterum poena sine: namque deûm rex
[Omnia qui imperio terrarum millia versat]
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater exstinctus caeca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua — nam saepe nitentum
Sanguine taurorum supplex resperserat aras,
Saepe deûm largo decorarat munere sedes —
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecitque in terris Haliaeëtus ales ut esset:
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscus.
Huic vero miserae, quoniam damnata deorum
Iudicio patriaeque et coniugis ante fuisset,

510. FLAVO 512. IAM 515. AEQUORE 523. TEPENTI 527. FECIT ET 530. GNATIQUE

crista purpurea, ad imitationem cincinni seu capilli purpurei patrii, quem Scylla resciderat. *volucre tegmen* est plumeum, et *perpetuae pennae*, quae totas alas, olim brachia, obducunt; et 506 *confixit ungues*, commisit, continua cute.

513 sqq. Elegans locus et sensibus rem subiiciens graphice, *Et multum late dispersit in aequore rorem*, ut solent aves madefactas alas concutere. *nequicquam recepta*, servata, a *morte*. Praestat, puto, hoc, quam ut mortem receperit, subierit; id quod factum non est; mutatur enim in avem. *aevum incultum*, vitam asperam et horridam.

519. Nunc Iupiter, indignatus, filia scelerata in avem mutata, parentem interea miserum apud inferos degere, revocavit eum in vitam et pariter avem fecit; sed Ciri infestam, tamquam ad poenam a filia exigendam.

529. 530. 31. quoniam damnata fuerat ob crimen *iudicio deorum* et ipsius *Minois*, *gnati*,

Digitized by Google

Infesti apposuit odium crudele parentis.
Namque, ut in aetherio signorum munere praestans,
Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona;
Sic inter sese tristes Haliaeëtus iras
Et Ciris memori servant ad secula fato.
Quacunque illa levem fugiens secat aëra pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aëra pennis.

531. APPOSUITQUE 537 et 540. AETHERA

h. e. nati deorum, et quidem *Iovis*, et *coniugis*, pro amato a Scylla, ad poenam ab ea expetendam additus est pater infestus haliaeetus factus.

532 sqq. Arguta etiam haec est comparatio. Mutuo se persequuntur fugiuntque ciris et haliaeetus aves, quemadmodum duo sidera Scorpius et Orion ortu et occasu se fugere sequique videntur. Quoties enim Orion occidit, altera ex parte Scorpius exoritur, ut ex sphaerae tractatione discere quisque potest. Idque etiam Aratus docet vss. 303. 304. 308. Versa res a priscis hominibus in fabulam, ut Orioni Scorpium immissum narrarent. cf. Hygin. Astron. II, 26 *Itaque constitutum, ut, cum Scorpius oriatur, Orion occidat*, et lib. III, 33 *hunc* (Orionem) *spectantem ad occasum et occidentem exorta Scorpionis posteriori parte*. Paullo diversa ratione ductum vidimus poeticum phantasma ab situ et ea specie, quam in sphaera caelesti duo sidera oculis obiiciunt: quo modo Pleias Piscem fugere dicta Ge. IV, 237, quod mihi illo loco molestiam facere non debebat: est enim res satis frequens. Iterum alio modo de Ursa Aratus effinxit illud: *Ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται καί ῥ' Ὠρίωνα δοκεύει*: nam eadem tantum linea ex adverso moventur et Ursa et Orion.

ADNOTATIO CRITICA.

[* *P. M. Virgilii illu. poetae Ciris feliciter incipit*, R. *Publii Virgilii Maronis Ciris ad Messalam*, A. Ald. 1517.]

Minus adhuc adolescentum manibus tritum esse hoc carmen, etsi tot praeclaris locis insigne, nemo mirabitur, qui, quam foedis illud corruptelis laboret, intellexerit. Versabitur igitur nunc quidem praecipua operae nostrae pars in vulneribus illis sanandis. Statim in fronte carminis foeda occurrit labes, cui iam Scaliger mederi voluit. Sententiam loci omnino hanc esse, ut, etsi studiis philosophiae Epicureae sese addixerit, carmen tamen hoc inceptum se absolvere velle significet, manifestum est. Itaque vss. 1—8 ad priorem sententiae partem spectare, inde alteram sequi necesse est. Nunc singula videbimus.

1. *vario amore.* Cum altero versu eandem rem per *irrita praemia vulgi* declaret: quis dubitet poetam *vano laudis amore* scripsisse. Ita et Nic. Heins. emendat, et praeterea *lactatum* legit, bene. „Festus: „lacit, *decipiendo inducit; lax etenim fraus est;* lacit, *in fraudem* „*inducit: unde et* allicere *et* lacessere, *inde* lactat, illectat, delectat. „et *laqueus.* Symmach. lib. VIII, ep. 57 *si se amor speratus et ex mu-* „*tuo debitus lactari laude pateretur;* ubi puto, *amor spectatus.* Vi- „de Sciopp. Verisim. IV, 15 et Susp. Lect. V, ep. 19 restituit Plauto „*amor lactat*, *lectari amantem* Terentio; idem Symmachus alibi: *neque* „*me iuvat falsa lactatio.*" Mitscherlich. V. C. Lect. in Catull. p. 78 defendit *vario*, quia *iactatum* se dixit, quo innuit, variis modis se laudem quaesivisse.

2. [* Fallitur Heynius *praemia vulgi* de fama poetica explicans. Nondum enim poeta *expertus* fuerat haec praemia, sed ipso Heynio dicente consequi studuit. Sunt intelligenda de honoribus et magistratibus, quibus populus poetam ornaverat. Hinc apparet, cur populus potissimum *fallax* dicatur. *Praemia* autem de insignibus magistratuum dici, docet locus Horatianus (Sat. I. 5, 35.) *insani ridentes praemia scribae*, unde iam significatio in ipsos magistratus extenditur, quae valet in Elegia ad Messal. 39. *Multa neque immeritis donavit praemia alumnis* Roma *Praemia Messalis maxima Poplicolis.* Adde Epimetrum.]

3. [* *hortulus* proprie de Epicuro eiusque schola dicitur. Cfr. Propert. IV. 21, 26. ed. Iacob. (ubi multa collegit Burmannus Sec. p. 682.) Martial. VII. 69. *aura* pro odore invenitur apud ipsum Virgilium Georg. IV. 417.]

4. Veteres edd. [* et R. A. Helmstad. Ed. Pr.] *Florentes viridis Sophiae c. umbras.* Sic fere Bas. cod. Meliorem lectionem *Florentis* (amoenae) *viridi Sophiae conplectitur umbra* Aldina 1517 exhibuit. Scaliger mutato ordine: *Florentis Sophiae viridi* dedit. Turnebum [* et Swartium Anal. III. 14.] miror l. c. maluisse: *Florenti viridis S.* [* *Sophia* iam Ennius suam fecit ap. Festum s. v. *fas.*]

Digitized by Google

5. ***Num mea quaeret eo dignum sibi quaerere carmen.*** Pessime habitum versum facile agnoscas. Nulla varietas vett. edd. et codd., quam quod *Tu*, *Tum* et *quiret* occurrit. At ex vet. edit. P. Leopardi I. Nic. Loensis Epiphyll. VIII, 23 *Non me ea curat eo dignum se cudere carmen*, recitat, et ad Sophiam refert: parum commode. Turnebus Advers. XXVIII, 25 varie tentat; vel: *Musa quoque Actaeo dignum s. q.*, vel *Musaque Erechtheo*, vel: *Musaque Arateo sene.* Docta coniectatio: sed orationis vincula nulla video. Nomen *mentis* vel *Musae* in verbis latere obvium est, nam ea *suspendit* et *ausa est*, sed reliqua nemo sine libris expediat. Scaliger reposuit: *nec mea quit Erato dignum se quaerere carmen:* ut, qui sequuntur, tres versus in parenthesi habeantur. Versum scabriorem procudere ipse vix poterat. Refinxit eum Heins. *Nunc mea fert Erato dignum tibi quaerere carmen:* etsi cum ceteris parum cohaeret. Iacobs: *Musa tamen curat dignum te quaerere* (saltem *pangere*) *carmen.* Greene: *Num me quaeret ea dignum? sibi quaerere carmen?* (*will wisdom search after me, as worthy of her?* (hoc esset: Num me quaeret se dignum?) *is it hers to seek poetry?*) Malim resecare totum versum 5 tamquam inepti versificatoris, qui innuere volebat: quaeri poetae hoc ipso philosophiae studio novam carminum materiam, et coniungere verba sic: — *umbra*, *Mensque aliud st.*, etsi, si dicendum est, quod sentio, omnes hos verss. 5—8 ab altera manu intextos esse suspicor.

7. 8. *suspendit*, vid. Not. Tuentur vocem Livineius et Barthius apud Taubmannum. Verum, etsi *suspendit* pro *suspendit se*, suspenditur, ferri forte potest: duriora tamen sunt reliqua: *suspendit ad sidera;* nec mollius illud: Musa *suspendit studium et labores ad sidera.* Probanda itaque Scaligeri lectio: *subtendit*, ad caelum tendit altius, hincque alterum pendet: *Et placitum paucis ausa est adscendere collem*, scil. Sapientiae seu Virtutis: ad quam via ardua, οἶμος ὄρθιος, vulgari voce ferebatur. cf. vs. 14. Male de poetices laude et Helicone monte accipiunt haec interpretes, etiam Fontanin. Hist. litt. Aquilei. p. 35. Basil. *suspensi:* unde Heins. *suspendi* vel *se tendit.* Io. Schrader. Emendatt. c. 3. p. 55 *suspexit:* cum Iacobs. nostro: inf. 217 *et altum suspicit ad culti nutantia sidera mundi.* Et sic codd. Aen. IX, 402 *suspiciens altam ad Lunam.* Durum tamen et hoc: mea Musa suspexit ad caelum. *placitum* et *paucis* vett. edd. omnes habere Scaliger ait: quod verum non est. Legitur passim, etiam in Basil., *multis*, et *placidum:* sed vitiose. Vetus editio P. Leopardi apud Iac. Nic. Loensem Epiphyll. VIII, 23 *Nec facilem multis*, ex interpretatione. *ascendere callem* coni. Heins. [* Illud Heynius quidem post Scaligerum recte vidit, iungenda esse vs. 1—9. *Etsi — non tamen*, male tamen veterem interpunctionem servans commisit ut locus prorsus non intelligi posset, quem iam ut hucusque legebatur apponamus:

5. *Num mea quaeret eo dignum sibi quaerere carmen?*
Longe aliud studium atque alios accincta labores,
Altius ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est adscendere collem:
Non tamen absistam coeptum detexere munus.
In quo sqq. —

Quintum cum tribus proxime insequentibus versum parenthetice sumendum esse, quivis videat oportet, qui mente non occupata ad carmen nostrum accesserit, et confirmat hoc aperta, quam alii interpretes iam notarunt, Catulli imitatio LXV. 1 — 15.

Etsi me *assiduo confectum cura dolore*
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus,
— — — — — — — —
— — — — — — — —
Sed tamen *in tantis moeroribus, Hortale, mitto* etc.

Videndum autem ante omnia, quid codd. exhibeant, num forte inde certi

Digitized by Google

aliquid exsculpi possit, et vs. 5. legitur in R. *tum ea*, A. *quum mea*, Ed. Pr. *Tu mea*, Helmst. Aldina 1517. *Tum mea*, vs. 6. in A. *studiumque aliosque*, Ed. Pr. *studium aliosque*, vs. 7. in Ed. Pr. *suspensi*, vs. 8. in R. A. Ald. 1517. *placidum*, in A. Ed. Pr. *multis*. In reliquis libri MSS. cum lectione impressa consentiunt. Ex illis probo *Tum mea*, quippe quod optima subsidia licet paulo corrupta miro consensu praebeant, ita ut *mea* referatur ad *Sophia*, eadem plane ratione qua statim sequens *eo* pendet ab *hortulo*, in qua pariter Sophia augenda et celebranda omnis versatur parenthesis. Mirifice se torserunt VV. DD. in *quaeret sibi quaerere*. Et de significatione quidem huius verbi, ubi primum legitur, nemo puto dubitavit, quin ea sit *cupiendi* (de qua v. quos collegit Weichertus in actis semin. philol. Lips. T. II. p. 370.); tanto maior autem difficultas est in iterata voce, unde ad ridicula adeo commenta delapsi sunt interpretes. Mihi consideranti quot et quanti errores in scriptis veterum orti sint ex permutatis toties inter se elementis *qu* et *c* (v. Markland. ad Stat. Silv. II. 1, 172. p. 220. ed. Dr.) nata est certissima credo emendatio, pro *sibi quaerere* reponendum esse *tibi currere*. Notum est *decurrere* haud raro accusativo iunctum ad rem poeticam translatum inveniri, et iis quae de hoc huius verbi usu G. L. Walchius in absolutissima sua editione libri quem de Agricolae vita scripsit Tacitus, p. 112. erudite collegit, addi potest Virg. Georg. II. 39. et similis locutio *decurrere vitam*, quam tractavit Burmannus Sec. ad Propert. p. 320. Et antea illud ipsum verbum huic loco genuinum esse opinabar (v. Iahnii annal. philol. Vol. VI. p. 149.), quod quo minus etiamnum probem duo potissimum praeter causam palaeographicam efficiunt impedimenta. *Decurrere* enim nonnisi de opere iam incepto et nunc demum ad finem perducendo usurpatur; sed carmen illud philosophicum nondum a poeta nostro inceptum esse apparet. Deinde ex vs. 20. 35. sqq. certo colligitur, poetam illud quoque carmen Messalae inscribere voluisse, et proinde *tibi* verus est dativus commodi, in tuum honorem. Ut autem *currere* saepissime cum accusativo iungitur (v. Walch. l. l. additis Virg. Aen. V. 235. Val. Flacc. IV. 336.), ita et metaphorice *currere carmen* pro *scribere carmen* bene dici potest, praesertim quum *versus*, *numeri*, *rhythmi* sim. currentes ubique inveniantur. Rem conficit Tac. Agric. 2. *quam veniam non petissem ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora*, ad quem locum ea ipsa, quae supra laudavimus, commentatus est Walchius. Excusat se poeta, quod non carmen de philosophia Epicurea sed poematium heroicum ad Messalam conscripserit, et quod nunc omiserit tum se facturum pollicetur, quum *sua* Sophia, i. e. cognitio philosophiae Epicureae ab ipso iam instituta longius provecta foret, hucusque plane aliis in rebus occupata. Accusativi *studium* et *labores* ab *accincta* pendentes offensioni esse non debent. Crebro enim verba praepositionibus composita eum, quem ipsa praepositio requirit, casum admittunt, qua de re, praeter eos VV. DD. quos in indice ad Catullum p. 349. s. v. *suppono* laudavi, egerunt Heinsius ad Val. Flacc. III. 147. V. 535. Burm. Sec. ad Propert. p. 143. Huschke ad Tibull. III. 4, 84. Intpp. ad Frontin. Strat. III. 15, 4. *Suspexit* scripsi e certissima Schraderi emendatione. In loco Aeneidis ab Heynio prolato Iahnius recte *ad* revocavit, et lectu digna sunt, quae de praepositionum confusione collegit Ellendtius ad Cic. Brut. 2. §. 7. p. 14. De *mundo* pro coelo dicto omnia nota. V. Drakenborch. ad Sil. Ital. XII. 336. Plene dicitur *mundus coeli* ab Ennio ap. Macrob. Saturn. VI. 2. *Altius suspicere* egregie illustratur ex Cic. Tusc. I. 34. §. 82. *Video te alte spectare, et velle in caelum migrare.* At quis non miratur *collem paucis placitum*, cum quisque sciat, illo quo carmen nostrum conscriptum est tempore philosophiae Epicureae longe plurimos indulsisse? Multi sane voluerunt collem adscendere, pauci modo potuere. Haec observatio iam librariis corruptelam huius loci persuasit, ut interpolationes ab Heynio et a me ipso supra enotatae compro-

Digitized by Google

bant. Scripsi *licitum.* Permira de omni hoc loco commentus est Bothius in Virgilio Virgiliano p. 38. *Numina quae retro dignum* coni. Eustathius Swartius Anal. III. 14. ut et *escendere.*]

10. 11. In quo carmine utinam liceat finire labores meos poeticos: forte, ut totum se philosophiae addicat. Sed uterque versus ab interpolatore profectus videtur. Otiosum enim et durum *τὸ iure* et *leviter.* Heins. coni. *rure*, hortulo. Melius Io. Schrader. *rite.* Tum *meas Musas liceat requiescere in hoc carmine*, parum comta oratio. Attamen *blandum morem* non male dictum putes de studio poetico, cui indulget. Iac. Nic. Loensis Epiphyll. VIII, 23 ex vet. edit. *deponere amorem* profert, idque Barthius Advers. X, 12 probat, cum Heinsio (qui et coni. *Leniter et blandum*, ut Lucret. lib. I, 20.) et cum Io. Schradero Emendatt. p. 64; esse enim idem hoc apud Catullum LXXV, 13 *Difficile est longum subito deponere amorem.* Narrat praeterea Io. Schrader. fuisse qui mallet: *deponere honorem.* [* *iure* cur addat, causa non latet. Promiserat enim carmen aliquod poeta Messalae, quod nisi conscripsisset, studium poeticum male omisisset. *requiescere Musas* explicuit, ut par fuit, Iacobus ad Propert. p. 164. „utinam mihi concessum sit, ut mores meos deponam et Musae requiescant." Ceterum *in quae* habet R. et vs. seq. *leniter* cum A. de quarum vocum confusione inprimis docte egit Santenius ad Terent. Maur. p. 248. sq. Sed *leviter* iure suo retinetur. Etenim in universum ars poetica opponitur studio philosophiae, et quum ex vs. 20. sciamus, poetam nostrum maxime elegis conscribendis indulsisse, *leviter* prae omnibus aliis est vox huic loco aptissima, utpote quum *elegi* proprie dicantur *leves;* v. Santen. ad Terent. Maur. p. 318. Vult igitur poeta hoc carmen heroicum omnibus lusibus suis poeticis, *blando mori*, finem imponere, et quum elegiae potissimum se dedisset, hanc non tecte commemorat. Denique *morem* etiam mutare nolui, qui h. l. de studio dicitur, ut apud Horatium (Od. I. 10, 4.) *more palaestrae*, quae verba illustravit Gronovius diatr. Stat. T. I. p. 254. ed. Hand.]

12. In vett. edd., etiam in Aldina, tantum: *Quodsi mirificum genus omnes* legitur. *Mirificum seclis* eadem vet. edit. apud Loensem l. c. Nec aliter Basil. Qui carmen hoc a diversis doctis hominibus interpolatum, interpolationes autem in margine, obscuro interdum et parum elaborato litterarum ductu adscriptas meminerit, is intelliget, quam facile in locis his a librario, qui novum inde exemplum petebat, depravationes inferri potuere, quas nullus alius codex sanare potest. In h. l. tamen lacunam seriores grammatici suo quisque more supplere, et alii alia in margine novare et versus variare tentarunt. Itaque utrumque versum 12 et 13 esse delendum censeo, tamquam inepta pericula grammaticae manus in versu seu vetere, qui exciderat, supplendo seu novo procudendo. Scaliger tamen refinxit: *Quodsi maiorum, Valeri, genus omne tuorum Mirifice seclis modo sit proferre libido*, h. e. si esset mihi libido mandare seclis et memoriae aeternae genus Valeriorum, ex quo Messalarum familia, non ego te acciperem hoc munere, sed longe excellentiore carmine. Ipse tamen Scaliger suae coniecturae non satis confidit. Barthius minus docte refinxit: *Quod si versificum proferre volunt genus omnis Mirificum secli: modo sit tibi velle libido.* Turnebus Advers. XXVIII, 25 *valet genus omne Mirificum secli* corrigit, de sensu verborum idoneo parum sollicitus. Pomponius Sabinus ita interpretatur vulgatam, ut acumen viri non assequar: „Omnes, supple, tradere suadent. Si omnes suadent, ut scribam „philosophiam, et tu etiam id vis et ego paterer scribere, non venerarer „te munere Ciris, sed carmine philosophico." [* Si quis alius in Ciri locus, certe hic ingentes Viris DD. ut nuper etiam Bothio in Virgilio Virgiliano p. 38. dubitationes movit, quibus Heynius ita responderi posse putabat, ut foedam interpolationem statueremus, in quo tamen Virum Egregium sententia fefellit. Locus non est interpolatus sed corruptus, id quod

Digitized by Google

iam codicum lectiones significant. Quum enim hucusque in edd. ita prostaret:

Quod si mirificum proferre valent genus omnes
Mirificum secli, modo sit tibi velle libido,

verba *proferre valent* absunt a R. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. (in cod. A. legitur *perferre valent*) unde non interpolationis sed glossematis magna suspicio oritur. Duo igitur illa verba omittenda sunt, et aliis, quorum originem infra demonstrare conabimur, additamentis omissis, versum a poeta nostro ita prolatum esse putamus:

Quod si — mirificum modo sit tibi velle libido! —
Si me iam etc.

Iam librarius aliquis ad *mirificum* explicandum illa verba spuria adscripserat, quae alter quispiam per errorem consuetum orationi intexuit, unde versus immanis hic ortus est:

Quodsi mirificum proferre valent, modo sit tibi velle libido.

Tertius homo male sedulus tantum abfuit ut glossema suboleret, ut lacunam quam ita fere deprehendisse sibi visus est,

Quodsi mirificum proferre valent — — —
— — — — modo sit tibi velle libido,

pro suo captu expleret, unde egregios versiculos, quos nunc legimus, procudit. Quodsi vero quaerimus, quis sit sensus verborum iam restitutorum, primum tenendum est, voces *mirificum — libido* parenthetice esse intelligendas, quibus parenthesibus poetam nostrum valde delectatum fuisse multi per exordium potissimum loci arguunt, easque adhortationem quasi continere, qua se poeta ad magna audenda compellat. *Mirificum* de omni praeclaro dicitur, et sententia a *quodsi* incipiens per parenthesin primum interrupta, denuo per coniunctionem *si* resumitur, quam figuram Graece ἐπανάληψιν dicunt. Pavidum animi se fingit poeta et cogitantem, num quando Sapientia se in summa arce sit constitutura; iam vero, panget, ait, me Sapientia, dummodo velim mirificum velle. Secundam vero personam adhibuit, qua oratio fit gravior et vividior. Valde quidem dubius haereo, num emendatio mea plausum Virorum DD. latura sit, quae nimiae audaciae crimen vix effugere posse videatur. Attamen hoc certe demonstrasse mihi videor, locum esse malis additamentis oneratum, et restat figura modo dicta paucis illustranda, ut tantum de ea dicam, quae versatur in particulis hypotheticis, ut iam apud Graecos εἰ ita geminatum invenitur (Xenoph. Anab. III. 2, 35.). De Latinis v. infra 129—131. *nisi Scylla — si non inhiasset ocellis*, 240—43. Virg. Aen. V. 397. *Si mihi, quae quondam fuerat — — si nunc foret illa iuventas*, Liv. III. 19. *si quis vobis humillimus homo de vestra plebe — — si quis ex his.* Alias aliarum particularum resumtiones collegerunt Spohnius ad Isocrat. Panegyr. p. 47. Wellauerus ad Aeschyl. Agam. 1617. Cortius ad Cic. Fam. XV. 10. p. 797. Matthiae ad Cic. Epist. select. p. 47. Bergmannus in Nova Bibl. Crit. IV. p. 186. Ramshorn. Gr. Lat. p. 702. — Heinrichius in Bibliotheca Gotting. liter. et art. vett. X. p. 44. coni. *Quodsi mirificum proferre valent opus omnes* hoc sensu: „Quodsi magnum opus proferre licet, modo volueris, equidem te magno carmine venerarer. Procedere debebat oratio ex vulgi more: Quodsi mirificum proferre valent opus omnes, quibus tantum libido est cet. Sed invertit auctor structuram ad variandam orationem." Corollarii loco quasi adiiciam, Naekium in programmate aliquo Bonnensi a. 1826. edito Heynium erroris in Pomponii Sabini verbis intelligendis commissi recte arguere addentem: „His verbis *tradere suadent* Pomponius supplendum esse versum coniiciebat, qui vulgo mancus est, ut desint duo pedes."]

13. *arce* Aldina dedit. Vett. edd. *arte*, idque Calderin. et Ascens. interpretantur; pronum est in *pangeret*, quod tamen non male est dictum

pro figeret, eductum collocaret, suspicari *panderet*, ut reliqua consentanea sint, scribendum: *Si mihi iam summam Sapientia panderet arcem.* Incidit quoque in hoc Frisemann. et Iacobs; nisi quod hic *summas arces* adsciscit cum Greene. Heins. coni. *Si mea* (vel *mihi*) *iam summam Sapientia tangeret arcem.* Ms. Helmst. *Si mea iam summas S. p. artes.* Melius Basil. *summas arces*, quod Heins. probat, recte.

14. *quae* in [* R. Helmst. Ed. Pr.] vett. edd., etiam in Ald. 1517. et in Basil., excidit. *heredibus* eleganter seu ut simpliciter sint κληροῦχοι, seu proprie respectu Socratis. Parum caute Paullus Leopard. ap. Loensem Epiphyll. VIII, 23 *haeresibus* emendabat. Heins. *Quatuor antiquis heroibus addita consors*, vel *heroisin*, ut quatuor philosophiae ipsius partes designet. Martian. Capella lib. VI, p. 189 *Tantorum qui philosophiae heroum matrem non agnoscis.* [* *Patientia*, R. *artes*, R. Ed. Pr. *arte*, A. Miror vero Heynium Heinsio et Iacobsio obsequentem praeferre potuisse *summas arces*, quod Heinsius in cod. Basil. invenisse testatus fuerat, quamquam ibi non legitur, sed est *summa — artes*, plane ut in Ed. Pr. Nam inepte tantum ipsa Sapientia quatuor haeredibus consors data dici posset, et omnino patet, vim orationis non inesse in Sapientia sed in *arce* sive *colle* (vs. 8.). Difficultatem interpretibus movit vox *consors*, cuius significationem explicare noluerunt. Atque haud quidem sum ignarus, novam me ingredi interpretandi viam; videtur tamen unica esse, qua tuto incedere possis. *Consors* sc. retinet hic propriam *sortis* significationem, quae de provincia, atque tum in universum de possessione dicitur. Quatuor enim illi philosophi hunc collem tanquam suum, sibi ab ipsis Diis ut dominis traditum occuparunt, atque quia illi quatuorviri collem una possederunt, poeta eum *consortem*, i. e. iunctam sortem, dominium iis commune dixit; neque recusabo, si quis substantivum agnoverit, simile *commilitio*, quamquam equidem in adiectivum tuendum magis inclinem. Pro *pangeret* Wakefieldus edidit *poneret*.]

15. [* *errorem*, A. — *longe lateque*, de hac horum adverbiorum consecutione v. Heindorf. ad Cic. N. D. I. 20. §. 54. et II. 15. §. 40.]

16. [* *Dispicere*, Helmst. *possim*, R. Ald. 1517. quod Heinsius et Io. Schraderus probant. *possum*, Helmst. Ed. Pr.]

17. *munere vili* coni. Io. Schrader. [* Multum a vero aberraret, qui aliquid in hoc versu corrigere vellet; etenim *munere tali* per contemptum dicitur, ut infra vs. 521. *talem puellam*, i. e. tam impiam. Vide Drakenb. ad Sil. VIII. 112. Matthiae ad Cic. Manil. §. 14. Ita *quantum* pro quantillo ap. Tacit. Annal. IV. 7. Burm. ad Lucan. III. 392. neque dubito quin *tantum* (ap. Gell. N. A. I. 3.) eadem ratione sit capiendum, cuius immemor fui in Iahnii Annal. Philol. I. p. 137. De Graecorum usu in τοιοῦτος, τηλικοῦτος, οὕτως egit, qui perpetuum sui desiderium movet, Summus Wolfius ad Demosth. Leptin. p. 258.]

19. *liceat;* forte *libeat.* [* *ludere* de rebus poeticis modeste dici constat; v. Culicis vs. 1. Sequentem versum egregie illustrant quae docte congessit Santenius ad Terent. Maur. p. 317. Quum autem *gracilis versus* pariter ac *mollis pes* de uno pentametro dicantur, intelligitur *molli pede* non ita iungendum esse cum *claudere*, ut hoc sit i. q. finire, quia tum *gracilem versum* vix aliter quam de heroico interpretari posses, quod quo minus fiat, usus loquendi prohibet, sed *claudere versum* simpliciter pro fingere, componere dicitur, ut non sit finire, sed includere. Sic Horat. Sat. I. 10, 59. *pedibus quid claudere senis*, II. 1, 28. *me pedibus delectat claudere verba.* Cic. Orat. 68. §. 229. *qui non claudunt numeris sententias.* Pentameter igitur *gracilis* propter argumentum (ut *tener*), *mollis* propter metrum dicitur.]

20. [* Bothius in Virgilio Virgiliano p. 38. mavult *magna*, quibus respondeant *non magna exordia* vs. 46. ut prius legebatur. Alioquin etiam, addit, nescias, quid peplo intexere cogitet poeta. Probe vero at-

Digitized by Google

tendendum est ad vs. 38. *magnis chartis*, neque etiam dubitari potest, quid intexere voluerit poeta; v. vs. 35. *te.*]

21. [* *Erechtheis*, Ed. Pr. *eritheis*, R. Helmst. *erychteis*, A. *erichtheis*, Ald. 1517.]

22. *dona* vett. edd. ante Ald. cum ms. Basil. [* *Dona*, A. Ed. Pr. Sed *vota* tuentur R. Helmst. Ald. 1517.]

23 *Tardaque* haud dubie legendum, ut iam a Taubmanno editum video: non *ve*. [* Ante Taubmannum ita iam legebatur in Ald. 1517. Copulam disiunctivam retinent R. A. Ed. Pr. *Tardane*, Helmst.] *Quinquatria* vett. edd., quod doctius esse vocabulum videri potest, et improprie de Panathenaeis dictum. *Quinquennia* Aldina 1517. et Ascensianae intulerunt. [* Praeterea eandem lectionem exhibent R. Helmst. Ed. Pr. quam recepi, quum hic non Romanum festum Quinquatruum, sed Atticum Panathenaeorum quinquennalium describatur. Notatu etiam dignum est, *quinquennia* et *lustra* a poetis Latinis semper coniungi. V. Markland. ad Stat. V. 3, 231. p. 399. ed. Dr. addito Tacito Annal. XVI. 2.]

24. [* *concrebruit*, R. A. Ed. Pr. *concrebuit*, Helmst. Ald. 1517. V. Schneideri Grammat. Lat. Vol. I. p. 473. Ceterum de chronologicis, quas hic versus movet, dubitationibus vix unquam certo iudicari poterit, nisi forte viatores recentiores ventorum rationem, qui solstitio aestivo in Attica flant, accuratius descripserint. De tempore, quo Panathenaea tam minora quam maiora (de quibus hic sermo est) acta fuerint, docte exposuit Boeckhius de oeconom. Att. II. p. 165. sq. cuius disputationi hic potissimum addi meretur locus Scholior. ad Platon. p. 143. ed. Ruhnk. ex quo haud mediocris lux nostro loco affundatur: *καὶ ταῦτα μὲν (τὰ μεγάλα Παναθήναια) ἦγον εἰς ἄστυ, ἑκατομβαιῶνος μηνὸς τρίτῃ ἀπιόντος, ἐν οἷς πέπλος τις ἀνήγετο τῇ Ἀθηνᾷ, καθ᾽ ὃν ἐδείκνυτο ἡ κατὰ τῶν Γιγάντων ταύτης τε καὶ ἡ τῶν Ὀλυμπίων νίκη θεῶν. τὰ δὲ μικρὰ Παναθήναια κατὰ τὸν Πειραιᾶ ἐτέλουν, ἐν οἷς καὶ πέπλος ἄλλος ἀνεῖτο τῇ θεῷ, καθ᾽ ὃν ἦν ἰδεῖν τοὺς Ἀθηναίους τροφίμους ὄντας αὐτῆς νικῶντας τὸν πρὸς Ἀτλαντίνους πόλεμον.* Wakefieldus coni. *averso.*]

25. Legebatur [* in R. A. Helmst. Ald. 1517.] *cursum.* Superior versus 24 ad declarandum tempus Panathenaeorum habendorum spectabat. Cum non appareat, cuius rei cursus intelligi possit, nec ad navigationem, ad quam Turnebus XXVIII, 25 versum refert, quicquam aliud nos ducat: vitium subodorari in promtu est, ut *currum* legamus; et iam Barthius emendavit, Taubmanno probante [* et iam est in Ed. Pr.]. Navis Panathenaeis ad Palladis templum ducta machinis agi debuit, peplo tamen pro velo expanso, quod adeo Zephyrum excipiebat, vid. Not. ad v. 20. Navim per currum declarari, idem Barthius docuit: v. c. apud Catu l. LXIV, 9, 10, ubi vid. Intpp. Ex Iulio Pomponio exsculpere aliquis possit lectionem *gravidam p. p. Chlorim.* Sed lusus is esset, non emendatior lectio. [* *pervexit*, A. *ponde*, R.]

26. *illa dies* Ald. [* *illa*, R. Ald. 1517. quod recepi, quum vulgo legatur *ille*. Cfr. Lucilii Aetna 635. ed. Iacob. coll. Garat. apud Orell. ad Cic. Planc. 41. p. 231. b. Schneidero in Gr. Lat. T. II. P. I. p. 351. *et felix*, A.]

27. [* *talem qui*, R. Vulgo *qui talem.*]

28. [* *Ergo;* ad hanc particulam explicandam inserviunt ea quae dixit Lachmannus ad Propert. IV. 2, 29. p. 237. „Sed in nostro loco *ergo* haud dubie ita positum est, ut et alibi saepissime, cum id, de quo dictum iam est, uberius exponitur.“ — *texentur*, R. quod fortasse non temere est reiiciendum. Quidni enim, cum *stridĕre* et *stridēre*, *fulgĕre* et *fulgēre* sim. dicantur (v. Forbiger. ad Lucret. V. 1093.), verbum *texere* etiam utramque coniugationem sequi possit? — *in ordine*, i. e. iusto ordine, Virgilianum est; v. Eclog. VII. 20. Aen. VIII. 629. Comparari possit *in tempore*, et *in loco.*]

Digitized by Google

29. *pepla*. Sic iam ed. Ven. 1484 et aliae cum Aldina. Male aliae vett. edd. *templa*.

30. *cocco*. At Ald. *succo*. Sic et vetus editio apud Loensem Epiphyll. VIII, 23. [* *cocco* iam habet Ed. Pr. cui proxime accedit Helmst. in quo fuit *corco*. Codd. R. et A. prae se ferunt *socco*, quod non minus veri vestigium continet. In Ald. 1517. et vet. edit. ap. Loensem Epiphyll. VIII. 23. legitur *succo*, unde Heinsius ad Claudian. Rufin. I. 207. coniecit *fuco*.]

31. *deiectus* Aldina 1517. emendatum dedit. *delectus* vett. edd. [* et Ed. Pr.] cum codd. [* R. A. Helmst.] *deletus* Loens. ibid., quod placere non debebat Drakenborchio ad Silium IX, 39. *irato* — *fulmine* coni. Frisemann., quod sane et ipsum dici posset; sed hoc est variare, non emendare. *aurata cuspide* poeta dixit respectu texturae coloribus variatae. [* *Typhon*, R. *tipho*, A. *thipho*, Helmst. *Typho*, Ed. Pr. Ald. 1517. et edd. recentiores omnes. Sed v. Schneideri Gr. Lat. Vol. II. P. I. p. 276.]

32. *Qui superum* coni. Heins. *consternans* ed. Flor. vetus apud Barth. Advers. X, 12. [* *Osscis*, R. A. Ceterum *consternens* quo modo sit accipiendum, nemo docuit. Nam quum sit *consternere* i. q. contegere, *aether* tamen i. e. superior aëris pars *consterni* proprie nequit, quia saxa in aethere non manent, sed iacta semper relabuntur. Hinc apparet, poetam modo hanc huius verbi notionem sibi vindicasse, quae est, frequenter aliquid iacere, ita ut non tam effectus quam conatus respiciatur.]

34. *solenne* edd. nonnullae. *in* abest Ald. [* Edebatur *solemni in t.*, quam praepositionem omisi cum R. Helmst. Ald. 1517. quamquam eam retinent A. Ed. Pr. et similis locus apud Val. Flacc. V. 25. *supremo in tempore*.]

35. [* *velim*, R. At vide vs. 17. 40. — *ritu*, hac voce mirum quantum delectatur auctor Ciris; vs. 126. 388.]

36. [* *purpureus* Sol dicitur ut *lux* et *dies* ap. Ovid. Fast. III. 518.— *Lunae sidera*, illustratur per Severum ap. Charis. I. p. 66. Putsch. *ignea nam coelo ducebat sidera Phoebe*, et *candida Luna* invenitur ap. Virgil. Aen. VII. 8. Illud vero audacter dicitur, quod *sidera pulsant*, quamquam defendetur poeta, si magis de ipsa Luna quam de sidere cogitamus, et tritae illius locutionis *terram pede pellere* meminimus.]

37. *bigis*. Ita video primum editum in Ald. 1517. At veteres edd., ut Ven. 1484 et aliae, cum ms. Basil. *signis*, perperam. Barthius ex vet. ed. sua Loens. VIII Epiphyll. 24 laudat pr. edit. *sumis*, et inde coni. *mulis*. Nihil est facile tam absurdum, quod non Critico in mentem venerit. [* *bigis* recte legitur in R. Helmst., *signis* in A. Ed. Pr. *Bigae* autem hic Lunae *caeruleae* tribuuntur eadem ratione, qua infra vs. 214. *umbrae caeruleae* dicuntur, ubi v. Heynium. Res nocturnae appellari possunt *caeruleae*, quod verus et naturalis earum color dignosci nequit. Fatendum tamen est, utrumque versum habere quo offendat, et novitium aliquem poetam indicare, qui in adhibendis quibusdam verbis, quibus magis quam par est delectatur, non nimis est cautus. Compararunt VV. DD. ὀφρῦς κυανέας apud Hom. Il. α. 528. ubi v. Scholia Veneta. *orbis* est coelum, ut ap. Virg. Aen. III. 512. *Necdum orbem medium nox horis acta subibat*, et plenius ibidem VIII. 97. *Sol medium coeli conscenderat igneus orbem*.]

38. [* *verum*, R. Meditabatur sine dubio poeta carmen simile Lucretiano.]

39. *Aeternum ut Sophiae* Loens. l. c. e vet. edit.; malim *et* legere. Heinsius em. *Aeterno* vel *Alterno*, quod non capio. [* *Sophiae coniunctum*, Heynius recte explicuit per: *coniunctum nomini Sophiae*. V. Walch. ad Taciti Agricol. p. 201. et quem hic laudavit Heusinger. ad Cic. Off. I. 22, 7. — Pro *seclis* unus A. habet *cartis*. *Senectus seculorum* non minus

Digitized by Google

commode dici potest, ac *dies senex* ap. Plaut. Stich. V. 1, 8. Pro *tuum* in R. est *tecum*, in A. *tuae*.]

41. [* *artes* de philosophia recte interpretatus est Heynius. Sic et Cicero Fin. III. 2. *Sed tamen iam puer infici debet his artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior.* — *Nascimur*, nos convertimus, nos aptamus, quo sensu alias fere modo particip. praeter. invenitur. Gronov. Observ. IV. 17. p. 277. ed. Daventr.]

42. f. *Nunc primum* et *t.* Heins. *Nunc primum*, vel *primo*, *hoc*. [* *robore* ad *nervos* trahendum. Nam quum in universum *robur* et ingenio tribui constet (Walch. ad Tac. Agric. p. 152.), tum saepe inter se coniunguntur *nervi* et *robur*, ut Cic. Fam. VI. 1. *quantum in cuiusque animo roboris est atque nervorum.* Omne autem hominum robur in nervis inest, unde mos crudelissimus, poplites secandi. V. *Böttiger Kunstmythologie* T. I. p. 229. *Firmare robore* nihil esset, quia nondum robustus est poeta, sed *nervi robore teneri* apte dici possunt. Ceterum cum h. l. conferre poteris doctam Bentleii adnotationem ad Horat. Od. III. 24, 54.]

43. [* *Haec tamen interea — Accipe dona*, sumta haec ex Catull. CI. 7. sq. ut ea e codd. emendavi, quibus iam accedit editio Parmensis. — *possimus*, A. Ipsa vero verba *quae possumus* habent quo offendant. Nam neque e prioribus neque e sequentibus verbis infinitivus repeti potest, quem iuste iis coniungas. Nemo enim ex verbo *accipiendi* notionem dandi supplere audebit, neque ulla alia via patet, nisi ut verbum *exigere* ex *exegimus ἀπὸ κοινοῦ* sumamus. Ramshorn. Gr. Lat. p. 683. Non sine causa autem poeta illud ipsum urget se *posse* carmen de Ciri exigere, quia carmen philosophicum scribere non potest. Adde Epimetrum. Zeugma *rudimenta* et *annos exigere* minus fortasse offendet, quam qualia inveniuntur ap. Val. Flacc. II. 286. *quam* (navem) *longinqua dies Solibus, et canis* urebat *luna pruinis*, quamquam hoc etiam minus audax videbitur ei qui scit, *uri* de frigore subinde dici.]

44. *et iuvenes exegimus annos* Ald. 1517. Sicque ms. Helmst., probat Burm. ad Sammonic., renuente Io. Schradero Emendatt. pag. 45. [* Totus vs. abest a R.]

45. [* *multo vigilata labore*, v. Barth. ad Stat. Theb. XII. 811. Weichert. de Cinna II. p. 9. — *Accipe*, v. Markland. ad Stat. Silv. V. 3, 45. p. 376. ed. Dr.]

46. *promissa* edd. vett., ut Ven. 1484. Emendatius *praemissa* dedit Aldina. *permissa* ms. Basil. [* Legebatur hucusque: *Et praemissa tuis non magna exordia rebus*, quod iam in Ed. Pr. legitur, nisi quod ibi est *promissa*, mutatum primum in Ald. 1517. Codices vero R. Helmst. *Promissa atque diu iam tandem. . . .*, A. *Et promissa tuis non multum exordia rebus.* Inde restitui quod iam legitur. Videamus primum de constructione, quae sic procedit: *Accipe dona multum meo labore vigilata atque diu promissa, iam tandem exordia rebus.* Cur *dona* sua *diu promissa* dicat, ipse exponit poeta vs. 9. *Iam tandem* est plane Virgilianum (Aen. VI. 61.). *Diu* et *iam tandem* bene sibi opponuntur; v. Horat. Tursell. de partic. L. L. p. 185, 5. *Exordia rebus* epexegesis est vocis *dona*, ut ea sint *exordia* sive prooemia, praeludia, atque iam restat una vox *rebus*, quas cum Heynio de Messalae rebus gestis vel potius gerendis intelligo. *Tuis* autem eo magis omitti potuit, quod praecedit imperativus; cfr. Walch. ad Taciti Agric. p. 427.]

47. *Impia — exterruit amplis.* Vitium in extremis latens non difficile est deprehendere. Nam *amplis* importunum est de prodigiis, et *exterruit* suspectum fit propter sequens *viderit* et *supervolitaverit*. Latens in eo *exterrita* statim occurrit, idque vidit Io. Schrader. Emendatt. p. 56. explens reliqua: *prodigiis — exterrita amoris Scylla novos avium — Viderit;* ut fuerit Scyllae amor prodigiosus et portenti similis. Nec tamen ad cetera bene se habet hoc: Scyllam *exterritam amore* in avem fuisse

Digitized by Google

mutatam. Scaliger emendavit *prodigiis — exercita amoris;* sicque iam in marg. edd. *exercuit.* Heins. coni. *exercita diris* vel *miris.* Bonum vocabulum, *exerceri curis, amore,* sed *prodigiis* magis exterremur, quam exercemur. Malim itaque: *prodigiis — exterrita*, prodigio formae mutatae. Omnino dubito an, qui sequuntur, versus 47 — 99 ab eodem poeta sint, qui carminis auctor fuit. Produnt enim Scholasticum aliquem serioris temporis inepta quoque doctrinae copia intempestive illata. [* Pro *prodigiis* R. habet *prodigus*, pro *exterruit*, quod in Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. retinetur, *terruit*, A. vero *exercuit.* Et Schradero adstipulor, legendum esse *exterrita amoris*, ut *prodigia amoris* dicantur pro *amore prodigioso.* (v. Vechner. Hellenol. p. 516 — 523. Munckerus ad Fulgent. II. 5. p. 73. a.) *exterrita* autem magis ad prodigia quam ad amorem referatur. Heynium vix puto offensum fuisse, si *acta* lectum foret. Ita *exterrita monstris* Val. Flacc. V. 330. coll. Heynio ad Virg. Aen. IV. 450. Wakefieldus coni. *exhorruit.*]

48. *que* post *novos*, quod sublatum volumus, abest quoque ed. Ven. 1484. Ald. 1517. et al. [* Copulam exstirpavi fretus codd. R. A. Helmst. Ed. Pr.]

49. *Auxerit:* vetus editio ap. Nic. Loensem Epiphyll. VIII, 24, quod Graevius probabat: ut apud Nasonem de Pieriis puellis Musarum aemulis: *Auxerunt volucrem victae certamine turbam.* Nil tamen mutandum esse, ipse Heins. censet; qui et *lenes coetus* maluerat, mox tamen ipse respuit. Videt avium coetus novos in aere, quia humo adfixa fuerat. Barthius comparat inf. vss. 199 sqq. Porro *conscendens aethera* Ald. 1517., inde aliae edd. in margine, ex interpretatione. [* Et hic secutus sum cod. R. qui habet *aetera.* Etsi enim scio *sidera* de coelo haud raro dici, tamen avis *sidera* penna conscendens nescio quomodo me pungit, quo accedit quod Virgilius fere in simili re *aethera* praefert: Georg. I. 406. (coll. Cir. 537. 540.) Aen. XI. 272. — *pinnae*, Helmst.]

50. Hic versus ex Ecl. VI, 81 traductus.

52. *Pro patris solvens excisa et fund.* ms. Helmst. *excisam f. urbem* ms. Basil. [* Scriptura codicis Helmst. digna fuit, quae accuratius ab Heynio respiceretur. Nam ut hucusque locus legebatur:

Proque patris solvens excisa funditus urbe,

offendit capillus in vs. priori adeo nude positus, qui tamen patris neque ipsius Scyllae esset, et praeterea *urbs patris* pro *patria*, quod nescio an nunquam alibi legatur. In toto carmine, ut par est, capillus patris inprimis celebratur, ad hunc omnia referuntur, et quum antea de eo nondum sermo institutus fuisset, *patris* capillum neque alius cuiusdam illum fuisse, nunc potissimum fuit commemorandum. Fortasse quis rem ita explicare velit, ut vocem *patris* ad utrumque substantivum, et *capillo* et *urbe*, pertinere dicat, cuius tamen usus exempla desidero. Omnem autem difficultatem cod. Helmstad. solvit, dummodo ex *pro* facias *proh*, quo non multum dissentit R. exhibens: *Pro patris — est.* Ceterum in Ed. Pr. legitur *urbem.*]

53. *Cum plures*, *Dum plures*, codd. et vett. edd. *et* aberat ab Ald. 1517. [* *Cum plures* R. A. Helmst. *illa magni* R. Helmst. Copulam retinent A. Ed. Pr.]

54. Vett. edd. *Polymnia;* unde alii *Polyhymnia*, alii *Polymneia* fecere, ex *Πολύμνεια*, *Πολυμνηΐα*, et hoc doctius ac verius, ut Musa sit memoriae rerum et factorum servandae invigilans; eaque adeo verum amare dici possit. Porro *amant* vett. edd., ut *poetae* subintelligantur. [* *Polimnia* R. *Polhimnia* Helmst. V. Santenius in Beckii Commentar. Soc. Philol. Lips. Vol. II. P. I. p. 158. Schneideri Gr. Lat. Vol. I. P. I. p. 192.]

55. *Longe alia — figura.* Iam in Aldina comparet. *mutatam m. figuram* ed. Ven. 1484. *mutatam m. figura* et *mutata figura* aliae. *Longe*

Digitized by Google

aliam —figuram ms. Helmst. [* Qui hunc versum, qualis hucusque legebatur,

Longe alia perhibent mutatam membra figura,

accurate consideraverit, grammaticam puto desiderabit. Unde enim pendet ablativus *alia —figura?* Quod quum lectores de loci corruptela admonere posset, accesserunt etiam codicum lectiones, quae cum illam corruptelam clare monstrant, tum viam emendandi indicant. Nam in R. ita legitur:

L. aliam prohibent mutata in membra figuram,

a quo non multum, ut iam Heynius docuit, cod. Helmst. dissentit. Et quum ad *illam* referendum sit aliquod verbum, a veritate parum abesse paene confitear, legendo:

Longe aliam in perhibent mutatam membra figuram,

hac sc. constructione: *poetae perhibent, illam mutatam membra* (acc. absol.) *in longe aliam figuram.* Anastrophe praepositionis e Graeca in Latinam linguam transiit; Ovid. Pont. I. 2, 150. *Iure venit cultos ad sibi quisque deos.* Cfr. quos laudat Ruhnkenius ad Vell. II. 91. Weichert. de vss. spur. p. 85. sq. Walchius ad Tacit. Agric. p. 338.]

56. Suspectus versus. Deficit quoque nexus cum antec. versu. Etsi inserere licet: *Scyllaeum* et *m.* [* Legebatur hucusque:

Scyllaeum monstra in saxum conversa vocari;
Illam esse, aerumnis quam saepe legamus Ulyxi
— — — — — — — — —
Dulichias vexasse rates

et Heynio sane hi versus offensioni esse debebant. Corruptos eos esse mira sententiarum series abunde docet, et codd. id confirmant. Nam R. ita habet:

Sylleum saxo monstra infectata vocari
Illam messea quam — Ulixi

cui fere appropinquat scriptura Helmst.:

Scilleum monstra saxum infectata vocari
Illam messe erumpnis quam — Ulixi

ubi notandum, librarium voci *infectata* superscripsisse *corrupta*, portento autem illi *messe* interpolationem opinor *messane.* Vulgata regnat in A. Ed. Pr. rel. Ut iam in hoc loco perdifficili ab iis exordiamur, quae sunt certa, verbum *vocari* ex usu poetis Latinis frequentato pro *esse* dicitur, qui iam a Marklando ad Stat. Silv. V. 1, 33. p. 344. ed. Dr. notatus his etiam locis illustrari poterit: Ovid. Met. X. 348.

Tune soror gnati, genetrixque vocabere *fratris?*

VI. 437.

Quaque (die) erat ortus Itys, festam iussere vocari.

Καλεῖσθαι hoc sensu illustravit Casaubonus lectt. Theocr. 3. Infinitivus autem pendet a *perhibent*, et plenam constructionem accusativi cum infinitivo explet *monstra* pro *monstrum*, quibuscum iam iungendum est mirum vocabulum *infectata*, ad quod priusquam transgrediar, pauca praemonenda sunt de *Scylleum saxo*, quod est in cod. R. Et vix dubito, quin hinc faciendum sit *Scylleo in saxo.* Iam illud *infectata*, quamquam corruptelam aperte arguit, tamen eo perlubricum expeditu est, quod in omni hac verborum serie vulgaris tantum aliqua vox locum habere potuit, quae ad

Digitized by Google

uberiorem *monstrorum* exornationem inserviit. Nostrum igitur est reperire, quae maxime reliquis verbis conveniat, et donec felicioris ingenii homo melius quid protulerit, lectores mihi indulgeant reponenti *infamata*, hoc sensu: *poetae perhibent, Scyllam esse monstrum nefastum in saxo Scylleo.* Participium illud de Circe legitur ap. Ovid. Met. XIV. 446.]

57. *aerumnis* durum est, ut sit inter aerumnas, labores Ulyssis. *quam saepe* bene em. *quam nempe* Io. Schraderus. *Ulyssei* ed. vet. apud Loensem l. c. *Ulyssi* Ald. [* In hoc quoque versu corruptelam inesse, et codicum mirae lectiones et structura elumbis docent. Et primum quidem hoc tenendum est, haec verba, ut priora, a voce *perhibent* pendere et *Scyllam* intelligi, quod docet accusativus *quam.* Illud *aerumnis* quum per se prorsus sit ineptum, ita tamen comparatum, ut de librarii interpolatione cogitare nequeas, ex coniectura restitui *aerumnoso* — *Ulixi*, dativo (incommodi) pendente a *vexasse* et *lacerasse. Aerumnosus* autem Ulysses eodem iure dicitur, quo *laboriosus* ap. Horat. Epod. XVII. 16. et *patiens* ap. eund. Epist. I. 7, 40. coll. *πολύτλας, πολυτλήμων.* Nunc me converto ad *illam messe* et *messea* codd. R. Helmst. ubi, glossa librarii quam nimis sedulo receperant, iterum eiecta lego: *Esse, aerumnoso* etc. quod paulo difficilius intellectu corruptelae ansam dedit. Nam quum unus librarius adscripsisset *Illam* sc. Scyllam, alter hoc necessarium ratus statim in textum recepit. Oratio autem haec est: *poetae perhibent, illam Scyllam Nisi filiam esse eam Scyllam, quam* etc. Bothius in Virgilio Virgiliano p. 39. coni. *Illam esse aerumnam*, ut ipsa Scylla vocetur aerumna h. e. pestis, exitium. Idem recte vindicat *saepe*, „saepe legi solet Homerus, saepe igitur etiam illa historia de Scylla.“ De scriptura *Ulixes* v. quos laudat Iahnius ad Ovid. Met. XII. 6. ed. Gierig. et Ellendt. ad Cic. Brut. 10. §. 40. p. 35.]

58 — 60. Ex Ecl. VI, 75 — 78.

61. 62. Totum hunc locum, qui sequitur, insititiis locis annumerandum esse arbitror. Grammaticum acumen video, poeticum nusquam comparet. Sententia impedita et verba male iuncta. Homerus de Scylla agit Od. *μ*. Non patitur, inquit, is haec credere, seu quod nihil tale memorat, seu quatenus Scyllam Crataeidis filiam edit, non Nisi: nec patitur credere auctor malus, h. parum idoneus, istorum hominum erroneis interpretationibus. Versum alterum tamquam ineptum prorsus deleo, et lego: *Atque alias alii.* In priore versu *haec* om. Ald. 1517. In altero Scaliger *Nec Lamus* coniiciebat: ut Laestrygonum ille rex Scyllae pater forte habitus fuerit. Sed ne sic quidem verba ad sensum commodum redigi posse video. *Nec malus est horum*, vel *historiae*, coni. Heins. Ceterum cum tot de Scylla narrationes attigerit homo, miror omissum esse amorem Glauci, quem exposuerat carmine Hedyle poetria in carmine Scylla: v. Athen. VII p. 297 B. Voce *chartae* in carmine iam Catullus usus est. [* Hic quoque Heynius de interpolatione cogitans fallitur, quamquam in eo facile ei assentio, quod grammaticum nec poeticum ingenium compareat, cuius tamen rei culpam ipse auctor neque alius quis gerit. Ille enim refutaturus sententiam illorum, qui Scyllam Nisi filiam contenderent esse Homericam, maiore doctrina quam ingenii felicitate id perficit, et omnia hic eo nituntur, ut nexum sententiarum reperiamus. Variae lectiones in utroque versu non prostant, nisi quod in R. Helmst. pronomen *haec* omittitur, quod vulgo post *Maeoniae* legitur. Exstirpavi illud, quia haud raro verbum *credere*, ut iam hoc in loco, absolute positum invenitur, casu aliquo non addito. Virg. Georg. I. 415. *Haud equidem credo*, Aen. VI. 173. *Si credere dignum est.* Praeterea A. habet *illorum*, perpetua harum vocum confusione. — Iam mendum latere putant in vs. 62., ubi Scaligeri sententia de aliquo insigniter inepto *μυθολόγῳ* eo statim refellitur, quod auctor carminis malo alicui auctori fidem non haberet, certe se fidem habere non profiteretur. Deinde etiam structura *auctor erroribus*, *Erzähler*

Digitized by Google

der Irrfahrten, prorsus nulla esset, et Scaligeri altera etiam suspicio de *Lamo* patre Scyllae vix digna est relatu. Heynius totum versum, in quo nulla varietas lectionis, nulla sensus iusti offensio inest, proprio Marte spurium iudicat, non scilicet explicans, quo tum referatur *Sed* NEQUE, quod nemo pro *neque vero* dici posse putabit. Videamus vero primum de ordine, quo singuli versus et sententiae se excipiant. „Alii enim dixerunt, ait auctor, Scyllam ab Homero memoratam illam Scyllam esse, Megaris ortam et *Nisi* filiam, quod falso dixerunt, obstantibus Homero et malo auctore. Homerus enim Crataein matrem dicit, ut proinde certe Nisi filia esse non possit, alii ei aliam matrem vindicant; ipse de matre litem componere nolo.“ Mirum hic est, de matribus tantum poetam loqui, de patre Scyllae Homericae ne verbum quidem addere, et iam ipsa Scylla in breve tempus dimissa, redeamus ad malum illum auctorem, ubi primum quaerendum est, qui sint homines, quos poeta simpliciter *istos* dicit, et nemo puto negabit, *istos* esse *deprensos nautas* (vs. 60.), quod iam Scaliger vidit, et *dubiis erroribus* sunt variae viae ab Ulysse eiusque sociis per freta tentatae, quae recte ita dici possunt. *Auctor* igitur prima significatione legitur de eo, qui ut aliquid fiat causa est, et sensus illius versus iam erit: nec hoc credere patitur is qui istis Ulyssis sociis dubios errores imposuit. Quis vero hic fuit? Nemo alius nisi Neptunus (Hom. Od. α. 20. 68. sqq. ι. 532. sqq.), et lectoribus non amplius ambiguum erit, quomodo versus, in quo ne literula quidem est mutanda, capiendus sit. Poeta enim, qui brevitati cuidam studet, de qua non optimam imaginem eum sibi finxisse multi loci probant, satis habet, matres tantum Scyllae commemorare, patre non addito, quem neminem alium habuit, nisi eundem Neptunum, et poetae argumentatio hunc tenet ordinem: „Scyllam Homericam Nisi filiam esse non posse, comprobat ipsius Homeri testimonium, qui ei Crataein matrem tribuit, et pater Neptunus, ut proinde Nisi filia haberi nequeat.“ Hinc etiam explicatur, cur Neptuni patris nomen reticuerit, quem iam satis clare versu 62. indicasse sibi videbatur, et lucem accipit etiam alius locus vs. 71. ubi vox *pater* sane Neptunus quidem est, at non ita intelligenda, ut vulgo capiunt. Interpretes enim ex noto poetarum more, quo Iupiter, Pluto et Neptunus saepe ita dicuntur, explicare volunt, quem tamen usum iusto magis extendunt. Ubi enim talis Deus nude *pater* dicitur, iam aliquid antecesserit oportet, quo statim pateat, de hoc neque de alio quo patre sermonem esse. Nostro vero in loco Neptunus antea non fuerat notatus, et poeta certe aliquid addidisset, ut illum Deum hic indigitari significaret. Videmus igitur, alia via nobis esse procedendum, et poeta qui omnibus a se dictis suam vim esse volens Callimachorum Euphorionumque more tectis quibusdam notis utitur, neque candide lectorem docet, sed per avia et dumeta ultro citroque deducit, verbis vs. 71. IPSE *pater* utitur indicaturus, se de stirpe Scyllae minime dubitare. Hinc etiam explicatur vox *ipse*, de qua interpretes hucusque caute siluerunt, et uterque locus egregiam sibi lucem affundit, et patet, cur *pater* neque *Pater* scripserim. Praeterea nunc haud inficeta oppositio nascitur *sive monstro genuit biformi* (vs. 66.) et *sive est iactis speciem mutata venenis* (vs. 69.). *Malus* autem dicitur Neptunus, i. e. perniciosus, ut *malus puer* infra vs. 132. v. Heindorf. ad Horat. Sat. I. 1, 77.]

63. [* Ad particulam *namque* intelligendam hoc teneamus oportet, poetam nihil aliud per hanc mythicam et ut ingenue fateamur ineptam diatribam velle, nisi ut errorem eorum redarguat, qui Scyllam Nisi et Homericam secum confundant. Quamvis talis disquisitio minime sit poetica, certe ita ea defungi potuit auctor, ut simpliciter doceret, quibus nominibus differret utraque Scylla, eique igitur probe exponendum fuit, cur *Maeoniae chartae* illud credere non paterentur. Argumentum autem, quod rem statim evinceret, ex origine Scyllae petendum fuit. Nam qui Scyllam

Megaricam eandem quam Homericam statuerunt, non animadverterunt, Homerum Scyllae suae matrem Crataein dicere, unde duo ultro sequuntur, et alterum quidem, Scyllam Homericam non transformatam sed ut monstrum natam dici, alterum vero, patrem etiam diversum esse, Megaricae Nisum, Homericae Neptunum, quem tecte vs. 62. indicaverat. Haec iam sufficere poterant, at non suffecerunt nostro, qui hanc occasionem variae eruditionis ostentandae sibi oblatam praetermittere non potuit, sed inde a vs. 63. usque ad 91. excursum suum immiscet. Consilium ei fuit cavendi, ne forte quis variis mythologorum sententiis deceptus tamen illam Homericam Scyllam cum Megarica confunderet, et singulas opiniones affert, quae de origine Scyllae Homericae traduntur. Dicit ergo: Apud Homerum Scylla commemoratur, de cuius origine variae sunt sententiae. *Namque* alii alias puellas finxere, ut inde appareat, illam particulam ad vs. 61. potissimum referri et Graeco fere more adhiberi, ut aliquid sit omissum, quod ab ipso lectore suppletum iri scriptor suspicatur. Nostrum iam est docere, quomodo ex singulis illis opinionibus poeta colligere potuerit, utramque Scyllam esse diversam. Aut enim Crataeidis et Neptuni filia monstrum nata fuit, aut Perseae (ut hucusque legebatur) et monstri biformis, aut denique non ut monstrum nata sed transformata. At ne sic quidem Scylla Homerica eadem quae Niseia esse potuit. Semper enim manet pater Neptunus, et vel Amphitrites invidia vel Veneris ira est mutata, non propter amorem Minois sed vel propter stuprum Neptuni vel fraudem Veneri factam. Iam vero hic non satis accurate egit poeta. Nam quum inde a vs. 69. novam eamque tertiam sententiam afferret, quae duabus explicationibus niteretur, has non a prioribus illis duabus secrevit sed cum iis male iunxit, ita ut non amplius a tertia sententia pendere sed potius quartam et quintam efficere videantur. Insigni vero noster locus est argumento, quantopere mythologi quidam Alexandrini in suis commentis sibi placuerint, ita ut adeo ea quae Homero contraria protulerunt tamquam vere Homerica venditarent, et poeta noster ob id potissimum est notandus, quod plura refutavit quam refutanda erant. Quid enim illa figmenta de monstro biformi, de Amphitrite, de Venere ad Homerum? — Omnis locus multo facilior esset, si poetae scribere licuisset *Nam quum alii alias puellas finxerint*, *Ipse Homerus Crataein ei matrem vindicat.* Ceterum in Helmst. est *fulgo fingere.*]

64. Admodum dure *Scyllae* pro singulari: ut sit, alii aliam puellam ediderunt, quae Homero Scylla esset. *Quae dicantur* legi necesse est. Et nunc sic in ms. Helmst. legi video; nunc et Heins. sic e Basil. Vulgo *dicuntur.* [* *dicantur*, Ed. Pr. At in R. A. Ald. 1517. *dicuntur.* In Ed. Pr. praeterea est: *Quae .... boniaco* . *Scyllas* vero neque *Scyllam* dicit poeta, quia quisque mythologus novam quasi Scyllam protulit.]

65. 66. Corruptissimi versus. Vetus lectio est: *Ipsi Cratinei matrem; sed sive Erichthei*, *Sive illam monstro genuit grandaeva biformi.* Nec occurrit varietas, nisi quod in aliis, ut in Ald. 1517, Iunt. 1520, *Gratinei*, et in Iunt. 1532 *Ipse Cratem matrem*, *sed sive hanc sive Erychthei. Sive* etc. Ascensius *Cratin* legit, sed verum nomen est *Crataeis.* Odyss. *μ*, 124 *βωστρεῖν δὲ Κραταιἶν*, *μητέρα τῆς Σκύλλης.* Erichthei filia, quam intpp. Atthidem esse aiunt (quae tamen Cranai filia fuit: Pausan. I, 2, p. 7.), aliena ab hac fabula est. Ut nunc leguntur versus (in Ald. 1534, ubi Lamio est), ex emendatione prodiere Iani Parrhasii, quam se Minutiano exprimendam typis dedisse narrat ad Claudian. R. Proserp. lib. III sub fin. Quam Virgilii editionem curaverit Minutianus, nondum cognitum habeo. Sed ex Parrhasii verbis illud satis constat, sine codd. et ex aliorum de Scylla narrationibus ab eo versus esse concinnatos: et quantum quidem intelligo, admodum pro lubitu, et perperam in hoc, quod tres matres pro binis intulit, cum sequatur *neutra parens.* Scribit etiam *Lamiae* (vitiose haud dubie pro *Lamie*, *Λαμίη* pro *Λαμία*),

Digitized by Google

et *Persaea*, cum *Persea* esse debeat, sub qua Hecaten intelligit, sicut in *monstro biformi* Phorcum. Nituntur haec partim Apollonii verbis Argon. IV, 828. 829, quibus Phorcus et Hecate, cui Crataeis quoque nomen sit, Scyllae parentes traduntur: *Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκυν Νυκτιπόλος ϑ' Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κραταιίν*, partim Grammatico vetere ad e. l., qui cum Homeri tum Acusilai auctoritatem sequi Apollonium notat, namque hunc Phorcyn's et Hecates filiam edere Scyllam; in veteri autem carmine, *ταῖς μεγάλαις ἠοίαις*, Phorbantis et Hecates, in Scylla Stesichori *Lamiae* filiam tradi eam. Heins. Scyllam ipsam Lamiam dici volebat, ut esset una e Lamiis, de quibus ad Petron. Fragm. Tragur. remittit, et refingit: *Ipsi seu Lamiae mater sit saeva Crataeis.* Nec Heinsii, nec Parrhasii acumen improbo, sed in versu priore restituendo eos operam lusisse arbitror; nam in codd. *Lamiae* vestigium nullum est; et utrumque: *Ipse Cratinei matrem*, et alterum, *sive Erichthei*, grammatici notam in margine adscriptam sapit: *ipse Homerus Crataein matrem tradidit.* Etiam in ms. Basil. ad verba *Sed sive Erechthei* est superscriptum *Ipse—matrem.* Alias, proxime ad verba, ad hariolationem expedita est via: *Ipse Crataein ait matrem; sed sive Crataeis Sive illam* etc., digna tali poeta oratio. Quod *Perseam* attinet, potest illa locum tueri, si quidem apud Statium quoque IV Theb. 482 ita meliores libri, pro eo, quod vulgatius est, *Perseis*, habent. Perses enim ex Titanibus ortus, ex Asteria Hecaten genuit. v. Apollod. I, 2, 4. Hinc illa *Πέρσεια, Περσηίη, Περσηΐς* recte dici potuit. Ex Iulio Pomponio colligo, lectum ei esse: *Granena;* nam haec iste adscripsit: „Volunt quidam hanc Scyllam fuisse filiam Erechtheidis, quidam filiam Granenae et Tritonis.“ *Gravena* notatum quoque e ms. Helmstad. video. Scaliger Parrhasianam lectionem et ipse retinuit, sed miris modis tentavit locum, sive ut legeret: quod et Taubmannus recepit:

Sive Crataeis ei mater de semine Erechthei,
Seu Lamie monstro genuit grandaeva biformi.

sive ut esset:

Sive Crataeis ei mater, sive et Cretheis
Sic illam monstro genuit grandaeva biformi.

Sed *Erechthei* nomini nullus hic locus; natum illud librarii stupore supra diximus. Nec magis *Cretheis* ex fabula ulla firmari potest; nam, quod *Crathin* fluvium patrem Scyllae prodidisse dicitur Martianus Capella, ex vitioso codice acceptum videri debet, cum *Crataeis* esset scribendum, uti emendavit Grotius lib. VI, p. 205. Est enim *Crataeis* vel *Cratais* fluvius iuxta Scyllaeum in extrema Italia, ut ex Plin. III, 5 constat: *Crataeis fluvius, mater, ut dixere, Scyllae.* Varie corruptum nomen illud v. apud Intpp. Hygini f. 199 et Heins. ad Ovid. Met. XIII, p. 649. Nova ratione Scaliger refingit:

Seu Luna hunc monstro genuit grandaeva biformi.

Monstra enim veteres e luna demissa putasse, quod utique factum in Leone Nemaeo probat. cf. Gesner. ad Claudian. p. 395. Wernsdorf. Poetae min. Tom. I, p. 276. [* Permirum sane accidit, ut hoc in loco Heynius quasi invitus veritati proxime accederet. Nam quum ex Parrhasii inde temporibus pessime legeretur *Ipsi seu Lamie mater sit*, *sive Crataeis*, alia sane ille Vir Egregius in edd. antt. invenerat, et quasi desperans proiecit emendationem vel ut ipse dicit hariolationem: *Ipse Crataein ait matrem; sed* etc. At iam Iahnio ea adeo approbata est, ut eam recipere non dubitaret, quamvis alibi vulgatam lectionem sedulo exprimens. Videamus primum varietatem lectionis. In R. Helmstad. legitur: *Ipse gratinei matrem: sed sive* (Helmst. *sine*) *erithei*, in A. *ipse cratem matrem sed sive*

hanc sive erichteis, Ed. Pr. *Ipse .... matrem sed sive erichthei*, Ald. 1517. *Ipse gratinei matrem*, *sed sive erichthei*, unde lego: *Ipse Crataein ei matrem; sed sive Crataeis*, et illud quidem hoc sensu: *Ei* sc. Scyllae, omisso *ait esse*, de qua verbi *ait* vel *dicit* ellipsi v. Cic. Att. I. 18. *Crassus verbum nullum contra gratiam*, ubi neque ex praecedentibus neque ex seqq. *ait* suppleri potest. Cfr. Gudius ad Phaedr. I. 29. Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 5. Heindorf. ad Cic. N. D. III. 2. §. 5. Ramshorn. Gr. Lat. p. 684. — Quod iam ad versum alterum attinet, is vulgo ex eiusdem Parrhasii coniectura legitur *Sive illam monstro genuit Persea biformi*, ubi *Perseam* de Hecate interpretantur, obliti loci ex hymno Orphico I. 4. ubi hoc nomine (*Περσείη*) compellatur Hecate. Neque huic lectioni quidquam obstaret, cum ex Apollonio Rhod. IV. 828. sq. sciamus, Scyllae matrem a nonnullis dici Hecaten, quamquam et ibi verba

Νυκτιπόλος θ' Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κραταιΐν

suspicionem movere facile possunt, Crataein iam supra a poeta nostro memoratam alterum nomen pro Hecate esse. Hoc tamen, quod levius est, omisso, praesertim quum in parentibus, quos habuerit Scylla, mire dissentiant veteres, libris inspectis nemo negabit, poetam plane aliud quid scripsisse, et *Persea*, quamvis ingeniosam coniecturam, probari non posse. Nam R. Helmst. exhibent *gravena*, unde alii librarii hoc non intelligentes fecerunt *grandeva*, i. e. *grandaeva*, quod legitur in Ed. Pr. Ald. 1517. all. Quaenam vero est ista *grandaeva*, quae ita *κατ' ἐξοχὴν* dicatur? — Hinc ad coniecturam confugiendum est, quam priusquam exponam, pauca verba monenda sunt de *monstro biformi* et de verborum structura. Et quod ad hanc attinet, VV. DD. dudum perspexerunt, sensum esse: aliquam Deam Deo alicui eique monstro biformi Scyllam genuisse, sive Deum biformem aliquem ex Dea ista, cuius nomen est corruptum, eam suscepisse. Verbum *gignere* autem ita legi, comprobabunt loci, quales sunt ap. Ciceron. Orat. II. 32. §. 141. *si mihi filius gignitur*, pro Coelio 17. §. 41. *Multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit. Monstrum biforme* vero Heynius cum aliis de Phorcyne interpretatus est, de cuius tamen forma nihil scimus. Sed aliud exstat *monstrum biforme*, quod prae ceteris ita dici potuit, *Typhon*. De hoc enim Apollodorus Bibl. I. 6, 3. ait: *ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ Θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ, καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Κιλικίᾳ μεμιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρίου. — ἦν δὲ αὐτῷ τὰ μὲν ἄχρι μηρῶν ἄπλετον μέγεθος ἀνδρόμορφον· — — — τὰ δὲ ἀπὸ μηρῶν, σπείρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις ἐχιδνῶν, ὧν ὁλκοὶ πρὸς αὐτὴν ἐκτεινόμενοι κορυφὴν, συριγμὸν πολὺν ἐξίεσαν.* Quisque igitur facile concedet, hunc Typhonem intelligi posse, si et alia argumenta accedant. Suscepit vero ex Echidna hanc progeniem auctore Hygino praef. fab. fin. *Ex Typhone et Echidna Gorgon*, *Cerberus*, *Draco qui pellem auream arietis Colchis servabat*, *Scylla quae superiorem partem feminae*, *inferiorem canis habuit*, *quam Hercules interemit*, *Chimaera* etc. Echidna vero ex Apollodoro II. 1, 2. dicitur etiam *Tartari et Telluris filia*, ut proinde soror Typhonis sit. Secutus igitur esse videtur poeta noster eam theogoniam, ex qua Hyginus sua sumsit, et quaerendum iam, an haec Echidna alicubi in versu nostro lateat. Qui vero verba *genuit* GRAVENA consideraverit, nos non nimis audaces dictitabit, inde effingentes *genuit* GERMANA i. e. soror sive Echidna.]

68. Male interpungebatur post *vitium*. Est enim ordo: atque in toto hoc carmine vitium inguinis (libidinis immoderatae) et Veneris libido descripta est. Canes scilicet, quibus inguine tenus cincta est, ad impudentiam caninam referebat ille quisquis haec exposuerat allegorice. Lectio versus debetur Aldinae. Vett. edd. *I. in vitium* et *inscripta*, unde Ascensius *vitium inguinis* de canibus subnatis accepit. *id vitium* ms. Basil.

Digitized by Google

damnosa libido vett. edd. apud Loensem l. c. [* Recte monuit Blomfieldus ad Aeschyl. Agam. 1204. mulierem quamlibet infamem e. g. meretricem dici Scyllam. Versus autem 68. ita, ut apud Heynium iam legitur, exstat in R. A. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. nisi quod pro *est* in A. legitur *id* et in eodem pariter atque Ed. Pr. *et* omittitur.]

69. *exactis venenis.* Non video quam commode dicatur. Scaliger quidem *exacta venena* vocat, ut medici ἀκριβῆ πυρετόν. Longius petitum hoc. Dicam clarius, esse venena explorata adeoque potentia. Taubmannus venena accuratissima, exquisitissima, et praesentissima exposuit. Sed latere puto aliud venenorum epitheton; forte *Aeaeis venenis*, h. Circes Aeaeae; ut passim poetis mos est loqui. Aldina dederat *iactis*, quod et ms. Helmst. legebat; non male; accedit Heinsii iudicium. v. Ovid. Met. XIV, 55 sqq. Barthius Advers. X, 12 *ex iactis* emendaverat, parum scite; immo *est iactis*. Heins. *haec iactis*. [* Heynius scripserat *est iactis*, me verbum substantivum rursus eiiciente ex R. Helmst. Ald. 1517. In A. Ed. Pr. legitur *etiam exactis;* praeterea in Ed. Pr. est *mutuata*. Martyni-Laguna ad Lucan. V.44. corr. *exhaustis*.]

71. *Sive pater* vet. ed. apud Loensem l. c., sed perperam. Porro *nudam* ead. vetus ed. c. Aldd. Ex prioribus *timidam* iterum induxerat Pithoeus et Scaliger. At *saeva arena* quis ferat? Leg. *flava arena:* frequens et elegans verbum. Nam *Ausonia arena* si legam, verendum est, ne longius sit petitum. Nodell. not. crit. p. 82 *sola arena* coniicit. [* Apud Heynium legebatur, quod iam in Ald. 1517. invenitur:

Ipse Pater nudam saeva complexus arena.

De *patre* quid sentiendum sit, vidimus supra ad vs. 61. Heynium in seqq. recte offendit *saeva arena*, offendere etiam debuit ineptum illud *nudam*. Quae omnia iam lectionibus codicum emendantur. Nam R. habet *pater scaevam nudam*, A. et Ed. Pr. *timidam seva*, Helmst. *tumidam saeva*. Deinde R. Helmst. exhibent: *complexit*, vulgatum recte tuentur A. Ed. Pr. Hinc reposui *scaeva in timidam*. Et arena quidem *scaeva* recte dicitur vel *infausta*, quia exitium Scyllae inde est exorsum. De hac voce eiusque cum *saevus* perpetua confusione v. Burm. ad Propert. p. 267. Anthol. Lat. T. II. p. 110. De anastrophe praepositionis *in* v. supra ad vs. 55. *Timida* autem Scylla dicitur ut invita, reluctans, quo poeta significat eam innoxiam fuisse; ita legitur ap. Horat. Od. IV, 9, 52. *non ille pro caris amicis aut patria timidus perire*, i. e. recusans.]

72. *canae Amphitrites* Heins. coniecerat, parum suaviter. [* *Coniugium Amphitrites* pro *Amphitrite coniux*. Pro *carae* in R. et Helmst. est *carte*, in A. *chare*, deinde in R. *Amphitritae*, in Helmst. *Amphitrite*.]

73. Iterum tres versus a mala manu submistos suspicor. *Has tamen* idem Heinsius emendabat, et alius vir doctus *Haec tamen* Misc. Obss. Vol. IV, p. 318. quod et ipse malim. *Ast tamen* Basil. ms. Greene legit: *Nec tamen* — et mox *Aut cum cura:* quae non capio. [* Quibus argumentis fretus Heynius hic quoque in vs. 73—75. malam interpolatoris manum agnoverit, non addidit. Sunt potius adeo necessarii, ut nullo modo desiderari possint. Nam primum dicendum erat, quis Scyllam transformaverit, quod his versibus omissis nemo facile divinaverit, deinde etiam verba *infelix virgo* explicanda fuerunt. *Infelix* sane fuit virgo quod a Neptuno invita compressa postea tam atroces poenas solvit, neque superfluum fuit additu, ipsam Amphitriten hac ratione adulterium ultam fuisse. Illud *attamen*, in quo Heynius potissimum offensus esse videtur, oppositum est verbis *infelix* et *timida;* quamvis Scylla invita compressa esset, tamen Amphitrite ulta est, quae antithesis etiam acuitur voce *Ipsa*. In Helmst. Ed. Pr. *Ast tamen*, R. A. *Attamen*. *Poenas exigere* ex re oeconomica Romanorum explicandum, ubi *exactores* inveniuntur. Cfr. Ovid. Met. VIII. 531.]

Digitized by Google

74. *Ut cum* ex Aldina 1517. fluxit. *Ut tum* edd. vett., item: *At cum*, et *cura suae v. coniugis;* sicque vet. ed. apud Loensem l. c. cum Ald. 1517. *curae tuae* ms. Helmstad. *suae* etiam ms. Basil. Io. Schrader. coni. *Ut cum rore sui.* [* *Ut cum* in R. A. Helmst. *Ut tum* in Ed. Pr. Praeterea in hoc versu haec varietas lectionis exstat. *Cura tuae* legitur in R. Helmst. *cura suae*, in A. (ubi *sue*) Ed. Pr.; praeterea in R. *altae. Sui* est emendatio Scaligeri. Heynius vero fallitur verba *cura sui coniugis* de Amphitrite intelligens. Sensus est potius: Amphitrite, dum Scylla in mari vehebatur, mala medicamina inspersit. *Cura* primum saepe pro *amore* dicitur. Heinsius ad Ovid. A. A. III. 405. Bentl. ad Horat. Od. II. 8, 24. Markland. ad Stat. Silv. V. 3, 93. p. 383. b. ed. Dr. et hic, ut iam Scaliger et Heinrichius in Biblioth. Gotting. art. et liter. vett. X. p. 45. recte viderunt, pro amica dicitur, coll. Propert. III. 33, 9. ed. Iacob. *Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?*]

75. *multo.* Heins. ariolatur, *immerito.* [* *miseret*, R. *sanguinem*, A. *Sanguis* autem non simpliciter pro veneno magico dictus est, verum inveniuntur vestigia, in incantationibus etiam sanguinem adhibitum fuisse. Sic narrat Tacitus Annal. II. 69. in aedibus Pisonis, qui Germanicum incantasse dicebatur, repertas fuisse *reliquias humanorum corporum erutas*, ad quem locum Lipsius laudavit verba Appuleii (Miles. III. p. 206. ed. Oud.) huc maxime facientia: *hic nares et digiti*, *illic carnosi clavi pendentium*, alibi trucidatorum servatus cruor, *et extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* Sanguini humano fortasse inde monstrifica vis in universum tribui potuit, quod superstitio veterum de mensibus mulierum permira commenta fuerat (v. Plin. H. N. VII. 15. s. 13. XXVIII. 7. s. 23.), qui sane ad rem magicam sunt adhibiti; cfr. Lucan. Phars. VI. 669. ex probabili interpretatione Hensleri in Geschichte der Lustseuche I. p. 206. Meminerint etiam lectores, quae de sanguine taurino sunt tradita; vid. Heidekamp. in Seebodii tabulario philologiae et paedagogices, Ann. I. fasc. 2. p. 376 — 378. De sanguine viperino maxime cogitavit Heinrichius in Biblioth. Gotting. liter. et art. vett. X. p. 45. coll. Horat. Od. I. 8, 9. Epod. III. 6. sqq. Ovid. Pont. IV. 7, 36.]

76. [* *prohibent*, R. *convinceret*, A. *vincerit*, Helmst.]

77. *spoliaret.* Ald. 1517. *popularet;* docte ac vere. Ms. Helmst. corrupte *procularet* descripserat; recentior manus *procaret.* [* *popularet*, etiam in R. quod recepi, quum doctrina et difficultate quadam prae illo quod hucusque legebatur *spoliaret* nimis commendaretur. Et de hominibus primum *populare* dici posse, docet Propert. IV. 17, 29. ed. Iac. *Hic olim ignaros luctus populavit Achivos.* Ablativus autem *quaestu* alteri lectioni originem dedisse videtur, quum librarii illum ita a *populare* pendere putarent, quasi haec vox pro *spoliare* dicta esset, unde iam miram sane constructionem haud concoquentes emendationem, si Diis placet, suam intulerunt. Sed *quaestu* simpliciter est ablativus instrumenti. Ut enim milites *ferro* aliquam regionem populantur, ita meretrix *quaestu* i. e. suo opere (ihr Gewerbe) *cupidos amantes* populabat, perdebat. *Quaestum* pro ratione pecuniae quaerendae proprie dici constat; ita Plaut. Capt. I. 2, 26. *Aegre est mihi hunc facere quaestum carcerarium.* Terent. Eun. II. 2, 22. *Imperavi egomet mihi omnia assentari: is quaestus nunc est multo uberrimus.* Ceterum *cupidus* simpliciter pro *amore* c. dici, docet Virgil. Aen. VIII. 165. et maxime huc facit locus Ovid. Heroid. III. 26. *I nunc et cupidi nomen amantis habe.*]

78. *Pristibus et c.*, h. belluis marinis, emendare in promtu est. [* Legebatur: *Piscibus et canibus rabidis vallata repente*,. Sed quum in R. legatur *Piscibus et canibusque malis*, quod confirmat Helmst. *canibus quae malis*, infra vero in R. A. Helmst. Ed. Pr. sit *repente est*, nullus dubitavi versum ut nunc legitur restituere. Hinc *vallata est* pendet ab *Seu vero* vs. 76., ita ut vs. 79. novam periodum incipiat ut protasis eius apo-

Digitized by Google

doseos, quae sequitur vs. 82. et vs. 80. 81. parenthetice sumenda sint, quod adeo suadet interpungendi ratione codex R. (v. infra.) Talibus vero parenthesibus durioribus non abstinere poetam nostrum, docent vss. 5—8. 22—33. 71—75. et omnis hic locus, qui, si accurate inspicitur a vs. 65. usque ad 87. magnam parenthesin efficit. De *et—que* v. Catal. Artif. p. 62, 1. de *et* voci suae postposito inprimis Horat. Sat. I. 8, 39. *Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus*, coll. Drakenb. ad Liv. XXIX. 12, 5.]

79. *Terribiles* alii ap. Loensem l. c.; idem emendat: *circumque videns.* Mox vulgo *vidit sibi.* Ms. Helmst. *circum vidit se*, nec male. Heins. coni. *videt subsistere* vel *videt se existere formis.* [* *se*, ita et R. Sed *sibi* A. Ed. Pr. Ald. 1517.]

80. [* *quotiens*, R. A. Helmst. Vulgo *quoties.* His verbis similia de Io in vaccam mutata habet Valer. Flacc. IV. 380. *Verbere candentes quotiens exhorruit armos.* Vulgo in nostro loco post *artus* signo interrogandi interpungebatur, nullam interpunctionem recte agnoscente codice R. *Arcus*, Ed. Pr.]

81. *pertimuisse latratus* edd. vett. ante Aldum 1517. Inscite. [* *Ipsa suos*, *quotiens*, ita scripsi e R. Vulgo *Ipsa suos quoties. Quotiens* etiam hoc loco Helmst. — *pertimuit*, R. A. Helmst. *pertimuisse*, Ed. Pr.]

82. *Ausa quoque* Taubm. edit., nescio unde. *quod et* mavult Heins.

83. *Edictum* vett. edd. nonnullae. *Edictam* ms. Basil. Tum *notorum* emendabat Barthius, ut essent noti, amatores, qui cum Scylla consueverant: quorum *poena* sint praemia, quaestus decimae. Sed vid. Not. *avertere praedam* coni. Heins. *dictam Veneri* illustrat ex Petron. (c. 132 extr.), ubi em. *Ipse pater Veneri dictis Epicurus in hortis Iussit.* Qui sequitur locus vix a primo interpolationis auctore profectus est. *praedam* vel *partem* etiam Io. Schrader. coni. [* In hoc versu nulla in subsidiis meis criticis varietas lectionis invenitur, nisi quod Ed. Pr. habet *Edictam*, et Helmst. *notorum.* Quod ad verborum explicationem attinet, ex toto nexu apparet, sensum esse: Scylla meretrix ausa fuerat Venerem pecunia vota defraudare. Iam vero interpp. recte senserunt, vulgarem verborum lectionem varias obiicere difficultates, et Scaliger, cuius prior explicatio unice probanda est („an quod noluit persolvere decumas quaestus sui, quas voverat Veneri?"), suspicatur legi posse *avertere.* Tum vero restat mirum illud *poena votorum Veneri dicta*, quod explicare Heynius frustra sudat. Mihi legendum videtur: *Et dictam Veneri voto* INTER*vertere poenam. Pecuniam intervertere* et similia dici comprobant Gronov. obss. IV. 5. p. 73. et Gesnerus in thes. L. L. *Poena Veneri voto dicta* est id quod *poena promissa.* Nam ut *dicere* simpliciter pro promittere invenitur (Terent. Heaut. V. I, 64. 69. Sallust. Hist. II. 14. ed. Gerlach. Cicero pro Flacco 34. coll. Heusing. ad Cic. Off. I. 10, 6.), et *votis vocare* haud semel legitur (Virgil. Georg. I. 157. Propert. I. 10, 4.) ut et *exposcere votis* apud Virg. Aen. III. 261. et *expetere voto* ap. Curt. III. 8, 19. sic *voto aliquid alicui dicere* excusationem habet. Et nonne haec significatio ipso versu sequenti confirmatur? *Poena* vero iam a Scaligero recte est declarata: „ποινὴν more Graecorum, debitam mercedem." Meretrices autem pecuniam quandam Veneri dedisse docet Boeckhius ad Pind. Vol. II. P. II. p. 611.]

84. 85. *Quam modo m.* Ald. 1517. At Scaliger ad Chronic. Euseb. *Quae mala—Vixerat*, unde Taubm. recepit: quod parum placet, nec magis Heinsii: *male—quod—Vixerat*, vel *Vixit parque animo*, vel *aequata ferarum.* Lenior medicina esset: *Quam,—mala—quod—Struxerat*, tum pro *atque* malim: *ipsa animo m. iuvenum quoque* ed. vet. apud Loensem Epiphyll. VIII, 25. Mox *agitata* unde in Heinsianam et alias vulgatas venerit, ignoro: ubique editur *iactata.* Scaliger interpretatur docte θηριωδῶς ἐκμανεῖσα. Barthius Advers. XXIII, 9 *iactata erat* pro iactavit, dictum esse vult, qua auctoritate vel analogia, non intelligo.

Digitized by Google

[* *catervas*, A. In hoc versu, qui legebatur *Quam*, *mala — quod saepta*, mire hallucinantur VV. DD. referentes pronomen *quam* ad *Scyllam*, cum totus orationis nexus, quia pronomini relativo hic locus minime concedi potest, et verbum *dixerat* a poeta repetitionibus gaudente non sine vi aliqua est dictum, ostendant illud potius ad *poenam* pertinere. At, inquiunt, tum manca est structura accusativi cum infinitivo in vs. 86. ubi *infamem — fuisse* ad *quam* pertineat. Quasi non saepissime pronomen *eum* vel *eam* hac in constructione omittatur, ubi accentu illud caret, ut nostro in loco, ubi *meretrix* adeo gravis est vox, ut illo pronomine facile carere possimus (v. Ramshorn. Gr. Lat. p. 432, 2.). His igitur iam missis videndum est, qua ratione orationi suam elegantiam reddere possimus, quod fecisse nobis videmur restituendo *consaepta*. Non sum quidem nescius Oudendorpium ad Appul. Metam. p. 119. *consaeptus* rectius de locis quam de hominibus usurpatum dixisse. Sed ut *saeptus* de hominibus non semel legitur (Virgil. Aen. I. 439. IX. 783. Liv. I. 28.), ita et *consaeptus* ferri poterit, praesertim quum consideraveris, omnino hac voce rarius tantum scriptores usos fuisse (Cic. Senect. 16.).]

86. *tali merito rumore* Cuiacii et, Taubmanno monente, Paulli quoque Leopardi Emendatt. X, 24 emendatio est apud Scaligerum, pro librorum lectione: *tali meritorum more;* quam ipse Scaliger non improbare videtur, dum recte interpretatur: quod ita se in iuvenes gessisset, quod ita de iis promerita esset. [* Heynius coniecturam Cuiacii, quam Cortius ad Lucan. IV. 813. denuo protulerat, receperat; sed quum omnes codd. et edd. antt. *meritorum more* retineant, hoc reiicere nolui.]

87. *Palaepaphiae* vel *Palepaphiae* (quod ad Palaepaphon Cypri referebant interpretes) et *Pachynus* vel *Pachinus* vett. edd. cum codd. Quod nunc habemus, ex Iani Parrhasii emendatione profectum est, quam ad Claudiani R. Proserp. sub fin. testatur. cf. sup. ad v. 65. 66. Receptam eam iam video in Aldina 1517, quam semper intelligi in his carminibus volumus, quoties Aldinam excitamus. De *Palaephatia voce* dubitari vix potest; *papyrus* commoda quidem lectio, defensa quoque a Schotto Not. in Procli Chrestomath. p. 22, nec tamen dictu facile, quomodo ea in *Pachynus* abire potuerit. Scaliger eo nomine poema seu opus *μυθολογικὸν* Palaephati fuisse suspicatur, quod de Siciliae fabulosis multa continuerit, cum Pachynus Siciliae promontorium sit. Verum, quod eam suspicionem iuvet vel firmet, nihil occurrit; et monstra corruptelarum similia in vocibus, quae librario notiores esse debebant, quam eae, quas substituit, plura ad manum sunt; et *papyrus*, *charta*, frequens est certo poetarum generi pro libro. [* *Palepaphiae*, R. Ed. Pr. *Palepaphie*, A. Helmst. — *pachinus*, R. Helmst. *pachinnus*, A. *pachynus*, Ed. Pr. Quod Heynius de miris corruptelis monet, vere se habet; simile exemplum supra protulisse nobis videmur, ad vs. 66. Minus contra probo quae disserit de Palaephato *ἀπίστων* auctore a poeta nostro dissentiente. Ineptus ille libellus multo est serioris originis, quam cui tribui possit aliqua auctoritas, licet ab scriptore uno ex vetustissimis confectus esse dicatur, si quidem Palaephatus filius Thaliae Musae perhibetur (Apollodorus ap. Schol. Vatic. ad Eurip. Rhes. 346.)]

88. Vulgata erat *et ut quisquis*, quod nec Latinum esset; verum *et ut quisque est tali de clade loquutus*, legendum ex Aldina 1517. et e vet. editione apud Loensem l. c., ac ms. Helmst.; tum licebit accipere: *Omnia sint*, habeant se, ut volunt. Ieiuna tamen haec sunt omnia. Heins. divinat: *Quicquid et* (vel *id*) *est*, *tali quod quis de clade locutus*, *Somnia sunt*. [* Ieiuna haec esse, nemo negabit; inde tamen de corruptela cogitandum esse, non sequitur. *Quicquid*, R. A. Deinde *quisque est*, R. Helmst. *quisquis*, A. Ed. Pr.]

89. Scaliger cum Aldina 1517. minus bene iungit: *Omnia sint potius*, *πάντα μᾶλλον*. Tum *sunt* (quod et ms. Basil.) et *crini* edd. vett. ante

Aldinam, ut sit: *liceat Scyllam notescere crini*, propter capillum patris recisum. [* Iustam interpunctionem tuetur Ed. Pr. *sim pocius*, Helmst. *sunt*, A. Ed. Pr. *Cyrim*, R. *Cirim*, Helmst. A. *Crein*, Ed. Pr. Pro primis autem huius versus verbis R. omnia alia exhibet: *omne suam*, unde fortasse aliquis suspicari possit, nos iam interpolatam neque veram lectionem habere, quae haec fere fuerit: *Nisaeam*, ut trisyllabe efferatur. Nil tamen immutare volui, cum reliqua subsidia critica pro lectione vulgata pugnent.]

90. *Atque liceat* (notescere), *Scyllam non esse unam ex multis puellis*, *μίαν ἐκ πολλῶν*, non esse ignobilem, ut bene Scaliger explicat, sed scilicet carmine meo inclarescere. Sic si iuvetur oratio, etsi versus sunt parum politi, non desideres subiectam mox a Scaligero correctionem satis obviam, ut *novisse* pro *non esse* legamus: ut sit: et nosse Scyllam puellam. Laudat idem Theocriteum epigramma: *εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν ἐμμι Συρακοσίων*. Duriora dedere Barthius et Taubmannus: Scyllam non esse amplius puellam, sed avem: aut *non esse* pro fuisse, fato esse functam, perperam. Heins. *nunc scire* vel *cantare* coni. [* Sensum verborum *unam ex multis* bene perspexit Scaliger, quo eodem iis usus est Cicero Brut. 21. §. 83. 79. §. 274. Off. I. 30. et hinc explicandus locus ap. eundem Ciceron. Brut. 93. §. 320. ubi non erat iungendum *quivis unus*, sed asyndetὸs sumendum *quivis*, *unus ex populo*. Nam *populus* iam per se *existimatoribus* opponitur (v. Catull. X. 97, 9.) et *unus ex populo* simpliciter homo mediocris dicitur, unde intelligitur, cur *quivis* sit additum. Prorsus diversa significatione adhibuit hanc enunciationem Horat. Od. III. 11, 33. *Una de multis*, *face nuptiali digna*, *periurum fuit in parentem splendida mendax*, sc. una Hypermnestra de multis Danaidibus. — *Scillam*, A. Helmst. *syllam*, R.]

91. *Quare et.* Melius abesset *et*. Nec habet ms. Helmst. cum Aldina. *Quare aequae* coni. Heins. ms. Helmst. *cantus* — *cecos*. [* Primum enotanda est varietas in utroque versu. Et in priori quidem A. cum Ed. Pr. habet *quare et quae*, Ed. Pr. *medietati*, R. *caecos*, Helmst. e *cocos*, in sequente vero R. *magnam hi cupido*, Helmst. *magnam hii cupido*, A. *magna nimis cupidos*, Ed. Pr. *magna nimis cupidis*, A. Ed. Pr. *tribuisti*, R. A. Ed. Pr. *diva*. Videmus omnia, quae in scriptura vulgata editori Aldino debita leguntur, codicibus stabiliri, quum *divae* recte in Helmst. sit exaratum. Quod autem Heynius, qui tamen sententiam poeticam paene coactus agnovit, locum non expediebat, causa est haec, quod non satis ad verba *tribuistis* et *nunc age* attendebat, omnia ad praesens temp us referens. Sed illa verba clare ostendunt, poetam eum favorem, quo olim eum carmina cantantem Musae ornaverant, denuo exposcere. Tempus praeteritum arguunt quoque versus 93. sqq. et sic ad singula progredi nobis licet. *Meditanti* est tum quum ego meditabar, *certos cantus*, quos A. et Ed. Pr. defendunt, neque Barthius neque Heynius interpretari sustinuerunt. Sunt quidem de elegis supra (vs. 18—20.) commemoratis intelligendi, et *certi* eleganter dicuntur cantus „in quibus regulae quaedam observantur," ut Hofman-Peerlkampii (in Bibliotheca critica nova Vol. II. p. 39.) verbis utar, qui apposite in hanc rem laudavit Tibull. I. 7, 38. II. 1, 52. quos locos minus recte ceperat Santenius ad Terent. Maur. p. 350. sq. *Praemia* intelligo de favore, quo Musae poetam prosecutae fuerant, et illud *cupido* non cum Heynio cum *meditanti mittere* iunxerim, verum potius cum *praemia*, ita ut *praemiorum* sive *eorum* a nobis sit supplendum. *Divae* autem partim sententia partim vs. 97. defenditur.]

92. *mihi cupido*, *meditanti mittere certos cantus* (*ἱέναι φωνήν, ἀοιδήν*). Sic iungenda verba. Nec tamen locum satis expedio, qui omnino ex Virgiliana vena profluere vix potuit; adeo invita versus Minerva procusi sunt; etsi sententia satis sit poetica. *certos* cantus Barthius inter-

Digitized by Google

pretatur veros: at parum apte. An ad fiduciam animi spectat vox, in quibus ipse certus auxilii sit? *cupido* non satis appositum videtur. *Praemia* ad favorem ac studium dearum ac praesentiae beneficium erunt referenda. In vett. edd. *Magnanimis* vel *magna nimis cupidis* (hoc et ms. Basil.) *tribuisti pr. diva.* Quod nunc legimus excusum primum video in ed. Aldina 1517.

93. 94. Multa in his vss. laborant. vid. Not. Forte fuit: *quarum castos violaria* (vel *topiaria*) *postes Munere saepe meo cingunt*, ex more religioso, ut conveniant seqq. Nec sacra Musarum alibi facile victimis fiunt. [* *custos*, A. Utcunque autem te vertas, locus qui hucusque ita legebatur, *quarum castos altaria postes*, Heynio recte iudice laborabit; quae ipse profert, probari nequeunt. Corruptela latet in voce *altaria*, quae, ut paucis rem complectar, foedum est glossema vocis *postes*. Quum enim librariorum aliquis *postes* per *altaria* explicuisset (quamquam ego potius ipsum templum intelligo, coll. Virg. Aen. V. 360. et huc ipsis etiam *foribus* ducentibus), postea glossema, ut fit, genuinam vocem loco suo movit. At quaenam illa fuit? Ex voce *inficiunt*, quae rem liquidam innuit, nullus dubito, quin *libamina* certe non sine probabilitate reposuerim. *Libamina* h. l. in universum de quoque sacrorum genere dicitur (coll. Virg. Aen. VI. 246.); sed quod additur *inficiunt*, de liquido, ut iam dixi, sacro est cogitandum. *Munere meo* saepe ita legitur, v. Virg. Georg. I. 7. Ovid. Met. VIII. 502. VII. 93. — *floribusque*, R. *iacenti*, R. *hiacinthi*, A. *iacincti*, Helmst. *Deponunt flores* Heynius recte explicuit. Sic Propert. I. 13, 17. *Et cupere optatis animam deponere verbis.* — *narcisus*, R.]

95. Iterum hic mutavi distinctionem; erat enim expressum *f. h. Deponunt flores: aut s.* Sed melior, puto, ordo verborum: et *Deponunt* suos *flores* in *foribus* aut *hyacinthi aut narcissus — aut crocus — sparsaque liminibus floret rosa.* Fores templi sertis ac corollis se ornare ait. *Deponunt flores* ornate pro deflorescunt, *μαραίνονται*, quatenus suspensae corollae prostant. *Dependent* ms. Basil. [* minime] sicque coni. Heins. et Io. Schrader. Emendatt. p. 57.

96. [* *calca*, R. *calta*, Helmst. A. Intelliguntur coronae, in quibus lilia modo croco modo caltha inserta variantur, ut flores hoc se ordine excipiant: lilium, crocus, lilium, caltha, l. crocus, l. caltha. Wakefieldus coni. *Aut crocus, aut furva coniungent.*]

97. [* *limibus*, A. *luminibus*, Ed. Pr. *agite*, R. *dive*, A. De *age divae* v. Rufinian. de schematis lexeos 30. p. 252. c. n. Ruhnk. et quos praeterea largiter enumerant Weichert. ad Val. Flacc. VIII. 194. Hand. in Horat. Turs. I. p. 205. Adde Val. Flacc. V. 539. *Quare, age, cognatas primum defendite sedes.* Prorsus diversa est ratio, ubi vocativo singulari iungitur imperativus pluralis, quam illustrat Schaeferus ad Soph. Oed. Col. 1102.]

99. [* *pertexite*, Ald. 1517. Sed vulgata lectio praestat; *honor aeternus* quasi limbus purpureus a Musis volumini praetexitur. In priori versu R. A. *aspirate.*]

100. [* Vs. 100—135. in cod. A. hoc loco desunt et post vs. 172. inveniuntur. In cod. Helmst. vs. 100—104. a librario sunt omissi, sed a seriore manu margini adscripti. — *paridioniis*, Ed. Pr. Cfr. potissimum Sophocl. ap. Strabon. IX. p. 601. (fragm. Brunck. ex Aegeo nr. 1.)]

101. *et c. Tensa* vet. ed., unde Calderinus nomen urbis in Peloponneso faciebat. [* *actheos*, R. *acteos*, A. Cfr. Heins. ad Val. Flacc. IV. 654. *candida litora;* v. Reinganum das alte Megaris p. 38. sq. qui et p. 40. sq. de conchis Megaricis omnia collegit.]

102. *late; latex* ed. Ven. 1484, perperam; etsi Calderinus agnoscit. *lacte* mavult Wakef. ad Lucret. II, 375. *radiantia* coni. Frisemann. [* *la-*

Digitized by Google

teri ridentia, R. Helmst. *latex*, Ed. Pr. *conchis*, Pausan. l. l. ait: κόγχοι δὲ αἱ θαλάσσιαι διὰ παντὸς ἔνεισιν οἱ (τῷ λίθῳ κογχίτῃ). Vocem *ridere* illustravit Heinsius ad Val. Flacc. VIII. 452.]

103. *non nulli* eadem, cum ms. Basil. *non vidi* Iunt. *non ulli* recte Aldina. [* *nulli*, R. Ed. Pr. *digna* h. l. non solito sensu est capiendum. Sed quum *Megara* laudanda sit, *digna* significat „talis quae non debeat, quam non oporteat.“ Verti hunc versum: *Dort steht keiner von ihnen am Ruhme zu weichen berechtigt.* Eadem ratione legitur ap. Propert. IV. 11, 16. ed. Iac. *Moribus his alia coniuge dignus eras.* Lucan. VIII. 95. *o maxime coniux, O thalamis indigne meis.* Val. Flacc. II. 471. *Non ego digna malis.* Tac. Hist. II. 89. *decora facies, et non Vitellio Principe dignus exercitus.* Neque Graecis hic usus vocis ἄξιος insolitus; vid. Sophocl. Oed. Col. 933. Herm. σὺ δ' ἀξίαν οὐκ οὖσαν αἰσχύνεις πόλιν τὴν αὐτὸς αὑτοῦ.]

104. *Megara* perpetuo usu plurali effertur: itaque *Stant* fuisse videtur. Sic etiam Heins. legit. Idem *Argaei*, aut potius *Argei*, *Alcathoi*, quia Argis venerat. Pelasgus dictus Ovidio. *Attei* Iunt. *mutata* ead. cum Ven. 1484 et ms. Basil., sed recte *munita* dedit Aldina 1517. [* *Megara*, numero singulari non hoc tantum loco legitur. V. Heusing. ad Vechneri Hellenol. p. 30. Similia collegerunt Ruddim. I. 152. Schneid. Gr. Lat. II. p. 432. Hofman - Peerlkamp. in Biblioth. Crit. Nova III. p. 246. *acthei*, R. *attei*, A. *mutata*, R. A. Helmst. Ed. Pr.]

105. *Alcathoe* eadem Ven. *Archadio* Iunt. cum Basil., sed iterum emendate *Alcathoi* editum in Aldina. *Phoebique decus* Ven. eadem. *Phoeboque decus* Iunt., sed etiam hoc emendatum in Aldina 1517. [* Scribe-
h *e* *e*
batur *Alcathoi*. Sed quum R. haberet *Alcatoae*, Helmst. *Allcato*, vulgatam mutavi. Etenim apud Graecum, unde haec sine dubio noster sumsit, poetam legebatur Ἀλκαθόα, Dorica terminatione declin. sec., quam in vocabulis compositis frequenter adhibitam fuisse docuit Lobeckius in Wolfii Anal. liter. III. p. 56. coll. Gronov. obss. IV. 15. p. 238. Iam poeta noster iure primam declinationem sequebatur, quod eo minus nos offendere debet, quo magis et alibi poetas Latinos dialectos Graecas curasse scimus. V. Schneideri Gr. Lat. T. II. Vol. I. p. 43. De *Alcathoo* heroe Megarico eiusque cultu v. Villoison in Commentar. Acad. Paris. Inscriptt. T. XLVII. p. 336. Ceterum in A. Ed. Pr. est *Archadio* vel *Arcadio*, in A. *Phoeboque*, Helmst. *et Phebique*, in R. A. Helmst. Ed. Pr. *decus.*]

106. Legebatur *imitantur*, scil. saxa, quod vix ex antecedentibus elicias. Si *Stant Megara* legeretur, posset eo referri. Legendum igitur aut *imitatur saepe lapis: recrepat C. m. pulsus Et v.* Occurrit quoque *imitatur* in ed. Iunt. 1533, sicque Loensis emendaverat Epiphyll. VIII, 25, aut, quod magis placet, *imitatus.* Sic Heins. et vir doctus Miscell. Obss. Vol. IV. p. 319 correxerant; et sic iam legitur Ald. 1534. [* *imitatus* recte legitur in Helmst. In R. *immittatur*, A. *imitatur*, Ed. Pr. Ald. 1517. *imitantur.*]

107. [* Legebatur *munera*, quo eiecto restitui ex cod. R. *murmura*, quae sane doctior est lectio. *Murmur* enim passim variis instrumentis musicis tribuitur, ut *cornibus* ap. Horat. Od. II. 1, 17. sq. *tubis* ap. Stat. Theb. VI. 404. Eodem vero iure hic cithara *murmur* edere dicitur, quo *strepere* ap. Horat. Epist. I. 2, 31. ubi v. Theodorus Schmidius, *reboare* ap. Lucret. II. 28., et ipsa vox *recrepat* murmuri aptissima est, quae adstruitur Ovidio Heroid. III. 118. *Threiciam digitis increpuisse lyram. Recrepare* autem, quod ap. Catull. LXIII. 29. sensu intransitivo dicitur, transitivam hic recepit significationem, ut *resonare* ap. Virg. Georg. III. 338. Eclog. I. 5. Vix autem notatu dignum est, poetam hic confudisse

Digitized by Google

lyram et *citharam*, quae non Mercurii Cyllenii sed Apollinis fuit inventum.]

108. *Ut v.* — *testetur* Iunt. et Ascens. *amorem* coni. Nodell. Obss. crit. p. 39. [* quam coniecturam auctore codice R. recepi, cum antea legeretur *honorem.* Dii *amant* eum cui favent. Reliqua varietas lectionis
v
haec est: *ut* A. *solitum* R. *solito* Helmst.]

109. [* *ante alias*, A. *inter alios*, R. *tunc*, R. Vulgo *tum.* A. *quantum.* R. *ferebat.* Praepositio *in*, qua facile egere potuit poeta, saepe ita pleonastice ad conditionem alicuius hominis indicandam est adhibita. V. quos larga manu laudat Weichertus ad Val. Flacc. VIII. 136. quibus addi possunt Heins. ad Val. Flacc. V. 349. Heusinger. ad Vechneri Hellenol. p. 550. Ruhnkenius ad Vell. Paterc. I. 16. II. 23. 33. Apud Graecos ἐν saepe ita invenitur: v. Anecdota Hemsterh. T. I. p. 31. Porson. ad Eurip. Med. 629. Matthiae Gr. Gr. §. 396, 2. p. 725. ed. II. Maxime huc facit Sophocl. Ai. 483. Herm. ἐγὼ δ' ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρός, — — σθένοντος ἐν πλούτῳ.]

110. [* *populata*, R. *populato*, Helmst.]

111. 112. Vetus lectio, etiam mss., *Hospitioque senis* (vel *senisque*, Basil. *senio*) *hypolidosa victo;* et Iunt. cum aliis interpolate: *Hospitioque seni fuit Hippolydosaque victo.* Errant fere inter has ceterae edd. At Aldinae: *Hospitioque senis hypolidos avito:* in quibus *Hospitio quo se Nisi Polyidos avito* facile agnoscitur. Scaliger hinc aliam lectionem extudit: *Hospitio qua se Nisus Pelopeus avito Carpathium fugiens et flumina Curetea Texerat,* ponit ille, quod nulla fabulae auctoritas probat, Nisum ultro bellum intulisse Minoi, huncque iniuriam acceptam ulturum venisse. Alia, sed parum probanda, emendatio secundum vestigia vet. editi libri facta Paulli Leopardi a Loensi prodita est Epiphyll. VIII, 25 inverso ordine versuum: — *Minos Carpathium linquens et flumina Niseina. Hospitio canum namque urbs Lelegeia Nisum Texerat* etc. Lectio, quam nunc vulgatam habemus, a quo primum in textum illata sit, ignoro: prolata est primum a Contareno Var. Lect. 8, propior illa ceteris ad litterarum ductum (nisi quod pro *quo* malim *quod*), nec a fabula abhorrens, qua Polyidus, Πολύειδος, vates, Glauco Minois filio in vitam reducto, Creta aufugit (Apollod. III, 3), adeoque Megara proficisci indeque bello a Minoe repeti potuit. Legitur quoque Polyidus Megara venisse, ut Alcathoum de caede Callipodis filii lustraret: narrantur porro eius filiae Megaris sepultae Pausan. I. 42, p. 104. Quod *avitum* hospitium ait, potuit alias fabulas respicere, quas nunc ignoramus. Sed *Carpathium mare*, tamquam vicinum Cretae, posuit pro Cretico. Sequuntur flumina *Caeratea.* Iam in vett. edd. *Ceratea*, quod Aldina quoque dedit, et *Cerathea* scriptum est. Scaliger in priore edit. legerat: *Carpathium fugiens pelagus et flumina Cretae*, in altera vero: *Carpathium fugiens et flumina Curetea*, Graece ad verbum: Καρπάθιον λείπων καὶ νάματα Κουρήτεια, cum *Curete* antiquum nomen insulae fuerit, mox *Crete.* Videtur tamen et ipse mox in Caeratea animo inclinato ferri; est enim fluvius Cretae Caeratus ex Callimacho notus in Dian. 44 χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα. Alluebat ille Cnossum, cui urbi quoque olim ab eo nomen fuit. vid. Meurs. in Creta I, 8. [* *hospicioque senis hipolidosa viro* R. *hospitio. quod seni fuit hippolidosaque victo* A. *hospicioque senis hypolidosa vito* Helmst. *hospitioque senis Hypolidosa victo* Ed. Pr. Insigni acumine, quisquis ille fuit, locum restituit, et quamquam ego quoque cum Heynio, qui verba bene explanavit, *quo* praetulerim, tamen nil mutavi, quoniam *quod* in cod. A. legitur. In vs. sq. *cerathea* est in R. A. *ceratea*, Helmst. *Caeratea* in Ed. Pr. Ald. 1517. quod Heynium sequens retinui. *Curatea* etiam praefert Salmasius ad Solin. p. 121. *Carpathium* nude pro

Digitized by Google

mari Carpathio dictum defendit Virg. Aen. III. 211. *Insulae Ionio in magno*, coll. Burm. ad Anthol. Lat. T. I. p. 114.]

113. *Cothinius*, *Corthinius* vett. edd. *Cortinius* Aldina. [* *continuis*, R. *cortinius*, A. Helmst. *huc — corinthius*, Ed. Pr.]

114. *sternebat* vix sanum. Heins. em. *terrebat.* [* *Sternebat* quo nomine offenderit Heynium post Heinsium, non perspicio. Sic enim ap. Virg. Aen. IX. 666. *Sternitur omne solum telis*, Georg. III. 297. *multa duram stipula filicumque maniplis sternere subter humum.* Ceterum in R. Helmst. est *cretea*, A. *cretheo*, R. *ruta*.]

115. 116. 117. Obscura oratio, et, si recte iudico, corrupta. *Turmae volitantes ad muros infesto agmine* Megarenses esse debent; atqui ii *infesto agmine ad murum accedere* valde improprie dicuntur, ut etiam *ducere turmas volitantes ad muros* Nisus: potius haec Minoi convenirent, qui turmas duxit, ut muros conscenderent, delendae urbis caussa. Verum si Cretenses sunt, et ad eosdem debent referri *mentes indomita virtute*, claudicat sententia verborum in reliquis, ut priora sequi praestet, ut Megarenses sint, quos Nisus in muris urbis collocat. Heins. pro *Ducere* coni. *Reicere*, ut in Ecl. *Reice capellas;* aut ut *Ducere* sit pro trahere. Melius totum locum sic refingas: *Sed neque — veretur Infesto — turmas Ducentem indomita virtute retundere mentis.* Ut *Ducentem* intelligas Minoem. *volitanti ex agmine* Ven. Ed. 1484 et Ald. cum ms. Basil.; unde Heins. tentat: *v. examine. indomitas v. r. mentes* emendabat Lindenbruch et Heinsius; sed hoc tenue. Ascensius *non veretur* accipit *non curat*, negligit ducere turmas Nisus etc. In *mentes* potest latere videri: *Cretas.* Heins. coni. *Martem.* [* Legebatur: *Ducere et indomita virtute retundere mentis*, quae sane inepta lectio Heynium recte offendit, qui etiam non sine probabilitatis specie *Ducentem* coniecit, nisi quod *eum* sc. Minoem abest, quod grammatica hic certe requirit; alia enim est ratio eorum locorum, ubi participia vel adiectiva pronominis demonstrativi loco posita inveniuntur. Hinc aliam ego ingressus sum viam, qua utrum bonis an malis avibus processerim, diiudicent alii. Etenim in codd. R. Helmst. legitur *Dicere*, in iisdem *indomitas*, in R. A. *mentes*, et crediderim illud *dicere*, quamvis primo obtutu nihil sani continens, meliora nos docere. Prius vero paullo accuratius verba *veretur rex retundere* inspiciamus, quae nisi fallor ironice sunt intelligenda. Quis enim veretur hostes repellere, nisi ignavus, qui quasi invitus facere illud cogitur? Quod hucusque Minos nondum Megaram ceperat, neque eius culpa neque insigni Nisi et Megarensium fortitudine est factum. Fatale illud fuit, et quum crinis purpureus de capite demptus esset, Megarenses utique verebantur Minoi diutius resistere. His iam praemissis ad lectionem stabiliendam redeo et pro *Dicere* legendum esse suspicor *Vincere.* Hoc scilicet scribebatur *Vicere*, et litera *V*, ut fit in versuum initiis deleta, procudebatur inepta illa lectio, quae statim etiam originem alterius *ducere* demonstrat. Tum iam omnia sunt clara, et quae sequuntur, ulterioris tantum explicationis causa adduntur, in quibus *indomitas mentes* a codd. nobis subministratas, et iam a Lindenbruchio ut videtur probatas retineo. Quam graviter enim *mentes* Cretensium *indomitae* opponuntur Niso et Megarensibus qui fere inviti tantum resistunt! *Virtute* referendum ad *indomitas. Indomitus virtute* dicitur cuius virtus nondum domita fuit. Sic Virg. Aen. VI. 394. *Dis quamquam geniti atque invicti viribus essent*, VII. 257. *huic progeniem virtute futuram Egregiam;* v. supra vs. 40. *nervi robore teneri. Retundere mentes* aeque bene dici potest, atque *obtundere* ap. Cic. Tuscul. I. 33. et significat mentem alicuius acrem et vehementem defatigare et quasi hebetem reddere. In priore autem versu *Infesto — volitantes agmine* legitur in R. A. In Helmst. contra est *Infestos — volitante ex agmine*, quod manus secunda mutavit in *volitantis*

agmine, in Ed. Pr. *Infestos—volitanti ex*, Ald. 1517. *Infesto—volitanti ex.* Heinrichius in Biblioth. Gotting. liter. et art. vet. X. p. 46. legit *gentes*, ad Megarenses omnia referens.]

118. *quoniam in fatis meminisse* coni. Heins. *fas est* Io. Schrader.

119. [* *ab*, Helmst.]

120. *florebant tempora lauro* in medio interposita, dure quidem: nec tamen Scaligeri emendatio mollior, qui coniiciebat primum: *Candida caesaries, florens interprete lauro*, h. divinatrice, qua reges redimiti esse solebant, postea autem: *C. c. florebat tempore longo.* Heins. varie tentabat: *Cand. caesaries florebat tempore utroque*, vel *t. laevo*, l. *tempora in ambo.* In Basil. erat *tempore.* Io. Schrader. *Candida caesaries replebat tempora late.* Nolim operam perdere in supposititiis. A vetere poeta fuisse apparet tantum haec: *Responsum—deorum: Nam roseus medio f.* [* Non video, qui verba *florebant tempora lauro*, quae demum ornatum regium indicant, viros doctos adeo offendere potuerint, ut vel corruptelam vel interpolationem statuerent. Durior quidem est parenthesis; sed quis contendere velit, non et alias eius generis inveniri? Oratio est vere Latina et poetica. Sic Virg. Aen. IV. 202. *variis florentia limina sertis.* In R. Helmst. est *caesarie*, A. *caesarieis—frondebant.*]

121. *At* Ald. 1534. Vulgo: *Et. fulgebat.* Scaliger ex vett. edd. *surgebat;* quod et ms. Helmst. habebat cum Basil. [* *At* retinui, quamquam in R. A. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. *et* legitur. — *surgebat*, R. Helmst. Ed. Pr. quod recepi quum vulgo scriberetur *fulgebat.* Nostrum poeta ex imitatione Virg. Aen. X. 187. hausisse videtur: *Cuius olerinae surgunt de vertice pennae.*]

122. [* Est etiam notanda orationis inversio in *quam diu — tam*, omisso altero *diu*, quae ellipsis et invenitur Cic. Brut. 1. §. 4. et 67. §. 236. Purpureus vero Nisi cincinnus postea in proverbium abiit; v. Lucian. sacrif. 15. T. III. p. 79. ed. Bip., et inter omnes constat, quanto honore tam apud Graecos (Pausan. I. 37, 2.) quam apud alios populos caesaries sit habita (Bauer hebräische Mythol. II. p. 86. Exegetisch. Handbuch II. 181.), unde superstitio, quae etiam in hac ipsa Nisi historia valet, orta fuerat, ex capillo vitam hominis pendere. (Cfr. G. A. Becker in Ersch u. Grubers Encyclop. Sect. II. Vol. I. p. 19.)]

123. [* *nisi se*, Helmst. lineola tamen per pronomen traducta. A. habet *incolumem in se regnumque.* De *Parcis* fata canentibus ex Catullo et Tibullo omnia nota.]

124. Versus ex Ecl. IV, 47. *firmarunt:* debebat esse *firmarant.* [* *numina* , Helmst. — Perfectum *firmarunt* ab Heynii suspicione defenditur exemplis quae collegit Ramshorn. Gr. Lat. p. 402. c. Spectat certum tempus, illud quidem quo Nisus natus est.]

125. *caro.* Ita Aldina 1517. Edd. vett. cum Basil. ms. *cano.* [* *cano*, R. A. Helmst. Ed. Pr. — *Cura residet* in *capillo* dicitur, quatenus cives cum ipso rege unice curabant, ut crinis iste servaretur, ut nos dicimus: alle ihre Sorge beschränkte sich auf das theure Haar. Verborum structura illustratur per Ciceron. Fam. XII. 3. *etiamnunc residet spes in virtute tua*, quamquam ibi significatio verbi paullo est alia, cum h. l. non tam restandi quam quiescendi sensus praevaleat.]

126. *comtum quem* editum a Taubmanno, ex Ald. tert. (1534), ut Loensem emendasse video l. c. [* *comptus*, Helmst. *quem* iam in Ald. 1517. legitur, eamque lectionem unice veram recepi, quum hucusque scriberetur *quoque*, ortum sine dubio ex interpolato pronomine *quē.*]

127. *ritu Corsellae* vett. edd., vel *Corpselae:* unde Scaliger refingebat *Cecropiae*, cum olim *Cypsellae* et *Tortilis et t.* legere voluisset. Sed emendatum *Mopsopio* iam animadverto in ed. Ald. 1517.; et sic Parrhas. ad Claudian. R. P. p. 2. b. legere iusserat. Μοψοπία dicta Attica ab aliquo Mopsopo: Strab. IX extr. Felicius tamen ex vetere scriptura ve-

ram lectionem eruisse arbitror Loensem Epiphyll. VIII, 25 *Crobylus et tereti.* Nota res vel ex Thucyd. 1 pr. *Crobyliae* coniecerat alius vir doctus in schedis Wolf., minus probe. *teretis* — c. malebat Heins. [* *corpselae R. corpselle* Helmst. *corselle* A. Ed. Pr. At in edd. vett. et recentt. legebatur *Mopsopio*, quo reiecto veram Loensis emendationem recepi. Et quod primum ad structuram attinet, haec est: *quem capillum ritu solemni comptum fibula aurea et crobylus* (de copula *et* nomini suo postposita v. ad vs. 78.) *tereti dente cicadae nectebant.* Quum autem vulgo *nectebat* legeretur, e R. Helmst. *nectebant* scripsi, qui numerus pluralis pariter veritatem coniecturae receptae comprobat. *Crobylus nectit* capillum hac ratione, ut κρωβύλος non ipsa caesaries dicatur, sed modus crines colligandi, ut ipse Thucydides loco notissimo (I. 6. *κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν*) testatur; scholiastae quoque uno ore consentiunt, *κρωβύλον* esse *εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν. Nectitur* vero ille crinis per crobylum, quod huic crobylo ita inseritur, ut ei sit implicitus, neque facile e capite demi possit.]

128. *vobis:* ut ad Megarenses conversa sit oratio. Scaliger legit *votis.* ms. Basil. *nobis.* Immo vero scriptum fuit *urbis. Nec vero haec urbis custodia vana fuisset.* Etiam Heins. sic emendat. [* Ego recepi hanc Heinsii Heyniique emendationem. Ridicule enim hic poeta subito sese ad cives Megarenses converteret.]

129. *Nec fuerat.* Quid hoc loci habeat post *Nec fuisset*, equidem non assequor; nec minus iacet oratio, si subintelligas *ante;* nec fuerat vana ad id tempus. Nisi doctius urbis epitheton fraudem fecit: *Nec vero haec urbis custodia vana fuisset Nisaeae.* Saltem poeta: *Infelix nisi Scylla*, et pluribus aliis modis scribere poterat. Heins. coni. *Debuerat; si.* Voluit *defuerat.* Sic quoque Io. Schrader. *Defuerat si S. novo concepta furore.* Frustra defendit hoc Barthius. Obvium est poetam scripsisse *correpta.* Nunc hoc idem exhibere video Aldinam 1517. et Pith. Minus placet *novos concepta furores;* etsi sic in Culice quoque 265. Scaliger e libb. refinxit: *Femineis concepta decus.* [* *Nec* (pro quo Helmst. *Hec*) *fuerat* cum Heinrichio in Biblioth. Gotting. liter. et art. vet. X. p. 46. intactum reliqui. Non semel enim scriptores accuratiores temporum notationes omittunt, ut apud Virgil. Aen. V. 372. legitur *Victorem Buten immani corpore — perculit*, qui Butes dicitur *victor*, quatenus antea vicerat. Sic et apud Horat. Od. III. 27, 28. *palluit audax* sc. antea Europa. Eadem observatione Fussius in epistola ad Lycocriticum p. 48. lectionem vulgarem Catulli LXVI. 77. egregie vindicavit, quae iam ita est sumenda: *Quicum ego*, *omnibus* (sc. nunc in coelo posita) *expers unguentis*, *dum virgo quondam fuit*, *una millia multa bibi.* Vult igitur poeta noster dicere, vim huius crinis salutiferam secundo quoque eventu comprobatam fuisse. In seqq. pro *nisi* legitur in R. *in*, in Helmst. *ni*, quod recipere non dubitavi, quamquam bene gnarus eorum, quae Viri Docti nunc recte de correptionis usu in talibus syllabis praecipiunt; v. Schneider. Gr. Lat. P. I. Vol. II. p. 694—710., Lennep. ad Terent. Maur. p. 412—416. quorum uterque nostrum locum non neglexit, et Iahnius ad Virg. Aen. XI. 309. *Concepta* quum in codd. et edd. antt. praeter Aldinam legatur, immutare non sum ausus, quod ipse poeta noster dicit vs. 163. *furorem concepit* coll. Aen. IV. 501. Ovid. Met. II. 640. Sil. Ital. V. 182. Senec. Hippol. 343.]

130. Male in fine versus plena interpunctio ponebatur in edd. De toto versu dubito an ab alia manu venerit. *infensa* vel *infesta* coni. Heins., nescio quo fructu. [* *sepulcrum* legitur ut saepe alia abstracta pro concretis; v. *ruina* ap. Ovid. Heroid. XII. 32. Cort. ad Cic. Fam. VIII. 4, 5. Ramshorn. Gr. Lat. p. 655. De Graecis v. Matthiae Gr. Gr. §. 429, 1. ed. II.]

131. Praeclare Heins. *Minoem c. si* vel *Minoa heu.* Sublegerat ei

hoc iam Toll. ad Auson. p. 148. Ita vero *nisi* — *si non* se excipiunt. Unde Io. Schrader. Emendatt. p. 58 malebat: *O nimium cupidis Minoi inhiasset ocellis.* [* *Minoem* cum Heinsio scripsi, quum vulgo inepte legeretur *O nimium. Inhiare* cum accusativo pro *vehementer cupere* legitur Virg. Georg. II. 463. et similiter ait Plautus Trucul. II. 3, 18. *Illum inhiant omnes.* De *ni* — *si non* v. ad vs. 12.]

132. [* *malus puer* Amor eleganter dicitur; v. Burmannus Sec. ad Prop. p. 106. qui insuper p. 33. alia similia huius Dei epitheta collegit.]

133. [* Habet sane, ut Heynius in Notis recte dicit, omnis hic locus quo offendat. Multo tamen magis lacunas in eo quam interpolationes suspicer; nam certe post vs. 156. tam durus sive potius nullus est transitus, ut, nisi quaedam per librariorum socordiam excidisse sumas, poeta, cuius ingenium in aliis locis iuste admireris, ut inepte brevis tibi sit arguendus. Ibi etiam sine dubio periurium illud expositum et exhortationes Iunonis ad Amorem prolatae fuerant. Interpolationis etiam suspicionem removent multa graviter et ornate dicta, velut vs. 132 — 137. 141 — 144. — *Potuit* aoristice intelligendum; v. Walch. ad Taciti Agricol. p. 104. sq.]

134. Quae sequuntur ad v. 137 ab interpolatoribus inserta suspicor. [* *etiam ille* Helmst. De sententia versus v. Galli eleg. 29. *acer Amor deus est; fetas domat ille leaenas*, ubi Wernsdorf. poet. Lat. min. III. p. 189. *Poenas* vel *saevas* suspicatur.]

135. *vires m. tigris;* Scaliger maluit ex vett. edd. *victas m. tigres*, quod et in Basil. Sed durum id post *validas.* Etsi hoc *validas* vix ipsum sanum est, latere enim videtur sollenne tigrium epitheton, *rabidas.* Heinsius in notis ineditis apud Burmann. ad Anthol. T. I, p. 19 emendabat: *Et rabidae docuit vires mitescere tigris.* [* *victas* A. Ed. Pr. Pro *validas* Heynius cum *rabidas* reponere vellet, non meminerat puto, quoties *vires validae* apud Virgilium legerentur; Aen. II. 50. V. 500. VI. 833. et apposite huc facit Propert. I. 14, 17. *Illa* (Venus) *potest magnas heroum infringere vires.* Ceterum locus noster e Graeco sermone illustrandus est, cum *tigris* sit genitivus, ut *σθένος Ἡρακλέους*; v. quos laudat Vechnerus Hellenol. p. 516 — 523. cum annotatt. et Muncker. ad Fulgent. II. 5. p. 73. a.]

136. *divos*, *homines*, ut hic interpungitur, deos et homines mansuescere docuit Amor. Alii iunctim *divos homines* exhibent, h. e. deorum filios, heroes. Sed cum priore ratione melius convenit quod sequitur: *sed dicere magnum est;* ut quasi praefiscini dictum esse velit: ne temerarium quid et quod Nemesis ulciscatur, dixisse videatur. cf. Barth. Advers. XXIII, 9. *Ille etiam divos omnes* coni. Heinsius apud Burmann. l. c.; ut postea versus exciderit, cui subiungatur: *sed dicere m. est.* Sed totus versus Scholasticum, qui nova exempla adscribere voluit, redolet. [* Post *homines* aposiopesis intelligenda est.]

137. Distinxeram plene ad finem versus: ut diceret primum de superis universe, quod mox de sola Iunone locum habet: et mox iungebam: *Iunonis magnae violaverat sedem.* At nunc mutavi. *iras Iunonis* acuit Amor. Porro legebatur: *Idem tum superis.* Heins. coni. *super his*, *in superis*, *e superis. Idem cum superis* edd. vett., vel *quum.* At Aldina: *Idem tum tristes a. p. iras Iunonis m.* Sicque ms. Helmst. et Iul. Sabinus legerat. Et hoc esse verius arbitror. [* *cum superis* A. Ed. Pr. Restitui autem in fine huius versus plenam illam interpunctionem, quam Heynius quo ipse dixit modo mutaverat. Tum vero omnis verborum series prorsus est perturbata et elumbis, et praeterea versus infra sequentes (v. potissimum 153. sqq.) clare ostendunt, Scyllam auctore Iunone ab Amore fuisse vulneratam. Hinc in seqq. verba *Iunonis magnae* pendent a *violaverat inscia sedem. Irae* sunt intelligendae ipsius Amoris; v. infra vs. 158. et Virg. Aen. XII. 590. *apes magnis acuunt stridoribus iras.* Quodsi enim Heynium secuti locum interpungere velimus, sententia mire

Digitized by Google

sit implicita: tum scilicet Amor nescio qua causa motus Scyllae irascitur, et, cum ipse suae ultioni optime respondere posset, Iunonem etiam, quam Scylla exacerbaverat et ipsam, magis acuit. At tum ipsius Iunonis commemoratio prorsus est inutilis, quae nihil, ut Scyllam puniat, facit, omnia potius Amori permittens, qui solus his omnibus sufficere potuit, quippe qui ipse causam et facultatem puniendae Scyllae habeat. Quam simpliciter contra et fabulis Graecorum convenienter res fingitur, si Amor imperio superioris alicuius Dei Deaeve parens eius iussa exsequitur. Amor recte *iras Iunonis acuisse* diceretur, si haec et suas agendi partes haberet, sed inepte acuit, cui Iunonis aliquo auxilio non opus esset.]

138—140. *cuius periuria divae — Non ulli liceat.* Sensum idoneum nemo facile ex his versibus extundat: et, si recte iudico, assutus est pannus ex grammatici, experientis vires ingenii in compingendo versu, nugis in margine adscriptis. Scaliger misere se torsit, ut hinc proferret hunc sensum: cuius puellae periuria, o Musae, nemini fas meminisse. Sed iis rescissis sententia sic sese expedit: *Idem tum tristes acuebat parvulus iras Iunonis magnae: violaverat inscia sedem.*

138. *per iura Dianae* ed. Fabric. Heins. tentat: *cuius per ludicra divae:* vel *fera iurgia.*

139. *se meminere* edd. vett., etiam Ald. cum cod. Basil., et *per iura —* tum *nonnulli.* Heins. tentat: *O nolim meminisse:* ut Ovid. Fast. *Ah nolim victas hoc meminisse deas:* vel *Hoc nolim m.*, vel *Nolim te meminisse tui;* et porro *iurare* vel *temerare puellae Non ulli liceat.* Poenitet acuminis in tam pravis versibus. *Non nulli* vett. edd. *lutam* ms. Basil., unde Heins. coni. *licitum.* [* In toto loco ubi hucusque *se meminisse* legebatur, nulla est varietas lectionis, nisi quod vs. 138. *magnae* in Ed. Pr. deest, vs. 139. in R. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. *meminere*, et vs. 140. in R. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. *Non nulli* scribitur, pro *liceat* autem in Ed. Pr. *lictam.* Sententiam loci quadamtenus certe perspexit Heynius, non idem eam persecutus. Quum autem subsidia nostra optime *meminere* praeberent, statim vidi pro inepto illo *se* reponendum esse *si* i. q. etiamsi (v. Cic. Quinto R. 25. *Et me hercule, si Roscius nihil diceret, tacito ipso officio quemvis commoveret*, add. Horat. Tursell. p. 783. Cort. ad Sall. Iug. 85.), ut ad verbum *liceat* ex perfecto *meminere* repetamus *meminisse* (quales repetitiones ἀπὸ κοινοῦ haud raro inveniuntur; v. Virg. Aen. I. 729. *Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes a Belo soliti* sc. *implere*, Horat. Od. III. 27, 13. *Sis licet felix ubicunque mavis* sc. *esse.* Adde Ramshorn. Gr. Lat. §. 205, 3. p. 683.). *Periuria* qua ratione sint intelligenda, infra explicabo ad vs. 154; hic monuisse sufficiat *cuius Deae* sumendum esse sensu obiectivo pro periuriis in nomine Iunonis commissis, ut *legatorum iniuriae* apud Livium (I. 14.) his apte comparari possint (v. Ruhnken. ad Vell. II. 106. Huschke ad Tibull. Vol. II. p. 703.): pluralis autem numerus verbi *meminere* offendere neminem debet, quia *non ulli* collectiva est vox, de cuius vi etiam in numero singulari egit Weichertus in epist. crit. p. 75., et omnino in sententiis generalibus numerus variatur (v. Cort. ad Cic. Fam. V. 14, 4. p. 237. Davis. ad Cic. N. D. I. 19. Heindf. ad Plat. Gorg. §. 75. et Protag. §. 28. Insignia autem exempla pronominis relativi num. plurali positi post substantiva num. sing. collegit Schäferus ad Theocr. 25, 121. coll. Ind. Homeric. s. v. *Pluralis.*). Omnibus igitur suppletis verba ita se excipiunt: *si* (etiamsi) *olim* (quando, v. Horat. Tursell. p. 535.) *puellae periuria huius divae meminere, nulli* tamen *puellae diu* ea *periura* fuisse meminisse *liceat:* wenn vielleicht einmal Mädchen sich eines an dieser Göttin begangenen Meineides erinnern, so dürfte sich doch wohl keine erinnern, dass jener Meineid lange gewährt habe, lange unbestraft geblieben wäre. Vix dubitari potest, quin poeta Iovis ὅρκιον memor eandem vim in Iuno-

15 *

nem transferre voluerit. Lusus autem in *periuria periura* illustrari potest iis quae de simili re contulit Iacobus ad Lucil. Aetn. 118 et 379.]

142. *caterva* edd. vett. et Aldd. *catervam* inde a Iuntina: hoc verius. [* *Procidit — macrum — caterva* R. *Caterva* etiam in Ed. Pr. Ald. 1517. Cur autem poeta maxime Iunonis sacra elegerit, explicare fortasse possumus comparantes quae collegit Weichertus in poetarum Latinorum fragm. p. 299.]

144. [* *agitare* R.]

145. F. *Nondum iam.* Tum *agitaverat* ortum ex *agitante* sup. versu; Heins. coni. *adoleverat.* Sane *gustaverat* emendabat Loensis l. c. cap. 26 ex Aldd., quod et ms. Helmstad. legebat. Accipi hoc potest: *ignis nondum gustaverat honores*, h. victimam. [* *castros* R. *et custos* Helmst. Deinde pro *agitaverat* scripsi e R. Helmst. Ald. 1527. *gustaverat.* Sententia iam clara (v. Ovid. Met. VIII. 741. *et nullos aris adoleret honores*), Scyllae illud infortunium ante ipsum sacrum accidisse.]

147. *Pallentis.* Ed. Pithoei *Pallantis* an *Palladiae?* inquit Heins.; sed f. *Albentis.* Quorsum tamen haec: cum ipse Virgilius *Pallentem olivam* dixerit: vid. Ecl. V, 16. [* *Pallentis* epitheton poeta *olivae* tribuit ex Virg. Eclog. V. 16. cfr. Passow ad Persium I. p. 214. Quaeri autem potest, cur in sacrificio Iunonis oleaginas coronas sacerdotes portent. Et quum omnino sacra facturi tali corona cingi solerent (Virg. Georg. III. 21. Aen. V. 774.) tum Iunoni potissimum oliva sacra esse potuit, quia casta fuit arbor (Barth. ad Stat. Theb. II. 737.). Apud Virgilium quoque haec (Aen. VII. 419.) leguntur: *induit albos Cum vitta crines, tum ramum innectit olivae; Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos.* Ceterum in R. est: *exornat.*]

148. *relapsae* vel *relaxae* vett. edd. Sed recte *cumque relapsa*, scil. pila procurrit virgo. At Heins. em. *cumque relapsa est.* [* *lapse manibus*, R. A. Helmst. Tum est *relapsa* iam in Iunt. 1520. Ald. 1527. *relapse* R. Ed. Pr. *relapsae* Helmst. Ald. 1517. *relaxe* A. Recte explicuit Heynius. *Pila* autem hic commemorata, iis adstruetur quae attulit Böttigerus in Amalth. I. p. 27. sq.]

149. [* *quod uti ne* R. Helmst. Ald. 1517. 1527. *quo uti ne* A. Ed. Pr. *perdita* A. Vulgo, ex Iuntina 1520. ut videtur, scribitur *quo utinam*, quo spreto lectionem codicum recepi quae usu quodam linguae Latinae nititur. Ut enim *quodsi* pro simplici *si* legitur, ita etiam invenitur *quod nisi* (Cic. Milon. 6. §. 15. *Quod nisi vidisset, posse absolvi eum*, Tacit. Agric. 26. *Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret*), et *quod utinam* (Cic. Fam. XIV. 4. *Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus*, ubi Cortius, quem etiam v. ad Sall. Catil. 18., laudat Sall. Iug. 14.). *Ut* vero pro *utinam* et in aliis locis invenitur; v. Horat. Tursell. p. 950, 7. Adde omnino vs. 227. ex Schraderi emendatione.]

150. *Aurea tum* forte legendum. *iam* vett. edd. et *pallam;* etiam Aldinae. *corpore pallam* ms. Helmst. Cum cl. Iacobs. suspicor fuisse scriptum: *Auratam gracili solvisset corpore pallam.* Heins. coni. *Aurea tam gracili solvisses corpore pallam!* Greene: *Ast utinam ne — Auratam gracili solvisses corpore pallam!* [* Recepi emendationem Iacobsii, cum antea scriberetur:

Aurea tam gracili solvisset corpora palla.

Sed in R. A. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. legitur *iam*, in R. A. Helmst. Ed. Pr. *corpore*, in R. Helmst. Ald. 1527. *pallam*, unde lectionem, quam recepi, fere non amplius esse coniecturam sed codicum scripturam apparet. Ipse Iacobsius apte hos de *palla aurata* locos apposuit: Virg. Aen. V. 250. VIII. 167. Georg. II. 464. *Corpora* rarius pro numero singulari; v. Lucilii Iunioris Aetna 98. ed. Iac. *utque animantis Per tota errantes*

percurrunt corpora *venae*. In Greenii suspicionem de huius versus lectione incidit etiam Schraderus apud Friesemannum.]

151 sq. Interpunctione ac distinctione locum inepte interpolatum ita constituisse arbitror, ut aliqua saltem exeat sententia, etsi poeta venustiore vix digna. *Vellem o haberes* (habuisses) *tecum tua omnia* (de vestimentis intelligendum ex v. 150.), *quae retinere gradum cursumque morari possent* (ne discincta procurrere auderet): *Ita non piasses nequicquam iureiurando* (ita lego), *o infelix, sacraria divae non unquam violata manu tua esse;* ut penetrale ingressa illa, quod adire nefas erat, frustra postea iurarit, se manu res sacras non contrectasse. *Piare* videtur nove positum, pro purgare se, amovere culpam a se. Sequentia vss. 155. 156. assuta arbitror ab alio, quam qui superiora male inferserat. Voluit is urbanus videri: posse forte aliquem suspicari puellam peierasse, eaque culpa sibi Iunonis iram conscivisse; sed falsum hoc esse: caussam piam fuisse, h. e. Iunonem, benevolentia in puellam permotam, cavere voluisse, ne, si illa intraret in deae penetrale, Iovis in conspectum veniret; facile enim illum deum adduci potuisse, ut insidias faceret puellae pudori. Haec aut similia videtur voluisse is, qui haec intexuit, ineptus forte clericus, vix digna, ut in iis haereas. Quod Scaliger suggerit, nimis acutum est: maluit te hoc modo punire Iuno, quam Iovi te excruciandum tradere, qui solus periuria ulciscitur. [* *cursusque* scripsi e R. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. 1527. cum vulgo legatur *cursumque*, quod iam exstat in Iunt. 1520.]

152. [* *tecum — tua* usitata poetis Latinis oratione. Sic Virg. Aen. IX. 84. Val. Flacc. II. 242. Val. Caton. Lydia 26 (127) et 34 (137). Adde nunc Cic. Phil. II. 8. ex cod. Vat. Attamen inficiari nolo, hoc ipso loco hanc verborum iuncturam minus placere; praetulerim ego *tecum — tu.*]

153. *Non v. v. manus:* agnoscit idem et Iul. Sabin. [* *manus* etiam in R. *sacraria haberes* autem in A. *Manu* violatum sacrarium Iunonis dicit poeta respiciens ad vs. 148.]

154. F. *Iurando iure.* Heins. *Infelix ne quid iurando iure piasses!* Coniicias melius: *Iuranda — iura piasses.* Nam piatur periurium. Hoc et Io. Schraderum maluisse video. Tum vero scribam: *Iuranda infelix aut unquam iura piasses!* [* Legebatur hucusque *Iurando — iura piasses*, in quibus verbis explicandis VV. DD. misere se torserunt, neque etiam aliquid profecit, qui de hoc ipso loco egit, Burmannus Sec. ad Propert. p. 15. 666. Quodsi ab iis verbis incipimus, quae primo statim obtutu aptam sententiam continent, *non unquam violata manu sacraria divae piasses*, quisque videt, haec ita dici, ut neminem offendere possint. Nam *violatum* Iunonis templum expiandum erat, ipsa Scylla hoc fatente. At qua ratione Scylla templum violatum piare debuit? Sacrificio instituto. „Nisi tu, infelix! corpus tuum nudasses et pila manibus prolapsa tem-„plum Iunonis polluisses, illud ipsum templum a te non piandum erat." Iam vero reliqua verba, quod maxime ex voce *nequidquam* colligo, indicabant ipsam Scyllam facinoris sui bene gnaram illud expiare et Iunonis iram placare voluisse. *Frustra* autem hoc conata est; Iuno poenam sumsit et Scyllam Amori puniendam tradidit. Ut iam qualiscumque ille sensus oriatur, pro *iura* restituo *tura* i. e. *thura*, quae vox simulatque ab librariorum aliquo corrupta fuerat, fieri non poterat, quin etiam versus ab initio mutilaretur. Nam quum partim supra partim infra *periuria* commemorentur, docti scilicet librarii *iusiurandum* etiam abesse non posse putabant. Hinc pro *iurando* scripsi *urendo* i. e. offerendo, reddendo. Ut enim dicitur apud ipsum Ciceronem (Verr. IV. 35. §. 77.) *incendere thura et odores*, eadem ratione iam hoc in loco legitur *urendo thura*, quam denique coniecturam mirifice confirmat Tibullus II. 2, 3. *Urantur pia thura focis, urantur odores.* Nunc etiam quo iure *sacraria piare* hic potissimum dicatur, apparet. *Thus* enim constanti usu pium dicitur (v. Ruperti ad Iuvenal. XIII. 116.), et eleganter poeta illo ipso verbo ludit. Coniunctio

Digitized by Google

autem duarum sententiarum proprie diversarum in eadem periodo, quae hic ita est instituta ut dicatur, nisi tu manu tua templum violasses, illud ipsum templum non thure oblato piasses, sed frustra piasti, illa igitur, inquam, coniunctio optimis scriptoribus est consueta. Ita Tacitus Hist. II. 76. *Ne Othonem quidem Ducis arte aut exercitus vi sed praepropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem et magnum Principem fecit,* ubi cfr. Ernest.]

155. [* *nocuisset ibi*, R. Helmst.]

156. *Sontica caussa est* em. vir doctus in schedis Wolf. Non video qua metri cura. [* *vino* R. In interpretandis istis verbis unice Scaligero adstipulor, quem acu rem tetigisse, ostendunt verba *Causa pia est*, quae, si Heynii sententiam praeferre velimus, ineptissimum produnt sensum. Ubi enim tum est pietas Iunonis? Neque in Iovem, neque in Scyllam pia fuisset, et certa scriptorum veterum testimonia afferenda fuerunt, quibus zelotypiae tribuitur pietas. *Periurium* illud sine dubio dixit poeta, quod Scylla promissis non steterat, rite et decore templum intrare. Quidni, ut coniecturae aliquis locus detur, putare possumus, illas sacerdotes sacramento obstrictas fuisse? Minus apte autem Scaliger huc vocavit locum Propert. III. 8, 47 — 54. ed. Iacob. in quo de talibus modo puellis sermo est, quae amorem non servarunt. *Ostendere* vero hic est sumendum *δεικτικῶς:* quodsi enim Iuno Iovi Scyllam e coelo ostendebat, ipse Iupiter poenam a puella sumsit per Furias sive Diras. Ut autem omnis locus recte intelligatur, accentus non in *periuria* sed in *nocuisse* est ponendus; Iuno enim maiorem etiam a Scylla expetere poenam potuit.]

157. *cui s. adolescentum* vett. edd. ante Aldinam 1517. Iterum impetiginem suam affricuit sequentibus Scholasticus aliquis; et forte ab initio totus locus his versibus solis constabat: *At levis ille deus, depromens tela pharetra, Virginis in tenera defixit mente sagittam.* Nam quae tandem haec oratio: *ex omni dicto quaeri iniuriam verborum!* Ceterum pro his, quae adsuta sunt, excidisse videntur alia, quibus Minoem puellae conspectum narraret poeta. [* *adolescendum* R. *adolescentum* Helmst. A. Ed. Pr.]

158. [* *dictu* Helmst.]

160. 161. Manifesto corrupti versus nec sine libro sanandi. Vs. 160. *Heu nimium — visu* omnino insititius est. In ms. Helmst. *Heu n. terret.* In edd. vett. pro *tereti*, *terei*, et pro *visu*, *nisu* vel *iussu* (hoc et in Basil. ms.) legitur; unde Scaliger refingebat: *Heu nimium Terei, nimium Tirynthia visa:* tela non puerilia, sed Herculea et qualia Tereus in Procne expertus erat. Mox eo damnato tentabat: *Heu nimium celeri, nimium torrentia nisu.* Barthius *Tirynthia* in *Gortynia* mutabat. *nimium certo nimium ferientia nisu* vel *missu* vir doctus ap. Io. Schrader., qui tentabat: *nimium celeri, nimium torrentia nisu.* Heins. *nimium penetrantia nisu*, vel, *certis nimium penetrantia iussis.* Io. Schrader. *parentia* substituit. [* Legebatur: *Heu nimium tereti, nimium Tirynthia visu*, ad quem locum quae VV. DD. attulerunt, vana sunt omnia, cum sensus in iis verbis vix alius inesse possit, quam: illa tela nimis bene effecerunt ea quae Iuno et Amor voluerunt. Codicum vero lectiones hae sunt: R. *Heu nimium terret n. tiricia visu*, Helmst. *H. n. teret n. thirintia visu*, A. *Heu n. t. n. thirinthia iussu*, Ed. Pr. *H. n. t. n. tirynthia iussu*, quibus ex monstris lectionum ut tolerabilem certe sensum procuderem, scripsi quo cod. R. potissimum me duxit *Heu nimium* mentem et *nimium* irritantia *visu*, i. e. tela quae *nimis et nimis mentem* Scyllae *visu* i. e. adspectu, ope oculorum *irritabant.* De *nimium et nimium* v. Virg. Aen. XI. 841. *Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti supplicium* et Tibull. III. 6, 21. *Nam venit iratus nimium nimiumque severis*, ubi v. Huschkius. Similem usum in *magis ac magis* illustravi in Epist. crit. de Catullo p. 48. add. Vechneri Hellenol. p. 587. Heusing. ad Cic. Off. I. 24, 11. p. 203. Ut autem

Digitized by Google

n. l. *irritare* sic in persimili re *impellere* usurpatur a Val. Flacc. III. 265. quo accedit, *irritare* propriam esse *telorum* vocem, v. Virg. Aen. X. 644.]

161. *interea* vett. edd. ante Aldinam. *interna* Loens. l. c. emendabat: apud eundem *Virgineo* scribitur. *omnia* sc. tela. *desixit acumina* coni. Heins. [* *interea* R. A. Helmst. Sed iam in Ed. Pr. legitur *in tenera*, unde in ed. Ald. 1517. 1527. migravit. Offendit me autem in hoc versu languidum illud *omnia*, pro quo poetam scripsisse putaverim *horrida:* utraque vox confusa etiam alibi legitur, v. Markland. ad Stat. Silv. IV. 1, 14.]

162. [* *sitientes* dicuntur Scyllae *venae*, quia ardent igne amoris.]

164. *Ciconum Bistonis in oris.* Est Aldina lectio. Cum alii Βιστονίδα scribant scriptores, solus est Apollonius I, 34 Πιερίῃ Βιστωνίδι, cuius auctoritate producta h. l. media in Bistonis syllaba defendi possit. Accedit Stephani Byz. in Βιστωνία auctoritas, qua Bentleius quoque ad Horat. I Carm. 25, 11 vulgatam h. l. tuitus est. Si tamen vett. edd. conferas, et vitium ex iis et medela in promtu est. Nam ut ms. Helmst. taceam: *gelidi Sidonum Bistonis honoris*, ms. Basil. *Sidonum Biston honores*; in Ven. 1484 *gelidi Cidonum Bistonis honoris;* in Norimb. *Sindonum;* in Iunt. et aliis *gelidi Sithonum Bistonis ore.* Quis non *in* male irrepsisse, eoque sublato, *gelidis Edonum Bistonis oris*, Ἠδώνων νιφόεντα κατ' οὔρεα Βιστονὶς, facile agnoscat? et sic Scaliger quoque emendavit, sicque Heins. in schedis. Bistones et Edones vel Edoni Thraciae circa os Hebri et Ismarum montem saepe occurrunt apud poetas. conf. Aen. XII, 365. Bentl. ad Horat. III, 25, 9. Broukhus. ad Propert. I, 3, 5 et alios. Ceterum simili modo Sithones se habent: in poeta est *Sithoniasque nives*, et Aedonides αἵ τ' ἐνὶ βήσσῃ Σιθονίῳ κούρῳ ἐπὶ μύριον αἰάζουσιν apud Parthen. c. 11. Et sunt tamen Steph. Byz. Σιθώνιοι. vid. ad Ecl. X, 66. [* R. et Ed. Pr. habent *gelidi sydonum bistonis honores*, A. *gelidi sitonum bistonis ore*, Helmst. *gelidi sidonum bistonis honoris*, unde Scaligeri lectionem recepi, quum vulgo ex Ald. 1517. legeretur *gelidis Ciconum Bistonis in oris.* In R. autem praeterea legitur *scaeva.*]

165. *Iactave* ed. Scot. Fabric. F. *tactave* Heins. [* *Ictaque* R. *antista* Helmst. a m. pr. *antistita* idem a m. sec. *antistica* R. *antistia* Ed. Pr. *Antistita* simpliciter de Maenade aliqua intelligendum esse, recte iam vidit Heynius. Ipsius enim Cybelae sacra quum non feminae sed viri curarent, utriusque tamen numinis cultus tam arcte inter se coniunctus fuit, ut haec confusio non nimis offendere nos debeat (V. Eurip. Bacchae 80. sqq. ubi chorus Baccharum haec canit: ὦ μάκαρ, ὅστις — — τά τε ματρὸς μεγάλας ὄργια Κυβέλας θεμιτεύων, ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων, κάτα κισσῷ στεφανωθεὶς, Διόνυσον θεραπεύει.). Huc accedit, quod quae vehementiori aliquo affectu concitatae dicantur, fere Maenadibus comparantur, qua de re v. Iacobs. Vir Eximius ad Philostrat. Imagg. p. 456. add. Aeschyl. Sept. adv. Theb. 480. Well. et inprimis Propert. IV. 7, 14. ed. Iac. *Quae sequitur medias, Maenas ut icta, vias*, ubi v. Burm. p. 553. Aliam ab Amazone comparationem instituit idem Propert. V. (IV.) 4, 69. sqq. Wakefieldus coni. *Actave.*]

167. *Et*, *aut*, perperam alii; et vulgo *storace*, ut seriore aevo scribebant. *picta capillos* non intelligo; f. *uncta;* et *fragrantes capillos* haud dubie, non *flagrantes;* ut in vett. edd. Video quoque laudari e vett. *vinctos perfusa capillos.* Heins. *uncta*, vel *tacta*, vel *lauta* tentabat; *tincta* Io. Schrader. et Iacobs. [* *storacae* R. *storace* A. Ed. Pr. *Non storace* Helmst. a m. pr. *Stemmate non* idem a m. sec. De ipsa herba v. Salmas. ad Solin. p. 383. b. ed. II. Retinui vero literam ῡ. — *Idaeo* Ed. Pr. *ideo* Helmst. A. *ideae* R. — *fragrantes* A. *flagrantes* R. Helmst. Ed. Pr. *tincta* recepi ex coniectura Iacobsii et Wakefieldi, cum vulgo esset *picta.*]

Digitized by Google

168. *Sicyonia* primum apparere video in Aldina: restituerat iam Leopardus in Emendatt. I, 11, cum in vett. edd. esset *sic omnia*. Sicyonii calcei noti sunt. conf. Taubm. τὰ Σικυώνια, scil. ὑποδήματα. Male *Cognita* ad superiora retrahunt vulgg. edd.; nam sunt *Sicyonia cognita*, ut alias *nota*, quibus illa utitur; epitheton ornans. Scaliger post Ascensium, ut video, refingebat *Condita*, quibus conduntur pedes, et Leopard. l. c. *Commoda*. Lenzius, doctus iuvenis, ad Catulli Epith. Pel. e Catullo (64, 129) coni. *Mollia* vel *Tegmina*. Si semel a scripto recedere ausis, multa alia scribere liceret. [* *Cognita* explicatur simili loco ap. Val. Flacc. V. 355. *Quae manus haec — Advenit, haud armis, haud unquam cognita cultu?* — Pro *Sicyonia*, quod primum in Ald. 1517. legitur, in R. A. Ed. Pr. est *sic omnia*, in Helmst. *siconia*. *Sicyonia* simpliciter ita etiam inveniuntur ap. Lucret. IV. 1118. coll. Gronov. obss. IV. 25. p. 391. Sic Περσικά, Λακωνικαί ap. Aristoph. Nub. 151. Thesm. 142. Eccles. 74. De ipsis illis soleis v. Hesychius in Σικυώνια, Steph. Byz. s. v. Σικυών. — *servas* R.]

169. Perperam *bacchata* retinent edd. recentiores. *Baccatum monile* ipse Maro dedit Aen. I, 655. [* *retines bacchata* R.]

170. [* *Multo* A. *Vestigia pedis* plenius dicitur ap. Caton. Dir. 113.]

171. *prodita*, scil. amore. Sed vix hoc omitti poterat. Leg. *perdita*, ut saepe amantes dicuntur. Sic inf. 427. Ita quoque emendasse post Dousam iam alios nunc video, Iortinum Misc. Obss. Vol. IV, p. 319 et Heins. in schedis. At Iacobs non male coni. *percita*. [* *perdita* pro eo quod vulgo legebatur *prodita*, eo confidentius recepi, quod illud ipsum in Helmst. a m. sec. exstare videbam, cum m. pr. vulgatum defendat. *Redit ascendere* est illud usitatum βῆ δ' ἰέναι.]

172. Graece extulit *redit ascendere* (redit, ut adscendat), et *facit causam se visere*, praetexit, comminiscitur caussam, ut visat. Etsi hoc valde scabrum. Heins. quaerit in verbis *per caussam*, ut ap. Ovidium saepe, v. c. *Candida per caussam brachia saepe tenet*. Ita scribi possit: *Aeriasque parat per caussam visere turres*, vel *Aerias quaerens per* c. Enimvero totus versus est ex variatione antecedentis natus. Greene legit: *Se saepe aerias caussatur reddere turres*, ut sit: *She blames herself, that she visits the citadel*. Estne *caussari* obiurgare? an voluit *accusat?* et quid est *reddere?* voluitne *scandere?* [* In Helmst. a m. pr. legitur *Senasque — causam*, a m. sec. *Aeriasque — causa*. Quodsi intpp. linguae Graecae paulo magis memores fuissent, non puto tantas coniecturarum turbas concitassent; etenim *causam facit* ad verbum est expressum e Graeco λόγον ποιεῖν, causam praetexere. Structura vero est *et causam* frequenter adeundi muros patrios *facit se visere turres aerias*. *Aeriae turres* illustrantur iis quae docte et copiose attulit Huschkius ad Tibull. I. 7, 15. p. 192. coll. Weichert. de Cinna II. p. 10.]

173. An olim fuit: *tristes volvens in pectore curas*. [* Hanc Heynii coniecturam Paldamus ad Propert. p. 294. speciosam, fortassis tamen non veram dicit. Utique recte. Nam quae hucusque poetae sunt narrata, interdiu facta sunt; iam querelas *nocturnas* attingit. Praepositio vero *in*, pro qua Bothius *de* legit, quamquam de tempore est sermo, excusationem tamen habet. Ruhnken. ad Vell. II. 24. Drakenb. ad Liv. I. 57. Iacobsius autem (spec. emend. p. 98.) coni. *solvens* ut respondeat nostro: *Luft machen*. Ceterum vs. 175—212. hoc loco a cod. A. absunt et post vs. 250. leguntur.]

174. *amorem* de amato Minoe accipere licet sane; ita vero illud durum, ut *ex altis caeli sedibus* sit, desuper ex turri. Scaliger refinxit: *caeli speculatur ad oram*, unde dies solet existere, cum diei ortum illam optare necesse esset. Vir doctus in Misc. Obss. IV, p. 320 *secum speculatur* arripuit inf. ex v. 468. Broukhusius *caeli amores* legebat et stellas intelligebat, in quas virgines olim essent mutatae. Tandem ibid. alius vir

doctus *caelo* corrigit, nihil tamen expedit. Equidem, si vestigiis scripturae *caeli (celi)* inhaerendum est, lego: *Sedibus ex altis tecti*, h. ex edita domus parte. Iacobs noster in *coeli* (Specim. Emendatt. p. 79) quaerebat *oculis*. [* Permira sane etiam h. l. VV. DD. protulerunt; sed nulla est in eo corruptela. Coniungendae enim sunt *altae coeli sedes*, quae sunt *sidera in coelo*, sive omnino *coelum*. Ea significatione leguntur *sedes aethereae* ap. Ovid. Met. XV. 449. Sic ἕδρα ap. Aratum 690. ed. Voss. Sensus igitur est, Scyllam e cursu siderum videre velle, an faustum suo amori exitum sperare possit, neque sine causa *speculari* verbum posuit, quum illud tantum de loco editiori fieri possit. Maxime huc facit locus Virg. Georg. I. 257. *Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus.* Wakefieldus pro *coeli* coni. *sola*.]

175. [* Illustrant h. v. quae collegit Burm. Sec. ad Propert. V. (IV.) 4, 29. p. 771.]

176. *movit* ed. Iunt. *nubit* coni. Scalig.; esse enim *colum nubere στέφειν* (scil. lana inducere ac vestire, mox nendo deducenda, quomodo Catullus LXIV, 311 *amictam*, Plinius *comtam colum* dixit). *nevit* Heins. [* iam ad Claud. Eutrop. I. 274.] Sed *novit* et *respicit* sibi respondent. *nulla* pro non, ut alibi, antiquum esse aiunt. Est Graecis, et inde poetis, frequentatum. *aurum* sive ad texturam, seu, cum de ea vs. 178 demum agatur, ad ornatum et mundum muliebrem spectat, etsi eum hic non expectabam; nec omnino satis cohaerent membra. Illa, inquit, non curat colum, non aurum, non psalterium, non texturam. Forte vs. 178 saltem praemittendus versui antecedenti. [* *movit* A. *non*, ita R. Helmst. Vulgo *nec*. — *aurum* unice de auro textili intelligi potest, quum omnis hic locus de opificiis et negotiis, quibus Scylla assueta alias fuit, agat. Langueret notio mundi muliebris. Sententia vero versuum paululum abrupta et confusa simillimo loco Catulli LXIV. 38—41. defenditur, quem a Ramiresii transpositione vindicavit Mitscherlichius in lectt. p. 30.]

178. *Lycio* vel *Lydo* em. Heins. At vid. Not. *clauduntur* male edd. Plant. [* et A. *blanduntur* Helmst. a m. pr. *planduntur* idem a m. sec.]

179. *obstat amanti* ap. Iul. Sab. legitur. Heins. coni. *superat* vel *suberat*, ut ap. Ovid. in Ep. Acont. XX, 122. *Quique subest niveo laetus in ore rubor.* Io. Schrader. *nisi cum pudor obstat amori.* Totus versus ex interpolatione conflatus est.

180. [* *magis* Helmst. a m. pr.]

181. [* *Torbidulamque* A. Qua ratione hic potissimum, ubi *mors* per inexpletum amorem nata memoratur, de *tabe* sermo esse possit, docet Celsus III. 22. *Una (est tabes) qua corpus non alitur et naturaliter semper aliquibus decidentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur et, nisi occurritur, tollit: Atrophiam hanc Graeci nominant.* Hinc etiam *videre* proprio sensu, neque solum pro *sentire* dicitur, coll. inprimis vs. 224. sq.]

183. [* *impellere* iam per se de sacro aliquo furore usurpatur. Heinsius ad Val. Flacc. III. 325.]

184. *ferret* primo editum in Ald. 1534. Legebatur olim etiam in Ald. *servet*. Tum *ah serum*, h. diu servatum, legisse videtur Iul. Sabinus. *Ut patrio demtum cr.* Io. Schrader., praeclare; modo esset quod cogeret nos refingere. conf. v. 280. [* Legebatur hucusque *de vertice ferret Furtim, atque arguto*, ubi v. *ferret* iam eo offendit, quod praecedenti versu *fertur* legitur. Repetitiones eiusdem verbi brevi intervallo a poetis positi plerumque longe alius sunt generis, quam quae h. l. deprehenditur. Huc accedit, quod in codd. alia leguntur, et in Ed. Pr. quidem *Ut patris ademptum — servet*, ubi vero neque *ademptum* neque *servet* probari potest, illud propter *detonsum* proxime sequens, hoc propter *mitteret*; in R. Helmst. *serum*, cui altera in cod. Helmst. manus appinxit *sectum*; deinde in R. *Furtimque arguto*, Helmst. Ed. Pr. *furtim atque arguto*. Pro *fer-*

Digitized by Google

ret, cuius proinde nulla e codd. est auctoritas, restitui *sacrum*, eadem ratione explicandum qua Ovidius in hac ipsa re dicit (Metam. VIII. 86. *fatali nata parentem Crine suum spoliat*). Hinc omnino *sacrum* de eo dicitur, quod violare est nefas; Lucan. IX. 982. *Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae* Pompeii, qua ratione etiam explicandus est idem Lucanus VIII. 669. *Ac retegit sacros, scisso velamine, vultus Semianimis Magni*. Quo iam posito apparet porro, copulis *atque* vel *que* in vs. seq. locum non esse, et ex *Furtimque arguto*, quod in R. prostat, emendavi *Furtiva*, quae vox de Scylla eo maiori iure dici potest, quod de amore clandestino sermo est. Iam vero illud adiectivum non tantum ad *mitteret* referendum est, sed potius omnem rationem indicat, qua tum Scyllae esset agendum (Ramshorn. Gr. Lat. p. 297. Adde Virg. Aen. VII. 660. *quem Rhea sacerdos Furtivum partu sub luminis edidit oras*). Verborum ordo iam hic est: *Ut mitteret, ah demens!* (pro quo in Helmst. est *ademens*) *furtiva sacrum crinem detonsum de vertice patris hosti arguto.*]

185. *Furtimque a* Aldd. *arguto hosti*. Dictum esse necesse est pro vafro et callido. *astuto* quoque Heins. coni. Scaliger videtur pro pulcro, formoso, accipere. Expectabam epitheton Minois gentile vel patronymicum: *Gnosiaco*, *Dictaeo*. *ademtum mitteret* ms. Basil. Ita melius: *crinem de vertice ademtum Furtim*.

186. *conditio miserae proponitur*. Lectio haec ex Aldina fluxit. Vett. edd. *nisi rapto opponitur*. Alii c. *raptori opponitur;* unde Scaliger, etsi vulgatam non damnabat, coniiciebat: *Namque haec condicti ratio proponitur una:* quod elegantius esse nemo non videt; nam iis, quibus arcem aut urbem prodituri sunt, proditores *condicere* et *constituere* recte dicuntur. Barthius *miserandae opponitur* tuetur; parum scite. Heins. *conditio miserae proponitur una* vel *ultro Criminis ignarae;* et ex Basil. ms. vestigiis *nisi apto opponitur una* refingit: *Niseidi ponitur*. [* In edd. vulgg. haec leguntur:

Namque haec conditio miserae proponitur una,

pro quo in codd. alia leguntur, et in R. quidem *nisi ereptae ponitur*, Helmst. *nisi crepto ponitur*, A. *raptori opponitur*, Ed. Pr. *nisi rapto opponitur*, de quibus lectionibus priusquam iudicare possimus, omnis loci sententia probe est dispicienda. Poeta scilicet causam in his vss. explicare voluit, quae Scyllam ad tantum scelus permoveret. Illa vero nulla alia esse potuit, nisi ut crine patris ad Minoem misso huius amorem sibi vindicaret. At, quaerere quis possit, unde Scylla cognoverat, hac ratione voti sese compotem fore? Apud Ovidium quidem ipsa puella ad hoc consilium pervenisse traditur, ubi igitur mera amoris libidine concitatur, et una suae culpae causam in se gerit. Ab hac vero impia mente abest noster poeta. Nam verba *sive illa ignorans* clare demonstrant, Scyllam nesciisse, quantum et quam irreparabile damnum crine abscisso et patri, et patriae, et sibi inferret. Ad illam igitur supra a nobis prolatam quaestionem ita iam respondendum est, ipsum Minoem Scyllae huius consilii auctorem fuisse. Verum quidem est, poetam hic quaedam omisisse, quae narranda fuerunt, quo modo scilicet Minos oppugnator Scyllae in urbe inclusae hoc persuadere potuerit. At infra aliis in locis videbimus, poetam nostrum in partibus carminis nectendis iusto celeriorem esse multaque, quae fusius commemorare ipsius erat, lectoris iudicio reliquisse. Sed in nostro loco quaedam insuper vestigia nos eo deducunt, aliquod pactum inter Minoem et Scyllam factum fuisse; et primum quidem verba huius ipsius versus *conditio* sc. matrimonii, et *ponere*, deinde vero vox *argutus* in vs. praeced. quae ut etiam alibi significat *callidus* (Heindorf. ad Horat. Sat. I. 10, 40.). Qua alia vero via Minos calliditatem hic aliquam promere potuit, nisi ut Scyllae crinem abscindendum persuaderet. Minos igitur, quum Scylla ei suum amorem confiteretur, se virginem in

Digitized by Google

matrimonium ducturum esse promiserat (v. potissimum vs. 413. qui nulla alia ratione explicari potest), dummodo Scylla sibi patrium crinem traderet. Iam vero scire potuit puella, quid inde sequeretur, vel nescire, quod poeta noster sumit. Scyllam illud scivisse, poeta dubitanter modo ponit (vs. 183.), unde etiam *seu* semel positum excusatur. (Ilgen. de Copa p. 54.) His, quae ad totius loci intelligentiam necessaria fuerunt, praemissis de versu nostro agere licet, quem, ut nunc legitur, interpolationis crimine non liberari posse, docent codicum lectiones ab Aldina 1517. nimium quantum recedentes. Et ex illis quidem ad loci nexum nihil magis quadrare videtur, nisi ut legamus:

Namque haec conditio DECEPTAE *ponitur una.*

Decepta scilicet fuerat Scylla ab Minoe *arguto*, qui ut par est incolumitatem et ipsi et patri et penatibus promiserat. *Ponere* vero tali in re suo iure dici ostendit Heusingerus ad Cic. Off. III. 22. p. 734. „offerenti opera„ram ac pretium paciscenti *ponitur* seu constituitur magis praemium, quam „*proponitur*. Conf. Cort. ad Sall. Cat. XX. 14. Drakenb. ad Liv. XXXIX. „17, 1." Idem est quod alibi *conditionem ferre* dicitur (Cort. ad Cic. Fam. VIII. 14, 7.). Notandum insuper est, poetam in voce *conditio* ludere, quae legitima est et solennis in nuptiis (v. Gesner Thes. L. L., Ernesti in Clav. Ciceron.), et sensus iam est: Minos dixit, sub hac una conditione sese Scyllam in matrimonium ducturum esse. Quia vero hoc matrimonium ipsi Scyllae fuit exoptatissimum, *ponit* Minos illam conditionem crinis abscindendi. Paciscebantur enim Minos et Scylla, haec crinem datura, ille nuptias. Pro *arguto* Bothius coni. *Argivo.*]

187. In seqq. iterum lacinias ab ineptis poetastris assutas agnoscere mihi videor. *quis enim non omnia malit Credere* coni. Heins. [* *quisve bonus* R.]

188. *tanto scelere* etiam Aldina. Alii *scelere tanto.* Barthius coni. *sceleri*, non male, ut parti, capiti, et alia sexto casu occurrunt. Multo tamen magis obvium est refingere: *tanti sceleris.* Sic quoque ed. Iunt. et Ascens. Eadem Heins. tentat; et, *scelere infamare.* [* *tanti sceleris* A. unde recepi, cum vulgo legeretur *tanto scelere*, quod propter argumenta metrica ferri nequit (v. Schneideri Gr. Lat. P. I. Vol. II. p. 753. sq.). Praeterea usus etiam loquendi genitivum commendat, qui verbum *damnare*, ubi *arguendi* significationem habet, fere sequitur. (Ovid. Rem. Amor. 3. Cic. Att. VII. 12.)]

189. *Tu tamen* malit vir doctus Misc. Obss. IV, p. 321. *prudentia* Ald. ed., quod Graevius probabat; tum ante illam *potest*, et mox *N. pater cum quo d.* [* *prudentia* R. Ad *infelix* supplendum *es*, quae secundae personae omissio interdum invenitur. (Gronov. diatr. Stat. T. I. p. 425. ed. Lips.)]

190. [* *Nisi* Helmst. a m. pr. *Nise* idem a m. s. — *cum quo rapta*, A. *cum quo direpta*, Ed. Pr.]

191. *Vixerat una semper* vitiose scriptum ante ed. Ald. [* *Vixerit* R. *vixerat* A. Ed. Pr. *superque sedens* A.]

192. *conscendere* vett. ante Aldinam cum Basil. ms., in quo et *exstincto.* [* *extincto* Helmst. a m. pr. — *consedere* R. Helmst. *conscendere* A. Ed. Pr.]

193. Ineptus versus. *Tu quoque avis moriere:* tu, o Nise, in avem mutaberis ante diem supremum. *filia* tamen *tibi poenas dabit*, quippe et ipsa in avem mutata, quam haliaeetus pertinaci odio persequitur. Sed totus locus a mala manu interpolatus est, ut otium in eo castigando perdere pigeat. [* Abesse possit hic versus; non nego. Interpolationem tamen non agnosco, siquidem adverbium *quoque* ex vss. seqq., quos in universum recte cepit Heynius, est explicandum.]

Digitized by Google

194. [* *eo* Helmst. *sub nisae* R. *subnixi* A. Ad explicandam huius vocis significationem inservit potissimum Cic. Somn. Scip. 6. p. 490. ed. Orell. *Cernis — terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis; e quibus duos maxime inter se diversos, et caeli verticibus ipsis ex utraque parte* subnixos, *obriguisse pruina vides.*]

195. *Aera quae* coni. Heins. [* *fucosque* Ed. Pr. *Luci sonantes* desumti sunt ex imitatione Virgilii Eclog. X. 58.]

196. *vagae laudate v.* ms. Helmst. [* Sic etiam R.]

197. *Usque adeo* vett. edd. cum ms. Basil., et mox *Vix o crudelis;* hoc *crudelis* etiam ms. Helmst. Loensis corrigebat *Atque adeo.* [* *Utque adeo* A. — *humanos* scripsi ex R. quum vulgo *humani* legeretur, et in Helmst. *humanae.* Constat vero, quoties adiectiva a suo substantivo remota alteri apponantur, cui minus conveniunt. Virg. Aen. VI. 2. *Euboicis Cumarum oris* pro *Euboicarum.* Cfr. Walch. ad Taciti Agricol. p. 138. — De *adeo*, quae particula h. l. ulteriori est explicationi, v. Horat. Tursell. p. 36. Hand. Horat. Tursell. I. p. 145.]

198. *crudelis* ms. Basil., saltem *crudeles.* — Hoc versu melius carebit carmen. [* *Vix o* A. *Vox* Helmst. a m. pr. *Vos* idem a m. sec. — *crudelis* Helmst. A. Ed. Pr. *crudeles* R.]

199. *crudele.* Praeclare Scaliger emendat: *gaudete;* quod et Heins. probat, nisi quod tentat: *Dauliades querulae, venit en c.* Mox *numerumque sororum* coni. Barthius. [* *gaudete* scripsi e Scaligeri emendatione, quum vulgo legeretur *crudele*, quod nemo similibus illis intercalationibus *miserum*, *indignum* excusaverit. Nam hae eo ipso a nostro loco differunt, quod sunt in media oratione positae; nostrum vero *crudele* contra omnem loquendi usum orationi praemittitur. Scaligerum iam secutus fuerat Iahnius. — *nobis* R.]

200. [* *Cognatos augens reges* explicantur verbis *et ipse pater.*]

202. *praeverrite* em. Heins. *in aethere* Io. Schrader., probe. [* *pervertite* R. Ceterum hic locus emendatione Schraderi per se satis languida non eget, quum *praevertendi* verbum praegnanti sensu sit positum, *praevertite nubes* et volate *in aethera.* Poeta enim Philomelam et Procnen hortatur, ut nubes, quae inter terram et verum aethera expanduntur, (memineris Avium Aristophanis) transgressae Haliaeeto et Ciri viam in aethera monstrent, praeeant. De verbo *praevertendi* in universum multa collegit Cortius ad Lucan. IV. 163. Praegnantiae notionem in simili verbo erudite illustravit Walchius ad Taciti Agric. p. 406.]

203. *novus ad superum sedes Haliaeetus* vere utique a Scaligero restitutum arbitror, ut ab eo iterum discessisse editores mirer. In idem acumen iam ante Nic. Loensis VIII Miscell. Epiphyll. 26 inciderat. Heins. tamen: *ad sedes superum Alcathoeius heros.* [* *Haliaeetus* pro vulgato *Calcheius* cum Iahnio recepi. — *et aqua* R. Helmst.]

204. *accedat* idem Loensis, probat Heins. Forte lenius foret: *et qua Candida concesso succedat Ciris honore*, scil. ad superum sedes. [* *ascendunt* Helmst. a m. pr. *ascendat* idem a m. sec. Variatio constructionis in verbo *adscendere* modo cum accusativo modo cum praepositione *ad* iuncto multis similibus locis defenditur, in quibus praepositio priori substantivo addita ante posterius omittitur. Burm. ad Claudian. IV. Cons. Honor. 207. Garat. ad Cic. Phil. VII. 7. Walch. ad Taciti Agric. p. 361. — *Honor* vero mutatio Scyllae in avem dicta est, quia non tam poenae quam misericordiae causa facta est ab Amphitrite; v. infra vs. 480. sqq.]

205. *devictus* vett. ante Aldinam. Utrumque ferri potest: melius tamen *devinctus.* Nimis nota haec sunt quam ut verbum addere necesse sit. Iam Homer. Od. ψ, 17 ἐπέδησε φίλα βλέφαρα — ὕπνος. [* *devinctus* Helmst. A. *devictus* R. Ed. Pr. Sed v. Hand. ad Statii Silv. T. I. p. 326. sq. De formula *iamque adeo* v. idem in Horat. Turs. I. p. 146.]

Digitized by Google

206. *primas Excubias* coniiciebat Lindenbruchius, ut temporis esset, non loci, notatio.

207. *ductabat* Heins. ad Ovid. Fast. III, 245. *Iactare* tamen praestat, quia studio *inani.* v. Not. Ecl. II, 5 *haec montibus et silvis studio iactabat inani.*

208. [* *tacio* R.]

209. [* *erectis* R. et Helmst. a m. sec. quum prima scripserit *ereptus.* Cfr. Virg. Aen. I. 152. II. 303. XII. 618.]

210. [* *Et primum tenuem* A. Ed. Pr.]

211. [* *suspensa*, v. Lindenbruch. ad h. l. et Drakenb. ad Sil. Ital XV. 617. — *primis digitis egredi*, auf den Zehen herausgehen. *Primum* enim est id quod in aliqua re summum est. v. Catull. II. 3.]

212. [* *videnti* R. Vide inprimis Böttigerum in Sabina II. 60. coll. I. 312. sq.]

213. 214. *ac d.* male Heinsiana et aliae edd. *testantur* nescio quis primus intulerit; video iam in Pithoeana. Ita *vires demtae testantur* iungenda sunt. Subita, ut in ardua re, prae metu, virium defectio prodit consilium eius occultum. Vetus lectio est, etiam Aldinarum, *testatur*, ita oratio sic procedit: *At* (Scaliger sic malebat *Ut*, simulac) *demtae* (sunt) *subita* (nam *in* sublatum malo) *formidine vires. Caeruleas* (scil. illa) *sua furta prius testatur ad umbras*, vota facit ad deos, quod vss. 217. 218 disertius exponitur. Sic alias precantur homines *ad auras. Umbras caeruleas* dixit ut *νύκτα κυανέην, κυανέαν ὄρφναν.* [* *aut* R. Helmst. *ac* A. Vulgata iam legitur in Ed. Pr. — *in formidine*, v. ad vs. 109. Bothius coni. *bidenti Ut vadit: demtae subita form.* — *testantur* Helmst. De *caeruleas* v. ad vs. 37. Nocti quasi narrat Scylla quae iam est factura, utpote quae ita sit concitata, ut linguam comprimere nequeat. Simul vero etiam Diis vota facit; siquidem ipsa in facinore perpetrando felix futura esset. *Testari* vero dixit pro *narrare*, ita ut notio gravitatis sit illi voci addita (Virg. Aen. VIII. 346. *Testaturque locum et letum docet hospitis Argi*), et *umbrae* propter *noctem* supra vs. 209. memoratam non nimis audacter pro hac ipsa dicuntur. (v. Cort. ad Lucan. I. 579.)]

215. [* *testatur semita* A. Bothius coni. *Iam qua.*]

216. [* *remoratus* R. Helmst. a m. pr.]

217. *ad culti* primum ab Asculano excusum video, pro vitioso *ad coeli.* Cultum mundum de caelo dici posse non infitior; tamen id orationem male affectatam sapere videtur. Malim [* cum Schrad.] *ad celsi — mundi;* hoc et Heins. coni. Tum *nictantia sidera* cum Scaligero [* Schrad.] et ms. Basil. praeferam, scintillantia. Alius est *mundus pondere nutans* in Ecl. IV, 50. Heins. *rutilantia.* [* Legebatur hucusque: *et altum Suspicit ad culti nutantia sidera mundi*, cuius lectionis auctoritatem iam a VV. DD. vario nomine labefactatam evertit denique varietas scripturae in codd. obvia. Etenim pro *altum* legitur in R. Helmst. *alti*, et pro *culti* in R. A. Helmst. Ed. Pr. *caeli* vel *celi.* Quod ex hac ipsa lectione VV. DD. procuderunt *celsi*, consuetudini linguae Romanae adversatur, qua *celsus* tantum de iis rebus dicitur, quae ex ipsa terra exsurgentes altitudine sua super alia eminent, neque unquam *celsum coelum* sed ubique *altum* dicitur. Hinc certissima est mihi persuasio *alti* pro *altum* esse reponendum (Virg. Ecl. IV. 7. Georg. IV. 227. Aen. IV. 692. V. 542. 727. VII. 141. etc.), quum etiam h. l. *altum suspicere* qua de causa Scylla dicatur non appareat, sed simplex verbum *suspicere* sufficiat. Alia est ratio in vs. 7. Quando vero *mundus* hic *altus* dicitur, sequitur, omne aliud epitheton, quale esset *culti* vel simile, (Wakef. coni. *fusci*,) ferri non posse, et nisi fallor, *coeli* explicationis causa voci *mundus* (v. ad vs. 7.) ab librario aliquo additum in versum postea receptum effecit, ut genuina aliqua vox eiiceretur, quod iam supra factum fuisse vidimus ad vs. 93. Iam vero dispiciendum est, qualis fere vox (hic enim non nisi de

Digitized by Google

probabilitate critica sermonem esse posse non est quod demonstrem) illa fuerit, quae prius haec legeretur, quod diiudicari tum tantum potest, quum *sidera nutantia* accuratius inspeximus. Et quum hic in codd. nulla varietas inveniatur, nisi quod solita confusione (Drak. ad Sil. VI. 334.) in R. Helmst. a m. pr. *mutantia* legitur, VV. DD. *nutantia sidera* iure suo non concoquentes in varia inciderunt, in quibus refutandis iam ea de causa morari nolo, quod vulgatam lectionem, dummodo recte interpreteris, utique sanam esse auguror. Ut enim *sidus* et *sidera* interdum apud optimum quemque poetarum de *Sole* dicitur (v. Horat. Od. III. 1, 32. Ovid. Met. XIV. 172. *sidera Solis*, Weichert. epist. crit. p. 66. sq.), ita etiam *Lunae* significationem induit, quod et analogia et exempla probant. Ita Propert. I. 1, 23. *Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes Posse Cytainis ducere carminibus*, ubi *sidera* de una *Luna* intelligenda esse docet *deductae fallacia lunae* paucis vss. ante commemorata et praeterea ipsa superstitio veterum, qua non stellas sed Lunam modo per veneficia magica coelo in terram deduci credebant (Intpp. ad Virg. Ecl. VIII. 69. Tibull. I. 8, 21. Propert. l. l.). Plinii H. N. VIII. 54. s. 80. *Luna cava (simias) tristes esse, quibus in eo genere cauda sit, novam exsultatione adorare: nam defectum siderum et ceterae pavent quadrupedes.* Illo igitur, ut videtur, satis comprobato, *sidera* esse lunam, ad verbum *nutare* progrediendum est, quod de Lunae cornibus non hoc tantum loco dicitur. Ita enim ap. Calpurn. Ecl. I. 79. legitur: *ut liquidum nutet sine vulnere sidus*, Gronovio in diatr. Stat. T. I. p. 354. ed. Lips. ita locum tacite e codd. emendante. Inprimis vero comparatio linguae Graecae est instituenda, de qua v. Arati vs. 788. (ἦν δὲ Σελήνη) Μήτ' ἐπινευστάζῃ, μήθ' ὑπτιόωσα φαείνῃ, Ἀλλ' ὀρθὰς ἑκάτερθε περιγνάμπτουσα κεραίας κ. τ. λ. ubi v. I. H. Vossius. Nunc tandem de lacuna illa explenda cogitare possumus, et quum aliquid in textu reponendum esset, nihil aptius mihi est visum, nisi ut *Lunae* inferrem. Ut enim supra *sidera Solis* ex Ovidio attulimus, ita idem de Luna dici potest, et ipse auctor Ciris vs. 37. eadem locutione usus est: *candida Lunae sidera*, ubi v. adnot. Inde etiam optime demonstratur quo modo vox genuina expelli et glossema intrudi potuerit. Nam librarius *sidera Lunae* non intelligens hanc ipsam vocem ut superfluam eiecit, quum iam *sidera* sufficere viderentur, et quod ab alio librario adscriptum vidit *coeli*, securus recepit. Duo vero substantiva ab eodem nomine pendentia recte dicuntur, et hic quidem eo magis, quod *sidera Lunae* periphrastice tantum pro ipsa Luna dicuntur. Cfr. Cort. ad Cic. Fam. I. 7, 22. p. 24. Heusing. ad Cic. Off. I. 37, 2. p. 307. sq. Ruhnken. ad Vell. I. 17. Ramshorn. Gr. Lat. p. 175, 2. Liceat vero hic denuo verba Aeneidos IX. 402. iam ab Heynio ad vs. 7. laudata in memoriam revocare. Qui tamen *caeli* retinere velit, illud ita defendere possit, ut *caeli* pendeat a *mundi* i. e. *ad sidera mundi caeli alti*, coll. Ennii loco supra ad vs. 7. a me laudato. Nihilominus vero meae coniecturae tum me non poeniteret.]

218. *piis diis.* Greene: *a whimsical expression; it should be: pie.* Dubitare non debebat: si meminisset vel illud Aen. IV, 382 *si quid pia numina possunt*, h. benigna, bona. [* *permittens* A.]

219. *Carme* scribendum, non *Charme.* Est *Κάρμη*, non *Χάρμη.* [* *Charme* A.]

221. [* *Marmorea* R. *tardo* Helmst. *Limen marmoreum* etiam legitur ap. Horat. Epist. I. 18, 73. et *limen* in universum h. l. de ianua eo magis intelligi potest, quod limen et de superiori et inferiori eius parte dicitur.]

222. *obsessam languore* coni. Iacobs; ut saepe poetae *malis obsessum* dicunt aliquem. [* *Languor* hic, ut saepe, de morbo est intelligendus; v. vs. 181. Ita apud Ovidium Metam. XI. 612. *soluta membra languore.*]

223. *Et famulo nobis* ms. Helmstad. *carum caput* malit Io. Schrader.

Digitized by Google

pag. 58 Emendatt. *caput alumnae* Aldina et hinc edd. Fabric. et al., male. [* *Famulo* etiam in R. quod quis inde exortum esse putaverit, ut a poeta scriptum fuerit: *Et famula, o.* Sed quum A. Ed. Pr. Ald. 1517. vulgatam retineant, *famulae* autem notio post *anus* vs. 220. nimis ieiuna et superflua videatur, et conditio, qua Carme tum fuit, infra vs. 289. 290. diserte exponatur, scripturam, quae hucusque obtinuit, immutare nolui. *Et simul* legitur ap. Virg. Ecl. VI. 33. *Sacrum* vero caput omnino est venerandum, et *nobis* ut *mihi* ex notissimo linguae Graecae usu ita additum est, ut eo pronomine propior quasi conditio inter compellantem et compellatum indicetur (Vechner. Hellenol. p. 174. et inprimis p. 177. cum n. editor. Argentor. De Graecis v. potissimum Matthiae Gr. Gr. §. 389. ed. II.) *Caput* denique pro ipso homine dicitur. (Vechner. Hellenol. p. 506.)]

225. *Aegroto tenui* et *tenuis* edd. vett. cum ms. Basil., sed emendatius dedit Aldina. [* *Aegroto* Helmst. A. Ed. Pr. *tenuis* A. *suffundit* Helmst. A. Ald. 1517. Sed vulgatam huius versus lectionem ubique retinet R. et ex parte saltem Ed. Pr. quae *tenui suffudit* praestat. De ipsa *suffundendi* voce v. Gronov. diatr. Stat. T. I. p. 83. ed. Lips. ubi Handius *suffudit* recte praetulit. *Pallor* vero *viridis* h. l. et Cul. 142. dicitur, ut *luteus* ap. Horat. Epod. 10, 16. et *luridus* ap. Ovid. Metam. IV. 267. Adde Geel. in Bibliotheca Crit. Nova Vol. V. P. I. p. 251.]

226. *hanc faciem* e Pithoeana in edd. Plantin. et alias venit: ab emendatione viri docti utique profectum. Vetus lectio etiam Aldinae cum ms. Basil. erat *hoc faceret:* quod facile cum Scaligero refingi poterat: *Nec levis hoc facere (neque enim pote) cura subegit;* nec levis amor te ad hoc faciendum adegit, ut noctu surgeres. Greene: *Non levis, ut faceres quod non pote, cura subegit.*

227. *quod te potius Rhamnusia fallit.* Qui sensus inde elici possit, non video. *fallat* Loensis l. c. emendat. Basil. ms. *fallor.* In Iunt. et aliis *fallar*, et hoc Scaliger retraxit, ut sit: *Haud fallor; quod te potius, Rhamnusia, fallar!* omisso: *precor;* hoc est: quod potius te precor, Rh. Nemesis, ut fallar. Alii poetae simili more dicerent: *Haud fallor: quanquam o potius Rh. fallar!* Heins. *atque o potius, Rh., fallar!* Io. Schrader. Emendatt. [* coll. Virg. Aen. X. 628.] pag. 60 *quod ut o potius, Rhamnusia, fallar!* Porro *Amathusia* coni. Markland. ad Stat. V. Silv. 3, 258. [* Legebatur hucusque:

Nec levis, hoc faceres (neque enim pote), cura subegit:
Haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit.

Quibus in versibus, qui, ut nunc leguntur, sensu carent, haec est lectionis varietas. Pro *faceres* scribitur in R. A. Helmst. Ed. Pr. *faceret*, pro *haud* in R. Helmst. *aut*, pro *quod — fallit* in R. *quod .... potius — fallor*, Helmst. *quod ita pocius R. fallor;* in A. Ed. Pr. nulla hic est varietas, nisi quod A. habet *fallat.* Quodsi iam has scripturae discrepantias inspicimus, dubitari non potest, quin *faceret* sit reponendum, unde hic sensus prodit: pallor tuus non est causa levis alicuius *curae* i. e. amoris (v. ad vs. 74.). Statim igitur hoc perspexerat Carme, Scyllam misero aliquo amore torqueri (cfr. vs. 240. sqq.), unde apparet, perperam coniecisse Marklandum *Amathusia*, quia sic poeta eandem sententiam repeteret atque, ubi secundo loco eam exiliorem proponit, magno et inutili verborum ornatu oneraret. Scripsi ea de causa *Nec levis hoc faceret (neque enim pote) cura.* Ex hoc igitur versu restat nunc verbum *subegit*, cuius subiectum nullum aliud esse potest, nisi *Rhamnusia.* Nemesis vero Scyllam *subigere* dicitur, quatenus eam nefario aliquo amore imbuit, quem Carmen suspicari, statim sequentes versus ostendunt. Carme igitur inde, quod Scyllam noctu ante patris cubiculum vigilantem deprehendit, eam impio in patrem amore accensam putat, quem ipsum per Nemesin quacunque de causa puellae iratam in eius mente ortum fuisse. Quem punire vult ob

Digitized by Google

arrogantiam vel aliam ob causam Nemesis, ei mala suadet consilia, quae postea ipsa ulciscitur. Malam omnino sortem destinaverat Scyllae Nemesis (Ammian. Marcell. XIV. 11. p. 34. ed. Ern. *Haec Nemesis, ut regina causarum et arbitra rerum ac disceptatrix, urnam sortium temperat*). Pro *quod te — fallor* cum Schradero scripsi *quod ut o — fallar*, quae emendatio lectionibus codicum quamvis corruptis firmatur, et locus ita est capiendus: *non levis amor hunc pallorem efficeret, neque enim efficere posset: subegit te Nemesis; haud ego fallor, quamquam utinam potius fallar*. De *quod ut* v. ad vs. 149. et verba malo ordine iuncta similibus locis defenduntur, qualis est Val. Flacc. V. 247. *Haec tibi, fatorum genitor tutela meorum Omnituens*, quae verba ita sunt struenda: *genitor omnituens, tutela meorum fatorum*. De hac synchysi adde Ramshorn Gr. Lat. p. 701, 5. Cort. ad Lucan. VIII. 343. Marklandi vero coniectura *subedit* pro *subegit* inde nata est, quod in ea, quam manibus tenebat, editione *faciem* pro *faceret* invenerat. Scaligeranam denique coniecturam tribus verbis refutavit Schneiderus in Grammat. Lat. P. I. Vol. II. p. 754.]

228. [* *quae* R.]

229. [* *gravidus* Helmst. *ceteris* R. A.]

230. *Qua caussa* Aldd. *quae* in al. [* *Quae causa*, ita scripsi e R. (ubi *que*) Helmst. Ed. Pr. cum vulgo legeretur *qua*. Intellige: *quae causa tibi est?* Nominativus infinitivi pro genitivo et in aliis locis legitur. Cfr. Tibull. III. 2, 30. *dolor huic et cura Neaerae, coniugis ereptae, causa perire fuit*. Adde Ramshorn. Gr. Lat. p. 423, 1. Vechneri Hellenol. p. 265. sq. In sq. R. *sola invigilare*.]

231. Ergo *pectora requiescunt*, faciunt quiescere, *curas fessas*: cum ipsa sint *fessa*. Alioqui *fessae mortalia pectora curae* coniicerem: *ipsae curae fessae pectus* quieti se dare concedunt. [* Wakef. coni. *cessant — curis*, coll. Lucan. IV. 24. De utroque versu nuper egit Frider. Iacob ad Propert. p. 164. sq. cui tamen de sensu verbi *requiescere* assentire nequeo. Auctor Ciris Virgilii locum paullo audacius est imitatus. Pro *rapidos* in Helmst. legitur *rapidos*.]

233. *nunc tandem* malebat Iacobs. [* *Miseram* recte se dicit Carme, cui cura demandata est Scyllae, quae si cum fortuna adversa conflictatur, nutrix quoque felix esse non potest. *Misere* A. *saltemque saepe* Helmst. *quid saepe* edidit Wakefieldus.]

234. [* *nihil esse* explicandum est ex locutione illa *aliquid esse*, etwas zu bedeuten haben. Vid. infra ad vs. 330. — *parenti* A.]

235. *morerere*. Ita etiam Ald. *mori* de vehementis amoris aestu ac tabe non ignoramus, sed ab h. l. alienum est. Edd. Iunt. de Tortis et aliae *remorere*. Loensis l. c. emendat *remorare*, sed tota sententia laborat. Pro *cum* leg. *cur* et sic totus locus constituendus: *Dic age nunc saltem miserae, quod saepe petenti Iurabas nihil esse mihi: cur moesta parentis Formosos circum virgo remorare capillos?* h. e. Nunc saltem mihi dic, cur circa parentis comam haereas? id quod quoties adhuc ex te audire volui, tu mihi iurabas, *nihil esse*. Sumtum hoc ex vulgari sermone. *Formosos capillos* dixit pro uno aureo crine. Sed multa in hoc carmine vix cum delectu posita. Ita mox *furor cepit ocellos*. [* *morere* Helmst. a m. pr. *remore* A. *Mori circum capillos* ex Graeco (*ἀποθνήσκειν ἀμφί* vel *περί τι*) sumtum videtur, ipsam *moriendi* significationem iam Heynius perspexerat; de praepositione *circum* v. Horat. Tursell. p. 142, 4. ed. Schwarz.]

236. [* *Heu michi* A. Sed v. Bentl. ad Horat. Epod. XI. 7. Huschke ad Tibull. II. 6, 28. — *tuus* A.]

237. [* *Arabae* R. *arabee* Helmst. Vulgo *Arabis*. Sed v. Virgil. Aen. VII. 605. *Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum Hyrcanisve Arabisve parant*. adde Heins. ad Ovid. Heroid. XV. 76. — *mirrae* R. *mirra* Helmst. *mirrhe* A. *coepit* R.]

Digitized by Google

238. *sinit*, siverit, ait Scaliger, ut *edit* apud Horat. pro edat. *sirit* antiquum, ut apud Plautum et Catonem occurrit, detortum fere in *sinit*, h. l. metro repugnat, omninoque malim *sinat!* hoc etiam Loensis protulit Epiphyll. VIII, 26. Et Graevius emendaverat cum Io. Schradero. [* Confiteor haec verba *quod nec sinit Adrastea* mirum quantum languere. Nam quum *nec* h. l. nihil aliud significare possit, nisi *ne — quidem* (quodsi enim pro simplici *et non* dictum putare vellemus, scribendum fuisset *nec quod*) sensus inde oritur, ceteros Deos hoc scelus non laturos esse, et ne Nemesin quidem, quasi haec alias tale scelus patiatur. Notum vero est, Nemesin punire scelera hominum, unde etiam apud Graecos νέμεσις saepe simpliciter pro *vindicta* dicitur. Maxime vero hemistichion illud posterius friget post vocem *infandus*. Nam quod *infandum* est, Nemesis etiam ferre nequit. Hinc adducor ad suspicionem, aliquid corruptelae in his verbis latere, sive illa omnino sint interpolata sive per librariorum culpam corrupta. Et ut illi magis quam huic opinioni accedam, permovet me auctoritas codicis R. in quo verba *sinit Adrastea* vere absunt, ut inde interpolationem aliquam sumere possimus. Ceterum scripsi *Adrastea* ex Helmst. (in quo *sinita tristea*) A. Ed. Pr., quum apud Heynium fortasse errore tantum typographico scriberetur *Adrastia*. Cfr. VV. DD. ap. Burm. ad Propert. 361. et Ellendt. ad Cic. Brut. 4. §. 15. p. 19. sq.]

239. *Ludere* malit Scaliger: non ego. Incesto huic amori et adulterio gravius verbum quaeritur. [* *una* A. *imo* Helmst. Ceterum in h. v. Scaliger pariter atque Heynius errarunt, ille Myrrhae parentes, hic Nisum et Carmen intelligendo. *Uterque parens* vere interpretandum est de Niso eiusque uxore (cuius nomen nobis ignotum) Scyllae matre; utrumque vero Scylla laesit, quamquam mater iam mortua fuit, adulterio quod cum patre inscio committere voluit.]

240. *animum* melius legi unusquisque facile intelligat. *animos* coni. Io. Schrader. Scaliger malebat *nimio iactaris amore*. Barthius: *Quodsi animo quovis alio iactaris amore*. Heins. (Misc. Obss. Vol. IV, p. 223) *animos* vel *amens*. [* Heynius recte perspexit *Quodsi* et *si* per epanalepsin esse explicandum; v. supra ad vs. 12. — *quovis alio* R. Legebatur vero hucusque hic versus ita:

Quodsi alio quovis animo iactaris amore

ubi vero R. Helmst. *animis — amorem*. Intpp. in ea scriptura acquieverunt, quae iam in Ed. Pr. A. et Ald. 1517. stabilita varias tamen difficultates praebet. Primum enim illa utriusque praestantissimi codicis scriptura difficilior est et obscurior, quam ut eam sine ulteriore disquisitione vel errorem vel interpolationem librarii habere possimus, et tum duplex ille ablativus *animo — amore* ab elegantia poetae nostri nimis recedit. *Amorem* vero ea de causa ab interpolatoribus obliteratum esse videtur, quod, si iste ablativus scriberetur, nesciebant, quo referendum esset *alio quovis*, et *animis* fortasse propter ingratum, ut putabant, homoeoteleutorum concursum in *animo* mutarunt. Aio autem, lectionem codicis R. Helmst. utique esse revocandam, hac scilicet a me proposita explicatione. *Alio quovis* non sunt ablativi sed adverbia loci, in alium quemcunque locum; *quovis* legitur etiam ap. Terent. Heautont. V. 1, 55. et eadem significatione *quoquam* ap. Lucret. IV. 505. ubi Forbigerus insuper laudavit I. 429. Adverbium *alio* autem cum aliis adverbiis loci non nimis raro coniungitur; ita ap. Horat. Sat. II. 1, 32. *usquam decurrens alio*, Cic. Att. IX. 17. *ex illius sermone statuam, Arpinumne mihi eundum sit, an quo alio*. Significatio vero huius ipsius adverbii, quae nostro in loco valet, eadem plane est ap. Horat. Epod. 15, 23. *Eheu translatos alio moerebis amores*, et ut in loco isto Horatiano *alio* pendet ab *translatos*, ita in nostro carmine adverbium pendet a *iactatos*, quod accusativum loci, quo quis iactatur, requirit. Virg. Ecl. V. 62. Aen. VII. 527. Addendum iam vero

Digitized by Google

a poeta nostro fuit, quae ista res esset, qua in alium quempiam hominem iactaretur, eaque de causa *amorem* adiecit, qui vere est accusativus absolutus, *amorem habens iactatum in alium quempiam*, ut nunc illam constructionem fere interpretantur. *Animis* denique, non *animo* poeta scripsit haud sine consilio, quia *animi* fere sunt generosae index indolis (V. Markland. ad Stat. Silv. II. 6, 13. p. 243. b. ed. Dresd.), et concursus syllabae *is* ter repetitus hodie neminem amplius offendet. Cfr. quae collegi in Iahnii Annal. Philol. Vol. IX. p. 28. ad Valer. Cat. Dir. 28.]

241. *Amathuntia* Iunt. et aliae: quod praefert Scaliger, etsi utrumque usitatum poetis. *nostri* vett. edd. cum Aldina agnoscunt: quod accipiendum: Venus non tam ignara mei, a me non tam aliena est: h. ego amoris non tam rudis sum. Consueverat enim illa cum Iove ex eoque Britomartin pepererat; sed Iunt. *nostra* dedit, idque Scaliger probat: non ita aversa mea Venere de amore iudico: *οὐχ οὕτως εἰμὶ ἀπειραφρόδιτος*. Capio. Durius tamen hoc: mea Venus non est tam rudis, h. e. ego in amore non tam rudis sum. [* *nec te* R. *amathisia* R. Helmst. *amatucia* A. *nostram* A.]

243. *concessus* vett. edd. cum Aldina tuentur; *confessus* ed. Iunt. et aliae: quod arripit Scaliger, ut sit amor, qui in confesso est, et quidem, ut recte Taubmann. explicat, abiecto omni pudore. Id per se bene dici nemo dubitet: Petron. 127 *Idaeo quales fudit de vertice flores Terra parens, cum se confesso iunxit amori Iupiter.* Enimvero non inhonesto amori operam et studium suum pollicetur nutrix: sed honesto et licito. Induxit viros doctos in fraudem *τὸ sin:* quod h. l. vulgo legebatur. At requiritur, quod in Aldd. habetur, *Si concessus,* quod interpretatur illud superius: *alio quovis amore:* scil. excepto illo incesto patris. Etiam Barthius Scaligerum refellit Advers. IV, 23. [* *Sin* A. Ed. Pr. *concessus* R. Helmst. Ed. Pr. *confessus*, si ex A. reciperetur, primum, ut iam alii viderunt, passive esset sumendum, deinde vero eo sensu, quem saepe participia praeter. pass. induunt, ut indicent, quod fieri possit, et *Amor confessus* diceretur is, quem quis confiteri potest, quem confiteri neminem pudeat. V. Walch. ad Tac. Agric. p. 352. *Notus* sc. mihi *ignis.* Ipsa enim Carme amorem experta fuerat. *igni* Helmst. V. Schneider. Gr. Lat. P. II. Vol. I. p. 229.]

244. [* *Dictynnae* omittit R. *numine* Helmst. *vino* idem a m. pr. sed *iuro* a m. sec. *iura* A. De structura vero verborum ex perpetuo linguae Latinae et Graecae usu perturbata v. Vechneri Hellenol. p. 574. sqq. cum not. Heusing. VV. DD. ap. Orellium ad Cic. Planc. 42. p. 237. De Graecis adde Matthiae §. 465, 3. p. 863. ed. II. Valcken. ad Eurip. Hippol. 604. Reisig. ad Soph. Oed. Col. 241. *Praesens* numen dicit utpote indicatura ab illo suum iusiurandum auditum iri.]

245. Vett. edd., etiam Aldd., cum ms. Basil. *P. d. quae dulce mihi te donat al.*, hinc Iunt. *P. d. dulcem mihi quae te d.*, de Tortis: *P. d. quae dulce mihi te d.* In promtu est: *Prima decus quae dulce mihi te d. a.* Videtur et Heins. sic coniecisse; sicque Io. Schrader. Quod nunc vulgo legitur, videtur a Pithoeo profectum. *quae*, *prima deum*, h. quae dea magna, potens inter ceteras deas, *donat* pro donavit. Aen. IX, 266 *Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido.* [* Legebatur: *quae te mihi dulcem.* Sed quia in R. Helmst. Ed. Pr. scribitur *quae dulce mihi te*, hoc ipsum recepi. *Dulce* i. e. in meum gaudium, de quo adiectivorum usu non ignoto v. Heins. ad Ovid. Amor. I. 6, 1. Adde Stat. Silv. I. 2, 74. ubi optimus cod. Vratisl. lectionem Aldi confirmat. *Prima* non simpliciter pro potens dictum est, sed Carme innuit, auctoritate Dictynnae suae quondam filiae Scyllam sibi alumnam in suum solatium datam fuisse.]

246. *digna atque indigna laturam* vett. edd. cum ms. Basil., corrupte. Emendatum dedit iam Aldina, ut dicat, se potius omnia *millia laborum esse visuram*, experturam (Propert. *At tibi curarum millia quan-*

Digitized by Google

ta dabit!) cf. inf. 520, *digna atque indigna* (cf. Aen. IX, 595), quam ut eam misero amore contabescere sinat. [* Pro *laborum* in A. Ed. Pr. legitur *laturam*, quod quum ab librario aliquo ad interpretationem vocis *visuram* adscriptum esset, postea in textum irrepsit et genuinam vocem expulit; v. supra ad vs. 93. 217. *Digna atque indigna* pariter legitur ap. Val. Flacc. II. 117.]

247. [* *Visuram* recte interpretatus est Heynius per *experturam*. Cfr. Markland. ad Propert. p. 11. ed. Burm. Pro *istis* Bothius coni. *isse*.]

248. *scoria patiar tabescere tali.* Recte Scaliger negat Virgilium sordida verba ex plebis fece huc infersisse. Heins. ingeniose: *te tam tristibus aegram Sordibus et cura.* Idem tentabat: *Filia*, *laturam*, vel *passuram:* nam in Basil. ms. *milio laturam.* Certo *scoria*, de metalli sordibus proprie dicta, an de morbi vel luctus squalore ab aliis dicta sit, ignoramus. Tum *scoria* ex *σκωρία* vel *σκωρεία* primam haberet longam. Possit quidem huic vitio ita occurri, ut dissyllaba vox *scorja* fiat; sed ipsa vox serioris grammatici et forte monachi, qui de scoria scabiei, qua vexabatur, cogitabat, manum redolet. Multo foedius vocabulum substituebat Reinesius Epist. ad Daumium Append. p. 332 *forica*, h. latrina. Barthius *carie*, Scaliger legebat: *scabre tabescere tali:* a scabres, antiquata voce. Sed, si antiquata inferenda sunt, possit alius *squale* coniicere, a squales, h. e. squalor. De veritate tamen scripturae ita non magis constat. Vetus edit. apud Loensem l. c. habebat *cilia*, ms. Helmst. *et sconia*, quod ad *scoriam* alludit. Nec tamen eo deveniendum erat poetae, ut casca tali voce uteretur; poterat enim scribere: *tali tabescere peste*, *tali liquescere tabe.* Vir doctus Misc. Obss. IV, p. 323 tentabat *cura* vel *senio; cura* quoque Heins. et Io. Schrader. Ex his vero corruptela ista enasci vix potuit. Verum omnino totus locus inde a 240 a seriore manu venit. [* Quum hucusque vulgo legeretur *scoria*, pro quo Helmst. habet *seonia*, restitui ego e R. *morbo*. *Sordes* de luctu etiam ap. Ciceron. Fam. XIV. 2. *iacere in lacrymis et sordibus.*]

249. Vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 323 tentabat: *ut se evelavit*, vel *molli ut se develavit:* nam nutricem detractum suis humeris tegmen puellae iniecisse. Recte. Annon vero sic nutrix ipsa erat velata? Ergo: ut illa erat veste amicta, puellam circumdat ea. Si quid mutandum, legam saltem *velarat.* Sed *velavit* defendi potest, quod praesenti tempore utitur, *circumdat.* Si *circumdabat* fuisset, necessario *velaverat* requirebatur. [* *Nec loquitur* Helmst. *velat* A. Particula *ut* non de tempore sed de statu est explicanda: eadem ratione qua Carme se velavit, Scyllam etiam circumdat.]

250. *intacta veste* Ascens. legerat.

251. *Quae prius in tenui steterat succincta corona.* Equidem totum versum sublatum velim tamquam assutum inepti hominis interpretamentum. *Coronam* ex *στεφάνη* pro strophio dictam esse posse putabat Scaliger; mox *cincta in strophio*, non satis latinum esse videns, *crocotam* ex ingenio substituit. Est sane ea muliebris vestis, sed palla pretiosa et opipara, qua in publico, quoties prodirent, usae sunt puellae, vix in thalamo, cum e lecto surgerent. Manet deinde vel sic illa scabrities: *in tenui succincta crocota;* etsi iungi posse video: stabat in tenui crocota, succincta. Defendit tamen Scaligeri acumen Ruhnken. ad Vellei. p. 347. Contaren. Var. Lect. 8. distinguit: *Quae prius in tenui steterat*, *succincta corona*, h. strophio, *in tenui veste.* Sed parum hoc rem expedit. *prius ut* edd. vett. ante Aldinam. [* *ut tenui* A. Ed. Pr. Praepositionis significatio iis illustratur, quae collegi ad vs. 109. neque a vero nimis recedere videor, putans poetam nostrum apud Graecum, quem imitabatur, poetam invenisse *ἕστη ἐν κροκώτῃ* (Pind. Isth. 6, 53. coll. Matth. Gr. Gr. p. 1140. ed. II. et quem hic laudat, Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 479.). Nam

Scaligerum secutus scripsi *crocota* quum antea legeretur *corona* quod nemo facile interpretari possit. Et *crocotam* quidem (de qua in universum Ferrarius R. Vestiar. III. 20. p. 241. sq. Ernesti Clav. Cic. s. h. v. egerunt, quibus addi potest Plautus in fragmento Aululariae vs. 11.) fere pretiosiorem vestem fuisse constat, neque tamen inde Heynius iustam eius reiiciendae causam habuisse videtur. Nam Scyllam filiam regiam tales vestes decebant, et omnino feminae *crocota* vel in vita quotidiana non abstinuisse videntur, quo certe ducit Aristophanes Eccles. 353. *τῆς γυναικὸς ἐξελήλυθα τὸ κροκωτίδιον ἀμπισχόμενος, οὐνδύεται.*]

252. [* *Dein* Helmst. *rotantibus* A. *fingens* R. Cum hoc vero versu in media pagina abrumpitur textus huius carminis in cod. A.]

253. *Prosequitur* Aldina. Alterum hemistichium, *caussas exquirere talis*, iterum inquinatum: sive enim *caussas tales*, seu cum Barthio *miserae talis* iungas, utrumque inficetum est. Haud dubie fuit *tabis:* et sic video virum doctum in Misc. Obss. Vol. IV, p. 325 dudum coniecisse; sicque Heins. Repetitur tamen *tabis* nimis ex propinquo vs. 248. Mox *Marmoreum pedem* cf. Ge. IV, 523. [* *Prosequitur* R. *persequimur* Helmst. *Talis* R. *tales* Ed. Pr. sed *tabis* Helmst. quod etiam praefert Marklandus ad Stat. Silv. V. 3, 258. p. 400. b. ed. Dr. *Pedes marmorei* etiam leguntur Ovid. Amor. II. 11, 15.]

255. [* *quem retulit* R.]

256. *Quid me inquit* Aldd. Heins. em. *Quid io! me, inquit.* Ovid. *Quid, io, freta longa pererrat.* [* *quod* R. Ed. Pr. *nunc* omittunt R. Helmst.]

257. [* *nostro* R. *Furores* bene explicuit Paldamus ad Propert. p. 244. de homine amato.]

260. [* *Odisse* se dicit Scylla amicos et patrem, partim quia Minoem hostem amat, partim quod patrem crine purpureo privare meditatur.]

262. *In quo.* Melius *Nil* repeteretur: *Nil, quo falsa tamen.* [* *Tamen* recte intellexit Heynius, et saepe eadem ratione positam hanc particulam invenimus. Cort. ad Cic. Fam. VII. 31. Lucan. I. 378. Heusing. ad Cic. Off. I. 12, 4. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 50. sq. *Pietatis imago* v. Aen. VI. 405.]

263. [* *mediisque* R. Vulgo *mediis*, Helmst. *medius*, qui idem liber semel tantum *heu* exhibet. *Que*, ut saepe, ulteriori explicationi inservit. Drakenb. ad Liv. XXI. 55. Goerenz. ad Cic. Legg. II. 4. pr.]

264. [* Legebatur: *quove ipsa malum hoc*, ut et Ed. Pr. exhibet. Sed R. hanc offert scripturam *Quid dicam? quidve agam? malum hoc*, Helmst. *quove agam*, unde vera lectio restitui posse videtur. Nam QUOVEAGAMMALUM leviter corruptum puto ex QUOVEAUSA i. e. et quo ore ego hoc malum exordiri audeam, vel exordiar, quum ego exordiri illud ausa sum?]

265. *quoniam quid tu tibi dicere, nutrix, non sinis.* Non intelligo quid sibi velit. Nescio an alii intellexerint. Ed. Iunt. *quid me.* Edd. vett. cum ms. Basil. *quid non.* An fuit: *Dicam equidem: quanquam, o, quid me non dicere, nutrix, non sinis;* ut *non dicere* sit, silere, silentio tegere: eaque adeo iterum, quae orsa est dicere, interrumpat. [* Recte Heynius dixerat, neque se intellexisse sensum huius versus, qualis in edd. vulgg. legebatur, neque alios intellecturos fuisse, et tum sententiam aliquam proponit, quae etiamsi a vero paullum recedere videtur, tamen indicat, optime eum rem perspexisse. Videamus primum varias lectiones; scribitur in R. *quoniam tu non dicere*, Helmst. *quoniam tunc non dicere,* Ed. Pr. *quoniam quid non tibi dicere*, quae scriptura a me recepta hac quidem ratione explicanda videtur: *Dicam equidem*, *quoniam* — (hic est abrupta sententia, quia pudibunda et perturbata amorem suum confiteri non audet; suppleri fere potest ex sqq. *ita flagitas*, coll. 136. Catull. X.

27—30. ex emendatione Handii. Cic. Mil. 12. §. 33. ed. Orell. Turic. *De nostrum enim omnium — non audeo totum dicere*, sc. vita actum foret:) *quid* i. e. cur o *nutrix non sinis* non permittis me *tibi* rem *non dicere*, i. e. cur o nutrix adeo mihi instas ut tibi amorem meum confitear. Infra vs. 269—271. Scylla denuo orationem suam adeo interrumpit, unde Heynii meaque sententia de nostro loco non parum confirmatur. Ceterum Bothius coni. *quoniam fictum me dicere*, Wakefieldus *quonam*, *quod* „sed cur dicam id, quod tu non audies patienter.“]

266. *extremum hoc munus morientis habeto* petitum ex Ecl. VIII, 60 et fidem facit utrumque versum 265 et 266 Scholastici commentum esse habendum.

267. [* *assistet* Helmst. a m. pr.]

269. *Cui P. et tribuunt nullo quo vuln.* vett. edd. ante Aldinam, et ms. Basil., nisi quod pro *quo* est *quod.* Mox in eadem deest *est.* De sensu vid. Not. Sed versus vix a primo carminis auctore profectus. [* *parce et tribuunt nullo quod* Ed. Pr. foeda interpolatione ob verba *nec ullo* non intellecta. Ibi vero ut sexcentis aliis in locis *nec* dissolvendum est in *et non*, ut sensus sit hic: *Et cui Parcae tribuerunt nullo vulnere laedi.* Sic ap. Propert. III. 26, 6. ed. Iac. *nec proba Pasiphae* i. e. et improba. Cfr. Cort. ad Lucan. I. 86. Markland. ad Stat. Silv. I. 2, 82. p. 168. a. ed. Dr. Ruhnken. ad Vell. II. 88.]

270. [* *est* omittunt R. Ed. Pr. Sed retinet Helmst. — *circumvehor* perperam interpretatur Salmasius ad Solin. p. 68. b. C. „est περιηγεῖσθαι, dicendo circumvehi et singula enarrare, ut illi solent, qui, ut omnia curiose contemplentur, per singula eunt.“ Imo maxime diverso sensu est capiendum: cunctatur proloqui sensa sua virgo, et verbis rem ipsam clare demonstrare non vult, sed tantum innuere. At *frustra* hoc conatur, quod adverbium Salmasium statim ad meliorem sententiam ducere debebat. Dicendum est igitur clare, nihil enim proficio verbis eligendis, quibus virum a me amatum indicare possim. Metaphora sumpta esse ab eo videtur, qui aditum loci alicuius petit, sed non invenit, et, nisi fallor, cogitari etiam potest de fraudis notione, quam in verbo *circumire* inesse constat.]

271. [* Cur *praecordia* potissimum hic commemorentur, docere nos potest Cic. Tusc. I. 10. §. 20. *Plato — iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit.*]

272. *Quod per te divum* elegantius. Monuit quoque vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 325. [* *Quod* singularem usum habet in orandi formulis. Bentl. ad Terent. Andr. I. 5, 54. Horat. Tursell. p. 713. cum annot. Schwarzii, et Theod. Schmidius ad Horat. Epp. I. 7, 94. — *per te* scripsi e cod. R. quum antea ederetur *te per.* v. ad vs. 244. Non tamen hanc emendationem recepissem, nisi codex optimus eam suaderet; nam notatu sane dignum est, in omnibus fere, ubi haec particula ita invenitur, locis *quod te per* neque inverso ordine scribi. — *testamur*, scripsi e cod. R. Vulgo *obtestor. Testari* pro *obtestari* interdum ponitur, ut comprobant loci a Marklando ad Stat. Silv. p. XI. ed. Dr. alia mente collecti.]

273. *memori mihi alumnae* cum hiatu legendum esse, iam Scaliger monuit. Licebat tamen scribere: *Haustum perque tuum memori mihi.* Quod Heinsius comparat ex Ovid. Ep. V, 45 *Et flesti et nostros vidisti flentis ocellos*, diversum est. Possum enim bene dicere: *mei flentis oculos.* Idem in schedis coni. *in teneris h.* Mox *nec perdere* ms. Basil., et *Nec* 276. [* Scribebatur hucusque *memoris haustum mihi pectus alumnae,* quibus in verbis recte haeserunt intpp. Nunquam enim dici potest *mihi memoris alumnae*, quum structurae, qualis est illa *mea unius opera*, huc minime quadrent (Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 25. Garat. ad Cic. Planc. 10. p. 64. ed. Or.). Quodsi vero iungere velis *pectus tuum memoris alumnae*, quod sane dici potest, novae oboriuntur difficultates. Ac primum quidem *alumna* sic esset Carme nutrix, quum *alumna* nunquam *nutricem* sed sem-

per *infantem nutritum* indicet (v. ad vs. 440.). Sed ut hoc ponamus, vocem *alumna* miro linguae abusu hoc uno in loco contrariam sibi significationem induere posse, omnis ista nutricis et memoriae eius compellatio prorsus inepta est. De se tantum et de sua memoria Scylla loquitur, ut eo gravius Carmen ad miserationem perducat et spem proponat, fore ut si se in conamine suo adiuvet, ipsa magnum inde lucrum auferat. Huc accedit, quod *pectus haurire* de infante vix umquam invenitur neque inveniri potest, quum potius *haurire pectora ferro* (Ovid. Met. VIII. 439.) longe alio sensu legatur. Et quod in codd. R. Helmst. pro *haustum* legitur *auctum*, ex MEMORISAUCTUM feci MEMORISANCTUM, quod ulteriore explicatione non eget. Cic. Phil. II. 24, 60. *Tanta est enim caritas patriae, ut vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me servatam esse meminissent.*]

274. [* *si versare petes* Helmst. *si versa repetes* R. *si versare potes* Ed. Pr. *nec* scripsi, cum vulgo legeretur *ne*, ut et infra vs. 276. Omnia enim pendent a *testamur* vs. 272., et utroque loco R. Helmst. Ed. Pr. eam, quam nos recepimus, lectionem exhibent.]

275. [* *incisa*, V. D. in Obss. Miscell. Novis I. p. 121. de hoc huius vocis usu laudat Claudian. Bell. Get. 266. Devon. bell. Troian. VI. 234. Curt. IX. 1. Cic. Phil. XII. 3. Tac. Hist. V. 22.]

276. [* *invideas* Ed. Pr. *invideris* R. *invidens* Helmst.]

277. *Nam nisi* bene; at vett., etiam Aldinae, *Nam si* [* ut Ed. Pr.].

278. *Ante expectatum* legi malit Scaliger, ut Ge. III, 348, aut *Ante hunc conspectum* eo sensu accipi: quod non necesse est; nam: *Ante hunc conspectum*, obtutum, ante oculos meos, h. mihi obtulisset, meis oculis obiecisset. Drakenborch. ad Silium II, 31 non magis Scaligeri acumen probat, idem tamen malit: *Ante in conspectum;* idque praestat haud dubie. *casusve deusve;* vid. ad Cul. 192. [* *Ante hunc conspectum* neque cum Scaligero mutaverim, neque Heynii interpretationem sumpserim. Significant verba: *priusquam hunc* (patrem indicat δεικτικῶς, cubiculum in quo dormiebat digito monstrans) *conspexissem.* Sic ap. Tacit. Hist. I. 76. *et occupaverat animos prior auditus*, ubi *auditus* non est substantivum sed participium, sc. ut prior auditus. — *Casus* et *deus* semper sibi opponuntur. Cic. Fam. XVI. 12. Virg. Aen. XII. 321. Curt. IV. 7, 13.]

279. [* *Auferri: hoc capiti ferro quod* Ed. Pr. *operit* R.]

280. Heins. *patrio;* cf. sup. 183. [* *demessum* coniicit Wakefieldus, sc. peperissem, coll. Virg. Aen. XI. 68. 25. Eclog. III. 68.]

281. [* *mihi* om. Ed. Pr.]

282. *tristis* ms. Basil. Ed. Ven. 1484. Eadem vs. sequ. *multo deturpat vulnere. multo turpavit pulvere* ms. Basil. [* *tristi* retinui ex Ald. 1517. quamquam in R. Helmst. Ed. Pr. legitur *tristis*. De *clade* vid. vs. 88.]

283. *Intonsos crines.* Vix recte de vetula. *Incomtos* melius Heins. [* *turpavit* Ed. Pr. — Ritum hoc versu memoratum multis illustrat Marklandus ad Stat. Silv. V. 1, 219. *Insontes* coniicit Wakefieldus coll. Horat. Od. I. 17, 28. Iuvenal. X. 60.]

285. Scaliger iungebat: *crudelis reddite*, o mihi nunc iterum effecte crudelis. Mox non verum putabat hoc, et emendabat: *mihi nunc iterum crudeliter addite Minos:* ut sit dictum ad illud exemplum: *Teucris addita Iuno* Aen. VI, 90, ubi vid. Not. Verum in ea notione vocis adverbium apponi vix solet. Turbavit viros doctos male instituta verborum structura. Debebant iungere: *O crudelis Minos, nunc iterum mihi reddite.* Interpunctionem etiam in sqq. 287. 288 emendavi. Nam: *Et propter eundem te semper aut olim nata, aut nunc amor insanae alumnae, luctum portavit mihi*, h. apportavit, attulit. Miro modo interpolat haec Scaliger: *Semper et ante olim natae te propter eundem, Ah amor insanae luctum portabat alumnae.* Idem *portare luctum* comparat cum Graeco κῆδος

προξενεῖν. In vett. edd. ante Iuntinam *natae o te* vel, ut Aldina, *natae te p.*, quod non deterius sed multo comtius dixerim; ut sensus sit: *Et semper amor portavit luctum propter te eundem aut olim natae aut nunc alumnae, τῇ παιδί.* Lenius quoque esset: *Semper enim.* Io. Schrader. coni. *Semper ut aut olim natae — portaret alumnae.* Nec hoc male. [* Scaligeri priorem huius versus interpretationem unice probandam esse credo, et quae ipse postea protulit, ut et Heyniana opinio simpliciori illi postponenda. *Redditus* enim nostro loco sensu reciproco sumendum est, unde haec verba ita sunt intelligenda: qui te iterum mihi crudelem reddidisti. Ita *se reddere* legitur ap. Virgil. Aen. VIII. 170. *lux quum primum terris se crastina reddet*, IX. 121. *virgineae — Reddunt se totidem facies pontoque feruntur.*]

286. *O nimium nostrae* ms. Basil., recte. [* *Nimium* Ed. Pr. Sed *iterum* cum R. Helmst. retinui, ut lectio Editionis Pr. glossema sit habendum verae scripturae, quam librarius vel editor parum recte intellexerat. Queritur Carme iterum Minoem sibi inimicum esse, et nunc quidem mulieri vetulae; etenim *nostrae senectae* dicitur pro *mihi seni*, ita ut tempus indicetur, quo sibi iam sit denuo inimica. *Mea senecta* v. infra vs. 313. Aen. XI. 165.]

287. [* Legebatur: *Semper et*, *aut olim nata*, *o te propter*, quod Ed. Pr. retinet. Sed R. Helmst. exhibent: *semper aut olim natae* (R. *nate*) *te propter*, et quum Heynius cum Schradero sensum loci recte iam perspexisset, equidem nunc vestigia codicum pressius sequens scripsi *semper ut aut*, quam particulam iam Schraderus felici coniectura restituerat, minus tamen feliciter in seqq. *portaret* mutans. *Ut* nostro loco, ut saepe, indignantis est (Heins. ad Val. Flacc. II. 181. Horat. Tursell. p. 943, 13.) et verborum structura ita procedit: *ut semper propter te eundem amor aut olim natae aut insanae alumnae luctum portavit!* De structura paululum perturbata v. ad vs. 226. et omissio adverbii *nunc* ante *insanae alumnae* excusari iis poterit, quae collegi ad vs. 129. Bothius coni. *Sempene aut—portabit.*]

288. [* *laetum* R. An fuit *letum?* — *Haud* Helmst. a m. pr.]

289. [* *advecta* R.]

291. *ut sistam:* ut finis tandem sit calamitatum, quas ex te experiuntur meae et filia et nutritia. Emendatio haec est, a Pithoeo profecta, sed bona. Scaliger ex vett. edd. lectione, quae erat *obsistam* (ut et ms. Basil.): alicubi etiam, *absistam*, exsculpsit *qui obses tam;* magis ingeniose Heins. inde elicit: *o siste exitium.* [* *obsistam* R. Helmst. Ed. Pr.]

292. 293. Versus mali commatis, quibus liberandum carmen est. *Iam iam nec nobis ea, quae senioribus, ullum Copia vivendi genus.* Lectio haec nobis primum in Iuntina visa: probata eadem Scaligero, etsi satis impedita: ut tamen sententia saltem aliqua erui possit: *Iam nobis ne ea quidem, quae tamen senibus* esse, contingere, solet, *Copia est vivendi genus vitae*, si non quod volumus, tamen *ullum.* Scaliger bene: *πᾶς βίος ἀβίωτος ἡμῖν.* Edd. vett. cum ms. Basil. *Vivendi copiam vivit genus;* inde Aldinae *Vivendi cupiam vivit genus.* Heins. tentat *Iamiam nec nobis aevi* (vel *aevo*) *senioribus ullum Vivendi optatur, divi! genus.* Mox *Ut quid ego;* leg. *At* vel *Ah*, vel *Ecquid;* nam *Ut quid* pro quare, barbarum puto. In marg. ed. Scot. *Aut.* [* Vulgo legebatur: — *ullum Copia vivendi vitae genus*, quae oratio sane scabra editoribus vett. debetur. Nam in R. Helmst. Ed. Pr. legitur: *Vivendi copiam vivit genus*, Ald. 1517. *Vivendi cupiam vivit genus;* praeterea notandum, pro *nobis* in R. Helmst. legi *vobis*, et in R. *eaque sevioribus.* Carme queritur, erepta sibi filia et alumna non esse cur vivere cupiat, seque ipsam amentem dicit, quod Britomarti mortua vitam produxerit. Quodsi iam priora ver-

Digitized by Google

ba versus 292. inspicimus, sententiam eorum hanc esse videmus, ut Carme doleat, se nunc omnibus privatam esse, quae aliis senibus solatio esse soleant, i. e. liberis: nunc ne ea quidem mihi sunt concessa, quae aliis senibus conceduntur. *Nec* idem quod *ne — quidem*; v. Ramshorn. Gr. Lat. p. 528, 2. In seqq. scripsi *ullum Vivere uti cupiam vitae genus* i. e. nihil iam est, quod mihi cupiditatem ulterius vivendi moveat, amorem vitae iniiciat. Vestigia codicum presse secutus sum, et sententia ita comparata, ut tam grammatice quam rhetorice neminem offendere possit; cfr. infra vs. 313. *Vitam vivere* legitur etiam apud Cic. Verr. II. 47. §. 118. *quo tutiorem vitam sese meo praesidio victuros esse arbitrarentur*, add. Heusing. ad Vechn. Hellenol. p. 319. — Quod deinde sequitur *Ut quid* non barbarum sed vere Latinum est; elliptica est oratio, *ut quid mihi fiat, contingat?* Ita Cicero ad Att. VII. 7. *Depugna, inquis, potius quam servias: ut quid? si victus eris, proscribare?* Vide Gronov. obss. eccl. 13. p. 139. ad Liv. XL. 13. ubi recte comparavit Graecum *ἵνα τί*, de quo v. Herm. ad Viger. p. 849. Matthiae Gr. Gr. §. 620. Separavi vero *ut quid* a sequentibus, quae iam novam constituunt sententiam, qua Carme sibi irata atque indignabunda se increpat. Bothius coni. *Iam, iam nunc nobis ah! quae* (vel *ecquae*) *senioribus ullum* etc.]

294. In edd. ant. et ms. Basil. *Te erepto britomarte est spes vana sepulcri.* Sed, ut nunc legitur, est emendatum in Aldina; at in Iuntina: *Te erepta, Britomartis, spes est vana sepulcri.* Scaliger idem in aliis repertum probabat: *mei spes una sepulcri.* Loensis l. c. *spes est ulla sepulcri.* ms. Helmst. *mei spes una sepulcri.* Ita saltem legam: *Te erepta, o Britomarti, mihi spes una sepulcri est:* te erepta nihil amplius est, quod in votis habeam aut sperare possim, quam sepulcrum. *meae spes una senectae* non male coni. Heinrich. [* Legebatur: *Te erepta, o Britomarti, meae spes una salutis*, quibus in verbis sensum frustra quaeras. In R. legitur: *Te erepto britho mortem ei spes u. s.*, Ed. Pr. *Te erepto Brito marte est spes vana sepulchri*, Helmst. *Te erepto brito marte mei spes una sepulchri*, unde quam lectionem protulit Heynius, ea neque propter structuram neque propter verborum sensum ferri potest. Quodsi enim *est* inferimus, aut versus sequens omni nexu cum prioribus destituitur, aut verba, de quibus nos nunc agimus, parenthesin satis frigidam et languidam efficiunt. Quidni enim dudum mortua est Carme? Iis potius post alios interpretes restitutis, quae necessario restituenda erant *erepta o Britomarti*, scriptura codicis Helmstad., quae insuper reliquis duobus subsidiis criticis firmatur, unice probanda est, ne literula quidem immutata. Carme enim recte Britomartin filiam suam unam sepulchri sui spem dicit; etenim mater infelicissima neque maritum neque alios liberos habuit, unde nemo propinquus ipsius, quum aliquando moritura erat, funus curabat. Quodsi filia superfuisset, haec pio illi officio satisfecisset; hac mortua, a nemine illud exspectare potuit. Quantopere autem veteres hoc optaverint, praeter alios docet inprimis egregius locus Tibull. I. 3. 5—10. coll. Ovid. Amor. III. 9, 49. sqq. Pro *meae* Ald. 1517. *mene.* Heinrichius in Biblioth. Gotting. liter. et art. vett. X, 46. ad coniecturam suam stabiliendam laudat vs. 315. Virg. Aen. IX. 481. XII. 57.]

295. *Te Britomarte* vett. edd. [* *Te Brithe morte* R. *Te brito marto marte diem* Helmst. *Te Brito Marte*, Ed. Pr.]

296. Legebatur *Cereri; cur Cereri?* quodnam eius studium vel contubernium esse poterat, cui puella se addiceret? Ferrem, si Palladem memoraret. In promtu est, *celeri* legere; sicque in Aldina et inde in ed. de Tortis expressum et ex ms. Helmst. notatum video, ut fuisse arbitrer: *Atque utinam celeri ne tantum grata Dianae* etc., utinam ne esses sectata venatus, Dianae celeri tantum grata. Ita [* Heins. ap. Burm. ad Ovid. Met. IV. 304. et] Io. Schrader. Emendatt. p. 61. nisi quod *non tantum.* Parrhasium in Quaesitis per epistol. 30 (p. 50 Steph.) *Veneri* legisse vi-

Digitized by Google

deo: ita *Venatus virorum* nimis lepide subiiciuntur. Video tamen et Heinsium hoc amplecti. [* Eadem qua Heynius hunc versum constituit ratione, legitur is in R. Helmst. Ed. Pr. Ald. 1517. nisi quod in omnibus his libris et scriptis et impressis pro *ne* exaratum invenitur *nec*, in Ald. 1527. *non.*]

297. *Venatus—virorum:* esse ergo debent, quibus viri studere solent. Immo leg. *Venatus virgo sectata ferarum.* Hoc et Io. Schrader. l. c. Porro ed. Ven. 1484. *sacrata.* [* Imo omnia in h. v. recte se habent. Etenim sensus hic est: utinam ne tu Britomartis quasi altera Atalanta venatus a viris institutos tam cupide sectata, imitata fuisses! *Venatus* non semper de feris dicitur, quas quis persequitur, sed etiam de eo, qui persequitur, ut Virg. Aen. IX. 407. *si qua dona ipse meis venatibus auxi.*]

298. *Gnosia neupharto* eadem vetus editio: *neufarto* ms. Helmst. *neupactio* vet. ed. apud Loensem l. c., et Iunt. *naupacto:* idque Domitius interpretatur cum Ascensio. *nauphraeo cornu* Iul. Sabinus legerat. *neu Partho* emendatum iam in Aldina. [* Legebatur hucusque:

Cnossia neu Partho contendens spicula cornu
Dictaeas ageres ad gramina nota capellas:

quorum versuum prior ita primum exhibetur in Ald. 1517. quum in codd. alia legantur. Nam R. habet *gnossia naupharto*, Helmst. *Gnosia naufarto*, Ed. Pr. *Gnosia Neupharto.* Quamquam vero coniectura illa ab editore Ald. 1517. proposita facilitate sua se commendat, tamen, iam Heynio recte iudicante, ex nexu singulorum versuum permiro vel potius nullo difficultates oriuntur, quas nemo ita solvat, ut cuique satisfactum esse videatur. Nam *ageres* tempus est omnium ineptissimum, quum praecedat *sectata esses*, sequatur *isses.* Deinde *neu* plane ab h. l. abhorret, ubi dicendum erat *nec.* Tum maxime versus 299. mirum quantum versui 297. contradicit, quae omnia Heynium perpulerunt, ut transpositionem versuum auderet, qua sane via paullo violentiori rei non inepte occurritur. Sed Heynius illud verbum minus attendit, quod in omni hoc loco unicum est corruptum, *naupharto*, vel ut aliter est legendum. Ponamus, verum illud esse quod protulit Iulius Sabinus *nauphraeo*, atque per hanc vocem locum aliquem significari, unde arcus dictus fuerit, nonne tum sententia optime sic procedat:

— utinam — ne
Venatus esses virgo sectata virorum
Cnosia Nauphraeo contendens spicula cornu!
Dictaeas ageres etc.

Quominus vero hanc scripturam in textum reciperem, duo me impedierunt argumenta, unum quod de urbe aliqua *Nauphra* vel certe similis nominis nullum est apud veteres scriptores vestigium eamque potius Sabinus ad inventum suum fulciendum finxisse videtur, alterum quod *Partho* utique aperta Virgilii (Eclog. X. 59.) imitatione defenditur. Hinc reposui *heu Partho.* Quod ad hiatum attinet, is invenitur in thesi etiam ap. Ovid. Metam. V. 625. *Et bis, Io Arethusa, Io Arethusa, vocavit*, Pers. III. 66. *Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum.* Adde Schneideri Gr. Lat. Part. I. Vol. I. p. 151. sq. Delectatur autem poeta noster interiectionibus mediae orationi interpositis; vid. vs. 52. 80. 81. 152. 161. 184. 189. *Cornu* pro ipso arcu (ut Virg. Ecl. X. 59.) dici potest, ut *aurum*, *argentum* de vasis aureis, argenteis. *Puellas* pro *capellas* habet etiam singulari harum vocum confusione R. Sed veram scripturam exhibet tam Helmst. quam Ed. Pr.]

299. *puellas* in fine habet Aldina perperam, etsi de puellarum choreis velis accipere. Etenim laborat totus locus luxatione, unde nec membra

Digitized by Google

sibi respondent; estque is adeo, nisi versus 298 omnino a mala manu illatus est, sic restituendus:

Atque utinam celeri ne tantum grata Dianae,
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu,
Venatus esses virgo sectata ferarum!
Dictaeas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam etc.

Si pascendis gregibus illa vacasset, non in conspectum Minois venantis ventura fuisset.

300. *fugeres* cum Basil. ms. vett. edd. ante Aldinam; eaedem *Minoos.* [* *fugeres o Minos* Ed. Pr.]

301. Vett. omnes: *aeriis specula de montibus*, nisi quod in ed. de Tortis *specula* non comparet, et in vet. ed. apud Loensem *Nec specula aeriis praeceps de.* Forte *specula* substitutum, cum olim montis nomen fuisset: *aeriis Dictae de montibus*, Callimachi exemplo, in Dian. 198 sq., ubi vid. Spanhem., etsi is a Strabone propterea reprehensus fuit lib. X, p. 733. 734. Scaliger, probante Heinsio, corrigebat: *aerii specula de montis abisses:* ut Ecl. VIII, 59 *Praeceps aerii specula de montis in altum Deferar;* alia emendatio suppeteret ex carmine, quod noster poeta perpetuo ante oculos habere solet, Catull. LXIV, 244 *Praecipitem sese scopulorum e vertice iecit.* [* Legebatur: *Praeceps aereis specula de montibus isses*, unde nemo bonum sensum extricare possit. Scaliger a veritate proxime abfuit. Sed *praecipitem abire*, licet alibi inveniatur, tamen a nostro loco, ubi de saltu sermo est, nimis abhorret. Et quum ex vs. 305. *mihi certe gnata peristi*, appareat, de morte sermonem esse, scripsi *aerei* (ut etiam R. habet) *montis obisses.* Discrimen literarum inter MONTIBUSISSES et MONTISOBISSES paene nullum est. *Aereus mons*, v. Huschk. ad Tibull. I 7, 15. *Praeceps de specula* illustratur per Virgil. Aen. V. 175. *In mare praecipitem puppi deturbat ab alta*, et Catull. LXVIII. 59. *Qui quum de prona praeceps est valle volutus.*]

302. 303. Si sequentia ab ipso poeta profecta sunt: alieno utique loco sunt interposita. In lamentis matris quis talia expectet! Legebatur: *et numina Phocae Virginis assignant.* Sic Aldina dederat. Vett. edd. *Phorae*, *Photae.* Mirum *Phocae* nomen relictum, cum manifesta sit corruptela et a viris doctis Paullo Leopardo Emendatt. X, 24 et iam ante eum, ut video, a Iano Parrhasio, Quaesit. per Epist. 30 dudum deprehensa et emendata. Delatam in mare Britomartin, Aeginetae narrabant, piscatorum retia casu excepisse, sicque eam servatam in insulam Aeginam deportatam, ubi sub deae *Aphaeae* nomine culta est. Nomen et ipsum cum fabula consentit, ἀπὸ τοῦ ἀφιέναι. conf. Pausan. II, 30 et ad v. 219, et est *numina Apheae* in ms. Basil. Sed cetera verba incertae sunt lectionis. Leopardus l. c. legit: *et numen Aphaeae Virginis Aeginae est.* Scaliger *et nomen Aphaeae Virginis assignant.* Non video cur non retineamus, quod proximum est: *et numina Aphaeae Virginis assignant.* Nam facta illa dea. vid. Pausan. l. c. [* *et* omittit R. spatio tamen vacuo relicto. — *phoce* R. Ed. Pr. *phoeae*, Helmst. a m. pr. *phele* idem a m. sec. — *Virgines* Helmst. *assignat* Ed. Pr.]

303. *quo notior esset* vett. edd. nonnullae.

304. F. *Dictynnam dixere, tuo de nomine, Luna.* [* *lumine* R.]

305. *perisset* vett. edd. ante Aldinam cum ms. Basil. [* *Sunt* R. *nata* R. Helmst. Vulgo *gnata.* — *perisses* Ed. Pr. Vulgatum legitur in R. Helmst.]

306. *in* abest Ald. *volitantem:* illustrat Mitscherl. noster in Lection. p. 111. [* *in* et *montis* desunt in R. Helmst.]

307. *Hyrcanos inter comites.* Canes esse volunt, satis notos ex auctoribus venaticae rei, sed quis canes *comites* dixerit? Lego [* cum Schra-

dero ap. Fries.] *Hyrcanos interque canes agmenque ferarum.* Heins. *Hyrcanas* cum Basil. ms. amplectitur, scil. Nymphas. At illas quis tandem in Creta quaerat! [* Quamvis elegans sit Heynii coniectura, eam tamen vix necessariam habeo. Primum enim *Hyrcani* simpliciter de *canibus Hyrcanis* intelligi possunt, ut alia canum genera nude ex origine patria dicuntur (v. Lucan. IV. 440. *Venator tenet ora levis clamosa Molossi, Spartanos, Cretasque ligat*). Tum vero canes gressum herilem *comitari* dicuntur ap. Virgil. Aen. VIII. 462. ut proinde verba, quae nunc tractamus, ita sint explicanda: *inter canes Hyrcanos* ipsi *comites* i. e. ipsam comitantes, et vox *comites* non tam substantivum sit quam appositio.]

309. 310. 311. Non bene sententia procedit. Videtur ea esse debere: Verum haec, etsi per se gravia et indigna, tolerabilia tamen visa sunt tum, cum te alumnam nacta sum, nec dum haec quae modo audivi, ex te audiveram. Ita verba esse deberent: *Verum haec tum nobis gravia, at toleranda, fuerunt, tum, mea alumna, cum.* Coniectent alii suo quisque more ac lubitu alia. [* Bene perspexit Heynius omnis loci sententiam, qui vero, quum in omnibus codd. et edd. *nobis* legeretur, explicari nullo modo potuit. Quid enim aliud dicere potuit poeta, nisi hoc: Haec tamen calamitas mihi minus gravis fuit tum, quum de te etiam sperare liceret. Hinc pro NOBIS coniectura scripsi NON SIC, sc. quam nunc, quod poetice circumscribitur vss. 312. sqq. Particula vero *tum* explicatur per versum parenthetice interpositum 310. Quod igitur post vocem *maneret* vulgo appingebatur semicolon, delevi, et series orationis statim a vs. 309. usque ad vs. 311. procedit, quod insuper temporum ratio suadet, quae prorsus impedit, quominus versum 311. a versu 310. pendere putemus. *Non sic* eadem ratione legitur ap. Virgil. Aen. II. 496. Similiter est ap. Tacit. Hist. II. 99. *Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species*, sc. quam intrantis. Adde Horat. Epp. I. 1, 4. — *Tunc* R.]

310. *mea luna* ed. Iunt., corrupte. *manebat* malit Heins. [* *Tibi* R.]

311. Versus aliunde interpositus. [* *Nec* R. Helmst. — *nundum*, iidem.]

312. [* *Te etiam* R.]

313. [* *o* om. R. Helmst.]

314. *sopore* sane friget. Nisi accipias ut in Nota factum. Heins. coni. *lepore*. [* Unice probari potest prior Heynii explicatio. Nam cur hoc poetae memorandum fuisset, Carmen etiam dormire voluisse? Sed quia adspectu Scyllae dormientis gaudebat, mortem sibi non conscivit. *Nequidquam* vero adiicitur, quod illa ipsa delectatio nihil ei profuerat; nunc enim spes Carmae de nuptiis Scyllae est decepta, et nequidquam gaudio illo affecta est, quod Carmen a morte voluntaria retinuit. Wakefieldus coni. *sonore*, i. e. lingua, loquela.]

315. *Cum premeret mors dura* vel *Cum premerent iam fata* coni. Io. Schrader.

316. *flamina* coni. Heins. [* *Caricio* R. *coticio* Helmst. a m. pr. *coricio* idem a m. sec. Vulgatum iam legitur in Ed. Pr. — *Glomerare* praegnanti sensu est capiendum. Nam *lana* glomeratur, unde tum fila ducuntur et textura conficitur. Glomerare lanam primum est in arte texendi. (Ovid. Met. VI. 19.)]

317. *fata reservant* ms. Helmst. *ad quae me n. s.* coni. vir doctus Iortin Misc. Obss. Vol. IV, p. 326, perperam; quis deus et quo, h. ad quae fata, servat me? Heins. *heu quae me.* At Io. Schrader. *Quo nunc te i. aut quae te n.* [* *Fata reservant* scripsi e R. Helmst. quum vulgo legeretur *numina servant*, coll. Virg. Aen. VIII. 575. Pro *quae* in R. perperam legitur *quo*. De *infelix* non assentio Scaligero et Heynio, referens potius ad Scyllam, quae quare ita compelletur, apparet ex vss. seqq.]

318. [* *vertice canos* Ed. Pr.]

Digitized by Google

319. *Indita* ms. Basil., et *praeterit.* *Addita* Heins. et h. l. [* *preterxerat* R. — In fine versus Ed. Pr. habet *crines* aperta interpolatione. *Cani* simpliciter de capillo senis dicuntur, ut ap. Tibull. I. 10, 43. *Sic ego sim, liceatque caput candescere canis*, qui locus etiam *canos candentes* satis adstruit; coll. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. III. p. 187.]

320. *Quae t. p. spes.* Aldina est lectio. Scaliger malit: *Quam tenui p. s.* Heins. *Quam tenuis* cum cod. Basil., sed is sensus alienus foret ab h. l. In vett. edd. *Quae tenues*, vel *tenui*, *patrio pressit s. c.* Heins. quoque tentat: *Quanta tui patrio.* [* Hucusque legebatur: *Quae tenui patriae spes sit suspensa capillo?* Sed alia leguntur in codd. Et in Helmst. Ed. Pr. *tenuis patrio pressit*, in R. *tenuis patrio praesit*, unde scripsi, quod iam in textu legitur, hac scilicet structura et sententia: *An nescis*, *quae* (i. e. qualis, quanti momenti; Ramshorn. Gr. Lat. p. 366.) *sit suspensa tenuis* (simpliciter pro *ea*, ut saepe adiectiva aliquam virtutem vel vitium rei antea dictae indicantia pro pronomine demonstrativo dicuntur) *prae patrio capillo* (de anastrophe praepositionis vid. ad vs. 55.).]

322. [* *scelus esca tentanda neplandum* R. *scelus est* (puncto sub litera *t* posito) *cantanda* Helmst. Vera scriptura iam prostat in Ed. Pr.]

323. *per me*, *mea.* Scaliger mavult: *te per mea a.* Saltem debebat scribere: *per te*, *mea a.*, ex more obtestationum. Alius vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 327 corrigit: *Per*, *te*, *meum*, *alumna*, *tuumque.*

325. *Per me et sacra precor per flumina Ilithyiae.* Deficit nos in hoc versu antiqua manus. Vett. edd. *Perdere saeva precor per flumina sacra Ilithyiae*, vel *Elythiae*, ut et cod. Basil. Mutatum primum in Aldina sec. *Per te sacra precor per flumina Ilithyiae.* Etiam Iulius Sabinus similem depravationem interpretatur: „timeo, ne caussa mea velis per„dere tuum amorem expertum in multis rebus. Elathia (Elatia) civitas „est cum flumine eiusdem nominis in Phocide celeberrima.“ Scaliger legit: *Per te sacra precor;* ut sit: *te per s.* Hoc iam in Aldina expressum modo monui. Pergit corrigere Scaliger: *per lumina I.* *νὰ τὰν φωσφόρον*, ut Ilithyia, Lucina, Diana, Luna, sit eadem dea, per cuius lumen mulier obtestatur. Altera eius coniectura deterior: *Per te sacra precor per luminis Ilithyiae*, nova voce procusa. *Flumina Ilithyiae* Taubmannus foedo acumine exponit. Ferrem saltem, si lavationem infantis recens natae commemorasset. Heins. varie tentat: *per flumina Ilissea:* quia ad Ilissum sacra Cereris celebrata: vid. Periegetes, Avienus et Priscianus; vel *per numina Itonea* aut aliud Palladis epitheton; vel *per te saeva precor per flumina sancta Cytherae.* Salmas. ad Solin. p. 121 C. *per flumina Lethaeea* emendat, a fluvio Cretae Lethaeo: quod praeferam ceteris hariolationibus. Sed totum omnino versum augmentum esse scholastici, sententiam variantis, suspicor. Saltem *numina Ilithyiae* legendum. [* Scribebatur:

— — *per me*, *mea alumna*, *tuumque*
Expertum multis miserae mihi rebus amorem,
Per me, *et sacra precor per flumina Ilithyiae*

quibus de verbis primum audiamus Gronovium ad Liv. XXIX. 18. §. 9. T. VII. p. 187. ed. Drak.: „Vulgo *per me mea alumna.* Quod sciebat „Scaliger Latinum non esse: itaque reponit *te per mea alumna.* Sed „cur non secutus est ipse, quod ait ibidem esse notissimum? Dein vulgo: „*Per me et sacra.* Vetustiores *Perdere sacra.* Ipse *per te sacra.* De„nique editur *per flumina Ilithyiae.* Recte Scaliger, sed non integre „*per lumina:* nam etsi, cum displiceret hiatus, *perluminis* malebat, idem „tamen mox reprobat. Sed contextus orationis satis indicat, copulativam exci„disse. Nam ita concipiuntur preces: *per*, *te precor*, *mea alumna*, *et* „*amorem tuum*, *et per sacra*, *perque lumina Ilithyiae.* Si unam ex posterio-

Digitized by Google

„ribus coniunctionibus demas, non tam versus, quam sensus indecore hiat.“ Iam sequantur lectiones codd. quae ita se habent. In R. legitur: *quod me tuo permetuo per me tu alumna — Perdere scaeva precor — elythiae*, in Helmst. *per me tua alumna — Perdere saeva precor — elithiae*, in Ed. Pr. versus 323. 24. plane leguntur, ut hucusque in edd. prostabant; sed 325. ita: *Perdere saeva precor per flumina sacra Elythie.* Cum Gronovio scripsi *per te mea alumna*, haud veritus ne quis in enclitica *que* offenderet, quae et in aliis et in hoc loco secundae demum voci additur, ut *per tuumque* dicatur pro *perque tuum* (Broukhus. ad Tibull. III. 6, 48. Bentl. ad Horat. Od. II. 19, 32. Heindorf. ad Horat. Sat. I. 6, 43. Hofman-Peerlkamp. in Biblioth. Crit. Nova IV. p. 290. sq. De Graecis v. Herm. ad Eurip. Hecub. p. 82. sq.). Minus mihi probavit summus Gronovius suum *per te sacra.* Quaenam enim sunt ista sacra, per quae Carme adeo nude Scyllam obtestatur? Ad alia potius codices nos ducere videntur, unde *saeva* recepi, dictum de Scylla, quae sane hoc nomine propter facinus quod parabat compellari potuit. (conf. vs. 129.) Expulsa sunt igitur iam *sacra* illa, et obtestatio prius triplex iam facta est duplex. Scribo enim *Per te saeva* et in seqq. *per lumina et Ilithyiae*, ubi *lumina* debeo Scaligeri acumini, qui iusiurandum per φωσφόρον ex Aristophane apte comparavit. *Et* addidi de meo, ut sibi responderent *que — et* (v. ad vs. 78.), *per* vero bis sit positum quamquam ad eandem vocem referendum, quae tamen geminatio oratione valde concitata, qua Carme utitur, satis excusatur, eoque magis, quod nonnulla verba sunt interposita. Locus igitur qualicunque ratione et ab aliis et a me ipso restitutus ita est explicandus: *precor te mea alumna perque tuum amorem mihi miserae multis rebus expertum et te saeva per lumina Ilithyiae.*]

326. *Nec* vett. edd. ante Ald., et: *tam molli mente;* hoc praefert Scaliger, et recte puto; etiam Heins. e ms. Basil., etsi *tam nulla mente* et ipsum habet, quo defendas: ut sit stulta, amens. Pro *sequaris* praestaret *feraris;* quod et Heinsio in mentem venit. [* *Nec* R. Helmst. — *tam nulla* scripsi ex R. Helmst. pro vulgato *molli.* Heinrichius in Biblioth. Gotting. liter. et art. vett. X. p. 47. legit *stulta.* In ultima vero voce nihil mutaverim, quamvis aliquid mutandum esset, si cum interpretibus reliquis a poeta *sequi in aliquam rem* dictum fuisse putaremus. Sed iungendum potius videtur *insequi*, ut praepositio per tmesin sit a verbo suo disiuncta (v. Ramshorn. Gr. Lat. p. 701. 757.) istudque verbum ex Graeca lingua sit explicandum. Nisi enim fallor, poeta significationem verbi ἐφέπω, ἐφέπομαι, qua dicitur pro *occupatum esse in aliqua re*, *tractare* (v. Passov. lex. Gr. s. h. v.) in linguam Latinam transtulit.]

327. 328. *Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor Flectere, amor:* scabrities et his verbis inest. Non amorem, sed puellam, alloquitur anus; hanc non conatur flectere, deflectere, avertere, revocare ab incepto. An fuit: *incepto flectere amore; nec est cum dis c. n.* Saltem distinguam — *conor Flectere (Amor! neque sit cum dis contendere nostrum).* Sensit eandem mecum verborum molestiam vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 327, qui, *amor*, accipiebat, pro mi amor amata puella! quod alius vir doctus Latine fieri non posse monuit. Sed video nunc illud, quod conieceram, legi in ms. Basil. et iam extare in Ald. 1534, adeoque recepi. [* *amore nec sit* Helmst. qui lectioni vulgatae (iam in ed. Ald. 1527. prostanti) proxime accedit. In R. *amor: nec sit cum*, Ed. Pr. *amor neque sit*, Ald. 1517. *amore neque sit.* Bothius coni. *Nunc ergo, infectum fieri quod non pote, conor Flectere: ama, neque.*]

329. [* *denubere* R. Helmst. a m. pr. Vulgo *te nubere*, quod unde pendeat, nemo adhuc docuit neque unquam docebit. Codicum vero lectione illa recepta infinitivus a *velis* recte pendet, quod iam duplici constructione utitur (v. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 95. sq.).]

Digitized by Google

330. *Utque* emendabat Loensis Epiphyll. VIII, 27. Tum alius vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 327 *velim* malebat; nec aliter sententia rite procedit: *Sed velim te nubere incolumi patris regno*, *Atque aliquos tamen esse tibi Penates*, h. aliquos saltem; non nullos. [* Permire dixit poeta *aliquos penates*. Nam si Scylla *incolumi regno* alicui iuveni nupsit, non *aliqui* tantum erant *penates;* quod enim dixit Heynius *aliquos* poni pro non nullos, argutius est quam verius. Huc accedit particula *tamen*, quae perquam ineptum sensum huic loco affundit: atque velis tibi esse Penates, quamquam exiles, at tamen aliquos. Hinc de vitio loci cogitavi, et crediderim, poetam scripsisse *aliquid*. *Sunt mihi aliquid penates*, i. e. penates mihi aliquid valent, similibus locis excusatur. Ita Cic. Fam. VI. 19. *ego quoque aliquid sum*, Att. IV. 2. *et si unquam in dicendo fuimus aliquid;* adde Geel. in Biblioth. Crit. Nova III. p. 284. Ita etiam Graeci dicunt οὐδὲν εἶναι, Aeschyl. Suppl. 901. Aristoph. Eccles. 144.]

331. *exilio* coni. viri docti Misc. Obss. ibidem; quod unice verum. Nam Carme ipsa exulabat a patria.

332. *Non aliqua* vel *ulla* Io. Schrader. Emendatt. p. 62. [* Schraderi coniectura tantum abest ut sit necessaria, ut locum reddat languidiorem. *Non alia* enim ratione est explicandum ex vs. 336. et sensus loci hic est: quodsi patrem causis variis (v. infra vss. 354. sqq.) flectere i. e. commovere non poteris ad pacem cum Minoe ineundam, tum coma abscissa efficias, ut amori tuo cedat et foedere cum hostibus icto nuptias confirmet. Hortatur igitur Carme Scyllam, ut, priusquam ad ultimum progrediatur, potius omnia alia conetur variasque vias ingrediatur, quibus eam patris perseverantiam in urbe defendenda flectere posse sperabat.]

333. [* *quid enim nisi unica* Helmst. Ed. Pr.]

334. *ista* vir doctus Misc. Obss. l. c. bene corrigebat. *tuo cum iure* legebat Loensis l. c. Heins. quoque: *Nunc potius* hic et 336, et *dum iure licebit*, *Dum f.* [* *Tu potius* R. — *Tamen* nostro in loco, ut in aliis multis, precantis est et obtestantis. Ovid. Met. I. 512., *ipsa* autem pendet a *referto*. In Helmst. est: *ipsa tamen* — *iura*, sed correctum e.]

335. *facti caussam* scil. negatis tibi precibus. *fracti* — *doloris* bene Heins. vel *tanti*.

336. *incerta* ms. Basil. et vett. edd., etiam Aldd., at 1534 *incepta*. [* *incepta* Ed. Pr. *incerta* R. Helmst. *Referre* pro repetere haud nimis frequenter legitur, cuius tamen significationis Gesnerus in Thes. L. L. attulit haec exempla, Cic. Orat. III. 20, 75. Terent. Hecyr. Prol. 7. Ovid. Fast. III. 476.]

337. [* *deos* om. *que* R. *ficturos* R. — Bothius: *comites*, *o alumna*.]

338. *quod extat in o.* Ed. Ven. 1484, aliae: *quod texat in ordine:* sic et ms. Basil. Quod nunc legitur dedit Aldina. vid. Not. [* *texuit* R. Helmst. *texat in* Ed. Pr. Nescio an ex illa codicum lectione fingi possit *texitur*, praesertim quum *ordine* statim sequatur. Sensum loci recte exposuit Heynius, nisi quod minus de natura cogitaverim, quam de hominibus aliquid suscipientibus.]

339. *Hic ubi*, et, *relevaverit* vett. edd. *Hoc tibi* — *velaverat* ms. Basil. [* *Hic* R. Helmst.; sed propter *vocibus* pronomine demonstrativo carere non possumus. *Hoc tibi* Ed. Pr. — *solicitos* R. *sollicitus* Helmst. Ed. Pr. — *revelaverat* Helmst. a m. pr. *relaverterat* idem a m. sec. *velaverat* Ed. Pr.]

340. *viscerat* Ed. Ven. 1484. *vinxerat* Aldinae pr. et sec. *vicerat* Iunt. *luserat* Aldina tert. *spem clauserat* ms. Basil., quod eo alludit. *foverat* coni. Dorvill. et Io. Schrader. [* *spe* om. Helmst. *spem* Ed. Pr. — *viserat* Helmst. *iusserat* R. *clauserat* Ed. Pr.]

341. [* *gemis* Helmst.]

342. *et placidam tenebris captare quietem*. Hoc facit puella, ut ca-

Digitized by Google

ptet quietem, capiat somnum; at nunc anus puellam ori obducta veste ad somnum componit. An *aptare* hic latet? Sed *captare* esto: arcessere, parare, per tenebras, quas obducit, extincta lucerna, *olivo inverso*, ut obruatur oleo affuso ellychnium: proprie vas invertitur. Ad superstitionem trahit rem Scaliger, nimis subtiliter. *placitam* coni. Heins. [* *captare* ad anum tantum referri potest, sc. virgini, Scyllae. Wakef. coni. *membris coeptare.*]

343. *restringens* vett. edd. ante Aldinam et Ascens., ex more. *Inverso* esse ab invergendo patet. [* *restringens* R. Helmst.]

344. Vinculum in his versibus orationi deesse unusquisque videat. Scaliger vett. edd. *Incipit et* habere ait et hinc refingit: *Incipit: et crebros insani pectoris ictus Ferre manu:* ut *ferre manu* sit sustinere, ἀνέχειν χειρί. Non placet acumen. Malo distinguere: *Paullatim tremebunda — Incipit: ad crebros insani pectoris ictus Fertque manum, assiduis mulcens praecordia palmis.* Manu mammae imposita subsultus pectoris observat. [* Ut verba hucusque legebantur, ut una periodo comprehenderentur a verbis *Paullatim tremebunda* usque ad *praecordia palmis*, sane neque grammatice potuerunt explicari neque omnino iustam sententiam admittebant, unde VV. DD. necessario ad coniecturas delabi oportebat. Sed interpunctione mutata, ut scilicet post *olivo* pro commate ponerem punctum, difficultatibus illis occurrisse mihi videor; *obducere* enim et *captare* sunt infinitivi historici, et *incipit* novam orditur sententiam. Paululum quidem dubitavi, annon praestaret, post *quietem* interpungere, mutata tamen dein sententia, quum versum 343. ad explicandam vocem *tenebris* appositum esse mihi persuaderetur. Bothius coni. *Incipit, haud crebrosque insani pectoris ictus Fert anus, assiduis.*]

345. *mulcans* Pricaeus ad Apulei. pag. 221, perperam.

346. *morientis*, defendi forte potest. Heins. tamen tentat varie: *rorantis*, *moerentis*, *marcentis.* Mox *cubitis* ms. Basil. [* *morientis* bene defendit Burmannus Sec. ad Propert. p. 108.]

347. [* *cubitos* Helmst. *cubitis* Ed. Pr. Cfr. Burm. Sec. ad Propert. p. 41.]

348. Corrupti, et interpolati misere versus. Ad verba *Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum* deest vox *Extulit* vel *Extulerat.* Heins. coni. *lux elata*, *oblata;* saltem deb. *evecta — Ut g.*

349. *veniente mane* male vett. edd. cum ms. Basil. *Et gelida veniente mihi* Ald. *Egelido* esse legendum Scaliger monuit: ut sit verborum iunctura haec: *ubi postera lux laeta, veniens mane egelido ab Oeta quatiebat diem almum.* Tenue tamen et vix poeta dignum *Egelido mane* vel *mani.* Gronov. ad Sen. Herc. fur. 132 *E pelago veniens summa q.* At Heins. *Egelida veniens iamiam q.*, aut *Occiduo v.* Io. Schrader. *Et gelido Eous veniens q.* Bene se habet sol veniens ab Oeta; de qua Oeta, et ortu ex ea vid. ad Ecl. VIII, 30, in Culic. 202. Heins. laudat Turneb. Adv. XXVIII, 21. Sen. Herc. fur. (132. 133.) et Silii *Vixdum clara dies summa lustrabat ab Oeta Herculei monumenta rogi* (lib. VI, 452). At *quatere diem* quomodo dictum sit, non satis capio. Si de Solis equis ageretur, ii possent *cursu quati*, ut Ge. III, 132, et Cul. 209 *Iam quatit — equos Nox;* et Auson. Ep. IV *Iam succedentes quatiebat Luna iuvencos.* Videtur dictum pro simplici, movere, proferre. Qui argutari vult, etiam tremulum lumen significari dicat. Occurrit quoque Cul. 42 *quatiebat lumina Sol.* Malim tamen vel sic *diem — spargebat ab Oeta.* Wakef. ad Lucret. IV, 406. „me hic magnas turbas movere ait de nihilo". Clementer vero! Velim tamen docuisset vir doctus: quam bene dicatur *dies quatere lucem.* Aurora, Phoebus, *spargit lucem*, non *quatit.* Quatitur fax; at *dies* non habet *facem.* Ita vidi sexcenties alto supercilio criticos

Digitized by Google

nostros obiurgare ea, in quibus ipsi misere hallucinabantur. Quanto melius erat, modeste monere! [* Vulgo legebatur: *Et gelido veniens mani quatiebat ab Oeta*, qua in lectione profecto versus proxime praecedens in aere pendet, utpote verbo destitutus. In R. Helmst. legitur *gelida veniente mihi*, Ed. Pr. *gelido veniente mane*, deinde in Helmst. *aboeta*. Et primum quidem *veniens* dudum recte restitutum est, ut hoc referatur ad *postera lux*, deinde *gelida* e codd. recepi, cuius substantivum est *ipsa Oeta*, et quum *et* in initio versus perquam inepte legeretur, rescripsi *Prae*, quod per unam literam *P* exaratum facillime excidere potuit. Praepositio *prae* autem per tmesin (v. supra ad vs. 326.) a *veniens* est disiuncta, coll. Virgil. Eclog. VIII. 16. *Nascere praeque diem veniens age Lucifer almum;* et pro *mihi*, cuius loco inepte intrusum fuerat *mani* (de quo iam dubitaverat Schneiderus Gr. Lat. P. II. p. 453.), per coniecturam scripsi *miseris*, coll. Virg. Aen. XI. 182. *Aurora interea miseris mortalibus almam Extulerat lucem.* Verbum denique *quatere*, in quo potissimum Heynius offenderat, egregie defenditur per Ciceronem Nat. Deor. II. 42. §. 109. *Arctophylax*, *volgo qui dicitur esse Bootes: Quod quasi temone adiunctam prae se quatit Arctum*, quae sunt versa ex Arato 92. 93. Structura igitur omnium verborum haec est: ubi postera lux laeta praeveniens diem miseris mortalibus almum ab Oeta gelida quatiebat. De *Oeta* omnia nota; adde Markland. ad Stat. Silv. II. 2, 45. p. 227. ed. Dr. Wakefieldus pro *mani* coni. *flammam*, et *quatiebat* recte interpretatur per Ciceronem Arat. fragm. XX. 3. p. 522. et vs. 285. p. 532. ed. Orell.]

350. 351. Ornamenta sunt, in quibus poetae iudicium desidero: nisi laciniae sunt e margine assutae. De Hespero acute dici poterat, et, si bene memini, dictum est a vetere poeta (est is Callimachus fragm. LII αὐτὸν μὲν φιλέουσ', αὐτὸν δέ τε πεφρίκασι, ut h. l. *Quem p.*): *Quem pavidae alternis fugiunt optantque puellae:* respectu sponsarum ad sponsum deducendarum: quo Catulli illud spectat: *Hespere*, *qui coelo lucet crudelior ignis?* Hunc versum forte adscripserat aliquis, cum Oeta iniecisset recordationem hemistichii: *procedit Vesper ab Oeta.* Accessit alter versus: *Hesperium vitant*, *optant ardescere solem. Hesperium* (sidus) pro Hespero, *vitant* pro metuunt: *ardescere*, f. *tardescere.* Nam novae nuptae metuunt vesperam ingruentem: non auroram. Heins. *Hesperon evitant*, *optant ardescere Eoum.* Alterum hoc idem iam coniecerat Bentlei. ad Callimachi fragm. laudatum: in quo Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον. Enimvero in Callimacho bene se hoc habet de iuvenibus seu sponsis. At h. l. puellas, si in amplexibus sponsorum habentur, quomodo putabimus optare diem illucescentem? Est igitur alienum a loco totum hoc e Callimacho. [* *pavide* Ed. Pr. *obstantque* R. Helmst. Vulgo legebatur *Solem*, quod Ed. Pr. retinet, quum R. Helmst. hic lacunam habeant. Scripsi vero cum Bentleio et Heinsio *Eoum*, quod tam Callimachi aperta imitatio, quam *Hesperium* suasit. Tum vero sensus perquam bonus prodit, et Heynius, qui, ut interpolationes a se scilicet detectas probet, poetam potius nostrum lacessit, minus quam par fuit, ad vocem *pavidae* attendit. Sunt hic scilicet intelligendae virgines recens nuptae, Veneris adhuc expertes, quae nocte nuptiali instante Hesperium vitant, optantes scilicet, ut iam Eous adsit. Quodsi enim cuperent Solem tardiorem venire, non essent pavidae, sed audaces.]

354. [* *Temptatus propriae* R.]

355. 356. *Laudantur pacisque bonae bona* ms. Basil. *inepto Virginis insolitae* vett. edd., etiam Aldd.; primus emendavit Pithoeus. Aliae edd. *inepte.* [* *Laudanterque* Helmst. *multis* R. *inemptae* R. *inepto* Ed. Pr. *insolitae* R. Ed. Pr. *erat* R. Helmst. Cfr. Huschke ad Tibull. IV. 1, 202.]

357. [* *bellis* Helmst. a m. pr. *ducit* idem.]

Digitized by Google

358. ***Communem deum.*** vid. Not. Laudat Heins. Eleg. ad Messalam ***Communem belli nec meminisse deum.*** Ita tamen ***belli*** noster omittere non debuit. Greene: ***Affinem — deum*** legit, Iovem scil. Cuius tamen respectu ita dici possit, non video. — Porro, ***regis amicis*** vett. edd. et Aldd. cum ms. Basil. ***amicos*** a Pithoeo profectum: puto ut sit, eos illa timere dicit. Sed totus locus 358. 359. 360 est pannus assutus.

359. *Namque ipso verita est orbari moesta parente.* *Μίμησις εἰρωνικὴ* est Scaligero; mihi videbatur esse monachi ineptus lusus ex margine; una cum sequente versu: ***Cum Iove communes qui quondam habuere nepotes.*** Sugillabat, suspicor, lepidum caput Iovem, tamquam qui cum eorum filiabus consuevisset: ita enim communes cum Iove nepotes ex filiabus suscipere poterant: hactenus v. 360 ***Cum Iove*** aliunde petitus et insertus esse potuit. Ita adscriptus esse potuit ex alio poeta ad v. 133 ***pater atque avus idem Iupiter.*** In Ald. 1517 ***Namque ipsi verita est: orbum flet moesta parentem:*** nec aliter ms. Helmstad., nisi quod ***orbum fit*** magis corrupte legitur. Heins. inde refingebat: ***Namque ipso verita est coram fari ista parente;*** ingeniose. Putabat idem post hunc desiderari versum. Tam parum venerat in mentem, haec carmina esse interpolata sexcentis locis. [* Legebatur:

amicos;
(***Namque ipso verita est orbari moesta parente***)

quorum loco omnia alia apparent in codd. Nam in R. Helmst. Ed. Pr. legitur ***amicis***, deinde in R. Helmst. ***Namque ipsi veritas est: orbum flet moesta parentem***, nisi quod Helmst. habet ***fit.*** Hoc quidem est clarum, poetam omnes artes sermonis enumerasse, quibus Scylla patrem voluit permovere, ut bello abstineret, quod facit a vs. 357. usque ad vs. 364. Ostendit primum Carme, fortunam belli esse variam, posse vinci Cretenses, posse et Megarenses; iam transit ad mortes singulorum, quas scilicet in lectione codd. invenisse mihi videor. Scripsi enim: ***nunc regis amicis, Nunc*** (hoc ex coni.) ***ipsi verita est***, ubi ***vereri alicui*** significat timere, ne cui humani quid accidat, in Sorgen wegen jemand sein (cfr. Herzog. ad Caesar. B. G. V. 9.). Dicit igitur se sollicitam esse de vita patris et eius amicorum. Ne quem vero offendat mutatio temporum ***dicit — verita est — flet***, cfr. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 45. Wopkens. lectt. Tull. III. 7. p. 278. sq. Restant iam verba ***orbum flet moesta parentem*** quae quidem verba aptissime ad ipsam virginem referentur. Etenim de se quoque anxia est, se ipsam per bellum periclitari, et facile vitae discrimen adire posse. ***Orbus*** pater saepe dicitur, et ut h. l. etiam invenitur ap. Cic. Parad. 5. §. 39. ***Quem nutum locupletis orbi senis non observat?*** Ex verbis vero, ut iam sunt, constitutis non inelegans prodit gradatio, quae pavidum virginis animum egregie patefacit; primum enim de patris amicis, tum de ipso, deinde de se adeo est sollicita. Sed iam sequitur versus, qui plane est *ἀπροσδιόνυσος*. Nam quo tandem referas ***qui habuere?*** ad regis amicos? At repugnat nimia distantia et quod omnino tum nullus ex iis sensus extorqueri poterit; ad patrem et se ipsam? Nemini hoc succurrat. Huc accedit, quod in R. Helmst. vox ***quondam*** deest et praeterea pro ***qui*** legitur ***quin.*** Quocunque te vertas, non est via, qua tuto incedere possis, ita ut aut Heynio sit h. l. adstipulandum de interpolatione cogitanti, aut lacuna sumenda. Ne quem tamen versus sic certe ineptissimus perturbet, uncis eum inclusi.]

361. ***conficta*** Aldina eadem dedit. ***confecta*** edd. vett., suo more. ***conferta*** Ascens. ***conserta*** Loensis l. c. [* ***confecta*** R. Helmst. Ed. Pr.]

363. ***Nunc alia ex aliis, nec desunt omnia***, ***quaerit*** aliarum edd. est lectio, quae suas argutias habet. Sed ea, quae subiiciuntur, ***omina*** postulant, quae Aldina habet, et Scaliger reduxit. In fine versus ***quaerunt***

Digitized by Google

vett. edd., male, cum ms. Basil. [* *gallia ex aliis* Helmst. *omnia* R. Ed. Pr. Sed *omina* Helmst. *quaerunt*, R. Helmst. a m. pr. Ed. Pr.]

365. 366. Aldina lectio est, quam habemus. *Et cum caesa* — *Ut sint*, *qui g. M.* vett. edd. cum ms. Basil. Mox *auctoribus extis*, ut Aen. X, 67 *fatis auctoribus*. [* *Et cum* R. Helmst. Ed. Pr. — *Esset*, sic scripsi ex coniectura partim propter vers. seq. partim e vestigiis codd. Nam R. habet: *Et sit*, Helmst. *Et sinet*, Ed. Pr. *Ut sint*. — *estis* R. Helmst. a m. pr.]

367. [* *suaderet* R. Helmst.]

368. [* *Et nutrix* Helmst.]

369. *herbas contundit olentis* ms. Basil., ex Eclog. II. puto. [* *contundit* scripsi e R. Ed. Pr., quum vulgo legeretur *incendit*. Locum Virgilii huc pertinentem iam Heynius laudavit in Comment.]

370. [* *ligant* R. Helmst. a m. pr. De ipsa re v. Voss. ad Virg. Eclog. VIII. 72. Grotefend. in Amalth. I. p. 103.]

371. *circum inquit* vett. edd. ante Aldinam alt. cum ms. Basil. [* et Ed. Pr.]

373. In ant. edd. mire interpolatus erat versus: *Hinc magno generata Iovi frigidula sacra.* In Ald. alt. et hinc in aliis: *Inde Iovi geminat magno frigidula sacra.* Haec in *Stygialia sacra* mutavit Scaliger, feliciter utique: ut sint magica: Aen. IV, 638 *Sacra Iovi Stygio quae rite incepta paravi*, atque haec emendatio in vulgarem lectionem transiit, servata editionis Aldinae lectione in ceteris. Hoc ipsum tamen hemistichium aliter refinxerat Scaliger: *Hinc magico venerata Iovi St. sacra:* dura verborum iunctura, ut venerari sacra dicatur anus. Alterum tamen tollere et servare malim *magico Iovi:* nam *magnus Iupiter* vix locum habet in his sacris. De sagarum nominibus reconditis, ut ipsiplices, auriplices, simulatrices, fictrices, veratrices vel potius veteratrices dicantur, docte ad hunc locum Scaliger agit. *geminat sacra*, instaurat, iterat. Editio vet. Leopardi apud Loensem l. c. legebat (ex correctione utique viri docti) *Iunoni Stygiae facit inde Hecateia sacra.* Barth. Advers. XXIII, 21 monstrum emendationis affert: *Hinc magico venerata Iovi Phrygia indole sacra.* Heins. tentabat *fert stridula sacra:* mox tamen ipse abiicit. Io. Schrader. coni. *Inde Iovi ingeminat magico Stygia edere sacra.* [* *Inde magno geminat Iovi* R. Helmst. unde scripsi *Inde Iovi magno geminat*, quum vulgo legeretur *Inde Iovi geminat magno.* Ed. Pr. *Hinc magno generata Iovi.* Et *Iupiter* quidem simpliciter pro *Plutone* dicitur, ut ap. Valer. Flacc. III. 385. Markland. ad Stat. Silv. I. 4, 94., ut non necessaria sit Wakefieldi coniectura *nigro* pro *magno* reponentis; quod autem Scaliger multo cum acumine finxit *Stygialia* pro eo quod in omnibus codd. et edd. vett. tam contra sensum quam contra metrum legitur *frigidula*, retinui paene invitus, quia illa vox nusquam alibi legitur. Melius tamen nunc mihi non succurrit. Bothius coni. *Inde Iovi geminans* (vel *ingeminans*) *magico furialia sacra.*]

374. Scaliger, omnes, inquit, antiquitus excusi: *Idaeis avibus*, quod vetus editio apud Loensem, ex nostris antiquis edd. nulla praeterquam Norimberg. agnoscit: ceterae, etiam Aldina sec., *Idaeis senibus.* Multa inde molitur Scaliger, ut interpretetur aves has Idaeas; mox favente Ald. tert. emendat: *Idaeis anibus;* ut ms. Helmst. quoque legit; ms. Basil. *avibus*. Nos a senibus non recedemus: erroris librarii caussa manifesta est. Quos autem *Idaeos* hos *senes* dicemus esse? Iul. Sabinus Idam Troadis vel Phrygiae, et hinc sacra Cybeles, infert; Taubmannus Cretenses interpretatur. Ita quomodo *Graeci* opponi possunt? Artes magicas modo inter Thessalos modo inter Colchos celebratas exhibent poetae; legamus itaque: *Sacra nec Aeaeis senibus nec cognita Graiis.* Aea et hinc Aeaea de Colchide frequens poetis; senes Graii de Thessalis. Nunc iusta comparatio. Heins. coni. *Aeaeis anibus* vel *Edonis*, tum *nec c. Threis.*

Digitized by Google

(Thressis!) At non de furore Bacchico, sed de sacris magicis hic agitur. [* *Aeaeis* scripsi cum Heinsio et Heynio pro vulg. *Idaeis*, et pariter *senibus* retinui cum R. Ald. 1517. Iunt. 1520. In Helmst. est *anubus*, Ed. Pr. *avibus*, Ald. 1527. *anibus*. — *Grais* R.]

375. [* *Pergit* offendere potest, quia nondum dixerat poeta, Carmen hoc iam fecisse. Sed repetitionis notio, quae necessario huic voci est coniuncta, ex *geminat* pendet, quod simpliciter est saepius idem facit, recolit. De copula ante *pergit* omissa v. Ruhnken. ad Vell. I. 4. II. 20. Scaligerum de *oliva* cogitantem satis refutavit Heynius in notis, cui tamen *myrtum* intelligenti assentiri nequeo, quia huius in rebus sacris et maxime expiatoriis usus nusquam commemoratur. De *lauro* potius explicare suadet locus Virg. Eclog. ab ipso Heynio allatus, unde apparet, lauros ad Eurotam fuisse prognatas, quam arborem ab h. l. minime alienam esse, docet Ovid. Fast. IV. 728. *Virgaque roratas laurea misit aquas.* Erudite haec illustravit Casaubon. ad Theophr. Char. 16. p. 175. Fisch. Helmst. *emicleos pergens—tallo*, R. *Perdit amicleos pergens—talo.*]

376. [* *Iolchiacis* R. Helmst. — *defigere*, v. Theodor. Schmidius ad Horat. Epp. Vol. I. p. 140, vs. 14. R. Helmst. *defugere.*]

377. *stabulis fallacia* vett. edd. constanter habere affirmat idque praefert Scaliger: quod iterum de nostris verum non est. Una Iuntina eam lectionem exhibet; et Domitius et Ascensius eam interpretantur; vix tamen eam probandam arbitror. *Nisum stabilem* bene dixit a sententia animi firma, in qua ille perstabat. [* *fallacia*, v. Iahn. ad Virg. Georg. IV. 443. *stabulis* Ed. Pr.]

379. *in patrio* Heins., quod alienum. Niso enim est fiducia in suo crine. *fiducia cavendi* est forte paullo insolentius dictum, potest tamen ferri: ut putet facile se sibi cavere posse a malis, quae metuebant aut ominabantur alii. Vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, pag. 329 varie sed frustra tentat. Nodell. p. 82 *Tanta est in* parvi *fiducia* stirpe *capilli* coniicit. Praestat forte *caventi* Niso: si modo caveat, ne crinis fatalis sibi eripiatur. Nisi fuerit: *crine; paventi Rursus — puellae.* Sed totus versus suspectus mihi est. [* Pro *cavendi* Helmst. habet quidem *movendi;* sed ab eadem manu nostra lectio est apposita, quae ita explicanda videtur, ut *cavere* pro *evitare* dictum putemus, in reliquis Heynium sequentes. Saepe verba ita commutantur, ut praegnanti significatione antecedens pro sequenti ponatur.]

380. *sociae* coni. Heins., vix bene.

381. *rursus* otiose repetitur: saltem *ferro.*

382. 383. 384. Turbata et luxata sunt omnia. Nec mirum: adhaeserant, puto, versus in margine alicuius codicis a sciolo scholastico male alliti. Scaliger in antiquata verba proclivis sic comprehendebat sententiam: *Tum longo quod iam captet succurrere amori, non minus illa tamen.* Ut *quod* sit pro, quamvis. Lenior forte medicina: *Tam longo quod iam captat succurrere amori.* Versus tamen vel sic enervis, etsi facile erat meliorem substituere. In Iuntina editur: *Quum longo quoniam.* Ferrem, si daret codex: *Quum, longo quanquam captat* (f. *cupit ah*) *succurrere amori, Non minus illa tamen— Gaudeat;* ut iungatur: *Quum Gaudeat.*

383. *Non minus illa tamen revehi, quod moenia crescant, Gaudeat;* foede corrupta. Pro *revehi* in vett. edd., etiam Ald., *rauci*, et *crescat* ms. Basil. et Helmst., adscripto *cernat*. In *crescant* nomen Cretae latere facile assequare: Carme ad Cretam, in qua nata, saltem educata, erat, sibi reditum dari non sine gaudio agnoscebat. Scaliger refinxit: *Non minus illa tamen revehi quoque moenia Cretes Gaudet.* Sed dura sunt *moenia Cretes.* Malim: *Non minus illa tamen revehi se ad moenia Gnossi Gaudeat.* Heins. *revehique ad moenia Cretae.* Io. Schrader. *moenia cressa.*

384. *et cineri patriae est iucunda sepulto.* Vett. edd. *patriae et*, vel *cineris patriae est.* Vetus edit. apud Loensem l. c. *Gaudere et cineris patriae laeta esse sepulcro*, quae interpolationem manifeste produnt. Scaligeri correctione ne ipsi quidem monachi veteres scabriorem proferre potuissent. *Gaudet: at ei cinis est patriae iucunda sepultae:* ut esset: huic placet ruina patriae suae. Utrique caussa est, quod gaudeant: illi, quod iterum in Cretam reverti sperat: huic vero, quod de casu patriae certa sit. Hoc vero Scylla non gaudebat. Itaque nec Heins. bene: *et cinis est patriae iucunda sepultae.* Barthium sensum verum tenuisse video, qui tamen legere maluit: *Gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulcro*, h. anui illi iucundum est in patria sua cineri suo invenire sepulcrum. Sed veram lectionem invenire in promtu est, eamque mox in Aldina dudum vulgatam vidi: *et cineri patria est iucunda sepulto.* Ita et ms. Helmst. legebat. Etiam cineri sepulto patria humus grata est. Si non vivere licet in patria, saltem, in ea humari ut contingat, in votis habemus. [* Vulgo ita legebatur:

380. *Rursus ad inceptum sociam se adiungit alumnae,*
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Cum longo quod iam captat succurrere amori:
Non minus illa tamen revehi, quod moenia crescant,
Gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto.

Apparet primum, versus 377—382. non amplius de Carme verum de ipsa Scylla intelligendos esse, quo iam Heyniana opinio de voce *rursus* v. 381. concidit. De Scylla vero haec omnia dici, docent vs. 381. *parat tondere capillum* et 383. *Non minus illa tamen*, quae nulla alia est nisi Carme. His iam in universum praemissis, ad singula progrediamur. Sententiae meae repugnat quidem vs. 380. *alumnae*, i. e. ipsi Scyllae, quia de *nutrice* sumi nequit (v. ad vs. 440.). Stupor tamen vel interpolatio librariorum, malam hanc significationem ut iam aliis in locis vidimus probantium impedire nos non debet, quominus ex coniectura scribamus *alumna*, casu nominat., quo nomine cur hic potissimum Scylla dicatur, aperiet vs. 368. *nutrix*, a qua igitur ad alumnam transit. Hac autem voce restituta reliqua pars versus omni sensu caret, quae, quamvis *alumnae* retineretur et de Carme intelligeretur, tamen et sic durius dicta esset: Scylla enim tum sese sociam Carmae adiungeret, quum potius sententia sit plane contraria. At codd. et hic viam indigitant, quo eundum nobis sit, exhibentes, ut certe est in R. Ald. 1517., *se iungit*, unde certissima emendatione scripsi *se cingit;* etenim *se cingere ad rem* non differt a *se accingere rei*, quod quam saepe legatur, constat. (V. Gesner. Thes. s. h. v.) *Sociam* autem ex mala ista lectione *se iungit* ortum esse puto, et mutandum in *facinus* ex vs. 326. In vs. sq. nihil iam offendit. Sed nova dubitatio oritur in vs. 382. ubi in Ed. Pr. Ald. 1517. sqq. legitur *logno*, in R. Helmst. a m. pr. *longe*, in eodem a m. sec. *valde.* Retinemus, quia adverbio hic nullus locus datur, adiectivum quod insuper usus commendat (v. Catull. LXXVI. 13. Virg. Aen. I. 749. III. 487.). Et quia Scylla iam nimis diu amori explendo restitisse sibi videbatur, ex coniectura reposui *Praelongo.* In vs. seq. nulla est varietas lectionis, nisi quod in R. pro *revehi* exstat *rauci*, in Helmst. a m. pr. *rephehi*, a m. sec. *revehi*, et in Helmst. Ed. Pr. *crescat.* De *Creta* hic agi et desiderio Carmes in patriam revertendi, intpp. recte perspexerunt, et Schraderus sine dubio rem tetigit quum *moenia Cressa* proponeret. *Cressus* enim adiectivum esse, docent Horat. Od. I. 36, 10. Virg. Georg. III. 345. Propert. V. 7, 57. Sensu porro suadente pro *Gaudeat et* scripsi *Gaudebat*, ita ut interpunctione paululum mutata *revehi* ab hoc ipso verbo pendeat, et ad verba *Non minus illa tamen* ἀπὸ κοινοῦ repetendum sit *se cingit* et *parat.* Partem emendationis a me propositae *Gaudebat* occupavit Bothius,

Digitized by Google

qui praeterea pro *quod* legit *quoque*. Sententiam versus 384. bene dilucidavit Heynius. In Ed. Pr. legitur: *patrie estque iucunda sepulchro*.]

385. *Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno*. Iterum inepti monachi acumen ex margine illatum, sed valde obtusum. *Metus* saltem disertius erat exponendus. Barthius non male emendat: *Ergo tum capiti*. Puto tamen interpolatorem scripsisse: *Ergo iterum c*. Hoc idem Heins. coniicit. [* *Iterum* scripsi cum Heinsio et Heynio pro vulg. *metu*. In R. Helmst. a m. pr. Ed. Pr. legitur *capitis*.]

386. Per tres versus diversa narrationis capita ieiune satis per *Tum* iunguntur. Saltem tertio: *At suspensa*. Omnino hic erat carminis locus, qui disertissime tractari debebat. cfr. Ovid. Met. VIII, 81 sq. Pro *succiditur* vett. edd. ante Aldinam male *succingitur*; in qua et *Tunc*. [* *Tunc* R. *Sydonia* R. Helmst. a m. pr. *deceditur* R. Helmst. unde scripsi *deciditur*, cum vulgo esset *succiditur*.]

387. [* *Tunc* R.]

388. [* *Tunc* R. Ed. Pr. *manibus* Helmst. a m. pr. *navibus* a m. sec.]

389. *Niscia virgo*. Sic scribendum: *Νισηὶς*, *Νισηΐα*. non *Neseia*: conf. Heins. ad Ep. Sabini I, 33.

390. *illam*. Heins. coni. *Scyllam*. Mox male vulgatum *Thetis*.

391. [* *Thetys* R. *theseis* Helmst. a m. pr. *thetis* idem a m. sec. et Ed. Pr.]

393. F. *Illam etiam*, scil. miratur. Sicque ms. Basil. *iunctis quae piscibus*. *pristibus* haud dubie Heinsius et hic emendaret. Et ecce in schedis emendat. [* *Illam* scripsi e R. quum vulgo legeretur *Illa*. — *et* R. — *quoque* R. De *piscibus* v. Gronov. obss. I. 17. p. 142. unde docemur, a nonnullis quidem scriptoribus *delphinos*, hi enim h. l. sunt intelligendi, inter pistres sive *κήτη* relatos fuisse, alios tamen eos simpliciter *pisces* dixisse. Dicit quidem Gronovius, suspectos sibi esse eo nomine Tibull. I. 5, 46. Senec. Agam. 445. et Val. Flacc. *Tyrrheni tergore piscis*; at vereor ut ipse, si ad locorum mutationem progrediendum ei fuisset, antiquas lectiones expulerit, et ubique *pristes* reposuerit.]

395. *Leucothoe* male scriptum perpetuo librariorum lapsu in antiquioribus. Aldina et sequiores edd. *Leucothea* recte. cfr. Muncker. et Staver. ad Hygin. f. 2, quosque illi laudant. Vitium itaque in ed. Heins. et Burmann. relictum correxi. [* De *Leucothea* adde Burm. Sec. ad Propert. p. 413. *Leucothea* R. *Leucotoa* Helmst.]

396. F. *Illam etiam*. Et sic iam Heins., moxque *et niveos*. *aeternas* male vett. edd. ante Aldinam. Nota fabula de Dioscuris, summa arte tractata a Pindaro Nem. X. cf. supra Aen. VI, 121 *Si fratrem Pollux alterna morte redemit*. Per prolepsin Dioscuros in hac aetate memorari et, quia navigantibus adsunt, nunc memorari, facile intelligis. [* *Illam* scripsi cum Heinsio et Heynio pro vulgato *Illi*. Cave vero in seqq. cum eodem Heinsio scribas *et niveos*. Est enim anacoluthon satis usitatum *illam* — *virginis artus*, quod a librario non satis intellectum malam lectionem creavit. Quisque etiam me non monente sentit, quam inepta sint et ab h. l. prorsus aliena pronomina *illa* et *illi* *παθητικῶς* substantivis adiecta.]

397. Versus ex Eclog. IV, 49 ab alia manu illatus. [* *aeternas* R. Helmst. Ed. Pr. — *lucos* R. Helmst.]

398. [* *Tintaridae* Helmst. *Tyndarides* R.]

399. [* De *adeo* ad sententias coniungendas adhibito v. Horat. Tursell. p. 36. Delectatur vero ea particula auctor Ciris.]

401. 402. Ex Aen. II, 405. 406. *lumina tollens*. Aldina *tendens*. [* *tendens* scripsi e R. Helmst. et loco Virgiliano pro vulg. *tollens*. Pro *ardentia* V. D. ap. Schraderum Emendatt. p. 38. maluit *arentia*.]

403. *turbato* Ed. Ven. 1484. *turbata o* [* Ed. Pr.] Ald. pr. Iunt. et

Digitized by Google

Norimb. Omninoque haec erat vetus et vera lectio. *turbati f.* [* R. et] Aldina. *turbati o f.* alia vetus editio Barthio laudata. *turbata flumina* ms. Helmst. *Venti turbati* sunt simpl. turbidi, concitati.

404. 405. Ex Ecl. VIII, 19. 20. [* *Testes* quomodo *Dii* h. l. dici possint, tum apparet, ubi memineris, inter Minoem et Scyllam pactum initum fuisse; v. ad vs. 186. et infra vs. 413. Minos igitur quum foedus cum Scylla faceret, Deos testes fidei suae advocaverat.]

407. *Vos matutina si qui de gente venitis*, ut aves sint, in quas cognatione iunctae Procne et Philomela fuerant mutatae: conf. sup. 198 sqq. Ita legitur ex Scaligeri emendatione. Vulgata lectio erat: *Vos Numantina:* sic iam vett. edd., etiam Ald., at Ven. de Tortis cum aliis: *Vos o Mantina:* promtum est in *Mantinea* hoc mutare, quod et Scaliger arripuit, sed mox iterum dimisit. Sane Arcadum ea urbs ut totam Peloponnesum designaret, satis esset insolens. Nec tamen altera Scaligeri lectio habet, in quo acquiescere possis. Doctius nomen latere, et quidem stirpis et gentis Philomelae et Procnes, non dubito. Itaque refingo: *Vos, Pandionia si qui de gente venitis*, per aerem volantes occurritis. [* Recepi quidem coniecturam Heynianam, quae per se spectata omnibus aliis est praeferenda. Nondum tamen locum persanatum puto propter nimiam lectionis discrepantiam in codd. Etenim R. Ed. Pr. exhibent: *Vos o numantina*, Helmst. *Vos o numontina.* Bothius autem *Pandionia si quae.* Post *venitis* quum hucusque virgula posita fuisset, ego maiorem feci interpunctionem, quod partim structura partim sensus flagitat.]

408. *Spernitis?* coni. Green. [* *nobis* Helmst.]

409. *quod o salva* vett. edd., etiam Aldina. *salva liceat te dicere* iam eadem Aldina dedit: aliae edd. [* ut Ed. Pr.] *liceat tibi.* Scaliger frustra refinxit: *liceat mihi.* Versus insititius. [* *o* R. Helmst. Ed. Pr. Vulgo *ah.* Ceterum Heynius, quum priorem minusque probam Scaligeri opinionem memoraret, afferre etiam debuit alteram interpretationem qua lectionem vulgatam ita bene tuetur: „ἀφοσιοῦται autem facinus Procnes. Hoc enim necesse fuit, cum et aves, et inter eas cognatam alloquatur.“ Etenim *te salva* est i. q. pace tua. cfr. Ovid. Met. XV. 109. *salva pietate.* Procne prae reliquis illis avibus nominanda fuit, quod eam necato filio iram Deorum maxime in se concitasse atque ita mutationis auctorem fuisse par est. Invita igitur Scylla profitetur, sibi cognatas esse illas aves, quia simul sceleris Procnes nefandi mentionem facit. Bothius: *quod haud salva licuit te dicere.*]

410. [* *Scylla ego sum* Ed. Pr.]

411. [* *Certamen* Helmst. a m. pr.]

412. [* *Quam curvus terris* R. Helmst. qui tamen post *curvus* inserit *e.* Recepi equidem hanc lectionem, quum nisi fallor in omnibus edd. scriberetur *Qua curvus terras*, quod quum ferri posset, alteram tamen meliorem habui. Primum enim elegans repetitio pronominis relativi loco copulae eam non parum commendat (v. Horat. Od. I. 3, 19. 20. 5, 9. 10. 12, 14. 15. Sat. I. 4, 43. etc.). Deinde antithesis temporis prioris et recentioris poeta nostro quam maxime digna ipsis verbis aperte significatur *(petiit — amplectitur).* Iungi autem oportet *curvus terris;* ut enim *aequora*, *freta* saepe *curva* dicuntur (Ovid. Met. II. 505. Val. Flacc. I. 615.), ita et Hellespontus h. l. illo cognomine gaudet, cui *terris* per abundantiam solemnem additur. Notandum vero est, *Hellespontum* hic latiori significatione de omni mari Graeciam adluente dici; similes turbas geographicas notavit Markland. ad Stat. Silv. II. 1, 181.]

413. *Scylla ego sum* ms. Basil. *Minus* Loensis l. c.

414. *tamen haec, etsi non accipis, audis.* Igitur *accipere* esse debet admittere, probare. Sed usu probatum, ut sit auribus accipere, audire. Scaliger ex antiquis edd. reponit *audi:* tamen haec audi, quanquam tibi non placent. Verum et hoc non minus ieiunum. Heins. *etsi non adspicis,*

Digitized by Google

audis. Totum versum a mala manu insertum arbitror, vitio priori versui semel illato, ut *Illa ego sum Minos* legeretur. Scriptum scilicet fuerat: *Illa ego Minois sacrato foedere coniunx Vinctane iam magni tranabo gurgitis undas?* [* *Data* Ed. Pr. Cfr. Markland. ad Stat. Silv. III. 1, 82. Heusing. ad Cic. Off. I. 10, 6. Fatendum est haec verba *tamen haec — audis* cum prioribus et seqq. comparata mirum quantum languere; non tamen inde collegerim, ea spuria esse. *Accipere* enim bonam explicationem admittit, si, quod unice verum puto, non ad Scyllam neque eius verba, sed ad *foedus* refertur; invenitur enim *foedus accipere* etiam ap. Sallust. Iug. 14. et praeterea comparari possunt *accipere conditionem*, *leges*. Sensus igitur verborum non tam sententia quam concinnitate laborantium hic est: *foedus tecum sum pacta, et quamquam foedus non accepisti, tu tamen ea quae in dedecus tuum dico, audis; perfidiae tuae eo progrederis, ut foedere neglecto opprobria quoque mea negligas*. Ita puto locus et ab coniecturis et ab mala interpolationis suspicione defendi poterit.]

415. [* *Victane* R. *gurgite* Ed. Pr.]

416. *Victa* vett. edd. ante Aldinam, ex more. *assidua* etiam Ven. Norimb.

417. Noli refingere: *Non equidem me non possum contendere dignam Supplicio:* Non possum contendere, me non dignam esse supplicio; merui vero. Sententia enim sic instructa: Non equidem possum contendere, dignam me alio supplicio, scil. quam hoc; immo vero, fateor, me dignam supplicio hoc: sed hoc ab iis, quos laeseram, non a te, inferri mihi debebat.

418. *quod sic* Aldina primum dedit. Aliae *quanquam*, male. Basil. *quam quod*. Heins. *quia nam*. [* *quot sic* Helmst. *quam quod* Ed. Pr.]

419. *ingrata* vel *ignava* coni. Heins. *gnara* emendat Scaliger. Sed et alterum habet locum: *ignara* enim futuri, cum longe aliter acceptum iri a Minoe beneficium putaret.

420. *Verum esto: Haec*, *Minos* iam emendatum in eadem Aldina. Aliae vett. *Verum est hoc* vel *Verum est haec* cum ms. Basil. Io. Schrader. Emendatt. p. 63 *Verum isthaec*, *Minos*, *illos scelerata putavi — Facturos*. non male! [* Praeclaram Schraderi emendationem pro vulg. *esto*. *Haec* recepi, quae etiam subsidiis criticis confirmatur. Nam R. Helmst. Ed. Pr. exhibent *est*. *Haec*. — *illo* R. Helmst.]

421. [* *aliquid* Helmst. a m. pr. *aliqui* idem a m. sec. *nudassent* idem.]

422. *direptae m. urbis* em. Heins. [* *dereptis* Helmst.]

423. [* *flammam* Ed. Pr.]

424. [* *non* Helmst. a m. pr. *vero* idem a m. sec.]

425. *Maturata* ed. Fabric. [* *mihi* om. R.]

426. *Iamiam scelus omnia vincit*. Languet τὸ *iamiam*. Sceleri epitheton addi poterat: sive puellae sive Minois scelus intelligas. Barthius interpretatione sic iuvat sententiam. *omnia*, etiam fidem datam. Heins. refingit: *Iamiam scelera omnia vincis*, vel *quanquam scelera omnia vici*. [* Verba non emendatione sed interpretatione egent. Explicanda enim videntur ex similitudine locutionum *omnia pati*, *facere*, *dicere* (Cort. ad Cic. Fam. XIII. 28.) ut significent: iamiam scelus a te commissum omnia licet scelestissima egreditur. Pro *facturum* in Helmst. legitur *factorum*, in R. *fatorum*.]

428. *nec mirum*. Heins. f. *nimirum*.

429. Ex Ecl. VIII, 41 temere, ut puto, huc illatus.

431. *forma*, *vel sidere fallor*: vel specie vel fato. Putida oratio: forte *forma*, *proh sidera! fallor*. In Misc. Obss. Vol. IV, p. 330 virum doctum tentasse video: *formae vel sidere falli:* ut *formae sidus* forma siderea sit. Ms. Helmst. *forma vel sidera falle*. [* *sidera fallet* Helmst.

Digitized by Google

a m. pr. Vulgata vero scriptura non tentanda videtur; nam *sidere* explicandum puto ex vs. 174. cum adnot. nostra. Dicit igitur Scylla se deceptam fuisse vel pulchritudine viri, ut qua tantam perfidiam non celari posse ipsa credidisset, vel faustis indiciis, quae sibi sidera praestitissent. *Fallor* vero pro *falsa sum* dicitur, comparato *speravi;* v. Cort. ad Lucan. II. 328. De Graecis v. Matthiae Gr. Gr. §. 504. I. p. 956. ed. sec.]

432. [* *Me non* R. Helmst. Vulgo *Non me.* — *delictis* Helmst. *delectis* R. Sed *deliciis*, quod iam in Ed. Pr. prostat, bene se habet; v. Catull. LXIX. 4. *aut pelluciduli deliciis lapidis.* Nostro in loco per epexegesin deliciae illae accuratius describuntur.]

433. *Coralio fragili ac electro lacrimoso:* ita refinxit versum Scaliger (nec indocte, modo *atque* maluisset), cum in Aldina esset *et.* Nec aliter ms. Helmst. Versus procusus eo modo, quo Aen. VIII, 402. *quod fieri ferro liquidove potest electro.* Etsi nunc *electrum* succinum est, olim in summo pretio habitum. Vulgg. *et lacrimoso movit electro*, ex interpolatione, et tamen cum vitio versus. Nec aliter ms. Basil. In Plantin. et aliis versus sic constitutus est: *Non me — dives*, *Dives coralio fragili et lacrimoso electro.* Loensis sic refingebat: *C. et fragili aut monuit lacrimoso electro.* conf. Voss. de Analogia III, 36. [* *Curalio* tacite rescripsit Iahnius pro vulgato *Coralio*, Heins. ad Ovid. Met. IV. 749. *Corallo* R. Helmst. — In sqq. legitur in R. Helmst. Ald. 1517. 1527. *et lacrimoso electro*, in Ed. Pr. Iunt. 1520. *et l. movit electro*, quarum lectionum priorem a Scaligero primum mutatam ego veriorem puto, ita ut sane aliquid exciderit; et nisi me omnia fallunt, sic fere scripserat poeta: *Curalio splendens fragili et lacrimoso electro*, vel *Regia cur. fr. et lacrim. el.* Ut nunc tamen se res habet, transpositionem Scaligeranam retinui, cum Heynio et Iahnio scribens *atque* pro *ac* vel *et.* Sed quisque, me licet non monente, perspiciet, talem transpositionem minime omnium probari posse, in qua praeter verba transposita aliud etiam quidpiam immutari debet. (Cfr. Hermanni Opusc. III. p. 109. sq.)]

434. *Non me fl.* melius vet. edit. apud Loensem. [* Vox *Nympha* ex usu Graeco est illustranda, quo quamque virginem nubilem significat; v. Passov. lex. Gr.]

435. [* *incendens* R. Helmst. a m. pr. *incedens* idem a m. sec.]

436. *Omnia vincit amor.* Sic sup. Ecl. X, 69. Hic vero dandum erat: *Omnia vicit amor*, et hoc ipsum e ms. Helmst. notatum video. Procedit enim sententia sic: Nihil abduxit ac deterruit me a scelere: non paterna domus deliciis et puellis comitibus affluens, non deorum metus. [* *Vincit* R. Ed. Pr.]

437. *Non mihi iam* ms. Basil. vett. edd. et ipsa Aldina, melius quam *Nec sudabunt.* Sane Ge. II, 118 *Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque et b.* et alibi: sed alio sensu. In simili loco cum Tibullo nostro (lib. III, 4, 28) praeferam *stillare: nec mihi iam pingui stillabunt tempora myrrha.* [* Quamvis sit verisimilis Heynii coniectura, tamen eam recipere dubitavi. Nam ea breviloquentia utitur poeta, ut quod *myrrhae* tantum convenit, hic ad tempora Scyllae transferat. *Myrrha* scilicet *sudatur* arboribus (adde Tac. Germ. 5.), et simili audacia dixit Tacitus Germ. 5. *Germania est pecorum fecunda*, *sed plerumque improcera*, ubi v. Passov. p. 92.]

438. *spinus* Leopardus malebat apud Loensem Epiphyll. VIII, 27, f. inani acumine. *odores* iam Ven. 1484. Norimb. et aliae; at Aldina protulit *honores*, quod et Heins. praefert. Nihil vulgatius hac varietate in libb. conf. Burmann. Anthol. pag. 37. Elegans autem versus de taedis, quae novae nuptae praeferuntur. [* *dascos* R. *accendit* R. Helmst. *honores* R. pro vulg. *odores*; illud recepi, coll. vs. 145. et Virg. Aen. III. 547. *Iunoni Argivae iussos adolemus honores.*]

Digitized by Google

439. *Non Libys* Aldd. cum ms. Basil. [* *Non* Ed. Pr.]

440. *Vana queror* coni. Heins. *nec et illa quidem* inde ab Aldina legitur. Antiquiores: *nec ut illa quidem.* Excidit puto *me: magna queror: me ne illa quidem communis—tumulabit*, h. e. quod vero maximum est, de quo queri possim: me ne tellus quidem tumulabit, *illa communis alumnis omnibus;* aut ita legendum cum Scaligero, aut *nec me illa quidem communis alumnam tellus tumulabit;* quod malim, quodque Heins. quoque amplectitur, et ad Gronov. ad Tacit. ablegat; nondum enim idonea auctoritas ulla allata est, qua *alumnum* active pro altore et nutritore dictum esse constet. Longa est ea de re disputatio in Thes. Gesner. Quod omnium codicum auctoritas in h. l. *alumna* tueri dicitur, perperam pronuntiant viri docti. Quot enim habemus codices Ciris? Male etiam Barth. provocat ad sup. 273 *haustum mihi pectus alumnae.* Est enim: *mihi alumnae.* In Basil. ms. erat *ne ut illa quidem.* Unde Heins. tentat: *mene* (voluit *me ne*) *illa quidem — alumnam.* [* *ne ut illa* Helmst. Ed. Pr. Vulgo *nec et* sine sensu et nexu grammatico; recepi quidem Heynianum *me*, sed ita ut scriberem *nec me.* De *nec—quidem* v. Passov. et Hess. ad Tac. Germ. 7. — In seqq. omnes codd. exhibent: *communis alumna*, qui quidem unus est locus, in quo *alumna* activa significatione sine ulla dubitatione sumendum esse VV. DD. pronunciant. Et quum prioribus seculis satis amplam locorum copiam interpretes invenisse sibi visi essent, ubi *alumnus* de *nutriente* dici putabant, plerosque nuper sanius explicuerunt (v. potissimum Gesner. in Thes. L. L. s. h. v.), et remanent modo hi loci: Sil. Ital. IX. 532. ubi Minerva ait: *sed lumen alumnae Hannibalem Libyae pelli florentibus annis Vita, atque exstingui primordia tanta negabam.* Neque tamen hic locus aliquid comprobat, quum Minerva ipsam Africam a se nutritam dicat eadem ratione qua alumnam a nutrice. Vis huius loci clarius perspicitur, si Venerem Italiae Deam tutelarem cogitamus. Alter locus est Martiani Capellae I. p. 11. *Vector eius cygnus impatiens oneris atque etiam subvolandi, alumna stagna petierat*, quam Viris DD. pro illa significatione pugnantibus libentissime relinquo, reputans a scriptore Madaurensi seculi quinti puritatem aevi Augustei requiri non posse. Quasi quis Appuleium ad sermonem Ciceronianum revocare velit! Serioribus temporibus cum multis aliis etiam hoc innovari potuisse, quis negaverit? unde huc maxime referendus videtur Isidorus Origg. X. 1. *Et qui alit et qui alitur, alumnus dici potest, id est, et qui nutrit, et qui nutritur; sed melius tamen, qui nutritur.* Fortasse etiam, ut librum Martiani Capellae corruptissimum esse constat, verba illa depravata sunt, qua de re tamen nunc nihil decernere ausim. Tertius locus est is, de quo nos iam acturi sumus. Eius ex vulgari lectione haec est structura: *me ne tumulabit quidem tellus communis omnibus alumna arena iniecta*, quae quum verba iustam et absolutam sententiam contineant, aliquid inveniendum est, quod nulla sensus mutatione rei grammaticae succurrit. Et hoc invenisse mihi videor legendo *communiter alma*, quae quidem adverbii cum adiectivo coniunctio exemplis non eget. *Tellus* autem quo iure alma dicatur, docet Serv. ad Virg. Aen. X. 252. et dativus *omnibus* non a solo *alma* verum a *communiter alma* simul pendet.]

441. [* *cumulabit* R. Helmst.]

442. *inter comites.* Sic vett. quoque edd. At Ald. et inde Veneta de Tortis: *inter matres*, minus tamen accommodate. *inter matres ancillarique marinas* ms. Helmst.

443. *Maenalias* vett. edd. et codd., etiam Basil. constanter, ut etiam Scaliger eo devenerit, ut ita legendum putaret: nam et Arcadiam, inquit, et reliquam Peloponnesum bello vicerat. Hoc unde habeat, nescio: illud tamen video, fraudem fecisse obscuriorem ductum librarii *Nenalias* pro *Men' alias:* quod recte inde ab Ald. sec. legitur, modo interpungatur, ut fecimus. Poeta tamen bono digniora suggerit Heinsius: *Men' viles inter;*

Digitized by Google

vel *Mene colos inter.* Porro: *famulari* vel *famulatus munere.* [* *matres* R. Helmst. Vulgo *comites.* — *ancillarique* R. Vulgo *ancillarumque.* — *maritas* R. *marinas* Helmst. Vulgo *catervas.* Ut locus hucusque legebatur, a nemine intelligi potuit. Quinam erant illi comites adeo nude dicti? quaenam aliae catervae ancillarum, nisi forte ipsa catervam effecit? quale discrimen inter comites et ancillas? Omnes vero istae difficultates sublatae esse videntur recepta codd. lectione *matres* — *maritas*, et ex coniectura restituto *ancillarisque* i. e. ancillaresque. Singula iam videamus. Et quod primum in quoque loco vel vindicando vel emendando est notandum, sensus, nostro loco hic est: Nonne, ait Scylla, licuit, me inter alias ancillares matres et maritas munere famularum fungi? *Matres* ob dignitatem appellat, oppositura eas sibi puellae, qua significatione hanc vocem interdum legi docet Virgil. Aen. VIII. 665. *castae ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.* De enclitica *que* non suo loco posita (proprie enim dicendum erat *maritasque ancillares*) v. Tibull. I. 3, 56. 4, 2. 1, 51. *Maritae* pro *uxores* apud omnes poetas inveniuntur. Restat iam unum illud *alias* (ubi R. *Macnalias*, Helmst. Ed. Pr. *Menalias*), quod eo offendere possit, quod Scylla neque mater neque marita fuit. Ne vero quis eam ob causam vitium aliquod subodoretur, mittimus talem ad Passovium ad Tac. Germ. 4. p. 90. qui inprimis post Walchium emend. Liv. p. 58. seqq. hanc vocis *alius* redundantiam demonstravit. Wakefieldus coni. *Mene illas.*]

444. *quaecunque erit illa beata* edd. vett. ante Aldinam. Sicque Iulius Sabinus legerat, idque praeferam, cum Heinsio. [* *beata* etiam Ed. Pr. male. Nota est attractio.]

447. *fesso de corpore* haud dubie: e Catullo l. c. 189 *Nec prius a fesso secedunt corpore vires.* Et sic quoque Io. Schrader. Emendatt. p. 64. [* Catullum ita dixisse, nemo negabit; at Ciris auctorem, ut hic legitur, scribere potuisse, pariter certum. Est enim inversio adiectivorum nota, de qua v. Walch. ad Tac. Agric. p. 138. Aut quidni *fessae* genitivum sing. habere possis, pendentem a *corpore?*]

448. 449. Potest et interpungi: *Et caput — cervice recumbit Marmorea:* ut Scaliger mavult. Quod autem sequitur: *adductis labascunt brachia nodis*, in versus legem peccabat: itaque inserui *que*, quod iam Scaliger facere monuerat, et iam factum video in ed. Iunt. At Ald. et aliae vett. edd. *labescunt:* hoc metro caveret, a *labor:* sed auctoritate destituitur. In Misc. Obss. Vol. IV, pag. 330 vir doctus (I. Iortin) cum Heinsio emendabat *livescunt*, eleganter: nescio tamen an vere, et ex poetae mente. Nam de deficiente puella sermo est. Praestat *tabescunt* cum Io. Schradero legere. [* *servicc recubit* R. *tabescunt* pro vulg. *labascunt* scripsi cum Schradero, cuius emendationem confirmant codd. R. Helmst. in quibus *labescunt.* Praeterea pro vulg. *adductisque* ex iisdem codd. scripsi *adductis.* Doederlinio (Lat. Synon. I. p. 132. sq.) in h. versu tractando assentire nequeo.]

450. *Aequoreae pestes.* Ita statim priscae edd. exhibuere: et ex iis reponi iussit Scaliger. *Aequorei pisces* Aldina intulit interpretamentum. In promtu est videre neutrum verum esse, sed esse legendum: *Aequorei pristes*, belluae marinae, ut toties alibi. Sicque Heins., et, *immania corpora Phocae.* [**Aequorei* R. *pristes* Heinsius et Helmst. a m. sec. Vulgo *pestes*, R. *pisces.* Fortasse rectius reponatur *Aequorei pristes*, quo tum et scriptura cod. R. pressius servabitur; v. Gronov. obss. I. 17. p. 142. Veritatem lectionis *pristes* pro vulg. *pisces* imprimis mihi persuasit Virg. Aen. III. 427. *postrema immani corpore pistrix.* — *minantia* R.]

452. *Verbera caudarum* vett. edd., etiam Aldina, cum ms. Basil.; ita et *hiatum* vel *hiatus* pariter debebant exhibere. [* *Verbera* R. Helmst. Ed. Pr. et Iunt. 1520. Sed retinui lectionem, quam, licet Heynius contrarium dicat, Ald. 1517. et 1527. primae dederunt. Pari iure dicitur

Digitized by Google

minari aliquam rem et *aliqua re*, eo tamen, nisi fallor, discrimine ut *minari aliquid* tum tantum dici possit, ubi aliquis se aliquam rem facturum esse quasi pollicetur vel spondet (ita *exitium*, *arma*, *bellum)*, at *minari aliquo*, ubi illud, quo quis minatur, instrumentum modo est, quo aliquam rem perpetrare conatur. Hac de causa ablativum mutare nolui.]

453. [* Videtur poeta his verbis veritatem illius celebratae sententiae inculcare voluisse, quemque eorum, quae sibi ipsi accidere possent, memorem esse debere, unde commoveatur ut adversarios suos lenius, quam antea voluerat, tractet. Quis non meminerit Sesostridos curru regio vecti?]

454. *Sit satis*, o Heins., bene. Idem *subiisse malorum*. Heinrich. [* in Biblioth. Gott. liter. et art. vet. X. p. 47.] ex *solam* eliciebat *solem*. haerebam et ipse; verum non optat sibi soli hoc contingere; sed indignitatem auget hoc, quod nemini alii tale supplicium illatum sit: ut in nota exposui. [* *sola* R. Helmst. Bothius autem: *Sit satis* o *tantum miseram vidisse malorum*. Wakefieldus *vicisse* „tot malis superesse."]

456. Non dubito *casu incerto* esse cum Scaligero legendum. Sic saepe *fatum* et *casus* iunguntur. Adstipulatur Heins. [* *incerto* scripsi cum Scaligero pro vulg. *incepto*. Cfr. Culex 160.]

457. [* Quam huius loci explicationem dedit Heynius in Notis, recedit ea cum ab omnis antiquitatis ratione de talibus rebus sententia, tum ab hoc ipso loco. Illud quidem, quod de antiquitatis sensu in universum dixi, probabunt certe ii qui sciunt, quantum sit discrimen opinionum apud veteres et recentiores de rebus ad amorem pertinentibus, quod omnium optime aperuit Göthius vates divino vere numine afflatus in Helena nuper edita, quae philologis pariter atque poetis mirifice arrideat necesse est. Heyniana opinio vere est aevi recentioris. Quod porro ad ipsum nostrum locum attinet, hic quoque Heynio refragatur. Quatuor enim erant, quibus Scylla causam infortunii sui imputare potuit: fato, casui, culpae quod patriam tradiderat, iniuriae alicui, qua ipsum Minoem fortasse laeserat. Quod vero ultimum dicit, statim etiam reiicit; nam tantopere de Minoe sese meritam esse sciebat, ut de Minois iniuria cogitare non liceret (v. vs. 420. sqq.). Qua de causa tria modo priora restant, et *omnia putare* iam sua significatione dicitur (v. ad vs. 426.). Illis vero omnibus a me disputatis hoc etiam accedit, explicatione Heyniana constructionem verborum vere putidam fieri. Quis unquam dixerit: Nam potius putabo omnia (me) laesisse, quam te? Pro *laesisse* R. Helmst. exhibent *legisse*, et pro *nam* Helmst. *non.*]

458. *resoluta* leg. cum Heinsio et Io. Schradero Emendatt. p. 64. [* *resoluta* scripsi cum his duumviris pro vulg. *revoluta*. — *a litore* R.]

459. *lintea*. *littora* Ascens. Iunt., male. [* *linthea Choro* R.]

461. *incursu* Heins. legit; quod non capio. Vox dicitur haerere, questus mori in cursu verborum.

462. [* *ismon* R. *idmon* Helmst.]

463. *Cypselidae magni florentia regna Corinthi*. Neminem in versu hoc haesisse video: habet tamen quod offendat. Cypselum Bacchidis deiectis Corinthi tyrannidem occupasse, Ol. XXX, 2, nota res est. Successit ei Periander, cuius filio Psammeticho mortuo libertatem recepere Corinthii. Quaeri iam potest, quis ex his sit *magnus Cypselides?* Periander, arbitror, qui et inter septem Graeciae sapientes habitus est. Vixit ille quidem multo post Minoem tempore, sed poeta haec narrat, non Minos. De Corintho, quem nonnulli urbis auctorem ediderunt, seu Iovis seu Marathonis filio (vid. Pausan. II, 1), agi hic nequit. Non enim urbem appellare potuit *Cypselidae et magni florentia regna Corinthi*. Inter haec impedita est oratio, nisi legas: *Cypselidae et magni florentia regna*, *Corinthum*. [* *Cypseide* R. Ceterum in interpretatione huius versus facio cum Heynio, minus in emendatione. *Corinthi* enim est genitivus locativus,

Digitized by Google

qui cum altero genitivo coniunctus neutiquam offendere potest, quum haud raro duo genitivi inveniantur, qui ab uno nomine pendent; v. Cort. ad Cic. Fam. I. 7, 22. Heusing. ad Cic. Off. I. 37, 2. Schraderus ap. Frisemann. *Cypselidae et magni — Corinthi.*]

464. *abruptas rupibus arces* coni. Io. Schrader. [* *abrustas* R. *Chironis* R. Helmst. Ed. Pr. *Protinus* cum Schradero non tentaverim; v. Hor. Tursell. p. 639.]

465. *Infestumque suis dirae Testudinis exit Spelaeum.* Locus a Scaligero et Barthio tentatus, sed perperam. Fuit enim fabula de testudine adnatante, quoties a Scirone praecipitarentur hospites, eorumque corpora devorante: vid. Pausan. I, 44, 12. [* ubi v. Siebelis.] Diodor. IV, 59. cf. Schol. Eurip. ad Hippol. 979, qui Callimachum Scironis, forte cum ipsa testudine, meminisse ait. Scironis immanitas, et *Petrae Scironides* in Megarensium finibus, res sunt pervulgatae: vide vel Plutarch. Thes. 10. aut Ovid. in Metam. VII, 447. Eae petrae sunt h. l. *abruptae Scironis arces*, quibus subiacet *specus* χελώνης, et eaedem *multo cruentae hospite cautes* vs. seq. Specus hoc Testudinis, ut Diodor. l. c. indicare videtur, ipsum quoque Chelones nomine tandem venisse debet, nam praecipitati hospites κατὰ τὴν ὀνομαζομένην Χελώνην. *Infestum suis*, ex persona Scyllae accipiendum; h. Megarensibus, civibus suis. Noluit itaque poeta dicere quod commodius videri poterat: *Infestum et miseris dirae.* Porro Ven. de Tortis *dic testudinis*, operarum puto vitio. Scaliger de Crommyonia sue cogitabat, et refingebat: *Infestumque suis dirae Theseidis exit Spelaeum.* Barthius autem: *Infestumque Sinis dirae*, quod tamen ipse deseruit in Comment. ad Claudian. p. 1160, ubi aliter refingit: *Infestumque suis, dirae et testudinis.* At Heinsius iterum Sinin retraxit, sed alium in habitum refingens: *Insessumque Sini d. t. Spelaeum.* Nam Sinis antrum in Isthmo. „Statius Theb. VII, 743 *Mors trepidis ignava venit, dubiumque* „*tuenti Presserit insessos onus inpuleritque iugales.* Ita vetustus codex, „non *insertos*, ut vulgati; lib. XII, 235 *Per fluvios secura vadi somnos-* „*que ferarum Fertur et horrendis insessa cubilia monstris.* Sic totus ille „locus castigandus. *secura vadi* rescripsimus, quod in scriptis plerisque „*vadit* legatur. Vulgo *secura ruit.* Pro *praeter*, sive, ut in scriptis compluribus, *Praeterit* vel *Fertur et.* *Insessa* denique *cubilia*, non *inserta*, „codex non unus a me inspectus. Eod. lib. XII, 540 *Paullum et ab in-* „*sessis moestae Pelopeides aris* etc. Festus: *Insessores, latrones qui circa* „*vias insidientur sedentes.*" Recte haec: sed quid fiet nunc verbis *dirae testudinis?* eruntne de ipsa antri testudine et camera accipienda? [* Bothius: *Insessumque feris.*]

466. [* *hospita* Helmst. *cautas* idem a m. pr.]

467. Male excusum in Heins. et Burm. *Pireeia.* Quis nescit esse Πειραιέα. Et *Piraeea* iam Aldina et aliae vett. edd. At Iunt. cum aliis male *Pyrreum.* *tutum* bene Scaliger ὀχυρὸν, ἐρυμνὸν, interpretatur. Heins. tamen tentat: *tuta heu longe Pireia*, provocans ad Stat. XII Theb. 626. Respexit puto v. 616 *et trepidis stabilem Piraeea nautis;* quae ipsa emendationem infringunt. [* *Pireia* R. Helmst. Ed. Pr. Cfr. Schneider. Gr. Lat. P. II. Vol. I. p. 72. 295.]

468. *secum:* etsi exponi potest, v. Notam; parum tamen commode positum: nam *respectat* Athenas *oculis*, non animo *reputat secum.* F. *saepe*, ut et Heins., qui etiam *ecce* coni. [* *harenas* R. *Secum respectare* a Barthio illustratum eo minori offensioni est, cum memineris, quam saepe verba praegnanti sensu a poetis ponantur.]

469. *Iam procul e fluctu Minoia respicit arva.* Vide, quam faciles et liberales interdum sint Intpp. Cretam interpretantur *Minoia arva.* At eam quomodo *respicere* nunc potuit Scylla? Ferrem, si *Niseia* essent *arva.* Sed *respicit* esto prospicit; aut corrigamus potius *prospicit:* Athenis relictis qui ultra pergit, aliquot, puto, dierum cursum emetiri debet,

Digitized by Google

antequam Cretam prospiciat. Potuisset tamen poeta haud dubie haec subiicere, modo non additum esset: *Florentesque videt iam Cycladas hinc Strophadasque*, *Hinc sinus*, *hinc statio contra patet Hermionea*. Ergo agitur adhuc de navigatione, quae in Sinu Saronico fit: inde vero Cretam vix aliquis prospiciat. Itaque aut versum ex seqq. forte post 476 retractum et perperam h. l. insertum, aut a mala manu, ut variaret superiorem versum, in margine appictum, aut *Minoia arva* corrupta esse necesse est; etsi varietas nulla occurrit, nisi quod ms. Helmst. *Iam procul et fluctus alia minos adspicit arva:* et, *effluxus* ms. Basil. Prospici in eo sinu poterat navi inde a Megaris ultra Athenas provectae ante omnes alias terras Aegina et Salamis insulae, haec quidem retro, illa ex adverso posita. Dicas adeo potuisse scribi: *Iam procul e fluctu Salaminia prospicit arva*, aut: *e fluctu Aeacideia prospicit arva*. Prius ad litterarum ductum propius accedit, sed ad navigationis progressum minus est accommodatum; malimque adeo Argolidis littus respici putare: quod pluribus modis declarari potuisset; v. c. *Pittheia prospicit arva*, h. Troezenem. Unum adhuc est, quo *Minoia arva* tueri aliquis possit, ut ad Minoam insulam, ante portum Megarorum Nisaeam positam, referat. conf. Strab. IX, 600 B. [* Legebatur: *e fluctu Minoia respicit arva*, et sane erat, quum et ego de promontorio Megarico, ἄκρα Μίνῳα agi credebam, de quo v. Mülleri Doriens. I. p. 229. Reinganum das alte Megaris p. 33. sq. Sed quum navis iam in medio sinu Saronico versetur, regionem illam in intimo sinus recessu Scylla non amplius conspicere potest. Et poetam longe aliud quid scripsisse, evincit cum series itineris, tum codd. scriptura. Nam in R. Helmst. legitur (liceat mihi ad rem melius declarandam literis Longobardicis uti) FLUCTUSALIAMINOSASPICIT, unde quid facilius coniici potest, quam *fluctu* SALAMINOS SU*spicit*. Verum quidem est, quod iam Heynius de hac lectione quam ingenii acumine assecutus fuerat monuit, eam ad navigationis progressum minus esse accommodatam. Sed sequentia etiam de Delo, Cythno, Paro docent, poetam nostrum geographi partes agere noluisse, et vicinia Athenarum versu proxime antecedente memoratarum ei Salaminem quoque in memoriam revocavit. Quodsi vestigia geographica pressius sequi volueris, ex illa lectione paullo audacius procudere possis *Scylleia;* nam Argolidis promontorium fuit Scylleium. *Suspicit* egregie dicitur, quia Salamis editis rupibus cingitur, unde Scyllae vere suspiciendum fuit. Neque vero omittendum est *procul*, quo ipse poeta lectores de serie itineris minus observata admonere voluit. Pro *e* Helmst. habet *et*, Ed. Pr. quae in ceteris lectionem vulgatam retinet, *effluxus*.]

470. *Florentesque videt iam Cycladas, hinc Strophadasque*. Scaliger: *hinc Cycladas hinc Strophadasque*. Syllabam mora et caesura productam sexcenties interpolarunt grammatici. Sed in Aldina sec. et tert. et hinc in Veneta de Tortis mira est lectio: *Cycladas: hinc Venus illi. Hinc sinus;* eandem ms. Helmst. habebat, nec aliter legerat Iul. Sabinus, qui de Cytheris insula interpretatur: nimis remota ab his plagis. An et hic insulae nomen latet? Inter haec mirum est praeteriisse cum alios tum me ipsum: *Strophades*, quae in Ionio mari sitae inter Cycladas nec poni nec nunc prospici poterant. Cogitavit de hoc acutissimus Io. Schrader. Emendatt. p. 66, idemque emendat *hinc Sporadasque:* uti Aen. III, 125 *Sparsasque per aequor Cycladas*. Legitur quoque illud iam in edd. Basil. Interea pro sensu meo contendam quovis pignore, duo hos versus 469. 470 *Iam procul—Florentesque*, a mala manu venisse. [* Legebatur: *Florentesque videt iam Cycladas*, *hinc Strophadasque* quacum lectione Ed. Pr. conspirat, quum R. Helmst. habeant: *hinc Venus illi*, quod quum etiam edd. Aldd. exhibeant, hinc aliquid de corruptela loci suspicari licet. Quodsi iam situm insularum et regionum perpendimus, quas Scylla navi alligata videre potuit, simulque illud addimus, *stationem Hermioneam* e regione

(*contra*) illius insulae terraeve sitam fuisse, de qua nunc agit, e literarum vestigiis nihil commodius exsculpi posse videtur, nisi ut scribamus: *hinc Ceus illi*. Fuit scilicet illa insula *Κέως* prope Sunium Atticae promontorium sita, quod in versu proxime sequente Heynius feliciter invenit. Locorum situs igitur hanc coniecturam commendare videtur, refutare contra grammatica. Nam quum apud Graecos nomen insulae in literam ῶ exeat, h. l. illud necessario corripitur, quam quidem licentiam nondum certis exemplis probatam esse docuit Schneiderus in Gr. Lat. P. II. Vol. I. p. 76. Ut tamen eodem Schneidero laudante apud Livium legitur *Teum* acc. singul., unde nominativus *Teus* perquam probabilis fit, ita et *Ceus* tamdiu certe ferri posse videtur, donec feliciori alicui critico felicior emendatio subnata erit. *Illi* a *patet* eadem ratione pendet, qua ap. Valer. Flacc. V. 211. *Dixerat*, *atque* illi *dextra sine versa magistri Protinus in proram* rediit *ratis*. Cognatum hoc genus dicendi est cum nota illa orationis abundantia in dativis pronominum personalium apud Graecos et Latinos, ut vere etiam *αὐτὸς* ita adhibitum legitur. V. Matthiae Gr. Gr. §. 389. ed. sec.]

471. *Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.* Sustuli foedum Heins. et Burm. editionum vitium, *Hermiona*. Vett. edd. *Hermiones*. At Ald. 1518 *Hermionia*. Heins. tentat *sinus statio — Hermionaei:* non bene. Sinum Saronicum evectis et Cycladas petentibus ab altera parte ille ipse sinus, a dextra littus Argolicum, in eoque Hermione prospicitur: Ἑρμιόνη et poetis Ἑρμιόνεια, scil. *χώρα*, *πόλις*, vid. Pausan. II, 34, p. 191. Strabo VIII. p. 573 A. Inter fragm. Callimachi: *Εἰς Ἀσίνην Ἅλυκόν τε καὶ ἄμπολιν Ἑρμιονήων.* Est quidem et in hoc ipso littore sinus Hermionius, quem tamen non puto a poëta significari, cum *contra* addat: *Hinc sinus*, *hinc contra*. Vicissim equidem de *sinu* dubito: et suspicor fuisse scriptum: *Sunion hinc*, *statio contra patet Hermionea*. [* Legebatur: *Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea*, pro quo egregiam Heynii emendationem recepi *Sunion hinc*, quae multum auctoritatis accipit e R. Helmst. in quibus legitur *Summus hinc*. Ratio geographica, ut iam Heynius ostendit, illam emendationem vere necessariam facit; nam contra Sunion et primas insularum Cycladum sita fuit Hermione. *Hinc — hinc* nostro loco non pro *hinc — illinc* dicuntur, quum duo tantum regionum tractus sibi opponantur, Sunium cum Ceo insula et contra Hermione, sed alterum *hinc* pro simplici copula dicitur, quam saepe ita evitatam esse videmus, ut adverbium aliquod vel pronomen (v. ad vs. 412.) repetatur. Tales anaphoras notavit Kapp. ad Tac. Germ. II. Adde Caes. B. G. VI. 13. — *Hermonia* Helmst. *petit hermiona* R.]

472. 473. Versus adumbrati ex Aen. III, 73. 74, ubi vide. [* *Aegeo* R. *egeo* Helmst.]

474. *Cinthum* vett. edd. *Citrum* Iul. Sabinus. *spumanti gurgite* Io. Schrader. coni., et *Prospicit hinc cinctam*. [* *Hospicit* Helmst. a m. pr. *prospicit* idem a m. sec. *intinctam*, Helmst. *Litus spumans* desumtum est ex Virg. Aen. V. 125. coll. Catull. LXIV. 121. Quid vero sibi velint ista verba, quae Schradero partim corrupta videbantur, interpretes non docuerunt. Videtur scilicet poeta indicare voluisse, hanc insulam, ut reliquas Cycladas, non planas in mare procurrere, sed saxis abruptis cingi, unde spuma oritur. *Cyntum* R. *chintum* Helmst. *chinthum* Ed. Pr.]

475. *viridemque adlapsa Donysam.* Scriptum simili more erat Aen. III, 125. nec extat auctor satis gravis, unde tuto scriptura constitui posset. Nunc tamen non multum absum, quin librorum in Aeneide et apud Plinium Tacitumque lectionem: *Donusa* pro vero nomine habeam. Nam, si a Dionyso ductum esset, *Διονυσία* esse debebat: quod etiam inflexum illud videas apud Steph. Byz. in *Δονουσία* (apud Eustath. ad Dionys. Perieg. 530 *Νουσία* corrupte legitur: exscripsit autem ille Stephanum) ut sit pro *Διονυσία*, quod ineptum est; sed et ipsum argumento esse potest, verum

Digitized by Google

nomen *Δουοῦσα* fuisse *ἀπὸ τοῦ δουεῖν*, propter terrae forte motus, ut Vossius coniicit ad Melam II, 7, 104. Apud Melam tamen constantem librorum lectionem, *Dionysia*, retinendam arbitror; potuit enim inter tot alias obscuriores Sporadas etiam Dionysia esse, ut adeo facile alterius nomen in alterum transiret. [* *Marmoreonque* Helmst. *donissam* R. *donisa* Helmst. *donysam* Ed. Pr.]

476. *Aeginamque simul sementiferamque Seriphum.* Cum Seriphus a Strabone lib. X, p. 747 A. petrosa fuisse prodatur; Scaliger *serpentiferam* emendat, *ὀφιόεσσαν*. Simpliciter ita poeta insulam asperam et saxosam bene appellare potuit. Sed Scaliger hoc respectu fabulae factum vult. Sane Persei cum Medusae capite ad hanc insulam accessus, conversis in saxa incolis, celebratissima est fabula (vid. vel Pindar. Pyth. XII); enimvero de anguibus Medusae in hac insula enatis nihil narratum accepimus. Potest vero insula esse saxosa, et tamen habere agrum fertilem, adeoque *sementifera* dici. Accedit, quod Ovidius Met. VII, 464 *planam Seriphon* dicit, quae lectio nullo modo est sollicitanda. Quidni enim diversa ratione et respectu eiusdem rei diversa esse possint epitheta? Iul. Sabinus in suo libro *amomiferamque* Seriphum legisse videtur, explicat enim amomum h. l., nisi ad v. 511 deturbanda est nota. Ms. Helmst. *salutiferamque Seriphum* legit: quod quo ducat, non assequor. Sed in priore parte versus interpretes non haesisse miror. Ab Aegina longissime aberat Minois navis, cum Seriphum iam in oculis haberet. Haud dubie verius insulae nomen sub corruptela latet; sed et vox *simul*, quae sequitur, otiosa et inutilis. Puto poetam scripsisse: *Et Diam et Siphnon*, s. Dia, Naxos, in proximo esse debuit. Gyaros nimis remota est, quam ut ea in Aegina latere possit: etsi eo alluderet Ovid. Met. V, 250, ubi Minerva Thebas petitura *Seriphum deserit*, *a dextra Cythno Gyaroque relictis*. Alia est insula, obscurior illa quidem, propiore tamen lectionis vestigio: *Aegila* vel *Aegilia* inter Cretam et Peloponnesum auctore Stephano in *Αἰγιλία:* quod enim ibi legitur *Αἰγιάλεια*, iam emendatum est a viris doctis *Αἰγίλεια*, seu, quod malim, *Αἰγιλία*, nam dicitur sic *Αἴγιλος*, seu potius *Αἴγιλα*. Et sic quoque Dionys. Perieg. 499 *Αἴγιλά τ' ἠδὲ Κύθηρα*. Male enim *Αἴγυλα* ibi scribitur. Etiam Mela II, 7, 90 *At interius* (in alto Aegaei maris) *Melos*, *Olearos*, *Aegilia*, ubi cf. Vossius, qui nunc *Serigottum* seu Cytheram minorem vocari docet. Plin. IV, s. 19 *Aegila* (hanc scripturam e libb. tuetur Harduin.) *autem XV m. p. a Cythera*, *eademque a Cretae Phalasurna oppido XXV M. P.* Succurrebat ab initio haec *Aegilia* substituenda Aeginae; mox etiam vidi *Aegylam* (invito metro, ut e Dionysio intelligitur) pro vera lectione h. l. venditari a Luca Holstenio ad Steph. Byz. pag. 102. Sed, hanc a locorum situ penitus esse alienam, facile sui quemque oculi possunt docere: nec facile ea cum Paro ac Seripho iungi potuit. Recitatur tandem alia a Plinio post Euboeam lib. IV, s. 22 *Extra eam in Myrtoo multae* (insulae), *sed maxime illustres Glauconnesos et Aegilia; et a promontorio Geraesto — Cyclades.* Atque de hac Herodotus accipiendus erat, non de illa, lib. VI, 107, ubi insulam Styreorum *Αἰγίλειαν* memorat, in quam Eretrienses mancipia deduxerant. Styra Euboeae fuisse satis vel ex Iliad. β, 539 constat. Huius Aegiliae situm etsi pro certo definire non ausim (inter Atticam et Euboeam collocatam eam video a Dorvillio), tamen ille nimium recedit ab his Cycladibus, inter quas nunc navigatio apud poetam nostrum fit. [* *Aeginam* non tentaverim. Plures enim huius nominis insulae commemorantur a Stephano Byzantino, quarum fortasse una inter Cycladas fuit (coll. Müllero Aeginet. p. 86.). Quod vero talem insulam vix alibi commemoratam clarissimae illi cognominem poeta inter alias enumeravit, ex indole huiusmodi poetarum explicandum est, qui morem aevi Alexandrini secuti (quis illud per carmen nostrum non agnoscat?) doctrinam insignem prae se tulerunt. In altero hemistichio legitur *salutiferamque* in R. Helmst., unde forsitan

absinthiferamque legi possit, producta per arsin syllaba *mul.* Absinthii genus certe Seriphium dicebatur; v. Plin. H. N. XXVII. 7. §. 29. *Est et absinthium marinum, quod quidam Seriphium vocant.* Aliquid tamen in lectione vulgata mutare, quam Ed. Pr. confirmat, non sum ausus. Ceterum interpunctionem post *Seriphum* sustuli, ut iam *allapsa fertur* secum sint connectenda.]

477. *ad omnia:* otiosum versus fulcrum: cui similia vidimus in Culice et Ciri alia. Poterat succurri per epitheton: *pendula.* [* Quamquam non nego *pendula* vel simile quid nostro loco aptius esse, tamen illud *ad omnia* fortasse ita defendi poterit, ut ex lingua Graeca explicetur, ubi *εἰς τὸ πᾶν* vel *εἰς πάντα* pro *πάντως* legitur; v. Bergler. ad Aristoph. Plut. 273. Blomf. glossar. Choeph. 672. Valcken. ad Eur. Phoen. 622. Iacobs. ad Achill. Tat. p. 648. quos laudarunt Matthiae Gr. Gr. §. 578. p. 1146. ed. sec. et Passov. s. v. *πᾶς.*]

479. *Afer ut* emend. Heins. [* *hibernos* Helmst. a m. pr.]

480. *Donec tale decus formae vexavit, et aegros Non tulit, et.* Sensu haec carent. Latere in *vexavit et* antiquum *vexarier* in promtu est animadvertere, multo magis si audias *vexaverit* vett. edd. ante Ald. exhibere: porro eaedem *aegram* et *ac misero.* Scaliger refinxit: *Donec tale decus formae vexavit, et aegram Non tulit:* nullo ad sensum fructu. Melius Barthius: *Donec, tale decus formae, vexarier aegram Non tulit et:* ut sint apposita: *aegram, tale decus formae.* Sane nec sic scabritie versus caret: ferri tamen potest, multo forte magis, si *tale decus formae*, per exclamationem et in medio posita accipias. Nam et supra mirati sunt dii marini puellae formam vss. 390 sqq., ut sit scribendum: *Donec (tale decus formae!) vexarier aegram Non tulit et.* Nisi ipsa Amphitrite *aegra Non tulit.* Cum haec satis probabiliter videri possint dicta: ecce visum obiicitur novum et dignum coniectore apud Iul. Sabinum, ubi Seriphon et Dionysam memoravit, porro legitur „Aegos pro Aegaeo mari ponitur, quod etiam Valer. Flaccus usurpavit: *Et quanto fremitu se sustulit Aegos!*“ Nota haec vix alio, quam ad hunc versum spectare potest, legitque adeo in suo libro Sabinus pro *aegros, aegos*, quod pro Aegaeo mari dictum vult. Hoc quidem perperam. Nam Aegaeum mare mythice non per Aegon, sed per gigantem Aegaeonem repraesentatur: sed idem *Aegaeon* etiam *Aegan* effertur, *Αἰγαίων, Αἰγάων, Αἰγὰν*, ut Titan ex Titaeon, a Titaea, matre. Ita etiam meliores libri ap. Valer. Flacc. loco laudato, qui est lib. I, 629, exhibent *Aegan*, ubi v. Voss. Nec tamen quicquam prodest ad sensum, si legere velis et in nostro: *Aegan:* nisi disiunxeris hoc modo *Donec tale decus formae vexarier Aegan Non tulit, et miseros mutavit virginis artus Caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.* Ita Aegon cum Amphitrite iunxere operas. Heins. *vexarier aeque*, vel *aegrae*, vel *aegrum*, vel *ultra.* Ultimum hoc esset simplicissimum ex ipsa re natum; modo scriptura addiceret. [* Quae hucusque in edd. regnavit lectio *vexavit, et aegros*, exstat quoque in R. Helmst. Non minus inepta est quam praebet Ed. Pr. *vexaverit aegram.* Quid sub his lectionum monstris lateat, nondum invenire mihi contigit; ut tamen locus legi posset, cum Heinsio scripsi *vexarier ultra.* De *vexarier*, quod unice verum habeo, v. Ruddim. Instit. Gr. I. 284. Bothius coni. *decus vexarier aequore formae.*]

481. [* *ac* Helmst.]

483. *et rigidis squamis vestire puellam* Basil. ms., haud dubie melius. [* Ita et Ed. Pr. quod cur h. l. Heynius praetulerit, non perspicio, quum ipse in notis locum recte interpretetur. Significat enim *externam* i. q. extrinsecus, ut locus comparari possit cum Cic. de Univ. 18. *Vestivit extrinsecus animum Deus et circumdedit corpore.* Usus ille adiectivi ex Graeca lingua explicandus; v. Matthiae Gr. Gr. §. 446, 8. p. 833. ed. sec.]

484. *pisces.* Requiruntur *pristes* forte et h. l.; hoc est belluae. [* *connectere* Helmst. *Committere aliquem inter homines* ex duabus inter

Digitized by Google

se iunctis constructionibus est explicandum, i. e. committere aliquem cum hominibus (ut gladiatoribus) ut inter eos versetur.]

485. *Nimiumque avidie regno Amphitrites* [* Ed. Pr.] ms. Basil., quod refingere videtur Heins. *Nimiumque infidae regno Amphitrites.* Non satis vim perspicio. Vulgata eo spectat, quod mutata in piscem Scylla belluarum voracitate peritura fuisset.

486. [* *Aeris* Helmst.]

487. [* *In terris* dixit poeta ut *terra* opponatur mari, in quod Amphitrite Scyllam deiicere noluit. De plurali numero v. *terrae* v. Cort. ad Lucan. II. 58.]

488. *Amyclaeae—Ledae* requiritur. Sic et Heins. Anser pro olore; ut et alibi apud poetas. [* *Amyclaeo* non tentandum; de adiectivis non suo substantivo appositis egi ad vs. 197. 447. Ceterum de etymologiis nominum propriorum apud poetas veteres v. quos collegit Cel. Weichertus in dissert. de vss. spur. Virg. p. 64. sq. add. Elmsleio ad Eurip. Bacch. 508.]

489. *Hic velut* edd. vett., etiam Aldina cum Basil. ms. *tener est cum primitus* Aldina. *tenerae cum protinus* Ven. 1484, Iunt. Norimb. (cum Ald. tert. et Basil. ms.) et al., et puto *protenus* poetam magis decere. [* Legebatur:

Ac velut in niveo tenerae cum primitus ovo

quae verba eo offendunt quod omni nexu cum seqq. sunt destituta. Etenim structura haec est: *Velut effigies tenerae animantis et internodia membris imperfecta in niveo ovo primitus fluitant concreta novo calore,* quibus in verbis coniunctioni *cum* nullum omnino locum esse, quisque animadvertit. Priusquam tamen ad hanc rem ulterius tractandam progredimur, paucis dicendum est de prima versus voce *Ac*, pro quo in R. Helmst. Ed. Pr. legitur *Hic*, recte. Saepe enim hoc adverbium notionem temporis sumit; v. Intpp. ad Phaedr. I. 14, 6. Heindorf. ad Horat. Sat. I. 9, 7. qui VV. DD. addi possunt iis quae ipse monui ad Catull. LXVIII. 63. ubi pro eo quod cum Santenio reposui *Hic velut*, in codd. Guelferb. 65, 2. (Ebert. nr. 168.) Paris. 8236. male legitur *Ac velut*, et ad Catull. LXIV. 269. quibus ex locis hoc clare patet, ex certo atque constanti usu *Hic* pro *tum* in comparationibus poni, ubi aliquot demum versibus post constructio interrupta repetitur. His missis ad verba supra notata regredi licet, quae nisi fallor sanat R. in quo legitur *tener est cum*. Exemplis undecunque collectis non opus est ad probandum, quam saepe animalia *tenera* dicantur, et *animantem* poeta nostro loco genere masculino dixit, quia pullus intelligendus est. Verba igitur sese ita excipiunt: *Ut effigies animantis, cum primitus tener est, in niveo ovo* etc. Ceterum Ed. Pr. *protinus*.]

490. *Effigies animantur* vett. edd. praeter Aldinam, in qua est *Effigies animantis*, melius, puto, etsi alteram praeferat Scaliger cum Heinsio. Certe non placet: *teneras effigies in ovo animari.* Contra praeclare: *tenerae effigies animantis fluitant in ovo:* h. adumbrata pulli forma in liquore natat. [* *animantur* Ed. Pr. *Membris* dativus ab *internodia* pendet; v. Burm. ad Ovid. Met. VI. 659. Calpurn. IV. 110. Lucan. VIII. 677. Cort. ad Cic. Fam. III. 3. Lucan. I. 24. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 38.]

491. *colore* Ven. 1484. Etiam color vitelli mutatur; sicque *novo* accommodatius est. At *calor* ex incubatione est. *novus* erit continuatus, succedens de novo. [* *concreata* Helmst.]

492. *liquidum* ms. Basil. [* *liquidos* R.]

493. [* *Seniferi* R. Verba vero *incertis etiam nunc partibus* nemo quod sciam interpretum explicatione attigit. Attamen non sunt adeo facilia ut prorsus silentio tramitti possint. Ita explico: quum artus corpus Scyllae mutarentur, partes huius ipsius corporis adhuc incertae erant i. e. dignosci non poterat, cuius corporis partes eae futurae essent, in quale corpus partes transirent. Quia vero de praeterito tempore sermo est, pro *etiam nunc* scripsi *etiamtum;* v. Walch. ad Tacit. Agricol. p. 393. sq. et Kritzius ad Sall. Cat. 2. p. 9. sq.]

494. 495. *atque undique mutabatur Oris honos: primum multis* legunt et interpungunt vett. edd., minus bene. Quod habemus, Aldinae debetur. Heins. tentat *motabant* vel *nutabant.* In ms. Basil. abest *et.* [* *mutabuntur* Helmst. *mutabatur* Ed. Pr. — Bothius: *utque undique mutabantur: Oris.* — *Horis honus* Helmst. Significationem v. *honor*, quae in hoc loco valet, illustrarunt Bentleius et Mitscherl. ad Horat. Od. I. 17, 16. Hess. ad Tacit. Germ. 5. — *et* om. Ed. Pr.]

496. *patulae frontis species:* ergo *species frontis* pro fronte, et h. l. pro ore omnino. *Speciem* per decorem spectabilem Ascensius interpretatur. *Spatia frontis* tamen proprietas sermonis hic requirebat, vel *spatium*, quod et Heinsio in mentem venit. [* *Species* minime fuit tentanda, utpote quae posita sit pro forma, pulchritudine. Ita ap. Liv. II. 23. *Oris speciem deformaverat barba promissa.* — *in unum* illustrarunt Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 17.]

497. [* Si quis argutari velit, uti ille possit voce *mentum.* Nam non modo labium inferius cum *mento* ita producebatur, ut *rostrum gracile* i. e. tenue inde fieret, sed superius etiam mutabatur. Sed quum ex observatione Plin. XI. 37. nulli animanti praeter hominem sit mentum, perspicitur, qua de causa poeta partem corporis humani elegerit, quae hominem a reliquis animantibus distinguit. *Praeducere* Schraderus ap. Friesemannum.]

498. [* *se agebat* Virgilianum est. Georg. II. 364. *et dum se laetus ad auras Palmes agit.*]

499. *imitatur* Ascens. Iunt. ms. Basil.; hic et *parvos.* [* *parvos imitatur* Ed. Pr.]

500. *Puniceam* Aldina; praefert Heins., quia 510 sequitur *Purpureas.* [* *Puniceam* scripsi e R. Helmst. quum vulgo legeretur *purpuream.* Rariorem vocem poeta ex Virgilio suo sumsit.]

501. *mollis* Ald. eadem: reliquae *membris*, cum Basil. ms., puto melius: ut sit: *pluma intexens membris varios colores.* [* *membris* Ed. Pr. male. Nam non membris colores intexebantur, sed plumae sibi ipsis eos intexuerunt. — *coloris* Helmst.]

502. *Mansurum* vett. edd.; et sic ms. Basil., unde Heins. f. *insutum* vel *indutum. Marmoreum* Aldina restituit. [* *Mansurum* Ed. Pr. *nescivit* Helmst.]

503. [* *funderunt* R. Helmst.]

504. *In varias partes* Heins. ap. Io. Schrader., f. ut iungantur cum anteced. [* *In alias* Ed. Pr. *nimioque* R. *imperfecta* Helmst. *pennas, Inde aliae partes* Bothius.]

505. Expressum erat in Ald. tert. Heins. et Burm. edd. *nova macies obduxit squalida pellis*, nullo cum sensu, et manifesto sphalmate. Vett. edd. etiam Aldina pr. et sec. cum Pithoeana, legebant vitiose: *novamque aciem obduxit squalida pellis.* Loensis refingebat: *Crura novamque aciem*

Digitized by Google

illico duxit squalida pelli. Quod nunc legitur, verissima est emendatio iam in Pithoei margine apposita, mox a Scaligero probata. Ita *macies obduxit* crura nova pelle, *et confixit ungues pedibus*, h. fixit iunctim cute agglutinata; non ut digitis disiunctis olim pedes erant. Ut *tabulas configi* inter se Cato dixit. Alias malim *infixit*, vel *affixit*, quod ms. Helmst. habebat cum ms. Basil. Porro *Crura nova macie subduxit* citat Salmas. ad Solin. p. 287. At *obductus cortex* et similia ap. Ovid. et al. [* Hucusque legebatur: *Crura*, *nova macies obduxit squalida pelli*, quod ego quoque retinuissem, dummodo codd. addicerent. Etenim R. habet: *novatique aciem — pellem*, Helmst. *novamque acie — pellem*, unde certo colligi potest *novam pellem* vix tentandum esse. Hinc leni coniectura rescripsi quod iam in textu legitur hac scilicet constructione: *Inde squalida macies novam pellem obduxit alias partes et crura*, ubi accusativi *partes* et *crura* a verbo *obducere* ita pendent, ut pro dativis positos esse dicere possis. Enimvero saepe verba cum praepositionibus composita, quamquam ex vulgari grammatica dativo iunguntur, eum casum admittunt, qui proprie praepositionem sequitur. V. ad vs. 5.]

506. [* *pellibus teneros* Helmst. *affixit* R. Helmst. Ed. Pr. Vulgo *confixit.*]

507. *Attamen* legit Loensis. Qui hic sequuntur ad vs. 512 sex versus iterum ex meo iudicio mali versificatoris sunt in margine alicuius libri adscripti et perperam recepti. Tulerat quidem Amphitrite opem puellae: sed vix dignum dea, ut ei succurreret hoc pacto; non enim puellam posthac propinqui nuptam viro viderunt. Sententia insititia et puerilis, verba partim ex trivio et parum propria. Suus cuiusque sensus rem, puto, declarat. [* *Demum* ex vs. 480. est explicandum. Amphitrite enim diu Scyllam mari ventisque vexatam viderat, et quum tandem ei succurreret, alia potius ratione quam formae mutatione illud facere debebat. Semper igitur haec particula temporis notionem additam habet, etiam ubi primo obtutu non tempus sed conditio aliqua vel sententia respicitur.]

508. [* *placide* R.]

509. [* *post haec* R. Helmst. quod reposui, quum vulgo legeretur *posthac.* V. Horat. Tursell. p. 583, 16.]

510. *salvo* Ven. 1484, Iunt. Ascens. *retinentem* facile erat cum meliore permutare. Sed adumbravit is, qui adscripsit, versum Catulli LXIV, 63 Ariadne Theseum fugientem prospicit, *Non flavo retinens subtilem vertice mitram.* At ibi aliter res se habet. [* *salvo* R. Helmst. Ed. Pr. quod recepi, quum vulgo legeretur *flavo.* At quum color verticis hic per abundantiam adderetur, tum illud quod *salvus* dicitur, ipsi loco est convenientius, quo accedit, *vertici* quod sciam nunquam epitheton a colore crinium repetitum tribui. — *renitentes* R. An fuit *renitentem*, ut *purpureas vittas* esset accusativus absolutus?]

511. Haec iam persequutus erat sup. vs. 437. Pro *Tyrio*, *Syrio* arbitror, ex poetarum more fuisse. [* *thalamis* R. *tyrio* R. *thirio* Helmst. *flagrans* R. Helmst.]

512. *Nulla illam sedes* ed. Scalig. Mox *Quid enim iam sedibus illis* communis edd., etiam Aldinarum, est lectio: ut substituatur: *opus est.* Quis primus mutarit, ut in Heins. et Burm. legitur, ignoro. Heins. in schedis malit: *Quid enim cum sedibus illi?* Totus tamen versus non minus inficetus est quam ante erat. [* *fides* R. Vulgo *Quid iam cum sedibus illi.* Quod reposui Heinsianum est, sustentatum per R. Helmst. Ed. Pr. et alias edd. *quid enim iam sedibus illis.*]

Digitized by Google

513. [* *cavo* Ed. Pr.]

515. *in aequora* melius ms. Helmst. *lato* em. Heins., perperam. Ge. IV, 430 *Ibat; eum* (Proteum) *vasti circum gens humida ponti Exsultans rorem late dispersit aquarum.* [* *aequora* scripsi ex Helmst., quum vulgo esset *aequore.*]

516. *a morte recepta* coni. vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 332, atqui hoc idem iam in Ald. tert., unde *a* recepi. [* *a* deest in R. Helmst. Ed. Pr., at legebatur in codice, nisi quidem hic errori potius tribuendus est, apud Cortium ad Lucan. II. 194. qui tamen male lectionem veterum editionum defendere conatur. Explicatio Heynii necessaria est propter vs. 519.]

517. [* *Incultum aevum* dixit poeta ut Cicero (Lael. 15.) *incultam vitam.*]

518. *Rupibus.* In hoc vero versu manifesta est inepti versificatoris manus.

519. *Nec tamen hoc ipsum* vet. edit. ap. Loensem. [* *Iterum* nove dixit poeta imitans usum Graecum in particula *αὖ* valentem et a multis decantatum. — *poenas sine* Helmst. *poenas sive* R.]

520. *Omnia qui imperio terrarum millia versat.* Etiam hic versus a monacho excusus putandus. Pie quidem, sed non latine, dictum: *deum versare imperio omnia millia terrarum*, h. e. animantium per terras; nam de infinitis terrarum orbibus nemo illa aetate cogitavit; et tamen in promtu erat versum refingere: *Qui maria imperio et terras ac sidera versat.* Heins. coni. *Omnia qui imperio rerum mortalia versat.* In schedis Wolfii pro *millia* substituebatur *munia:* nescio quo sensu. [* In damnando hoc versu non possum quin Heynio assentiam; quare uncis eum inclusi. Christianum facile quivis agnoverit.]

521. [* *talem*, v. ad vs. 17. *violare* Helmst. a m. pr.]

522. [* *Cum* quum huic loco minus conveniat, *dum* reponere in promptu est.]

523. Variant edd. vett. primum in *tepenti:* quod omnes Aldinae exhibent. At Ven. 1484 *videmus:* quod et ms. Helmst. cum ms. Basil. habebat; ceterae vett. *nitentum:* latere in utroque *bidentum* sagaciter odoratur Scaliger; sed docere debebat *bidentem taurum* usquam veteribus dictum. Praeferam *nitentum:* ut saepe victima, v. c. Aen. III, 20. Heins. legit *litantum.* Ovid. *victima nulla litat.* Martial. X, 73 *Victima caesa litat.* Et remittit ad Salmas. ad Solin. Enimvero de vi vocis nemo dubitet. [* Legebatur *tepenti*, quo expulso cum Heynio reponere malui *nitentum.* In R. Helmst. Ed. Pr. *videmus.*]

524. Vett. edd. *respexerat*, et *auras.* [* *respexerat* Helmst. a m. pr. *auras* Helmst. Ed. Pr.]

525. [* *longo decoravit* R.]

526. [* Bothius coni. *ablatam.*]

527. [* Scribebatur: *Fecit et in terris;* quod iam legitur, restitui ex R. Helmst. — *helice sales ut* R. *helicone sales ut* Helmst. *essent* R.]

528. Hic versus iterum ab interpolatore insitus videtur. Iovem *deum coruscum* vix bonus poeta dicat. Alii, ut Ascens. et Iunt., *coruscis.* Sed *aquilas coruscas* nemo noverit, nisi esse dicas, quae fulmen coruscans unguibus portant. Ita et Heinsius accipit. [* *aliquis* R. Helmst. Quidni

Digitized by Google

Iupiter deus coruscus dici possit, non video, quum fulmina, quae iacit, sint corusca.]

529. 530. 531. Vix haec satis sana: certe, causa adiecta qualis sit, non satis licet assequi: infestum facit Scyllae patrem haliaeetum Iupiter, *quoniam damnata deorum iudicio natique et coniugis ante fuisset.* An Minos idem Iovis natus et Scyllae coniux? Scaliger quidem natum Apollinem vel Minoem, coniugem Iunonem interpretatur. Putabam scribendum esse: *Iudicio, patrisque et coniugis*, scil. Nisi et Minois: et versu antec. *quum iam* vel *quamvis.* In edd. nullum auxilium. *Indicio* vett., ut Ald. pr. *iam nata* pro *damnata* vett. edd. et Ald. pr. cum ms. Helmst. Tum 531 *apposuit* sine copula haud dubie legendum: *Huic vero miserae — Infesti apposuit odium crudele parentis. Apponere*, ut *addere*, in Virgilio vidimus. conf. ad Aen. VI, 90. Scaliger malebat *opposuit*, quod non probandum. [* *ero* R. Helmst. a m. pr. *quoniam iam nacta* R. *qui iam nata* Helmst. *quoniam iam nata* Ed. Pr. In versu sequenti legebatur *gnatique*, in quo explicando interpretes nihil proficere potuerunt. Neque *patrisque*, quod Heynius suspicatus fuerat, verum est, quum *patris* odium proximo demum versu commemoretur. Nihil magis puto ad veritatem accedet, nisi quum *patriaeque* scribimus (coll. vs. 420. sqq.). Dii, patria et Minos eius facinus condemnaverant; unus restabat pater. *Natique* R. et Helmst. nisi quod hic syllabam *ti* punctis suppositis delendam censet. Bothius coni. *duorum — patrisque.* Post *apposuit* copulam encliticam *que* e coni. delevi.]

532. *Iamque utinam aetherio* Ven. 1484 cum ms. Basil. *Iam veluti aetherio* Iunt. et al. *Namque ut in aetherio* Aldinae debemus. *signorum munus* obscure dictum: accipio pro spectaculo. Io. Schrader. emend. *lumine:* ut in Catull. 66, 59 *in vario lumine caeli. praestant* vitium edd. nonnullarum e vulgo. Scorpius dicitur *praestans* inter cetera sidera, non male, si Antarem in eo cogites. [* *Namque utinam aethereo* R. Helmst. *Iamque utinam* Ed. Pr.]

533. *quam duplici* Ven. antiqua, et in fine *viri:* vitiose. Est sane scabra huius versus oratio, etsi sententia expedita: nam, ut ad Ge. I, 33 vidimus, in sphaera veterum librae locum unus Scorpius occupabat. Hygin. Astron. II, 26 *Scorpius propter magnitudinem membrorum in duo signa dividitur, quorum unius effigiem nostri Libram dixerunt.* Est igitur *Scorpius, quem unum vidi duplici sidere stellarum:* habentem, occupantem situm binorum signorum: *sidus stellarum* pro sidere simpliciter. Suspicabar *stellatum duplici sidere*, h. ornatum stellis duorum siderum. Sicque vidi mox expressum in ed. Iunt. [* *Stellarum* cave tentes. Etenim difficultas, quam hic versus hucusque peperit, dilapsa videtur, si non amplius iungimus *sidere stellarum*, sed *quem unum stellarum* i. e. inter stellas, plane Latino usu, ut apud Catull. IV. 2. *phaselus ait fuisse navium celerrimus*, ubi v. quos attuli.]

534. Legebatur in Heinsianis *fugit*, prave. vid. Not. ad h. v. Legendum est, quod iam Aldina habet, *fugat:* nam Orione occidente oritur Scorpius. Edd. vett. *clarum* (Norimb. *clarium*) *fugiant Orionem.* Iunt. *clarum fugit Orionem;* eadem vitiose *alterius;* unde *Artemius* inscite Loensis comminiscebatur. Sed emendate iam editum ab Asulano in Aldina nostra *alternis clarum fugat Oriona. fugat Orionem* ms. Basil. [* *alternis*, v. supra vs. 350. *alterius* R. *fugans* R. *fugant* Helmst. *Orionem* Ed. Pr.]

535. Male edd. vett. *Haliaetus in iras.* Est ἁλιαίετος. Forte etiam *Haliaeetos* maluit poeta scribere, ut docti poetaé solent. Mox *memori fato*, fere ut Aen. I, 8 *memorem Iunonis iram* dixit, passive. *servans* ms. Basil. [* *alictos iras* Helmst. *aliethes in iras* R. *halyetus in iras* Ed. Pr.]

Digitized by Google

536. [* *Et ciricis* R. Helmst. *sedula* R. *facto* R. Helmst. De passiva vocis *memor* significatione adde Horat. Od. I. 13. *memorem notam impressit.* — *servans* Ed. Pr.]

537. *fugiens in aethera* ms. Basil. Forte *init aethera* ait Heins., vel *fugiens nat in aethere.* Perperam et sine caussa in vitio pessimi libri haerens. [* *aera* R. Ald. 1517. Vulgo *aethera;* Ed. Pr. pro *secat* exhibet *in;* Helmst. a m. pr. *pinnus.*]

538. Versus seqq. extant Ge. I, 406 sqq.

539. [* *fert visus* Helmst.]

540. *rapidis secat aethera pennis* malebat Drakenb. ad Silium II, 513. Ita quoque in nonnullis libris scriptum in Ge. I, 409, nec tamen poetae semper ad eandem formulam retrahendi sunt. [* *aera* ut vs. 537. *pinnis* Helmst. a m. pr. — *P. Virglii Maronis Cyris finit.* R.]

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

UT VULGO FERTUR

C O P A

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIUM
IN COPAM

Superiora carmina ex Heinsiana et Burmanniana recensione repetivimus. Ex ceteris Virgilio perperam vulgo tributis carminibus, quae Burmannus Secundus in Anthologia Latina nuper iterum excudenda curavit et multis eruditionis copiis illustravit, duo adhuc subiungere placet, *Copam* et *Moretum:* quorum hoc prorsus ab eo praetermissum, illud interpretationis adhuc luce aliqua egere visum est, dignum certe, quod hic repeteretur, cum ex elegantissimis poematiis sit.

In *anum propolam* scriptum esse carmen vulgo aiunt. Ita vero omnis eius suavitas sublata et ad veram interpretationem via praeclusa videri debet. Immo vero *invitatio* est *ad compotationem et hilariter exigendum diem in taberna cauponaria;* cuius generis fuere olim plures, ut etiam nunc sunt, extra urbem, ad Tiberim et ad littus maris. Ad eas tabernas non modo sordida et nautica plebs confluebat: verum erant aliae, quas lautiores et elegantiores homines adirent.

Quod *Copa* carmen inscriptum est, id a prima eius voce fluxit. *Copa*, *caupa*, *cupa*, mulier est cauponia, ut copiose Scaliger docuit. Nec tamen h. l. eam, quae cauponam ipsa exercet, intelligere necesse est, sed simpliciter mulierem, quae in caupona vel taberna artem exercet. Est enim h. l. crotalistria, h. e. saltatrix cum crotalis, e gente Syrorum; cuius generis feminae, tibicinae, citharistriae

Digitized by Google

vel fidicinae, in his tabernis haberi solebant. Notae illae ***Ambubaiarum*** nomine sunt ex Horatio et Suetonio. Nec vero cum Scaligero de vetula cogitandum, quia mitrata esse narratur v. 1, cum etiam puellas et iuvenculas mitra, seu fascia ac diademate, interdum cum reticulo, comprehensam et involutam comam habuisse satis constet.

Carmen Virgilio vulgo tribuunt codices, qui minora poematia continent, etiam Grammaticus is, qui Servio in fronte Aeneidis suos attexuit pannos, tum gravior ceteris auctor Sosipater Charisius I Instit. Gramm. pag. 47 Putsch., ubi: ***cupo***, ***cuponis***, inquit, ***ut fullo, fullonis, quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit.*** Vereor tamen, ne hoc ipsum serioris interpolatoris iudicium sit, a re et loco satis alienum. Prisciani ab aliis auctoritatem perperam laudari, Burmannus docuit l. c. Nuper doctiss. vir, Wernsdorf, hoc ipsum carmen repetiit in Poet. minor. T. II. ad calcem ***Septimii Sereni*** fragmentorum, quem huius ipsius carminis auctorem esse malit. Adeant eum, qui plura ad illustranda verba carminis desiderant.

Ceterum elegi hi non modo orationis Romanae elegantia, sed etiam toto carminis habitu cultuque, non vulgares sunt nec contemnendi poetae lusus. Etsi enim, maiore ex parte, earum rerum, quae ad hilaritatem invitare possunt, enumeratione absolvuntur: res tamen sunt iucundae et ad animum sensumque gratae. Auctumnali autem die institutam compotationem cogitare necesse est. cf. v. 11.

EPIMETRUM EDITORIS DRESDENSIS.

Copa disertis verbis Virgilio in fronte codd. Petav. Leid. Colb. I. II. Thuan. I. Gud. tribuitur, et interpolati Servii testimonium iam supra ad Culicem protulimus. In aliis autem codd. ut Vossiano (qui

Digitized by Google

habet *Copa ad Alibidam*) multisque meis nullus indicatur auctor, et ut hi etiam libri aliquam auctoritatem prae se ferre possint, Pseudo-Donatus in vita Virgilii 7, 28. varia quidem Virgilii carmina iuvenilia afferens copam omittit. Sosipatri Charisii, ut aiunt, testimonium pariter interpolatum esse ostendit Ilgenius p. 17. sq. Wernsdorfii de *Septimio Sereno* copae et moreti auctore suspicionem bene redarguit idem Ilgenius, ipse hanc sententiam proponens, carmen nostrum *T. Valgio Rufo* deberi (de quo v. Wernsdorf. poet. Lat. min. T. IV. p. 804. 586. et Weichertus in peculiari programmate Grimae 1827. edito, potissimum p. 27.). De *Floro* aequali Hadriani Imperatoris cogitavit Zellius in Ferienschriften T. I. p. 50. Sermonis autem concinnitas et elegantia tam serum poetam mente nos habere vetat, et priusquam in Zellii partes transeam, cum I. H. Vossio ad ipsum Virgilium redire malim, cui breviter hoc carmen Vir Egregius tribuit (Carmina vernac. T. II. p. 100. Regiomont. 1795.). Omnes tamen istae coniecturae nil nisi lusus ingenii mihi esse videntur, et praestat puto hoc tantum dicere, aureae aetatis foetum esse Copam, quod etiam Broukhusius ad Tibull. II. 4, 48. IV. 4, 17. Propert. II. 11, 16. agnovit. Oeconomiam carminis bene iam intellexit Wernsdorfius, ostendens quatuor prioribus vss. ipsum poetam loqui, tum autem copam canentem produci. Ab hoc aliquantulum dissentit Ilgenius, cuius sententiam infra ad carminis titulum afferemus; optime autem eius argumentum his verbis exponit: „Cauponum ingenium et „mores, inprimis vero exclamationem et loquaci-„tatem et modulationem, qua merces suas com-„mendare emturientibus et viatores ad deverten-„dum addita bonorum in taberna praestantium „enumeratione pellicere solebant, decretum ha-„bet carmine depingere.“ Docte autem conditionem cauponarum moresque cauponum idem expo-

nit, quae ut ad rem nostram minus facientia hic omitto, lectorem ad ipsam eruditissimam dissertationem ablegans, unde Zellius quaedam in suum commodum proficere poterat.

Ad emendandum hoc carmen praeter scripturae varietatem a Burmanno Secundo allatam usus sum duodecim codicibus, inter quos primum locum obtinet *Gudianus* 342. (ap. Ebert. nr. 919.). Magis minusve me adiuverunt *Colb.* I. (Paris. nr. 7927.) *Colb.* II. (Paris. 8093.) *Colb.* III. (Paris. 8205. nullius pretii, a me tantum inspectus, unde nisi diserte eius auctoritas laudatur, ex silentio meo nihil est colligendum;) *Colb.* IV. (Paris. 8207. Scaligeri *Pithoeanus;*) *Thuan.* I. (Paris. 8069.) *Thuan.* II. (Paris. 8074.) *Tellerianus* (Paris. 7936.) *Baluz.* I. (Paris. 8206.) *Helmstadiensis* (notus ex Culice et Ciri), *Gaibacensis* (a Jaeckio collatus in Seebodii horreo philol. et paedag. 1824. fasc. IV. p. 689.), *Dresdensis* (ap. Ebert. nr. 158.).

Emendando et illustrando carmini praeter Heynium operam dederunt Weitzius (Francf. 1642. 12.) Burmannus Secundus in Anthol. Lat. T. I. p. 707. Wernsdorfius in poet. Lat. min. T. II. p. 292. et Ilgenius in animadversionibus philologicis et criticis in carmen Virgilianum quod Copa inscribitur, Halae 1820. editis, cuius Viri nomen attulisse sufficit ut, quanta cum doctrina ingeniique acumine scriptae sint, statim intelligatur. Versioni suae I. H. Vossius pauculas notas adiecit l. l. p. 334—336. Ilgenii vestigia tam de titulo et argumento carminis quam de singulis eius locis presse sequitur *Franciscus Fiedlerus* qui denuo illud vertit et in usum elegantiorum hominum illustravit in ephemeridibus quae inscriptae sunt: Wegweiser zur Abendzeitung 1822. nr. 50. Novissimam versionem edidit Zellius in dissertatione vernacula de cauponis veterum in: Ferienschriften T. I. p. 5—52. vide p. 35. sqq. et p. 49. sq.

C O P A

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,

1. *Syrisca.* Scaliger comparat *Syriscum* Martiali et Ausonio dictum, et *Threiscum* Θρηΐσκον apud Iulium Capitolinum. Alia memorat Salmas. ad e. l. Sed nullum exemplum ex meliore aevo allatum vidi; nisi quod ex Columella succurrit lib. X, 418, ubi ficum *Scissam Libyscam* constanter libri tenent. Attamen et ibi *Libyssam* unice verum iudicabat Gesnerus. Nec h. l. aliter legendum arbitror quam: *Copa Syrissa*, ut Threissa, Cilissa et al. Nulla autem alia huius et seqq. sententia est, quam haec: omnia in taberna instructa esse ad diem hilariter et suaviter exigendum. Ecce iam saltat crotalistria, et sic porro. *Caupona Syra* e Lucilio apud Priscian. VI, pag. 684 occurrit. *Graia redimita mitella:* fuit ergo Graecanici alicuius ritus ornamentum hoc: genus fasciae, quo capilli colligerentur. Talem crotalistriam mitratam in monumentis passim videre memini: unum et alterum exemplum est in picturis Herculanensibus. Nec diversi generis sunt tibicinae, fidicinae, psaltriae. Horat. I Epp. 14, 25 *meretrix tibicina, cuius Ad strepitum salias terrae gravis:* ad villicum. Accommodate dictum *crispum latus movere*, crispare, de molli ac celeri flexu et motu. Quid in Syrorum institutis, religiosis forte, fuerit, quod feminas crotalistrias fingeret, ita ut in Italia quoque quaestum inde facerent, non reperio. Nomen quidem Syrorum late patuit. Potuere quoque Iudaeae feminae sub eo nomine comprehendi. [* In carminis inscriptione offendit Ilgenius p. 12 — 20. et quum ostenderit, in nullo alio loco apud Latinos scriptores vocem *Copa* occurrere, reposuit *Copo*, ut fingatur ipse caupo ante cauponam stans praetereuntes acclamatione allicere. Quamvis ingeniose haec sint disputata, nolui tamen, quod Fiedlerus fecit, ab omnium librorum

Digitized by Google

Ebria famosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos:

VARIETAS LECTIONIS HEYNIANA.

3. FUMOSA

scriptura recedere. Quod enim ad ipsius vocis formam attinet, ea, quicquid dicat Ilgenius, comparatione cum *leno lena, leo lea* instituta defenditur, ut certo ita dici potuisse appareat. Et recte quidem inscriptio carminis a prima eius voce est petita, quamquam Ilgenius non causam videre dicit, cur a saltatrice potissimum neque a *trichila* (vs. 7.) a *die autumnali* (vs. 18.) sumta fuerit. Imo iusta causa est, et res, ut mihi quidem videtur, ita capienda. Cauponae non modo a viris verum etiam a feminis exercebantur, quod non solum Ulpianus Dig. XXIII. 12, 43. clare docet, verum etiam Suet. Ner. 27. indicat, ubi cum Ilgenio p. 13. ex nonnullis codd. et multis edd. vett. legendum est: *insignes ganeae et matronarum institorias operas imitantium*, ubi v. Casaub. ut et ad Theophr. Charact. 28. p. 239. Fisch. Tales vero mulieres coram iudicibus in eadem, qua lenae, conditione fuerunt, quod pariter Ulpianus l. l. testatur: *si qua cauponam exercens in ea quaestuaria corpora habet* (*ut multae assolent sub praetextu instrumenti cauponarii prostitutas mulieres habere*) *dicendum, hanc quoque lenae appellatione contineri*, unde vix errabimus contendentes copam quae huic carmini inscriptionem dedit, nullum aliud nisi lenae negotium exercuisse. Quod nisi ex ipsa rei natura colligere liceret, qua quisque in re aliqua vili et contempta occupatus honestioris conditionis speciem prae se fert, certe id profiteretur vs. 33. ita ut hoc carmen quasi commentarium verborum Suetonii contineat. Pro *copa* carminis titulus pari iure *lenae* esse posset, cuius varias ad homines praetereuntes alliciendos artes poeta describit. Qui quum talis mulierculae verba poetice exornare vellet, prius ipsa breviter describenda fuit. Neque enim tantum verbis utebatur, ut oculos hominum in se suamque cauponam converteret, verum etiam lasciva saltatione ad instrumenta musica sive crepitacula (Castagnetten), cuius generis saltatio quantopere sensibus irretiendis et libidinibus excitandis apta sit, omnes testantur, qui eam in Hispania viderunt. Persuasum enim mihi est, saltationem illam, quae Fandango dicitur, variis ambagibus ex ea quam poeta noster describit, esse repetendam, neque parum ad rem illustrandam facit quod Richterus narrat in itineribus terrestribus et maritimis T. VIII. p. 176. *Auch eine Almee — d. i. öffentliche Tänzerinn — liess ihre Künste sehen.*

„Quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse,
Quam potum bibulo decubuisse toro?

6. POTIUS

Der Tanz bestand darin, dass sie mit ausgebreiteten Armen, singend und mit Klappern, die sie in den Händen hielt, den Tact dazu schlagend, Bewegungen und Geberden machte, welche den höchsten Grad von Leidenschaft und Sinnlichkeit ausdrückten. Fingit igitur poeta lenam sive copam prae taberna saltantem, quod muliercula prudenter facit, ita certissime oculos hominum in se vertens. Ubi igitur sat magnum numerum adstantem videt, paulum requiescit, illosque ut apud se devertantur invitat. Hanc vero invitationem a vs. demum 5. incipere, verba quae in eo leguntur optime docent. Primum enim *copae* id agendum fuit, ut praetereuntibus iterque facientibus cupidinem viae persequendae adimeret. Tum omnia commoda, quibus taberna abundat Aristophanico fere more (Ran. vss. 503. sqq.) enumerat, et bene gnara primum in illis locum puellam facilem neque nimis severam capere (Horat. Epp. I. 14, 24. sq.), talem reliquis demum cauponae laudibus decantatis praedicat, qua in re gradationem haud ineptam agnosces. Ita, nisi fallor, res bene procedit. Quod contra Heynius de ipso poeta invitante cogitat, minime ei assentire possum, quia tum carmen non tantum languidum foret, verum etiam prorsus non intelligi posset. Nemo enim videt, quid poetam adeo moveat, ut tam vividis coloribus tamque presse amoenitates cauponae alicuius ob oculos ponat. Multo aliter se res haberet, si poeta suo exemplo proposito alios ad hilaritatem provocaret, vel ipse hospitis loco fungeretur, quas partes festive Göthius noster in carmine lepidissimo agit, quod inscriptum est: *offne Tafel.* Verba autem Ilgenii: „si quis „dicat, Copam h. e. Cauponam „alloqui praetereuntes viatores, „inde *Copam* esse carmen in„scriptum: is videat, ne non „removeat incommodum, quod „existit, si Copa allicere prae„tereuntes creditur, et simul „Copae promittere saltationem? „Utrum Copam, quae saltat, ean„dem, quae saltantem laudat et „commendat an diversam ab hac „persona putemus?“ haec inquam iam satis refutata videntur expositione argumenti. Copa enim non laudat saltantem sed ipsa saltat, id quod tribus verbis post I. H. Vossium etiam dixit Zellius p. 35. *man muss sich die reizende Wirthin vorstellen vor dem Hause mit Gesang und Tanz die Gäste anlockend.* Nemo autem illud nobis obiiciet, quod poeta post vs. 4. omisit verbum *cecinit* vel *dixit;* talia qui requirat, neque poetam ullum unquam vere legit, neque ut legat dignus est. Iam quaedam de singulis addamus. In omnibus meis codd. legitur *Co-*

Digitized by Google

Sunt obbae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus;

7. CUPAE

pa, praeter Colb. III. et Gaibac., in quorum illo *Coppa*, in hoc vero *Scopa*. Ilgenius scribit *Coppa* ex lingua Semitica i. e. Ἐρώτιον. Necessaria certe haec emendatio vix habebitur. — *Syrissa* Ilgenius cum insigni doctrinae copia reposuit explicans de Ambubaia, de qua v. Schol. Horat. Sat. I. 2, 1. *Ambubaiae dicuntur mulieres tibicinae lingua Syrorum.* Vulgo *Syrisca*, quod omnes mei codd. defendunt, nisi quod in nonnullis *Suirisca*, *scirisca*, *virisca* legitur. Neque hoc ego mutare volui, quia *Syrisca* nomen proprium Copae est habendum, cuius exemplum ipse Ilgenius attulit p. 21. ex vet. lap. apud Donium Class. 8. nr. 40., quamquam illud concedo, nomen Copae simul eius origines indicare, ut ipsa vel eius parentes ex Syria Romam delati ibique in libertatem vindicati essent. (Weichert. de Domitio Marso p. 4.) — *Graia* Colb. III. IV. Baluz. I. Gud. In Colb. I. II. Thuan. I. II. Teller. Helmst. Gaibac. *Graeca*. — *mitrella* Gaibac. *mitalla* Colb. IV. Thuan. II. *metalla* Petav. Colb. I. II. Thuan. I. *capella* Helmst. a m. pr.]

2. [* Saltationem *ad crotalum* docte illustravit Ilgenius p. 25. Usus praepositionis *sub* vel ὑπὸ notus est; Hemsterh. ad Lucian. T. II. p. 434. Bip. *movere latus* de saltantibus; Ovid. A. A. III. 301. *crocalo* Gaibac.]

3. *famosa taberna*. In promtu est coniicere *fumosa:* nec parum mihi arridere fateor; sic quoque ms. Helmst. exhibuisse video. Praefert tamen Burmann. vulgatum: melius enim convenire illud crotalistriae lascivae et infami. [* *Hebria* Colb. I. *fumosa* Heynius. Sed omnes praeter Helmst. codices retinent *famosa*, quod cum Zellio retinui, non malam huic voci notam tribuens, verum de taberna intelligens, quae magna est fama, unde a multis frequentatur. Ilgenius coni. *formosa*, et *lasciva* adverbii loco dici recte contendit; vid. quos laudavi Catal. Artif. p. 56.]

4. Crotalistria describitur. *Calami* sunt ipsa crotala, h. virgulae, alias aereae, sed nunc ex arundine scissa, quas illa inter saltandum concutit cum manus gesticulatione: qua, dum virgularum, quas medias digitis tenet, pars inferior versus brachia complodititur, *ad cubitum excutere calamos* h. l. dicitur. [* *At* Helmst. Ad explicandum hunc versum vid. Wernsdorf. Ilgen. et potissimum Böttiger. mythol. artis opp. illustr. I. p. 413. sq.]

5. Meo quidem iudicio, a quo si quis dissentiat, aequo animo feram, non Copae verba, quod vulgo credi video, sed poetae, sunt: ex persona poetae huiusmodi hortatus ad vitam exhilarandam multo plus suavitatis et auctoritatis habent, quam ex

Est et, Maenalio quae garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula more sonans;

ore meretriculae; a cuius persona pleraque aliena sunt; poeta pergit in eo, quod orsus est. *aestivo defessum pulvere abesse* dictum pro: *aestivo pulvere*, labore, defatigatum, viribus exhaustum *desidere domi*, nec se conferre in viam ad tabernam. Ad exercitationem campestrem revocat unice Scaliger. Malim a peregrinatione, mercaturae studio, et similibus petere usum τοῦ *abesse:* fere ut Tibull. I, 1 *Nec semper longae deditus esse viae*, ubi ex h. l. ariolari possis: *Nec semper longa fessus abesse via*. Tum, ut nunc interpungitur, intelligendum est: *Quid iuvat — abesse potius quam*. Nisi placet cum Barthio distinguere: *Quid iuvat — abesse? Quam potius, — toro!* scil. est. *bibulum torum* vocat, Scaliger ait, in quo plurimum biberetur. Durum vero hoc. Accipio de cespite vel gramine aqua irrigato, ut laetum virescat. Poterat alio epitheto ornare: ut *fragilem*, *tenerum*, *siccum* cespitem dicunt alii poetae; Nunc hoc maluit, nec inscite. [* *adesse* Teller. Gud. Gaibac. Recte interpretatus est Wernsdorfius lectionem vulgatam de eo qui itinere aestivo domo abest, peregrinatur. *Bibulum torum* primus recte explicuit Ilgenius. Agri, prata, horti apud Latinos dicuntur *bibere* aquam, fontes, pluviam (Virg. Georg. IV. 32. Tibull. II. 1, 44. Ovid. Pont. I. 8, 59. Virg. Ecl. III. 111.). *Torus* de gramine, herbis usitatum (Virg. Aen. V. 388. Ovid. Fast. I. 402. Metam. X. 556.), et quum rivus hortum alluat (vs. 12.), torus in horto rivo vicinus, eiusque aqua irriguus dicitur *bibulus*. Sic Ovid. Epist. XVII. 139. litus appellat *bibulum*, quod Horat. Od. I. 32, 8. *udum*. Haec Ilgenius. De pulvinis, qui herbis palustribus impleti fuerint, mire intelligit I. H. Vossius. Ceterum legebatur *Quam potius*, quod varia ratione interpretati sunt VV. DD. Simplicissima erat Barthii et Zellii ratio, *quam potius* dici pro *quanto potius est*. Attamen vel sic remanebat ingratum illud, quod oratio copae statim ab initio nimis interrupta et vehemens erat, et laudandum est insigne Ilgenii acumen, quo pro *potius* scribendum esse *potum* divinavit, quam lectionem egregie confirmat Gud. praestantissimus in quo est *Quid potum viduo*. Ante *quam* ex vulgari usu scriptorum Latinorum subintelligendum est *magis* vel *potius*, (coll. Vechner. Hellenol. p. 138. add. quos laudant Passov. et Hess. ad Tac. Germ. 6.) quod nostro loco omitti potuit, quia in *iuvat* notio verbi *praestat* inest. Recte enim ad talia verba hanc ellipsin restrinxit Walchius ad Tacit. Agric. 10. p. 188. In hoc tantum Ilgenio assentire nequeo, quod interpunxit *Quid? iuvat — toro?* quia haec interrogatio tum tantum adhibetur, quando iam aliquid praecessit, ut loquens vel in sua sententia per-

Est et vappa, cado nuper defusa picato;
Est crepitans rauco murmure rivus aquae;

11. DIFFUSA 12. STREPITANS

gat vel ad aliam respondeat, quod ab h. l. alienum est. In Gaibac. est *quin*, Baluz. I. *quam potes herboso*, altera tamen scriptura ut varia lectione apposita; idem cum Thuan. II. *procubuisse*, Thuan. I. *Quam potis*.]

7. *Cupae* vel *Cuppae* sunt in cella vinaria vasa maiora. At lectionis varietas viris doctis emendandi facultatem attulit. Scaliger legit: *Sunt topia et calybae:* quae calicum genera sunt. Heinsius autem: *Sunt obba et calices*. Cui accuratius haec cognoscere libet, ei adeundi sunt Intpp. ad h. l. [* *obbae* scripsi cum Heinsio et Ilgenio eruditissime hanc lectionem defendente pro *cupae* quod Heynius receperat et legitur in Baluz. I. Leid. Voss. II. *cupae et*, atque Helmst. a m. sec. In Colb. I. II. Helmst. a m. pr. Thuan. I. legitur *copia et*, Gud. *cuppe et*, Dresd. *cuppae,* in Colb. III. a m. pr. *copiae et*, a m. sec. *copae et*, Colb. IV. *cophi et* non, ut Scaliger dixit *tophi*, Petav. Voss. I. *topia*, Teller. *cophia et*, Thuan. II. *thophia et*, Gaibac. *strophia et*. — *calices* Leid. Voss. II. Gud. Gaibac. Baluz. I. Dresd. et Heynius. In Colb. I. Petav. est *kalybes*, Colb. II. IV. Helmst. Thuan. I. II. Teller. *calibes*, Colb. III. *chalybes*. Scaligeri *calybae* e membr. Cont. et Voss. I. ab Ilgenio sunt refutatae, addente: „*obba* erat „poculum maioris moduli crateris „loco adhiberi solitum, ventrio„sum, firmiter sedens; *cyathis* „misceri vinum, e *calicibus* bibi „solebat." In Thuaneo Heinsii est *lealibes*. — *ciati* Gud. *crati* Colb. I. — *corde* Gud. Helmst. Gaibac.]

8. *Trichila* vel *trichilum* pergula est ex vitibus aliave arbore pedamentis et iugis firmata, implicitis frondibus concamerata vel arcuata ad umbram faciendam, notiore voce *hypampelos* dicta. v. Viros doctos ad h. l. et Columell. X, 378. Similem compotationem sub umbraculo describi in Propert. IV, 8, 35 sqq. notavit Burmannus. Male in *triclinia* inciderunt nonnulli; etsi sic quoque Pompon. Sab. *triclina* pro triclinia. Etiam ms. Helmstad. *triclina umbrosis*. [* *trichila*, v. Columell. X. 394. qui locus Scaligeri sententiam confirmat, de pergula intelligentis. Cfr. Uhdenius in Wolf's Museum der Alterth. I. p. 538. sq. Orell. ad Inscript. Lat. nr. 3539. (2909.) Scribendi rationem confirmat Inscriptio ap. Orell. nr. 4517., in Gud. est *tricila*, Petav. Colb. I. II. III. IV. Thuan. I. *triaclia*, Teller. *trinachia*, Baluz. I. *tyriarche*, Gaibac. *triachia*, Leid. *trinacria*, Helmst. a m. pr. *triclina*, idem a m. sec. Thuan. II. Dresd. Voss. I. *triclinia*. — *umbriferis*, Gud. *umbris*, Colb. I. II. III. IV. Gaibac. Petav. Leid. Thuan. II. a m. pr. Baluz. I. *unbris*, Teller. *umbis*, Thuan. I. *umbrosis*, Voss. I. Helmst. Thuan.

Digitized by Google

Sunt et Corycio iunctae de flore corollae,
Sertaque purpurea lutea mixta rosa.

13. ETIAM CROCEO VIOLAE

II. a m. sec. Dresd. *frida*, Petav. *arundineis*, Leid.]

9. 10. *En et Maenalio* alii, et recte, *sonat.—pastoris more*: immo *in ore*. [* *Est et — sonans* Gudianus. In Voss. I. II. III. IV. Petav. Leid. Colb. I. II. IV. Thuan. I. II. Dresd. legitur *En et — sonat*, in Helmst. *Enti* (*et*) *et — sonat*, in Teller. *Ens — guarrit — sonat*, Baluz. I. *Est et — sonat*, Gaibac. *En hic — canit*. Et primum quidem Ilgenius p. 33. lectionem vulgatam a Gudiano confirmatam bene tuetur per comparationem vss. 6. 11. 12. 13. 17. 18. 20. 22. 23. Quod vero tum ex manifesto nonnullarum editionum errore praefert *in ore* pro *more*, probare nequeo. Ordinem esse dicit hunc: *fistula in ore pastoris rustica sonans*, sed neque exemplum huic simile adducere potuit; tum ridiculi nescio quid inest in ipsis verbis, et remanet etiamtum difficultas, quam ipse Ilgenius sensisse videtur. Nam nemo videt, quomodo poeta originem syringis ita commemorare potuerit, quasi illo ipso tempore in Maenalo garriret, et mera huius originis commemoratio, ita ut cum versu sequenti nexus aliquis non adsit, nimis rhetorica est et frigida. Locus scilicet ita struendus et intelligendus: *Est et rustica fistula pastoris sonans more fistulae, quae Maenalio sub antro dulce garrit.* Vocem *garrire* docte illustravit Ilgenius. In Gud. est *grāvit.* Wakefieldus coni. *molle* pro *more*, ita ut *dulçe antro* iungatur, coll. Horat. Sat. I. 4, 76.]

11. *defusa* duo codd., variatione perpetua: v. c. Lucret. IV, 88. et id malunt viri docti: nam agitur de vino e cado, maiore vase, in minus defuso; non de vino in plura minora vasa diffuso. [* *defusa* scripsi ex Cont. Petav. Voss. Colb. I. II. Thuan. I. II. Baluz. I. Vulgo *diffusa*, quod et in Colb. III. IV. Gud. Helmst. Teller. Gaibac. Dresd. Sed v. Ilgenius ad h. l. et Böttigerus in ephemer. vespert. 1819. nr. 259. 260. Vocem *vappa* bene exposuit Ilgenius: „copo, qui „vult se facetum haberi, per io„cum vinum, quod offert hospi„tibus, illo vulgo recepto dicit „nomine; sed tantum abest, ut „eo fateatur, vile se habere vi„num, aut vile esse illos velit „credere; nam quod addit, *ca„do nuper defusa picato*, eo ca„vet, ne serio id dixisse videa„tur, et vera intelligatur vap„pa.“ In Teller. denuo legitur *En et*.]

12. *Et strepitans* legendum cum al. edd. *strepitans* in *crepitans*, *trepidans*, mutant viri docti, iidem hoc in illud mutaturi, si alterum reperissent: huiusmodi correctiones dudum ex re critica sublatae et explosae

Digitized by Google

Sunt et virgineo libata Achelois ab amne
  Lilia quae niveis attulit in calathis.

15. ET QUAE 16. VIMINEIS

esse debebant; sunt enim nec magis ingeniosae quam non fructuosae. [* *Est* Gud. et Dresd. recte. Reliqui libri *et*. Tum legebatur *strepitans*, quod et in Colb. I. II. Thuan. I. Helmst. Dresd. Ego Ilgenium secutus ex Voss. I. II. Colb. IV. Gud. Thuan. II. Teller. Baluz. I. scripsi *crepitans* (Horat. Epod. 14, 47. Virg. Aen. XI. 297.) Leidens. et Gaibac. *trepitans*, unde Heinsius, Burmannus maior et minor, Valcken. ad Ammon. II. 10. p. 122. praetulerunt *trepidans*. Pro *rauco* Ilgenius coni. *parco*, V. D. in Seebod. Bibl. Crit. 1822. Vol. I. p. 84. *raro*. At *rauci rivi* commemorantur etiam ap. Claudian. Cons. Olybr. 221.]

13. *Sunt et Cecropio iunctae de flore corollae* Voss. I. II. Leid. Unde Burmann. non indocte coniicit: *Corycio iunctae de flore*, vel *Corycioque croco violae de flore corollae*. [* Legebatur: *Sunt etiam croceo violae de*, quam scripturam etiam exhibent Colb. I. II. IV. Thuan. I. II. Teller. Dresd. *Croceae* est in Helmst. *violae roseo — chorolli* in Gaibac. *Sunt hic et* in Baluz. I. Nunc recepi emendationem Burmanni, adiutam per Gud. in quo est *Sunt et Cecropio vinctae — coronae*, quod et in Voss. I. II. Leid. nisi quod erat *iunctae;* Ilgenius laudavit Martial. IX. 39. Stat. Silv. V. 1, 214. Horat. Sat. II. 4, 68. Fiedlerus probavit *Cecropio — flore*, de violis Atticis intelligens, Wakefieldus idem recipiens laudavit Virg. Ecl. VII. 37. Georg. IV. 270.]

14. *rosam* in auctumno adeoque certi generis, serioris proventus, narrari necesse est. [* *mixta* Colb. IV. Helmst. Gud. Teller. Thuan. II. Dresd. Gaibac. Baluz. I. *luctea* Gud. *luttea* Teller. *trosa* Colb. II. *ministrosa* Thuan. I. *miniforosa* Colb. I.]

15. 16. Suavissimum distichon: Cernis nympham calatho afferentem potantibus lilia. Ecl. II, 46 sqq. [* ubi v. Vossius,] Nymphae et Naiades formoso puero flores ferunt; sic h. l. Nympha Achelois, h. fontana, amnicola, ut unam ex Naiadibus significet. *Acheloum* de aqua dici poetis non infrequens. *libata ab amne*, humefacta, viola in ripa florens, quam adeo alluit unda. Miror Heinsii acumen: *libata ab ore* legentis. *virgineum amnem* suaviter dixit purum, pellucidum. Comparat *fontes ingenuos* Lucretii I, 231 Wakefield. Nec ad Virginem aquam, quae Romae fuit, recurram. [* Legebatur: *Et quae virgineo — lilia vimineis*, quam scripturam ego mutavi. Etenim in Voss. I. II. Leid. Gud. legitur *Sunt et virgineo* et tum in uno Voss. Gud. *lilia quae niveis*, Leid. *lilia quae iuvenis*, quae scriptura multo est elegantior vulgata. Verba sunt iungenda: *Sunt et lilia*, *quae libata ab*

Digitized by Google

Sunt et caseoli, quos scirpea fiscina siccat;
  Sunt autumnalis cerea pruna deae,
Castaneaeque nuces et suave rubentia mala;
  Est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis,
  Et pendens iunco caeruleus cucumis.

17. IUNCEA 18. AUTUMNALI DIE 22. EST

amne virgineo Achelois attulit in calathis niveis, et *niveis calathis* illustrandum est ex usu poetarum pervulgato, quo adiectiva alieno substantivo adduntur. Ipsi *calathi* dicuntur *nivei*, ut pleni liliis niveis. Cort. ad Lucan. I. 305. Vulgata scriptura in reliquis meis codd. servatur, nisi quod Gud. praeterea habet *libate chelois.* Verborum sensum docte explicuit Ilgenius, qui *Achelois* pro Nympha, ut *Achelous* pro quavis aqua dici ostendit, coll. Macrob. Saturn. V. 18. Fiedlerus addit I. H. Vossium ad Virg. Georg. I. 9. Tum *lilia a virgineo amne libata* sunt electa ex ingente numero, et ad usum singularem aut curam destinata, coll. Cic. Invent. II. 2. *Virgineo* propter Nympham additum, ut saepe adiectiva ad pleniorem alicuius rei descriptionem pro pronomine *eius* adduntur; coll. Horat. Od. III. 4, 70.]

17. *scirpea* Leid. et ed. Iunt., et *sirpea fiscina* Ald., doctius utique; ut *iuncea* pro interpretamento sit. [* Legebatur *iuncea.* Ego scripsi *scirpea* ex Leid. In Gud. est *sirpea*, Teller. Thuan. II. *iunctea*, deinde in Teller. Helmst. *fascina.*]

18. [* Legebatur *autumnali — die*. Quod ego reposui legitur in Voss. Leid. Gud. In Colb. II. est *autemnali*, Colb. IV. Teller. *poma*, Thuan II. *ceresa*, Petav. *prima die.*]

19. [* Baluz. I. *mane rubentia*, adscripto *suave.*]

20. [* *Est et* Colb. IV. *et Bromius* Gud. Cui hic non in mentem venit Göthii nostri: *Hier ist Ceres, hier ist Bacchus Gabe, und du bringst den Amor, liebes Kind.*]

21. [**mora* dicuntur *cruenta* propter Pyramum et Thisben; v. Ilgen. *letis* Thuan. I. *tentis* suspicatur Ilgenius.]

22. *Et pendens* melius alii; et porro ms. Helmst. *Et pendet.* Tum *iunco* pendet cucumis, quo alligatur stipiti, vel pedatur. [* Legebatur *Est pendens.* Veram lectionem reposui ex Gud. Teller. Ald. 1517. In Dresd. Petav. Leid. Colb. I. II. III. IV. Thuan. I. II. Baluz. I. legitur *Et pendet*, in Gaibac. *A pendens.* Tum in Teller. est *vinco*, Thuan. II. *iuncto.* — *cucuma* Gud. Ceterum Ilgenius versuum ordinem ita disponit: 21. 22. 19. 20. perquam sane probabiliter, quia vs. 20. enumerata cauponae commoda aptissime claudit facilemque ad Priapum transitum facit.]

Digitized by Google

Est tuguri custos, armatus falce saligna,
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huic Cybelista venit: „„lassus iam sudat asellus:
Parce illi, nostrum delicium est asinus.““

25. Huc Calybita veni: fessus 26. vestrum

23. *Et tuguri* etiam h. l. alii melius. Sed totum distichon alienum ab h. l. et aliunde illatum: quod ordo sententiarum et loci ratio satis docet. [* *Tuguris* Gaibac. Interpunxi post *custos* cum Ilgenio; antea male versus uno tenore sese excepit.]

24. [* *vasto non est* Colb. IV. in rasura. *Hic non ets vasto* Helmst. deleto tamen *non*. Ilgenius scribit *vasto ex inguine*. Minus tamen necessaria haec est coniectura. Sensus enim verborum hic est: Adstat Priapus, terribilis falce saligna, qua fures et aves arcet; nemo vero terretur inguine eius vasto.]

25. 26. *Huc Alibida veni.* Silenum interpretabantur: qui tamen a loco et re alienus esse videtur, quando quidem hic in vera vita versatur poeta. *Asinida* pro asinivehida ex Plauto huc inferre voluere Heins. Scalig. et Gesner. de Silenis Tom. IV. Commentatt. p. 45. Turnebi (Adverss. XIII, 22) lectio: *Huc ad liba veni*, facilitate se commendat; sed parum ad sensum facit. *Calybita* e codd., quibus Helmst. adde, iam probarunt Salmasius, qui videndus ad Hist. Aug. p. 491., et alii, intelligentes Gallum matris deum vel deae Syriae sacra circumvehentem; hunc eundem esse puta agyrtam, qui adeo plebeculam praestigiis suis tripudiisque inter cymbalorum tympanorumque strepitum delectat. cf. Apulei. lib. VII. Occurrunt et hi homines passim in anaglyphis antiquis: v. c. *Cayl. Recueil* T. I, tab. 29. Calybe, ναΐσκος, templum vel sacrarium deae simulacrum recipiens. Substituunt καλύβην deae Κυβέλη viri docti in epigrammate Thyilli Anal. II, p. 277. VI. Porro autem legend. *venit:* quod et codex unus offert. Etiam agyrta huc venit, asello suo insidens. Tum suaviter subiicitur illud: *Parce illi* etc. nec tamen eum nimium ad cursum accelerandum flagris incita; contubernale vobis, Galli, pecus est. — *Vestae delicium*, Is. Vossii elegantissimam coniecturam amplectitur quoque Burmann. cf. Ovid. Fast. VI. 319 sqq. Vestam et Cybelen permutari, in eodem loco obvium est. Nec absurde tamen Gallorum delicium habetur asinus, cum tacita libidinis exprobratione. Laudant Intpp. commode Phaedr. III, 20, 8. [* Vulgo legebatur hoc distichon:

Huc Calybita veni: fessus iam sudat asellus:
Parce illi; vestrum delicium est asinus.

His in verbis explicandis vel emendandis VV. DD. multum otii et operae consumserunt neque

Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae;
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.

tamen, ut hoc ingenue et sine arrogantiae specie profitear, feliciter profecerunt. Eorum conamina diligenter enumerata diiudicat Ilgenius p. 40—52. ad quem varia doctrina refertum excursum lector est remittendus. Variae codd. lectiones hae sunt: *Huc* legitur in Cont. Voss. I. II. Helmst. a m. sec. Leid. Colb. IV. Gud. Teller. Thuan. II. Baluz. Gaibac. Dresd. *Huic* in Petav. Colb. I. II. Thuan. I. *Nunc* Helmst. a m. pr. *calybita* Colb. II. Thuan. I. Cont. Voss. I. Gaibac. *calibita* Colb. I. IV. Helmst. Petav. *calibida* Teller. *halibida* Thuan. II. *alibida* Leid. *albida* Gud. Dresd. *alybia* Baluz. I. *alibulla* Voss. I. *veni* Colb. I. II. IV. Helmst. Gud. Dresd. Thuan. I. II. Voss. I. II. Leid. Teller. Baluz. I. Gaibac. *venit* Petav. *fessus* Colb. IV. Dresd. Gud. Teller. Thuan. II. Baluz. I. Gaibac. *lassus* Colb. I. Helmst. Thuan. I. Voss. I. *vestrum* Colb. IV. Thuan. II. Gaibac. Leid. *vestri* Voss. II. Dresd. *vestrae* Colb. II. Thuan. I. Voss. III. Petav. *ure* Colb. I. *nostrum* Voss. I. Gud. Teller. *nostri* Baluz. I. Cont. *dilicium* Thuan. I. *deliciae* Gaibac. In Helmst. legitur a m. pr. *Parce illi idelice est asinus vestrae*, a m. sec. *illi vestrum deliciae est asinus.* De Gallo sacerdote sermonem esse, omnes viderunt, eumque in *Calybita* potissimum latere putarunt, qua voce merito reiecta Ilgenius coniecturam proposuit at non comprobavit *Idaea.* Eius de omni disticho sententia est haec, ut legatur:

Huc Idaea venit: lassus *iam sudat asellus:*
Parcit ei: Vestae *delicium est asinus,*

hac addita explicatione: „Est „nobis, inquit copo, custos tu„gurii, armatus quidem falce, „sed non ex inguine terribilis: „nam, si mater Idaea huc venit, „et asellus iam sudat timore „quassus, ne vim patiatur, par„cit ei, Vestam reverens, cui „scit eum esse in deliciis.“ Hoc iam recte vidit Ilgenius, *venit* unice verum esse. Nam nulla erat copae causa invitandi Galli, quorum sacerdotum genus omnibus fuit contemptui, et si imperativus legitur, omnia verba quae iam sequuntur inepte ad hunc Gallum neque ad viatorem quemcunque pertinent, et in his etiam vs. 33. quem ineptissime de Gallo dici nemo est qui non videat. Commemoravit igitur tantum Copa, in suam cauponam etiam Gallos deverti, nulla alia de causa, nisi ut plene omnia, quae in caupona fieri solent, describat; et sane Galli in simili loco ap. Iuvenal. VIII. 170. seqq. non desunt. Scite autem Gallum cum Priapo coniunxit, ut utriusque non sit simplex commemoratio, sed et Deus et sacerdos aliquid, quod ad eos invicem pertinet, agant. Gallus vero ex sententia mea *Cybelista* dicitur, quae vox apud Latinos in hoc tantum loco obvia

Digitized by Google

Si sapis, aestivo recubans te prolue vitro,
  Seu vis crystallo ferre novos calices.

tamen satis auctoritatis habet. Ipsa enim vox suam originem a *Cybele*, cuius sacerdos Gallus erat, clare demonstrat, et Cratinus ap. Hesych. s. v. ἀγερσικυβῆλις talem hominem ἀγύρτην καὶ κυβηλιστήν dicit, ubi neminem puto offendit η̄ pro ε̄, quum pari iure dicatur Κυβέλη, Κυβήλη et Κυβήβη. Dudum hoc ego conieceram, quum vidi eandem coniecturam etiam proposuisse VirumD. in Seebodii Bibl. Crit. l. l. p. 86.; at quum V. D. non addiderit, quae esset sua sententia de reliquis verbis, ipsa autem coniectura ex nexu horum verborum comparato mihi sit nata, non potui quin laudis vel vituperii de hac suspicione partem etiam in me transferrem. Optimos ergo codd. sine ulla immutatione sequens ita scripsi:

Huic Cybelista venit: „lassus iam sudat asellus,
  Parce illi, nostrum delicium est asinus.“

Gallus ad Priapum venit hac cum prece: asellus quam maxime fessus amplius ire nequit. Coactus sum hac in caupona devertere, quod non nisi timidus facio, gnarus tibi Priape asinum omnium invisissimum esse animal (Ovid. Fast. VI. 345. coll. I. 439. Lact. Instit. I, 21, 25.). Tu tamen parce asino, quia nostrum est *delicium*, de cuius vocis obscoeno sensu v. Phaedr. III. 20. Böttigeri Kunstmythol. I. p. 294. *Huic* pro *ad hunc* v. Ruddim. II. p. 154. Cort. ad Lucan. IV. 647. *venit* praegnanti sensu dicitur precum notione addita, ut *adire*. De terminatione *Cybelista* pro *Cybelistes* v. Schneider. Gr. Lat. T. II. p. 29. sq. Perfacete autem copa ipsius Galli verba laudat, quibus audientibus lepidam de Priapo et Vesta historiolam in mentem revocat. Tum pergit in adhortatione priore et vs. 29. sqq. ipsum viatorem alloquitur.]

27. [* *Hunc cantu* Helmst.]

28. *Nunc vere*, vel *vero*, in libb., unde Heins. coni. *Nunc verna in gelida sepe lacerta latet*. Burmann. vero *Nunc viridis gelida sepe l. l.* Immo lege: *Nunc varia in gelida sepe lacerta latet*. et hoc nunc video diserte exhibere ms. Helmstad. [* *etiam in gelida* retinui ex Gud. quum in Colb. I. II. IV. Thuan. I. II. Voss. I. II. Petav. Teller. Baluz. I. Gaibac. Dresd. legatur *Nunc vere in g*. Scriptura codicis Helmst. ab Heynio laudata nonnisi est a m. sec. Prius legebatur *verearia;* in Colb. IV. pro *sede* legitur *sepe*, Gaibac. *saepe;* in Voss. I. II. Petav. Teller. Baluz. I. Dresd. in fine versus *sedet*. Ilgenius praefert *viridis* post Burmannum, apte praeterea de temporis significatione laudans Theocr. VII. 22. Virg. Eclog. II. 9. Ceterum in Cont. male fuit: *Nunc vero in gelida sede locusta sedet*.]

29. Ut multa alia in h. l. e Propertio petita esse, docuere viri docti, sic hoc, ex lib. IV, 8, 37 *Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex*. Mox

Eia age pampinea fessus requiesce sub umbra,
Et gravidum roseo necte caput strophio,
Formosus tenerae decerpens ora puellae!
Ah pereat, cui sunt prisca supercilia!

33. Candida formosae decerpes

Seu vis ferre pro, seu mavis afferre, adhibere, *calices crystallo*, e crystallo factos; vel ut *calices* sint pro vinis dicti. Nisi ulcus latet: *Seu vis, crystallo verte novos calices.* Notum ex Marone: *Indulgent vino et vertunt crateras ahenos.* In ms. Helmst. [* Baluz. I.] *cristalli.* Sic usitatius *crystalli calices.* [* *te prolue* Scaliger ex Cont. cui accedit Colb. III. quum in reliquis meis codd. legatur *nunc prolue;* de Gaibac. iudicare non licet. Tum *cristalle* Colb. I., *Seu uvis cristallae* Thuan. I. *Aestivum vitrum* Ilgenius post Vulpium ad Prop. l. l. interpretatur de poculis capacioribus, ad restinguendam sitim multo aestu contractam aptis et accommodatis; simul bene refutat Heynii coniecturam, *ferre* explicans per *accipere ad usum.* Ablativus *crystallo* materiam, unde confectum sit poculum, indicat, coll. Virg. Aen. III. 286. I. 759. II. 765. X. 783.]

31. [* *Eia age* Thuan. I. Dresd. In Colb. I. II. *Hia age,* in Helmst. Gud. Teller. Colb. III. IV. Thuan. II. Baluz. I. Gaibac. *Hic age,* in Voss. I. Leid. *Nunc age.* — *defessus* Gud.]

32. *strophium* pro vitta seu fascia, cui innectuntur flores, adeoque pro serto. [* *gravidus* Gaib. *stropheo* idem, *stripheo* Helmst. *strofio* Gud. *trophio* Teller.]

33. [* Legebatur: *Candida formosae decerpes ora puellae,* quod Bembus de Culice Virgil. p. 792. in suo codice legi testabatur. At Voss. I. II. habent *Formosus tenerae,* Leidens. Petav. Colb. I. II. III. IV. Thuan. I. II. Helmst. Gud. Baluz. I. *Formosum tenerae,* Teller. *Formosum tecime,* Gaibac. *Formosis tenerae,* Dresd. *Fumosus tenerae;* tum Voss. III. Dresd. *decerpes,* Leid. *decerpas,* Petav. Colb. I. II. III. IV. Thuan. I. II. Helmst. Gud. Teller. Baluz. I. Gaibac. *decerpens.* Haec codd. vestigia secutus scripsi, quod partim iam Wernsdorfiius revocaverat *Formosus tenerae decerpens,* ut participium pendeat a *necte.* Oudendorpius coni. *Fac, morsu tenerae decerpas,* vel *Fer morsum* vel *morsus tenerae decerpens,* Ilgenius autem p. 56. sqq. *Fac, morsus tenerae decerpens ore puellae,* quia nemo explicare possit quid sit *decerpere ora,* cum esset dicendum *decerpere oscula.* Docte hoc comprobavit Ilgenius; at puto condonare aliquid possumus poetae, qui audacter pro *ore oscula decerpere* dixit *ipsa ora decerpere,* qualia etiam alibi scriptores sibi indulserunt. Certe quod Ilgenius excogitavit, mi-

Digitized by Google

Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi? —
Pone merum et talos. Pereat, qui crastina curat!
Mors aurem vellens „„Vivite," ait „venio.""

36. LEGI 37. PEREANT—CURANT!

hi non arrisit, quia *ore morsus decerpere* multum impediti habet.]

34. *prisca*, qualia fuere priscorum hominum, severa, tristia, adducta, ut adeo bene lectionem hanc tueatur Burmann. adversus virorum doctorum commenta, et Leidensis codicis lectionem: *crispa supercilia.* Ms. Helmst. *Ah pereant*, *quibus haec prisca s.* [* *Ah*, Helmst. *Na* ex *Ha.* — *pereat* Colb. I. II. IV. Thuan. I. II. Teller. Baluz. I. Gud. Gaibac. Dresd. *pereant quoi* Vossian. *crispa* Voss. I. II. Leid. Gud. Baluz. I.; at v. Ilgenius. Heinsius coni. *hirta* vel *spissa.* — *sint* Thuan. II.]

35. *cineri ingrato* ex Aen. VI, 212, cui nullus rei sensus est. [* *Quem* Teller. *servans* Dresd.]

36. *legi* iam emendarunt et ediderunt viri docti, pro *tegi.* Lapis sepulcralis coronis ornatus nota res est. In eo legi serta, sane parum opportunum: Magis tamen si illa *lapidi* legantur, ut sit dativus cui. [* Legebatur *legi*, quod primus conieccerat Pierius in Hieroglyph. p. 582. Attamen haec lectio parum fert, ipso Ilgenio teste, subsidii ad commodiorem sensum, et post Heynii conamen Wernsdorfius maluit *coronando lapidi*, Ilgenius *ossa tegi*, quod nube exemplorum comprobare studet. Sed tum nemo non videt vim verborum inesse in *ossa*, quod fieri nequit; *serta* enim summi h. l. sunt momenti, qua de causa hanc etiam coniecturam noluerim recipere. Credo potius lectionem omnium librorum *ista tegi* esse retinendam, ut poeta alludat ad morem Romanorum, quo lectus funebris floribus et coronis obtegebatur, qui tum in sepulcrum deiiciebantur vel comburebantur (Kirchmann. funer. Rom. I. 11. p. 58.). Eleganter igitur copa monet viatorem, ne coronas usui funebri reservet, sive iis lapis coronetur (Kirchm. l. l. IV. 2. p. 374. sqq.), sive lapis eos tegat.]

37. [* *Pone merum et talos*, „fingit poeta coponem (copam) „puero acclamare, eumque iubere „vinum et talos ponere." Ilgenius, qui praeterea per Propert. IV. 8, 45. Plaut. Mil. Glor. II. 2, 9. Heinsii coniecturam *calathos* refellit. — Legebatur *pereant — curant;* sed propter vs. 34. cum Ilgenio ex omnibus codd. praetuli numerum singularem.]

38. [* *aurem vellens* exhibent omnes mei codd. praeter Dresd. in quo legitur *autem veniens;* et *autem* legitur etiam in Leidensi. Ilgenius laudat Virg. Ecl. VI. 4. Calpurn. IV. 155. docte tum illustrans *vivite* solennem acclamationem, et *venio* ut propriam de morte vocem.]

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

UT VULGO FERTUR

M O R E T U M

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIUM

IN MORETUM

Est hoc ex eo carminum genere, cuius nobis paucissima ex antiquitate exempla relicta sunt: argumento ex vita privata et tenui hominum humili loco natorum petito. Licet id ad bucolicum genus referre aut pro Idyllio habere, quandoquidem eo nomine unum et alterum apud Theocritum habetur. Faciunt viri docti carminis summam, ***moretum***, h. edulii rustici genus, ex allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, additis caseo, oleo et aceto, comparatum, quod Simulus conficit. Nec male ea res, arbitror, Idyllii huiusmodi argumentum constituat: repraesentata oculis animisque particula aliqua vitae rusticae. Sed, quantum equidem assequor, latius patet Idyllii huius argumentum. Describitur enim omnino ***prima diei pars***, et ***quae diluculo vel mane gerantur a rustico***, antequam ad opus rusticum procedat. Surgit mane Simulus, qui conductum agrum arare videtur, cum Cybale, Afra

genere, forte libertina, et primo loco ea parat, quibus per diem illum vitam toleret, h. e. famem expleat. Igitur panem coquit, quod a v. 17 ad 52 procedit, inde, ut habeat, quo pro obsonio utatur, moretum sibi parat, h. edulium acribus herbis oleo acetoque confectum, quo stomachum vellicet. Itaque malim dicere *describi hoc carmine primam diei partem vitae rusticae.* Suspicor autem aut fragmentum nos tantum habere maioris carminis, quo totum opus diurnum exponebatur: nam sub f. in agrum ad arandum procedit Simulus; aut successisse plura Idyllia, quae ceteras rustici operis partes exsequerentur. Sufficit Idyllium hoc esse ex elegantissimis, quod maiori eclogarum Virgilianarum parti praeferam, in quibus sententiae ex Theocrito mutuatae annumerantur. Nisi forte huius poematii auctor et ipse e Graecis sua accepit. Certe Vossius in lib. de poetis Gr. prodidit, in cod. Ambros. Moreto Virgilii esse adscripta verba: *Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Virgilius imitatus est.* Quae res non improbabilis videri debet, cum poetae ante et sub Augusteo saeculo in Graecis vertendis tantum studium consumserint. Si itaque a Maroniana oratione, quam in Bucolicis tenemus, aliena est indoles Moreti, hoc per se mirationem non facit, si quidem ex Graeco tantum conversa haec sunt. Versatur autem poeta in eo poetices genere, quod, rebus e vita humili et sordida petitis, ad animos tenendos omnium minime accommodatum esse, multi viri docti contenderunt. Alii hoc ipso se genere facile Homerici carminis laudes attingere posse putarunt. Prius illud iudicium recte se habere nullus dubito, si in

orbe rerum vulgari aut in sordibus vitae, iisque rebus, quarum adspectus nauseam facit, descriptio versetur; aut si exspectatione eius, quid ex sigillatim descriptis rebus proventurum sit, animus non erigatur, aut si omnino arte et ingenio careat. Possunt tamen ex ea quoque vita, quam lubitu suo nemo vivere malit, cum dilectu, remotis molestiis et sordibus, multa poetice reddi et ornari, ut placeant; modo ne tali carmini vim ac dignitatem carminis epici tribuere ausis, a qua illud longissime abesse necesse est. De quovis carmine statuendum est ex eius genere generisquè natura et indole; potestque, recto cum iudicio, ex omni genere fructus aliquis seu ingenii et artis seu honestae voluptatis peti. Virgilio carmen hoc tributum esse iam antiquitus, ex eo constat, quod in Vita Virgilii illud commemoratur: etsi, cum tot seriorum hominum nugis illa interpolata sit, quid veteres Grammatici iudicaverint, difficulter inde eruitur. *A. Septimio Sereno*, poetae Falisco, de quo qui scripserint recensuit Burmann. ad Anthol. Lat. lib. I ep. 27, adscribendum esse suspicabatur Scaliger, tum Barthius Advers. XXXV, 8 et al. loc., quia opuscula illa rustica (et haec unica caussa affertur) composuisse dicitur: nuper autem doctissimus editor Poetarum minorum Wernsdorfius T. II sine haesitatione Sereno carmen hoc vindicavit, tamquam partem priorem *Opusculorum ruralium:* etsi haec lyrico carmine variis metris exarata fuisse memorantur; potuisse enim praemitti carmen hoc hexametrum. Ita ad Vespasiani tempora illud reiicitur. Monitum illud quoque a viris doctis est, scriptum iam a *Suevio* fuisse Idyllium Moretum,

ex quo versiculos profert Macrob. II Sat. 14, sed admodum horridos, si cum nostro Moreto contendas.

Lectionem in antiquis edd. fere eodem modo corruptam vidi: etsi minus foedatum et interpolatum opus ad nos pervenit, quam cetera. Primum institutam recensionem novam deprehendi in Aldina 1517 Catalectorum: ea fundamentum facta correctioribus editionibus; successere tamen aliae antiquam lectionem retinentes, etiam Scaligerana. Quandoquidem in hoc poematio non habebamus exemplar, quod ex condicto sequi necesse esset; in Heinsianis enim et Burmannianis non extat; liberum nobis relictum duximus, ut lectionem ipsi constitueremus, Aldina et Scaligerana emendatione pro fundo posita. Non erant ad manus editiones binae, quibus Moretum sigillatim prodiit, Colinaeana 1542, 8, cum Io. Ruellii scholiis, et Francofurtensis 1626, cum Taubmanni commentario; aliam cum notis Weitzii ad calcem Copae Francof. 1642, 8, inspexi; et veterem edit. Lips. Thanner. 1519 cum Copa et aliis sub tit. *P. Virgilii Maronis, poetarum Achillis, minutiora opuscula* — (Aliam veterem editionem Moreti Coloniensem memorant Denis Supplem. p. 691 et Panzer Vol. I, p. 334. 433.) Sed nec erat, quod multa inde sperari possent, quae non aliunde suppeterent, inprimis ex Barthio, qui in Adversar. XXXV, 8. IX, 16, nonnulla loca attigit. Post priorem meam editionem retractavit hoc carmen et docto commentario expolivit Wernsdorf. in Poet. min. T. II.

Moretum. Multa de etymo nominis comminiscuntur viri docti. Scaliger, a quo hoc car-

Digitized by Google

men graecis versibus redditum est, P. Ronsardo inscriptum, μυσσωτὸν, μυττωτὸν, quod tritum, τρίμμα, est, ducit. Alii aliunde (cf. nunc Wernsdorf. l. c. p. 256). Nos illud monere satis habebimus, occurrere vocem apud Ovid. Fast. IV, 365. Fuit quoque exquisitior eius conficiendi ratio alia, quam apud Columell. XII, 57 videre licet. Laudant quoque Apicium viri docti lib. I, cap. 35.

EPIMETRUM EDITORIS DRESDENSIS.

Quod Heynius in prooemio dicit, Moretum iam antiquitus Virgilio tributum fuisse, imposuit ei auctoritas Vitae Virgilii Donato adscriptae, in qua cum alia poemata tum Moretum a poeta Mantuano profecta vulgo legitur. At neque in hac ipsa Vita neque in Serviana veteres codd., quales sunt Parisiis in bibliotheca Regia nr. 7959. 7960. (bis) 7930, Moreti nostri mentionem iniiciunt, et librorum manuscriptorum, qui carmen continent, alii nomen Virgilii addunt, alii neque numero pauci omittunt. Videmus igitur quam parum firma auctoritate ii utantur, qui ut Fontaninus hist. liter. Aquilei. p. 40. talibus testimoniis Virgilianam Moreti originem demonstrari putant; non magis firma autem is uteretur, qui illam originem per sermonem in Maronis carminibus et Moreto exstantem defendi diceret. Cuius de diversitate quaedam Heynius iam monuerat; ego nunc addo illam maxime eo conspici, quod incertus carminis nostri auctor praeter Virgilii consuetudinem mediis in

Digitized by Google

versibus plenam interpunctionem admittit, qua elegantiae parum consulitur. A Virgilii ingenio pariter abest summa illa accuratio et ne minutissima quidem praeteriens diligentia, qua singula describens per omne carmen utitur. Tum magnam etiam artem rhetoricam, quam alii in Virgilii Eclogis tantum olim mirabantur, quantum hodie vituperant, Moreti auctor aspernatur et antithesium usus plane nullus est in eius carmine. Simplici naturae descriptioni indulget, et quam feliciter eam expresserit, ita ut agricolae mores, necessitates, cogitandi rationem quasi tabella pictam videamus, omnes sentient, qui talibus rebus intelligendis omnino sunt apti; unde etiam factum est, ut Woltmannus in libro facetissimo: Mémoiren des Freiherrn von S—a Vol. I. p. 13. dicere non dubitaret, in Moreto Virgilium praestantiorem poetam apparere, quam in Aeneide. Pertinere autem videtur carmen ad idylliorum genus, qualia Sophron soluta oratione composuerat, quem postea Theocritus in carmine XIV. XV. XXI. imitabatur. Ut enim Sophron in mimis suis piscatorum, hominum in thunnis capiendis occupatorum negotia descripsit, ita auctor Moreti opus rustici matutinum eodem consilio et studio depingit, quo pictores nostri, ut inter veteres Pyreicus et Ludius, vitae quotidianae depingendae operam impendunt. Tale igitur carmen quum veteres poetas aemulabundus Parthenius Graece conscripsisset (non enim fide indignum videtur quod librarius codicis Ambrosiani addidit) poeta aliquis, sive Virgilius sive alius quispiam aureae aetatis illud Latino sermone imitandum sibi sumsit, unde, si de versione co-

Digitized by Google

gitamus, ipsum Virgilium eius auctorem exstitisse credere possumus; tum enim, quae supra monui, non in Virgilium sed in Parthenium cadunt. Aureae vero aetati quovis pignore Moretum vindicandum asseveraverim, cum in eo omnia adeo sint caste et eleganter dicta, ut vel ex integerrimo sermonis Latini fonte deductum habere possimus.

Altera de carminis huius auctore sententia est eorum, qui a *Septimio Sereno* id compositum esse statuunt, quos inter primarium locum Wernsdorfius l. l. capit. De quo quum Heynius nihil certi pronuntiasset, Ilgenius ad Copam p. 6. haec dicit: „Ab hac equidem sententia longissime discedendum puto, non solum, quod huiusmodi fragmenta, quae pro reliquiis hexametrorum aut „pentametrorum habenda sint, mihi vel studiose „quaerenti invenire non contigit, sed etiam, quod „in versibus poetae, qui exstant, ex variis metri „lyrici generibus collecti, longe alia est orationis „forma, et plane diversus viget spiritus; ut si dicit: *Labium insigne revellit; Callet senium arte vivendi: Rure puella vagat virido, nemus ave reticuit, ager homine silet; Pastor ille saepe mane dulce carmen insonat; Tale quale vere dulce sibilat teres donax.* Eum in rebus etiam, ubi hexametrum genus aptissimum erat, non a proposito omnia lyrica oratione describendi discessisse, testem affero locum Nonio cap. V. n. 35. laudatum: *Ad mercatum eo, villice. Ecquid vis inde evehi aut agi:* „ubi sic puto scribendum:

Ad mercatum eo villice;
Quid vis inde vehi aut agi?

„*ec* in *ecquid* est ortum ex praecedentis vocis ultima syllaba; et *evehi* duxit *e* initiale ab *inde*. Quovis igitur contenderim pignore, tale carmen, quale Copa est aut Moretum, Serenum non potuisse „componere." Et recte quidem haec Ilgenius, quamquam ei in emendando Sereno, ubi vox *ecquid* librarium neutiquam sapit, vix assentire possum, cum potius fragmentum, licet memor eorum quae de hoc artis criticae genere Perizonius monuit in animadvss. histor. p. 380. ed. Harless., ita refingendum putem, ut ex basi cum duobus creticis constet et proinde scribatur

Ad mercatum eo, villice.
Ecquid inde vis evehi
— —, *aut agi* — —.

Poterat vero Ilgenius rem magis persequi et duo adiicere, quae Sereno propria a poetae nostri usu quam maxime abhorrent, deminutiva dico et mira composita, quibus pauca Sereni fragmenta nobis conservata abundant. Conferantur hac de causa fragm. II. 4. *canticulum* VI. *animula* VII. *testula* VIII. *miserula* IX. *culicellus* XIV. *zonula* VI. *avipes*, quod alii contra metrum in *alipes* mutarunt.

His de origine carminis praemissis pauca addenda sunt de iis, quae mihi illud recensenti praesto fuerunt. Et usus quidem sum codicibus *Colb.* I. 7927. *Colb.* II. 8093. *Colb.* IV. 8207. *Colb.* V. 3462. *Reg.* I. 7930. *Reg.* II. 7989. *Reg.* III. 8224. *Reg.* IV. 8264. *Carcav.* 8262. *Thuan.* I. 8069. *Thuan.* II. 8074. *Teller.* 7936. *Baluz.* I. 8206. qui omnes in bibliotheca Regia Parisiensi adservantur dictisque numeris

in catalogo codicum producuntur. His accedunt *Sorbonianus* 511. e bibliotheca Sorboniana in Regiam translatus, ubi ad eam classem pertinet, quam *des petits couvents* dicunt, *Helmst.* (v. epimetrum ad Culicem) *Gudianus* (v. ad Copam) *Dresdensis* (ap. Ebert. nr. 140.) *Stuttgard.* collatus a Mosero in Seebodii horreo philol. et paedag. 1824. fasc. IV. p. 691. *Gaibacensis* collatus a Iaeckio ibidem p. 689. et *Lipsiensis* e bibliotheca Senatoria qui praeter Moretum omnia Virgilii opera genuina continet. Parisiis pariter contuli singularem huius carminis editionem a *Iacobo Thannero* typographo Lipsiensi impressam, cuius exemplo a me tractato manus recens annum 1503. adscripsit. His ex codicibus plurimum mihi profuerunt Reg. II. Baluz. I. Colb. V., reliquis libris magis minusve me adiuvantibus; valde mediocres *Gaibacensis* et *Stuttgardianus* sunt cogniti; pessimae vero notae est *Gudianus*, quod moneo, quia in *Copa* primum locum obtinet. Aliorum codicum collationes, quas Iaeckius in editione addidit, silentio praeterii, partim quod non ita diligenter sunt institutae, ut iis inniti quis possit, partim quod nihil continent, quod non in libris Parisinis inveniatur. Recentiorum interpretum animadversiones sedulo in usum vocavi, ut *I. H. Vossii* versioni additas (Carmina theotisca T. II. p. 326—329. Regiom. 1795.) et *Moseri* l. l., *Klopferi* tamen editione, quamquam multum quaerens, non reperta.

Restat ut de carminis nomine quid sentiam proloquar, quod a *mortario* sive *moretario* dictum videtur, unde Vossius recte vertit *Mörsergericht.* Ut enim etiamnunc placentarum nonnulla genera

de vasis dicuntur, quae iis coquendis inserviunt, ita ille cibus, quem sibi Simulus parat, quum in *mortario* appararetur, *moretum* est appellatum, neque de Graeca origine cogitandum. Apicii de hoc cibo locum adduxit Lindenbrochius, et apte carmen, quod integrum neque ex quorundam opinione fragmentum maioris alicuius poematis habendum est, ab ipso hoc cibo nomen est mutuatum, quod eius apparatio longe maximam carminis partem implet (vs. 16 — 117.). Poeta enim, quum varia agricolae negotia carmine celebrare posset, proposuit sibi modum describere quo panem et obsonium sibi parabat.

Digitized by Google

M O R E T U M.

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu praedixerat ales,
Simulus exigui cultor cum rusticus agri,
Tristia venturae metuens ieiunia lucis,
Membra levat sensim vili demissa grabato,
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum, laesus quem denique sentit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductae celabat lumina prunae.
Admovet his pronam submissa fronte lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebrae fulgore recedunt,
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat casulae quae praevidet, ostia clavis.

VARIETAS LECTIONIS HEYNIANAE.

7. SENSIT 15. CLAUSA — CLAVI

2. Gallum gallinaceum ornant passim poetae, et notum est illud Prudentii: *Ales diei nuntius*, ubi plura dant Intpp.

4. Docte: ne diem impastus exigeret, ne sine pane esset.

7. *laesus:* suaviter; offensa manu ad focum, vel cinere adusta.

10. 11. Lucernam olearem cogitare necesse est; eam admovet inclinato capite, submis-

Digitized by Google

Fusus erat terrae frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura petebat,
Quae bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit adsistitque molae, parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat; geminos tum veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosae tegmine caprae,
Praeverrit cauda silices geminumque molarem.
Advocat inde manus operi, partitus utrinque;
Laeva ministerio, dextra est intenta labori;
Haec rotat assiduis gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessae succedit laeva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat.
Agrestique suum solatur voce laborem.
Interdum clamat Cybalen: erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,

16. TERRA 17. PATEBAT 21. TUNC 22. TERGORE 23. GREMIUMQUE MOLARUM

sa fronte. At Barthius XXXV, 8 *frontem lucernae* interpretatur.

18. XVI libras pondo frumenti mensura capit: ergo in sequentem quoque unum et alterum diem fami prospicit. Nam demensum diurnum, quod servis Romae praebebatur, trium fere librarum erat, ut Opusc. T. I, p. 251 ex Catone de R. R. 56 docui: etsi ad illud exactum fuisse demensum coloni necesse non est. Sibi et servulae Cybalae simul victum parare putandus est Simulus.

23. *cauda*, peniculo, quo ad verrendas mensas et alia utebantur veteres. Docuit ad h. l. Scaliger. Describit autem hinc poeta molam manuariam, trusatilem seu versatilem, binis saxis asperis sibi ita impositis, ut, inferiore manente immobili, superius, quod v. 26 *orbem* appellat, circumactum attritu grana frangeret. Successerat ea molae pristinae, quae mortarium erat, in quo pistillo frangebantur grana. *ministerium laevae* in congerendis et infundendis granis consistere videtur. Tum *Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu*, v. 27, grana tunsa, adeoque farinam, in subiectum vas, quod eam excipit, decidere significat.

26. *orbem*, lapidem molarem.

32. Qui sequitur, praeclarus est locus de habitu corporum Afrorum: qui idem prorsus est qualem nunc cernimus: ut, na-

Digitized by Google

Torta comam, labroque tumens et fusca colore,
Pectore lata, iacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta;
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat atque arsura focis imponere ligna
Imperat et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus iustum versatile finem,
Transfert inde manu tusas in cribra farinas
Et quatit; at remanent summo purgamina dorso,
Subsidit sincera foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. Laevi tum protinus illam
Componit tabula, tepidas super ingerit undas;

33. COLOREM 40. FUSAS 44. TABULA, ET

turam sibi per omnia saecula constare, dubitare non liceat. Similis Petronii locus c. 102, quem iam viri docti excitarunt, ad alios Africae tractus spectat, et de servis ex Aethiopia agit, similibus iis, quos Negros appellamus: *Atramento — mutemus colores a capillis usque ad ungues. Ita tanquam servi Aethiopes — age numquid et labra possumus tumore teterrimo implere? numquid et crines calamistro invertere? numquid et frontes cicatricibus scindere: numquid et crura in orbem pandere: numquid et talos ad terram deducere? numquid barbam peregrina ratione figurare?* Propria haec hominum istorum fuisse videntur. Alia loca a Iunio de pictura III, 8, 4 et Fea ad Winkelmann. T. I, p. 65 Wernsdorf. ad h. v. sunt congesta: sed ea diligentius sunt exquirenda et inter se comparanda; nam diversorum tractuum homines in iis occurrere videntur: scire velim an ex interioribus Africae locis. Certe inter Aegyptiorum corpora in monimentis vetustis expressa, diversae stirpis formas deprehendi, dudum animadverteram, et postea ab aliis quoque animadversum vidi. Habiti quoque alii in deliciis, alii ad ministeria urbana, v. II, 3, 55. Theophr. Charact. 21 et Casaub. nunc etiam in agro.

36. Etiam fissuras has et scissuras cutis in pedibus esse Aethiopibus proprias in tanto solis calore aerisque siccitate et endemias, ex Blumenbachio coniunct. didici in lib. de generis humani varietate p. 96, ubi Hier. Mercurialis testis excitatur de decoratione c. 17.

39. *opus versatile:* quod versanda mola absolvitur. Mox cribratione opus esse videmus: adeoque cilicium cribrandae farinae idoneum non erat his molis manuariis attextum. Porro *liquatur* eleganter transfertur a

Digitized by Google

Contrahit admixtos nunc fontes atque farinas,
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Iamque subactum
Laevat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, impressis aequo discrimine quadris.
Infert inde foco—Cybale mundaverat aptum
Ante focum — testisque tegit, super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus testaque partes,
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quaerit opem, neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas iungat, comparat escas.
Non illi suspensa focum carnaria iuxta,
Durati sale terga suis truncique vacabant;
Traiectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat iunctus casulae, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo,
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.

51. LOCUM

liquidis ad farinam quasi liquando mundatam.

45. Repraesentanda hic est animo pistoria opera in subigenda farina. Panem autem hic videmus parari sine fermento, azymum; tum v. 49 in quadras dissectum, quas Scaliger ad h. l. illustravit.

56. Cum homini nullum esset obsonium, nam in carnario non perna, sed caseus suspensus erat, adit hortum, et ex eo petit allium aliasque herbas, unde illud sibi paret. *Non illi vacabant*, otiose in penu reposita habebantur, pro simplici: non ei erant, *carnaria*, h. e. unci ferrei, *iuxta focum suspensa*, penduli ex tholo seu camera; per appositum dicta, *terga suis sale durati truncique;* sed casei ei in promtu erant iunco, tanquam filo, in fascem colligati.

61. Hortulus casae accubabat exiguus, pro saepe munitus iuncis arundinibusque in parva fossa aquam ex imbribus collectam servante prominentibus. *arundo recidiva*, iterum iterumque repullulans, si recisa fuerit.

Digitized by Google

Interdum locuples a paupere multa petebat,
Nec sumtus erat illud opus sed regula curae.
Si quando vacuum casula pluviaeve tenebant
Festave lux, si forte labor cessabat aratri,
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultae committere semina terrae,
Vicinos apte curans submittere rivos.
Hic olus et late fundentes brachia betae
Foecundusque rumex malvaeque inulaeque virebant,
Hic siser et capiti nomen debentia porra,
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini — quis enim contractior illo est? —
Sed populi proventus erat, Nonisque diebus
Venales humero fasces portabat in urbem;
Inde domum cervice levis, gravis aere, redibat,

65. PLURA 68. ARATRO 71. VICINOSQUE—CURA 72. HIC 78. EST om. 80. OLERUM

67. sq. Memineris loci Ge. I, 259 sq. *frigidus agricolam.* et 268 *Quippe etiam festis.*

69. *Horti opus illud erat:* suaviter: illud temporis intervallum addictum erat operae hortensi. Notabiles in sqq. plantae hortenses. *rumex*, lapathum silvestre, apud Plin. XX. s. 85.

76. *Grataque nobilium requies lactuca ciborum*, bene notat Scaliger, eo adeo, quo scriptum est hoc Idyllion aevo, adhuc lactucis clausisse coenas suas homines. Nam Martialis aetate aliter, ut ex noto Epigrammate XIII, 11 constat: *Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?*

77. Colum. X, 234 *Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.*

78. 79. *proventus* h. l., ut Ge. II, 518 *proventus sulcorum*, ipsa illa olera, quae educat Simulus. His ipse non utebatur, sed populo illa vendebat ad urbem deportata. *Contractus* h. l. parcus, modicus.

81. Reminiscitur unusquisque versum Eclogae: *Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.* conf. Colum. X, 310.

Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cepa rubens sectique famem domat area porri,
Quaeque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque et venerem revocans eruca morantem.
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum,
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles rutamque virentem
Vellit et exiguo coriandra trementia filo.
Haec ubi collegit, laetum consedit ad ignem,
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum nodoso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemptaque passim
Spargit humi atque abicit. Servatum in germine bulbum
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adiicitur; dictas super ingerit herbas.
Et laeva vestem setosa sub inguina fulcit;
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia, tum pariter mixto terit omnia succo.
It manus in gyrum; paullatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus,
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Saepe viri nares acer iaculatur apertas
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu;

89. RIGENTEM 93. NUMEROSO 95. SERVATUM GRAMINE. 101. MISTO

Mox 82 *merx urbani macelli* carnes in macello emtae.

83. *Cepa rubens;* Plin. XIX, 6, 32 *rufa acrior quam candida*. Tum *sectum porrum* est sectile; *area porri* autem de area horti porris consita accipienda.

96. Nunc de mortario agitur: quod cum mola superius commemorata male permiscent Interpretes.

Digitized by Google

Saepe manu summa lacrimantia lumina tergit,
Immeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus, nec iam salebrosus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum commiscet opus, mixtumque retractat;
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum distantia contrahit unum,
Constet ut effecti species nomenque moreti.
Eruit interea Cybale quoque sedula panem,
Quem recipit lotis manibus, pulsoque timore
Iam famis inque diem securus Simulus illam
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero
Sub iuga parentes cogit lorata iuvencos,
Atque agit in segetes, et terrae condit aratrum.

110. Non 119. laetus recipit

109. *fumo.* Aut fumo ex igni, aut allio graveolenti: ut *fumus* sit odor ille ex allio diffusus vehemens, δριμὺς, ut Scaliger: Repetitum tamen *saepe* videtur postulare prius: quod et Wernsdorf. sequitur. [* coll. Horat. Sat. I. 5, 60.]

117. *Constet ut effecti species nomenque moreti.* ut vere possit *moreti* loco et nomine haberi, quippe ad eum modum confectum et absolutum, quo moretum vulgo parari solebat.

121. Carminis lepos usque ad extremum servatus delectat; *ocreae* sunt perones.

Digitized by Google

ADNOTATIO CRITICA.

[* Virgilio carmen tribuitur in Colb. II. Thuan. I. Teller. Baluz. I. Gud. Sorbon. Stuttgard. In Thuan. I. legitur *ammoretum*, in Gaibac. *Moretum bel* (i. e. vel) *de Simulo*, in Gud. *Moretus.*]

2. *cantu praevenerat* una vetus membrana Scaligeri. Unde bene suspicatur Iacobs fuisse *praeverterat.*

3. *Simylus* vett. ed. Ven. Sed a simo Simulus deductum nomen vernae impositum. *Similus* videtur Heins. probare ad Fast. III, 754, et ap. Auson. Epigr. 85 ex Graeco Μεμφὶς ὁ σιμὸς *simius* emendatur *Similus. exigui cultor quum rusticus horti* vulgo in edd., etiam in veteribus, legitur. Sed *agri* recte Ald., idemque ex vet. membrana praeferebat Scaliger. Nam hortulus, de quo infra agitur, tantum tuguriolo erat adiunctus: ipse, colonus pauper, agellum conduxerat: cf. fin. carm. [* *Simulus* codd. praeter Reg. I. Colb. II. V. Thuan. II. Sorbon. Gaibac. Lips. in quibus *Similus* vel *Symilus*. In Thuan. I. *Symilius*, Stuttg. *Scimulus*, Colb. I. *Sumilus*, Dresd. *Smil'us*. De nomine v. Schol. Theocr. 3, 7. Iacobs. ad Anth. Palat. p. 60, 131. — *agri* omnes mei codd. praeter Carcav. *orti;* in Thanner. *horti*. Wakefieldus coni. *arvi.*]

4. [* *Tristicia* Teller. Reg. IV. In Gud. hic versus excidit, adscriptus ad imam paginam.]

5. *sensim vili*. Ita primum Ald., cum antea esset: *vili sensim demissa:* minus commode. Scriptum tamen vel sic malim: *Sensim membra levat vili d. g.* Non enim lentitudinem hominis rustici tarde et invite se levantis exprimi his numeris dicam. [* *sensim vili* Gud. Helmst. Thuan. II. Baluz. I. Dresd. (in quo tamen est *senssum.*) In reliquis codd. *vili sensim;* in Reg. II. *sensim tristi*, adscripto *vili*. Tum *dimissa* in Thuan. I. Teller. Reg. I. Colb. I. II. Carcav. Sorbon. Lips.]

6. *tenebras—inertes*. In promtu est suspicari *inanes* scriptum fuisse, ut *aer inanis*, *vacuus*. Heins. coni. *inertem vestigatque focum*. Verum *iners* non modo est, quod nec movetur, nec movet, verum etiam id, quod motum difficilem reddit; et poeta ad tenebras transtulit epitheton commune noctis, frigoris, somni. *Nox iners*, qua nullum animans se movet: hinc *tenebrae noctis inertes:* sine motu, tacitae, silentes. [* *Solicitaque* Stuttg. *inhertes* Gud. *inhertis* Colb. I.]

7. [* *laesus quem* Thuan. I. II. Helmst. Gud. Dresd. (in quo *lessus*) Reg. I. II. III. IV. V. Carcav. Teller. Baluz. I. Thanner. *focom quem laesus* Sorbon., *focum quem laesus* Colb. IV., *laesus qui* Colb. I. II., *l. quoque* Gaibac., *quem laesum* Lips. — Tum *sentit* scripsi e Gud. Helmst. Reg. I. III. IV. Carcav. Dresd. pro eo quod in reliquis codd. et edd. legebatur *sensit.*]

Digitized by Google

8. *exusto remanebat stipite fumus*. Nihil verius, nec ad naturam rei accommodatius: prodit enim fumus tenuis favillam occultam. Nec minus tamen eleganter coni. Scaliger: *exusto remanebat stipite fomes*. In idem inciderat Heins.; at parum feliciter Barthius Advers. XXXV, 8 *exusto emanabat*. [* *exuto* Gud. *remeabat* Colb. IV.]

9. [* *velabat* Gaibac. *lumine* Helmst. *numina* Lips.]

10. [* *Admonet* Colb. II. *is* Helmst. Colb. IV. Teller. Baluz. I. Stuttg. Reliqui *his* sc. luminibus. — *prunam* Teller. Gaibac. *prona* Stuttg. *submissam* idem et Gud. *lucerna* Colb. II. Reg. III. *laternam* Gaibac.]

11. *acus* alios legere Ascens. notat. Scaliger, vir summus, nimium proclivis in antiquata et κατὰ γλῶσσαν dicta, *acu* accipit: *in acum* producit stupas: acus enim, inquit, nomine, vel *aciae* intelligitur, quicquid ex lino aut lana aut stupa similibusve carpebatur, ut linamenta, καὶ μοτάρια καὶ τιλτὰ chirurgorum. Ita vir doctus ad acum transfert, quod de acia, nec satis accurate tradidit. Atqui illud omnis anus facere solet, ut stupam fungo obtusam acu producat, lucernam flammae admotura. [* *acus* Carcav. *acum* Lips. *acri* Dresd. *acris* Stuttg. quod Moserus dictum esse putat pro *aceres* ab *acus*, *aceris*, de quo tamen h. l. cogitari nequit. Graphice potius, ut iam Heynius ait, poeta hominem describit, qui stupas lucernae ore exstantes magis etiam producit et flammae capiendae aptiores reddit. Hae vero stupae (in nonnullis codd. *stuppas;* v. Schneideri Gr. Lat. P. I. Vol. II. p. 427.) humore carentes dicuntur, quia Simulus bene caverat, ne aqua eas attingeret. Tales minutiae huic carmini optime conveniunt. — *stupasque* Carcav. Stuttg. *homore* Gud.]

12. *crebris — flatibus*. Male Norimb. *faucibus*. [* Pro *crebris* Gaibac. habet *tenebras*. — *langwentem* Stuttg. *faucibus* coni. Wakefieldus, coll. Callimacho in Dian. 27.]

13. *Tandem ut* c. em. Heins., vix bene. [* *tenebrae — recedunt* Gud. Reg. II. Carcav. Baluz. I. Dresd. Thanner. In Colb. I. IV. (sive Pithoeano,) V. Thuan. I. II. Teller. Reg. I. IV. Sorbon. Lips. legitur *sed lux — recedit*, Reg. III. *recessit*, Colb. II. *recedere*. Scaliger Pithoeano fisus inde coni. *se lux — recepit*.]

15. *Et reserat clausa, quae praevidet, ostia clavi*. Haec vulgata lectio, inde ab Aldina: nam in antiquioribus *clavis*. In membrana Pithoei Scaliger invenerat: *Et reserat clave, quae pervidet, ostia clavis*, et in alia: *Et r. clausae, qua pervidet, ostia, clavis*. Hinc varia molitur vir doctissimus: modo, ut clavem clausam interpretetur occultam, quae intus aperiat, modo, ut legat: *Et reserat calae*, h. μόχλον, vectis, vel *Et r. casulae* — ut *ostia clavis* vocet τὴν ὀπήν, ubi inseritur clavis, vel tandem: *Et r. clausae, qua pervidet, ostia clavis:* τὴν ὀπὴν τοῦ κεκλεισμένου κλῄθρου. Nam *qua pervidet* etiam in tertia membrana scriptum viderat; et *providet* vel *pervidet* etiam ms. Koeler. Omnia haec ab invita Minerva profecta, ut non minus illud, quod Salmas. Exerc. Plin. p. 656. D. propinat: *Et r. casulae, qua praevidet, ostia clavi*. Tolerare praestat *qua praevidet:* requirebatur *qua prospicit*. In *clausa — clavi* latet error, quem facile deprehendas, cum desideretur locus, quem foribus reseratis aditurus est, quique pro granario erat. Ea autem haud dubie est cella granaria casulae adiuncta: igitur expedita lectio esse videtur: *clausae — ostia cellae*. Hoc Barthius quoque vidit Advers. XXXV, 8, qui coni. *Et reserat cellae, qua praevidet, ostia clavi*. Sed quae in medio posita sunt, *quae praevidet*, vix sine libris sanari possunt: vagatur enim omnis coniectura. Heins. ingeniose tentat: *Et reserat caveae sua providus ostia clavi*. [* Legebatur: *Et reserat clausa, quae praevidet, ostia clavi*, qua cum scriptura conspirant Helmst. Baluz. I. Thanner. Quum tamen *clavis clausa* res sit nihili, inventum Salmasii *casulae* eo magis recipere non dubitavi, quod in Colb. V. vere ita legitur eaque lectio a Colb.

Digitized by Google

II. Thuan. I. II. Reg. I. Sorbon. Lips. confirmatur, in quibus est *clausae.* Vossius coni. *clausi*, substant. Quod deinde sequitur *quae praevidet*, a plerisque quidem codd. exhibetur, nisi quod Colb. II. Reg. II. habent *pervidet*, Thuan. I. *per videt*, Dresd. *providet*, Colb. V. in varia lectione *qua providet*, Reg. II. *que*, Sorbon. Lips. *qua;* at neque *praevidet* neque *providet* hucusque explicari potuit. Salmasius enim *qua praevidet* interpretans „qua ante se videt," haud sensisse videtur, quantopere otioso hoc additamento oratio langueat. Perquam enim est probabile, Simulum ibi fores non reserasse, ubi ante se videre non potuit. Etiam *quae praevidet* mirum quantum languet. Vix enim portam aperire potuit, nisi eam ante oculis lustrasset, neque ipse locus Homeri (Od. XXI. 47.) a Vossio laudatus huc aliquid facit, quum *ἄντα τιτυσκομένη* in universum prudentiam cautam indicet, qua Penelope ianuam reseraverat, neque tam ad ipsam ianuam, quam potius ad cubiculum hucusque clausum sit referendum. Hinc parum abest, quin Heynio assentiam, locum corruptum clamanti, nisi forte ex reliquis versus verbis auxilii aliquid peti possit. Etenim pro *clavi* in Colb. I. II. IV. V. Thuan. I. II. Reg. I. III. IV. Carcav. Sorbon. Lips. Gud. Stuttg. legitur *clavis*, in Teller. *clausis* adscripto *clame*, illamque et optimorum et plurimorum codd. scripturam praeferendam esse censeo, ita ut non amplius de Simulo sed de clavi sermo sit: „Et clavis reserat casulae ostia, quae praevidet, i. e. quae prius rustico videt." Non ineleganter clavi quodammodo oculi tribuuntur, quia ianuae foramen a rustico tentatum primum a clavi attingitur. Rebus inanimatis sensum tribui, potissimum docet Catullus per totum carmen LXVII. ubi poeta ianuam loquentem introducit. — Quo pertineat lectio Gaibac. *clavae*, utrum ad *clausae* an ad *clavi*, Iaeckius non indicavit. Ceterum in Reg. I. II. Thuan. II. Carcav. Colb. V. Gud. Stuttg. est *hostia.* Wernsdorfius coni. *Et reserat cellae*, *qua pervidet*, *ostia clave*, Moserus autem *clausa* pro substantivo habens vertit: *und der Schlüssel entschliesst mit vorwitziger (zuerst hineinguckender) Schliesse die Thüren*, Bothius: *clausi*, *quo providet*, *o. clavi*, Wakef.: *caute quae pervenit*, *ostia clavi.*]

16. *terra* vett. edd. Scalig. Aldina vero *terrae* intulit; utrumque defendi potest. [* *Usus* Gud. Tum legebatur *terra*, me reponente *terrae* e Gud. Helmst. Gaibac. Carcav. (in quo praeterea hic vs. 18. legitur) Reg. IV. Baluz. I. Colb. V. In Teller. Colb. IV. Dresd. Stuttg. est *terre.* Cfr. Ruddim. II. p. 274. et Hoffmannus in Iahnii annal. Vol. VII. p. 17—26. In Reg. III. per errorem est scriptum *eratque humi.* — *parvus* Thuan. II.]

17. *quantum mensura petebat* eadem Aldina recepit. Praefero tamen, vel Scaligero invito, veterem doctioremque lectionem: *quantum mensura*, vas, *patebat*, adeoque capiebat, *ἐχώρει:* erat enim mensura XVI librarum. Praefert hoc Barth. quoque Advers. XXXV, 8 et Heins., qui ablegat ad Lucanum. [* *Hic* Reg. IV. *depromunt* Gud. *petebat* scripsi ex Colb. IV. Gud. Sorbon. Reg. I. IV. Gaibac. Stuttg. Lips. Carcav. Thuan. II. Thanner. Reliqui libri conspirant cum lect. vulg. *patebat;* in Teller. *patebit*, in Colb. V. est adscriptum *sinebat.*]

18. *octavas* vett. edd., ex vitio *octanas*, et *occurrit.* Porro Scaliger in uno libro invenerat: *Quae bifido*, unde ille refingebat: *Quae bifido octonis excurrit pondere libris.* Poterat tamen sine ulteriore mutatione constare versus: *Quae bifido octonas excurrit pondere libras*, h. excedit. Sed ludibrium corruptelae hoc *bifido* esse arbitror. [* Vulgata huius versus lectio confirmatur per Colb. I. II. IV. Thuan. I. Reg. III. Carcav., praeterea per Dresd. in quo tamen *execuit*, per Reg. II. Teller. Gaibac. Baluz. I. Colb. V. Helmst. in quibus est *occurrit.* Reg. IV. cum Gaibac. exhibet *octavas*, Stuttg. *octenas.* Graviores errores deprehenduntur in Thuan. II. *octavas occurrerit*, Lips. *Quae bifido octonas*, Reg. I. *Quae*

Digitized by Google

bifide octenas, Sorbon. *Quae bifido octenas*, Gud. *Quae bis octona occurrit p. labra*, Thanner. *Quae bis octenas.*]

19. [* *adstititque* Lips. Sorbon. *Inde abitasti cum mole* Gud. *abiit asistitque molle* Dresd. *perita tabella* Reg. III. *parveque tabelle* Lips. Laudat ad h. v. Wernsdorfius Goetzium de pistrinis 3, 12.]

20. [* *sibi iam* Gaibac. *fixa* Gud. *servabit* Stuttg. *ad* Colb. IV. *usu* Teller.]

21. *Lumina ficta* vel *fida* ms. Koeler. [* *fixa* Stuttg. Reg. III. IV. Carcav. *geminos de* Reg. III. *gerit gemina* Gaibac. In eodem versu scripsi *tum* pro vulg. *tunc.*]

22. *villosae tegmine caprae* vett. edd. est lectio: nec mala: nisi doctiorem prodidisset Aldina: *tergore*, quam Scaliger quoque in scriptis invenit. Agitur autem de rhenone ex pelle caprina. [* *villoso* Stuttg. Vulgo *tergore* quod in Colb. IV. Reg. I. Sorbon. Ego reposui *tegmine* ex Colb. I. II. V. Thuan. I. Reg. III. IV. Carcav. Teller. Baluz. I. Gud. Helmst. Dresd. Gaibac. Stuttgard. Thanner. coll. Virg. Aen. I. 275. VII. 666. I. 323. In Thuan. II. *tegmina.* Wernsdorfius laudat Casaub. ad Theophr. Charact. 4. p. 56. Fisch.]

23. *Pervertit* et *Perverrit* vett. edd. Alterum *Praeverrit* Aldina dedit. Tum *Pervertit caudaque cavum gremiumque m.* Norimb. Koberg. et Ascens. cum Iunt. aliisque, ex interpretatione, suspicor, in margine apposita. *silices*, molares intellige, nam duo sunt lapides sibi impositi. *gremium molarum* pro interiore parte. Insolenter dictum censebat Heins. ad Ovid. III. Am. 13, 24, et emendabat *gremioque molares.* Ut sit *gremio*, caprae tergore, quo cinctus erat. Sic *togae gremium* Florum dixisse. Non magis hoc placet. Forte fuit: *geminumque molarem.* v. Not. [* *Praevertit* Reg. II. Colb. IV. V. Dresd. Gud. Carcav. In Thuan. II. *praevevertit;* reliqui libri *praeverrit.* In Colb. II. per errorem *cauda cauda gremiumque*, unde interpolatae sunt vett. edd. quibus accedit Thanner. — Legebatur *gremiumque molarum*, quod quum nullum sensum funderet, Heynianam coniecturam totidem literis per cod. Teller. confirmatam recepi. *Molaris* sc. lapis, ut ubique. In Stuttg. *gremiumque molare.*]

24. *Advocat inde operi.* Dubia scriptura. Sic enim vett. edd. et mss. Scaligeri: et videri potest doctius, quam quod Aldina invexit: *Admovet inde operi.* Hoc tamen vocabulum rei proprium, et facile deflecti potuit in alterum. In fine versus vulgo legitur: *partitus utramque:* quod Latine vix dici posse Scaliger quoque notavit: *partim utramque manum.* Nec suaviter puto dictum esse *Admovet operi manus*, *partitus*, *utramque*, ut *manus utramque* iungas. Ipse e mss. profert *partitus utrique*, scil. manui opus: malim *partitus utrinque*, scil. opus, ut ab utraque manu tractaretur; et obtulit hoc idem ms. Koeler. [* *utrinque* etiam in Colb. II. Thuan. I. Reg. III. Teller. Baluz. I. Helmst. Gaibac. Stuttg. *utrique* est in Reg. I. IV. Colb. V. Sorbon. Lips. *utrumque* Colb. I. Reg. II. Dresd. (in quo praeterea *pertitus;*) *utramque* Carcav. Thuan. II. Gud. (qui pro *Advocat* habet *Admonet*) Thann.]

25. [* *labore* Reg. IV.]

26. *assiduum*—*orbem* manuscripta lectio apud Scaligerum, quae concinnior ipsi videtur. Verum hoc, sed sic *gyris* nullo epitheto adornatum minus placet. *et concutit orbem* ms. Helmst. et Koeler. Sed orbis haud dubie molaris est superior, qui circumagitur et concitatur, non autem concutitur. [* Cum lectione vulgata consentiunt Reg. III. IV. Carcav. Teller. Thuan. II. Baluz. I. Stuttg. Dresd. Thanner. *Hic* est in Colb. IV. Gaibac. *assiduum* in Colb. I. II. IV. V. a m. pr. (a m. sec. *assiduis*) Reg. I. Thuan. I. Sorbon. Lips. *concutit* Reg. II. Helmst. Gud.]

27. *Tunsa Ceres* cum Aldina scripsi: ait quoque Scaliger scriptam lectionem habere: *Tusa Ceres.* Vulgo: *Trita Ceres.* Mox eidem Aldinae

debeo ordinem: *rapido silicum;* cum vulgatus sit: *silicum rapido*, minus iucunde. Tandem *actu* proprium, arbitror, esset vocabulum; nam agitur mola, circumagitur; quod etiam Scaliger maluit, sed ut *ἀγὴν* interpretaretur, quod longe petitum. *ictus*, quod de omni impulsu dicitur, de attritu accipiendum. [* *Tunsa* Colb. IV. Reg. I. Thuan. II. *Tusa* Sorbon. *Tuta* Dresd. *Tonsa* Colb. I. II. Thuan. I. Stuttgard. Gaibac. Reg. III. IV. Carcav. Teller. Lips. Colb. V. *Trita* Reg. II. Gud. Helmst. Baluz. I. *rapido silicum* retinui ex Baluz. I. Reg. II. (ubi m. sec. *rabido*) Helmst. Gud. Dresd. In reliquis *silicum rapido*, in Thuan. II. *discurrit.*]

28. [* *Infenac succedit* Reg. IV. *succurrit* Reg. II.]

29. *Dein rustica* ms. Koeler. [* *vices. dehinc* Reg. II. Helmst. Dresd. *vices modo hinc* Baluz. I. *cantica* Gaibac. *carmina rustica canit* Helmst. De talibus carminibus v. Zell Ferienschriften II. p. 207. coll. I. p. 83. sqq. Adde Virg. Georg. I. 293. De verbo *solandi* v. Heyn. ad Virg. Aen. I. 239.]

31. *Interdum;* ita vett. edd., ut somnolentam puellam non statim grabato levatam evocet, praefertque hoc Scaliger quoque cum Drakenb. ad Silium VI, 30. Aldina: *Interea* intulit. Tum *Cybalen, haec erat* vett. edd., nisi quod Norimb. *Cybalem* (Ascens. autem cum sua secta *Cybalen) erat.* Aliae edd. inde ab Aldina *Cybale: haec erat* correxerunt. Vitium haud dubie in inserto *haec* latebat; itaque emendavi: *Cybalen: erat unica custos.* Porro *Scybalen* semper habebat vetus scriptura Scaligeri, ut nomen ridicule formatum esset *παρὰ τῶν σκυβάλων*. *Scybalen: erat* etiam Gronovium Obss. I, 16 maluisse video. [* *Cybalen: erat* Colb. IV. V. Thuan. I. II. Reg. I. Teller. Sorbon. Thann. *scybalen: erat* Lips. Colb. I. II. cod. apud. Gronov. l. l. cod. Petav. ap. Heins. ad Ovid. Fast. III. 387. *cybalen haec erat* Gud. *cibalen haec erat* Baluz. I. *sibalen haec erat* Reg. IV. *cibale haec erat* Reg. II. Carcav. *scibale hec* Stuttg. *haec* Reg. III. *cybele haec* Dresd. Gaibac. *thibale haec* Helmst. In Reg. I. post hunc versum repetitur vs. 7. De nomine huius mulieris Wernsdorfius apte laudat Heliodor. Aethiop. VIII. p. 330.]

32. *tota figura*, toto corpore. Scaliger tamen *tosta figura* malit; ut tantum ad vultum eiusque colorem voc. *figura* spectet. *Crines torti* et *labia tumentia* prae ceteris memorari solent in his Afris. cf. Epigr. 162 lib. III. Anthol. Lat. ubi: *Quem nisi vox hominem labris emissa sonaret, Terrerent visos horrida labra viros.* An seriores dixere *visos*, qui viderunt? Forte fuit: *Terrerent rictus horrida labra viros.* labia horridum in morem tumida. [* *Ipsa* Reg. I. *tota patriam* Colb. I. II. V. Reg. II. Thuan. I. II. Teller. Baluz. I. Helmst. Stuttg. Gaibac. Gud. Dresd. Thanner. *patriam tota* Colb. IV. *patrium tota* Reg. I. Sorbon. *figuram* Colb. II. Reg. III.]

33. [* *Torva coma* Colb. V. *labraque* Thuan. II. *labro* om. *que* Thuan. I. *colore* scripsi ex Colb. I. a m. sec. Colb. II. a m. sec. IV. V. Reg. I. II. IV. Carcav. Teller. Lips. Baluz. I. Sorbon. Dresd. Helmst. Gaibac. Stuttg. Vulgo *colorem* quod modo est in Reg. III. Thuan. II. Gud. In Thuan. I. Colb. I. II. (in utroque a m. pr.) est *calore.* Ex *fausca* cod. Stuttg. Moserus permire effinxit *fausta.*]

34. *Pectore lata, iacens mammis.* Rotundiorem orationem ex Aldina et ms. Koeler. dedimus, pro vulgari: *Pectora lata iacent mammis.* Alienum esset, quod an vett. edd. habeant dubito: *tument mammis. Iacens mammis* est, habens mammas iacentes, pendulas; quod proprium est Afris. In fine *compressior alvus* Ascens. [* Cum Heyniana h. v. scriptura consentiunt Colb. IV. V. Teller. Thuan. II. Gaibac. (in quo *terens*) Helmst. Gud. (in quo tamen *tumens*) Reg. III. (in quo *complexior.*) *Pectora* est in Colb. I. II. Reg. I. II. Thuan. I. Sorbon. Baluz. I. Lips. Praeterea *la.ta* in Colb. II. *Pectora lota i. manus* in Dresd. *Pectora lata tument*

Carcav. Stuttg. *Pectora — complexior* Reg. IV. *Pectora lata iacent* Thanner. *alvus* Stuttg.]

35. *spatiosam prodiga plantam* leg. [* *prodigia* Colb. I. II. Thuan. II. *ex illis* Dresd. In Gud. est *Cruribus et scisis spatiose prodiga plante*, in Reg. III. *spatiosa et prodiga plantis*, Baluz. I. *spatiosae prodiga plantae.*]

36. [* Legitur hic vs. in Reg. II. IV. Helmst. Carcav. Baluz. I. Dresd. Thanner., praemittitur versui 35. in Gud. Stuttg., omittitur in Colb. I. II. IV. V. Reg. I. III. Lips. Thuan. I. II. Teller. Sorbon. Gaibac. In Reg. IV. est *rivis*, quod et glossa Stuttg. praefert: „alias rivis et melius quod valet continuis rivis seu continuis micturis;" in Gud. Dresd. est *sissa.* Wakef. edidit *fissa* propter metrum, coll. Ovid. Met. II. 211. Ineptissime ad h. v. Lindenbroch. refert Iuvenal. III. 149. Martial. I. 104. calcanea calceis confundens.]

r

37. [* *assura* Teller. *focis arsura* Colb. V.]

38. [* *flammis* Colb. IV. *ardere* Gaibac.]

39. *Postquam implevit opus iustum versatile finem.* Ita dedimus ex Aldina; opus versatile implesse iustum finem bene dicitur. Scaliger membranas melius habere putabat: *Postquam implevit opus iusto versatile fine.* Ita ipse Simulus implevit opus. In antiquioribus edd. truncatus et interpolatus erat versus: *Sed postquam implevit iustum versatile finem.* [* Cum Aldina sive Heyniana lectione consentiunt plerique mei codd.; cum Scaligeri membranis faciunt Reg. I. Colb. V. Sorbon. Scriptura editt. antiquiorr., quam etiam Thanner. exhibet, ex codd. quales sunt Colb. II. Thuan. I., orta esse videtur, qui *opus* omittunt, cetera cum vulgg. conspirantes. In Colb. IV. est *implerat*, in Gud. *istut versabile*, Gaibac. *iustum et*, Stuttg. *deintum* vel *demtum*, Lips. *iusto—fine.*]

40. *Transfert inde manu.* Ex veteri membrana: *Transfert illa manu* legere iubet Scaliger: aliter enim nescio quid ὑποβάρβαρον relinqui. Hoc equidem non expiscari possum. Sed illud video, Cybales partes in subigenda farina esse nullas: nam illa interea aquam calefacit, mox furnum mundat v. 50, adeoque *illa* alienum est a re et loco; pro *fusas* suspicari licet *tusas:* sic et Iacobs. [* *Transferat* Colb. II. Thuan. I. (qui et habet *hide*)*; transferet* Gud. *illa* Reg. I. Sorbon. Lips. *manus* Colb. IV. V. Reg. III. IV. Carcav. a m. pr. (postea est erasum *s*) Thuan. II. Helmst. Dresd. Gaibac. Stuttg. *in cubra* Dresd. *in fusa* Gud. (ad marg. *cribra.*) Ceterum scripsi *tusas* pro eo quod vulgo ex omnibus libris legebatur *fusas*, maxime propter vs. 27.]

41. *Decutit*, sed sine libro, corrigit Scaliger; me invito. Etsi enim farinam inter molendum bene *decuti* dici arbitror: id tamen in seqq. demum scribitur: nunc in cribro quatitur tantum tusa farina. Mox *Ac remanent* vett. edd. *Et remanent* Aldina. Languet oratio, nisi *At* refingas. [* *at* Reg. II. Thuan. II. Baluz. I. Gaibac. Carcav. Thanner. *ac* Colb. II. IV. V. *hac* Colb. I. Thuan. I. *haec* Reg. I. Sorbon. Lips. *et* Reg. III. IV. Teller. Helmst. Gud. Dresd. Stuttg. in quo est *remanet.* In Colb. I. pro *summo* legitur *sum.*]

42. *foraminibusque colatur*, pro *liquatur*, nonnullos legisse Ascens. monet. [* *subsedit* Reg. II. III. Colb. IV. Baluz. I. Helmst. Dresd. *subsedit* Reg. IV. *succedit* Teller. Gaibac. *subcidit* Thuan. II. Lips. *suscipit* Colb. V. *subsesdit* Gud. Vulgata legitur in Colb. I. II. Thuan. I. Reg. I. Carcav. Sorbon. Stuttg. Thanner. — *sincere* Colb. II. IV. Teller. Thuan. II. Stuttg. *sinceras* Lips. *sincerae* Gaibac. *cincera* Gud. *incepta* Colb. V. *que* om. Colb. II., *loquatur* Helmst. a m. pr.]

43. *Emendata Ceres* Ascens. Norimb. et al. Iam in Copa 20 *munda Ceres.* [* *Emendata* Colb. I. II. V. Thuan. I. Thanner. *Et mutata* Gud. *Frumentata* Gaibac. *leni* Reg. III. Gud. *levi* Carcav. *tunc* Reg. II. III.

Digitized by Google

IV. Teller. Thuan. II. Baluz. I. Colb. IV. V. Helmst. Gud. Dresd. Gaibac. Stuttg. *tamen* Carcav. *illa* Colb. I. II. V. Thuan. I. Reg. III. IV. Sorbon. Lips. *ille* Gaibac.]

44. [* Vulgo legebatur *tabula*, *et tepidas*, quae tamen copula quum in omnibus meis codd. desit, asyndeton restitui.]

45. *tum* in vulgg. importunum post idem voc. v. 43 in *nunc*, vel *iam* mutandum erat. *nunc* Scaliger quoque emendabat. *admixtas tum fontes* vett. edd., quod correxere alii, ut ed. Norimb. et Ascens. *admixtas tum frondes*, alii, ut Aldina, *admixtos tum fontes*. Tum interpungitur vulgo post *fontes*, parum commode. Nam fontes et farinas Simulus cogit ac contrahit in unum globum, ut mox iterum manu iniecta digerat. Totus vs. 45 a ms. Koeler. aberat. [* *Cum trahit* Reg. I. Sorbon. *admixtas* Colb. I. II. V. Thuan. I. Reg. I. Sorbon. Stuttg. Thanner. *tunc* Colb. IV. Baluz. I. Stuttg. *tum* Reg. II. Thann. *cum* Helmst. *tamen* Carcav. *admixtos.tum* Dresd. *dum* Wakef. *frondes* Colb. I. II. Thuan. I. Reg. I. Sorb. Thann. Versus excidit in Reg. III. IV. Thuan. II. Gaibac. item in Teller. ad cuius tamen summam paginam eum eadem manus adscripsit, exhibens *admixtas*, quod pariter habet Lips.]

46. *Transversat durata manu.* Scaliger emendat: *Transversa durata manu liquidoque coacta:* ut transversa manu contrahat *fontes atque farinas*, *durata.* Quam dure! Feram itaque vulgatam, sed emendata interpunctione: *Transversat durata manu:* ea, quae induruere cogendo, transversim iterum manu subigit. Coniicio tamen scriptum fuisse: *Transversat duratque manu.* Barthium quoque coniectasse video: *Transversa durante manu.* Mox *liquidoque coactu* Ascens. interpretatur. Sed quos subiungit *grumos* farinae ii non nisi *liquido coacti*, per liquorem, aquam, particulis farinae cohaerentibus, existere potuere: itaque *liquidoque coactos* coni. Heins., nec male. Idem paullo ante *manus*, nescio quo fructu. [* *manus* Reg. III. *conato* Dresd. Wernsdorfius legit *coacta*, male; nam aqua prius cogenda i. e. a farinis in se recipienda fuit, quam grumi sale spargi poterant. Grumi omnino fieri non poterant, nisi aqua erat coacta.]

47. *grumo* vett. edd. cum ms. Koeler. et Helmst. *Salis grumos* si hic quaeras, legendum erat: *grumos spargit salis: inde.* Poterat et *grumos sale* ita accipere aliquis, h. grumos de sale, salis. In fine *Iamque subiactu* Norimb. Totum locum Heins. ad Ovid. Fast. I, 338 sic emendabat: *Contrahit admistis nunc fontibus* (non *fortibus*), *atque farinas Transversa duratque manu: liquidoque coactos interdum grumos spargit sale.* [* *Inter* Stuttg. *grumo* Reg. II. Baluz. I. Helmst. Gud. Dresd. *gruno* Gaibac. *gremio* Reg. I. Sorbon. Lips. *sparsit* Thuan. II. Carcav. *salem. Namque* Stuttg. *Iam* om. *que* Colb. II.]

48. *Laevat opus*, ex vett. edd. revocavimus, Scaligero quoque hortante: nam laevigat panem in placentae morem et dilatat. Aldina dedit: *Format opus.* [* *Levat* Sorbon. *Format* Gud. Stuttg. *Planat* Teller. *Tornat* Wakefieldus. *suis* Carcav. Stuttg. *unum* Colb. V.]

50. [* *focos* Colb. I. II. IV. Thuan. I. In voce *Cybale* minor est lectionis varietas, quam ad vs. 31. Legitur enim in paucis tantum codd. *Cibele, Scybale, Scibale, Cibole, Cyballe.* — *mondaverat* Gud. *mandaverat* Lips.]

51. *Ante focum* licet coni. cum Heinsio. *testisque tegit: super;* sic Ald. cum ms. Koeler., eamque priscam lectionem esse Scaliger testatur. Vulgo editum: *testisque tegens super:* quod tamen nunc non multum absum quin praeferam aut scribam: *testis tegit et super aggerat.* [* Scribebatur *locum;* ego nunc recepi coniecturam Heinsii confirmatam per Teller. Reg. II. Gaibac. *testaque* Teller. quod iam coni. I. H. Vossius. *restisque* Lips. *quae tegit* Colb. I. *tegens* Thann. *aggerit* Reg. IV. Stuttg. *ignem* Colb. IV.]

52. *Vulcanus Vestaque* vetus est lectio quam non satis assequor. Aut

Digitized by Google

enim idem est utrumque, aut cum Ascensio inter crassiorem et tenuiorem ignem discrimen facere necesse est. Itaque amplector Aldinam lectionem: *testaque*, nam a testis calefactis coctio panis acceleratur. Nisi *Vesta* focus est. [* *Cumque* Colb. I. *peregit* Helmst. a m. pr. *spargit* Reg. III. Teller. Glossa in Stuttg. *sua spargit* Reg. IV. *testaque* Reg. III. IV. Carcav. Stuttg. et Glossa in Baluz. I. *Vestaque* Colb. I. II. IV. V. Thuan. I. II. Reg. II. Teller. Baluz. I. Helmst. Gud. Dresd. Gaibac. Thanner. *vastaque* Reg. I. Sorbon. Lips. *vires* Teller.]

53. [* *Scimulus* et alia ut supra in paucis codd. — *ab hora* Colb. V.]

54. *ne* ed. Ascens., minus bene. Nam copula requiritur: *et*, *ne* etc. [* *Verum aliam quevit dapem* Stuttg. in quo tamen *opem* a m. pr. *ne* Gaibac. Thann.]

55. [* *quas congat comperit* Gud.]

56. 57. Obscura est oratio. Scaliger tantum *vacabant*, quod vulgo legitur, in *rigebant* mutat, quod vett. edd. habere ait, quas equidem nullas vidi. *Non* adeo *durati sale terga suis truncique rigebant*, h. erant ei; sale enim et fumo durata rigent. Nec male hoc dictum putabo. Trunci possunt esse vel pernae suum aliaque maiora frusta, vel iungendum *suis trunci*, h. truncati, in partes dissecti. Prius equidem praefero. Sed haeremus adhuc in priore versu: *Non illi suspensa focum carnaria iuxta.* Ex carnario (vid. Indic. Scriptt. R. R.) pendent pernae. Ipsa carnaria, h. unci ferrei, si iuxta focum fixa, infixa parieti sunt; non possunt dici *suspensa*. Ut per appositionem: *carnaria*, *durati sale terga suis*, dicantur, placere potest; si *carnarium* ipsam carnem esse dicas; quod exemplo caret. Laborare adeo mihi videbatur locus; necdum a Wernsdorfio difficultatem sublatam video, quomodo carnarium *parieti infixum* dictum esse possit *suspensum*. Scilicet res ita expedienda: *carnarium* illud tignum seu instrumentum, clavis seu uncis, ex quibus carnes suspendi possunt, non parieti infixum, sed ex camera seu ex unco parieti infixo pendulum est, adeoque et ipsum *suspensum* ex unco vel clavo. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 647 coni. *replebant;* ubi vide. Concedo in partes Wernsdorfii, qui bene monet, *vacare* dici h. l. quae praesto erant, parata et in promtu. Lucan. V, 327 *Tot reddet Fortuna viros quot tela vacabunt*, aderunt. [* *focis* Thann. *carnalia* Reg I. IV. Teller. Colb. V. *iusta* Helmst. *Durata* Reg. III. Colb. V. Stuttg. *Purati* Dresd. *tersa* Colb. V. *natabant* Dresd. Recte Wernsdorfius versum 57. priori per appositionem adiectum esse dixit, eumque secutus Vossius locum vertit, apte praeterea laudans Iuvenal. XI. 82. Gesnerus in thes. L. L s. v. *carnarium* cum Scaligero *rigebant* praefert, *terga* pro accusativo absoluto habens. De *vacandi* significatione a Wernsdorfio recte explicata cfr. etiam Lucan. IX. 691. *Truncos* pro pernis dici posse, Wernsdorfius e Celso II. 22. *ungulas trunculosque suum* comprobat; et Vossius ita vertit.]

58. *sparto* praeclara est Aldinae emendatio: pro vulgari: *parco*, vel *parto*. [* *sparto* est in Colb. I. II. Reg. I. II. Carcav. Thuan. I. Sorbon. Thann. In Stuttg. legitur *sparo*, quod Moserus praefert, in Colb. IV. V. Baluz. I. Thuan. II. Teller. Reg. III. Helmst. Gud. Gaibac. *parco*, in Reg. IV. *parto*, in Dresd. *parcus*. Praeterea *Transiectus* est in Helmst. Gaibac. Baluz. I. Teller. *Transictus* in Dresd. *medio* in Stuttg.]

59. [* *adstrictis* Gud. *fassis* Reg. II. Baluz. I. Helmst. a m. pr. *fasis* Gud. *fuscis* Gaibac. *fossis* Dresd. *festis* Colb. V. *pandebat* Helmst.]

60. [* *opem fieri* Carcav. *providus aeris* Colb. I. II. V. Thuan. I. *eris* Teller. Vossius: *der betriebsame Kernmann.*]

61. *casulae iunctus* ms. Koeler., numerosius. [* *victus* Dresd.]

62. *Et calamo recidiva levi munibat arundo.* Primum Scaliger ait, vimineta et arundineta muniendis hortis aut sepibus obtendendis usum praestare non solere, adeoque refingit, *minuebat*, partem de horto occupabat. Haec vero argutula sunt, et a loco aliena; laudatur enim mox

hominis industria in horto colendo. Cogitandum est hortulum brevi fossa fuisse circumductum, quae iuncis obsita erat. Tum pro *calamo* vett. edd. *calmo:* ac si *culmo* voluerint. *recidiva arundo* ex Aldina ducta est; uti et Scaliger veterem scripturam esse ait, *rediviva;* quae perpetua variatio lectionis est. Vulgg. et vett. edd. *redimita.* [* *recidiva* est in Carcav. et, nisi error est Iaeckii, in Gaibac. *rediviva* in Colb. I. II. Thuan. I. Reg. I. Sorbon. Lips. *redimita* in Reg. II. III. IV. Colb. IV. V. Teller. Thuan. II. (in quo praeterea est *thalamo)* Baluz. I. Stuttg. Thanner. In Dresd. est *redĩta*, in Helmst. *redemita*, Gud. *redimitta leni.* Nostram lectionem etiam Heinsius tuetur ad Claudian. Idyll. I. 66. p. 663. ed. Burm. — *muniebat* Reg. III. Carcav. V. Struv. de declin. et coni. lat. p. 137. sq. *munabat* Dresd.]

63. [* *vacuus* Gaibac. *variis quoque* Thuan. II.]

64. *Nil illi d.* melius ms. Helmst. *exigat* f. Heins. [* *Non* retinui ex Colb. IV. Reg. III. IV. Carcav. Teller. Baluz. I. Sorbon. Dresd. Stuttg. Thanner. *Nil* legitur in Colb. I. II. V. Reg. I. II. Thuan. I. II. Gud. Gaibac. *illic* Gud. *derat* Colb. II. *defuit—exigat* Gaibac.]

65. *Interdum locuples a paupere plura petebat.* Versum ex margine agglutinatum arbitror, nec sensum satis me assequi fateor. An voluit: Interdum etiam locuples, h. e. qui maiorem hortum ipse colebat, petebat a paupere, a colono hoc, Simulo, scil. quod ipse in suo horto non haberet. Pro *plura* saltem malim *multa*, quod et ms. Helmst. habebat. [* *locuplex* Reg. II. Gud. Dresd. Tum legebatur *plura*, quo reiecto restitui *multa* e codd. Reg. II. IV. Thuan. II. Baluz. I. Colb. V. Gud. Dresd. Gaibac. Stuttg. *patebat* Dresd. Quod Heynius non nisi dubitanter proponit, unice est verum.]

66. Etiam de hoc versu dubito; inprimis propter v. 69: non hortus erat opus sumtus, seu impensae in eum factae; sed curae regula erat haec, ut etc. Porro *huius opus* Ald. Ita distingui posset: *Nec sumtus erat huius, opus sed regula curae*, h. nec huius curae regula erat sumtus, sed opus. Sed et hae argutiae parum expediunt versum relinquendum monachis. Nec magis Barthii emendatio in Advers. XXXV, 8 *sed regula: Curae si quando vacuum:* ut sit iung. *curae si tenebant.* [* Vulgatam huius versus scripturam recte asserunt Reg. II. Baluz. I. Dresd. Gud. Helmst. (in quo tamen est a m. pr. *ille*) Thann. In Colb. I. legitur *Hec*, Colb. IV. *Non*, Gaibac. *Et*, Colb. I. II. IV. Thuan. I. II. Lips. Sorbon. *ullus*, Reg. I. *ullius*, Gaibac. *illius*, Reg. III. IV. Stuttg. *huius*, Teller. *eius*, Carcav. *id*, in Colb. V. *regula vitae.* Ad explicandum verbum haec adnotavit Wernsdorfius: „*regula* h. l. est causa, ratio, lex, or„do rei. Opus illud h. e. hortulus a Simulo cultus, regula erat non sum„tus sed curae, quum eum non ad maiores sumtus faciendos aut lautius „vivendum invitaret, sed ad maiorem curam et labores diligentius dis„ponendos."]

67. [* *casulae* Reg. IV. Thuan. II. *casule* Stuttg. *pluviaeque* Reg. I. III. IV. Colb. V. Sorbon. Lips. *casu pluviae veque* Teller.]

68. [* *Festa* om. *ve* Reg. I. Lips. *Festa vel si* Sorbon. *cessavit* Thuan. II. *cessabit* Dresd. Tum scribebatur *aratro* quod legitur in Thuan. II. Dresd. Ego ex reliquis codd. omnibus reposui *aratri.*]

69. *deponere plantas* ex Aldina et ms. Helmst. reposui tamquam doctius: sic Ge. II. 23 *Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum Deposuit sulco.* Vulgo legitur: *disponere plantas.* [* *Horti erat illud opus* Reg. II. Ipse tamen librarius verba transponenda esse, ita ut vulgo leguntur, postea indicavit. *id erat* Carcav. *Horti erat huius opus* Colb. V. *varios* Colb. II. *deponere* Reg. II. Thuan. II. Gud. Dresd. *componere* Gaibac. In reliquis libris est *disponere.*]

70. *occulte* vett. edd., sed *occulta terra* poetica ratione, seu quae oc-

Digitized by Google

cultat, seu, quod malim, interior gleba, fossa facta. [* *terra* Gaibac. *occatae* Wakefieldus.]

71. *Vicinosque apte cura submittere rivos.* Languent illa: *apte cura:* vixque a poeta tam elegante proficisci potuere. Proximum esset *curae submittere;* quod et Heins. coni. Praestaret: *cultis submittere rivos.* Ita *culta* Virgilius dixit. Nisi *sulcis* malis. Nam et hortorum et plantarum sulci sunt. Ad vulgarem scripturam propius sic accederet *grumis*, colliculis exiguis inter sulcos. Sin instrumenti nomen insolentius excidit, *marra* legam, qua effoditur solum et aqua in canaliculum ducitur. Wernsdorf. *apte vicinos* iungit. [* Legebatur *Vicinosque — cura — rivos*, ad quae verba Heynius iure offendit. Quod nunc legitur, fere totum est ex codd. desumtum. Et primum quidem *Vicinos* scripsi omissa copula ex Reg. III. IV.; deinde *curat* exhibent Colb. IV. Carcav. Reg. IV. Stuttg. *curas* Gud. unde feci *curans; curae* Gaibac. *rara sub sumitere* Dresd. Bothius coni. *Vicinosque a fonte cavos;* usum verbi *submittere* de fecundatione illustravit Wernsdorfius, *sulcis immittere* coni. Wakefieldus.]

72. [* *Hic locus* Sorbon. Lips. *et late* scripsi ex Reg. II. IV. Thuan. II. Baluz. I. Colb. V. Dresd. Gud. Helmst. Gaibac. Stuttg. Vulgo *hic late*, in Thuan. I. Reg. I. *hic latae*, in Reg. III. *Hic Diis erat late.* Tum *fundentis* Reg. I. Lips. *frondentis* Colb. V. *baetae* Colb. I. II. *fete* Teller. *blitae* Reg. II. De *betis* v. Sprengel. ad Theophr. Hist. Plant. p. 258.]

73. [* Cum vulgata huius versus scriptura consentit edit. Thanner. In codd. varia quidem leguntur, quae tamen omnia erroribus librariorum deberi, nemini dubium esse poterit. *Fecundus* om. *que* scribitur in Reg. III. Colb. IV. *Secundusque* Thuan. I. *reumex* Teller. *Fecundae cucumae* Gud. *malvae* om. *que* est in Colb. I. II. IV. V. Reg. II. III. IV. Teller. Thuan. I. II. Helmst. Gud. Dresd. Stuttg. Gaibac. Tum *inulaeque* modo exstat in Colb. I. II. Thuan. I. *milaeque* in Reg. I. Sorbon., *milleque* in Lips. In reliquis omnibus libris est *violaeque;* in Gaibac. *rubebant.* De *rumice* v. Plin. H. N. XIX. 12, 60. Sprengel. ad Theophr. Hist. Plant. p. 251. de *malvis* Sprengel. l. l. p. 270. sq. de *inulis* Heindorf. ad Horat. Sat. II. 2, 44. Ceterum de versu supposititio in nonnullis codd. post h. v. adiecto v. ad vs. 76.]

74. *Hic siser* ex Aldina reduxi; veterem hanc scripturam etiam Iul. Pomponius agnoscebat et Scaliger probabat; esse enim siser inter hortensia, non aeque cicer. In fine restitui *capiti nomen debentia porra* ex Ald., cum qua consentiunt Norimb. et Scaligeri membranae; est enim porrum capitatum, τὸ πράσον κεφαλωτόν. Vulgo *caepe* legitur, vel *cepa.* conf. ad h. v. Salmas. in Solin. pag. 1001. [* *cicer* in Reg. II. Baluz. I. Colb. IV. Carcav. Dresd. Gud. Gaibac. *siler* in Teller. Stuttg. *titum* in Thuan. II. *acer* in Helmst. (suprascripto *cicer*). Reliqui libri *siser*, qua de herba v. Plin. XX. 5. s. 17. Dioscorid. II. 139. p. 257. ed. Spreng. Fuit cum *cicer* reponere vellem, maxime propter Horat. Sat. I. 6, 115. Nihil tamen mutavi, faciliorem lectionem ut fieri solet difficiliori praelatam a librariis ratus. — *capiti nomen* Reg. II. Carcav. Baluz. I. Colb. V. Helmst. Gud. Dresd. Gaibac. Thann. unde hunc verborum ordinem retinui, quum in Colb. I. II. IV. Reg. I. III. IV. Teller. Thuan. I. Lips. Sorbon. Stuttg. legatur *nomen capiti.* Causa, cur plerisque iisque non contemnendis libris non obsequerer, fuit vs. sequens, ubi horum codd. scriptura recepta *capiti* eodem versus loco recurrit. *nomine capiti* Thuan. II. *tepentia* Sorbon. Lips. Reg. I. *porra* Colb. I. II. IV. V. Reg. I. II. a m. sec. III. IV. Thuan. II. Sorbon. Stuttg. *porri* Colb. I. Thuan. I. Lips. *porta* Teller. *cepa* Reg. II. a m. pr. Carcav. Baluz. I. Helmst. Dresd. *cepha* Gaibac. *cepe* Gud. Thanner. De *porro*, πράσῳ v. Sprengel. l. l. p. 252.]

75. Deerat versus membranae Scaliger., nec tamen ideo damnandus. *Sic etiam* vett. edd. [* Hic versus etiam deest in Colb. II. IV. V.

Digitized by Google

Thuan. I. II. Reg. I. III. IV. Sorbon. Gaibac. In reliquis adest, (in Dresd. legitur *Hic esse*, in Stuttg. *Hic et nocivum*,) et versum per se bonum eo minus exterminare volui, quod papaver inter bellaria fuit apud Romanos. Ita Plinius XIX. 8. s. 53. *papaver candidum*, *cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. Hoc et panis rustici crustae inspergitur.* Dioscorid. IV. 65. *μήκων κηπευτή, ἧς τὸ σπέρμα ἀρτοποιεῖται εἰς τὴν ἐν ὑγείᾳ χρῆσιν, καὶ σὺν μέλιτι δὲ ἀντὶ σησάμης αὐτῇ χρῶνται.*]

76. [* In Carcav. Stuttg. legitur *virorum*. De *lactuca* (in Gud. *latucha*) eiusque vi stomachi ciendi v. Plin. H. N. XIX. 8. s. 38. Dioscorid. II. 164. Intpp. Geopon. XII. 13. p. 864. sqq. Nicl. Heindorf. ad Horat. Sat. II. 4, 59. Serioribus autem Romanis mos fuit coenas a lactuca incipiendi, quod praeter Martialis epigramma ab Heynio laudatum comprobant idem XI. 53, 5. *Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo utilis*, et Athenaeus III. p. 101. b. *οἱ μέντοι ἀρχαῖοι πάντες πρὸ τοῦ δειπνεῖν οὐ παρέφερον οὔτε μήτρας οὔτε θρίδακας οὔτ' ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ὥσπερ νῦν γίνεται*, quorum locorum illum laudavit Wernsdorfius, hunc Scaliger. Ceterum quod idem Scaliger ex hoc more aetatem, qua carmen nostrum sit compositum, colligi posse contendebat, partim tantum id verum esse ostendit Wernsdorfius, qui ait: „Uter usus lactucae verbis *re-„quies ciborum* indicetur, finiendi an inchoandi dapes, mihi adhuc dubium „videtur. Credebatur lactuca ventrem ciere, fastidium stomachi tollere, „appetitum irritare; igitur lactuca sumta cibi reliqui appetentius recipi, „meliusque *sedere* poterant, ut loquitur Horat. Sat. II. 2, 73. quod est „*requies ciborum*.“ Inde apparet, nostrum locum de aetate carminis nihil comprobare. Nam *lactuca* omnino hanc vim habebat, ut cibos deprimeret et ut melius concoquerentur efficeret. Sive sumeretur initio seu fine coenae, nihil intererat; vis eadem semper fuit. Quodsi vero cibi non concoquebantur, dicebantur *tumescere*, *surgere* vel *innatare* (v. Heindorf. ad utrumque locum.)]. Post hunc versum in eodem Scaligeri manuscripto sequebatur versus iste: *Plurima surgit ibi crescitque in acumina radix*, h. raphanus. Docta interpolatio: siquidem *τὸ ibi* intrusum aliquid satis arguit. In ms. Koeler. exaratus est: *Plurima crescit ibi quae surgit in a. r.* ms. autem Helmst. post vs. 73. *Plurima crescit ibi surgitque in a. r.* [* Nos in hoc supplemento nihil nisi seriorem interpolationem habere, inde apparet, quod verba in plerisque codd. omittuntur, et in iis libris, ubi vera leguntur, modo hanc modo illam sedem occupant, quo accedit, varietatem lectionis tantam esse, ut bis tantum codd. inter se consentiant. Et cum Helmst. quidem conspirat tam in ipsis verbis quam in sede Dresd. In Sorbon. post vs. 76. nihil exstat nisi *crescitque in acumina radix*, in Colb. I. Thuan. I. eodem loco *Quae crescit in acumine radit*, in Baluz. I. *Plurimaque in terra detrudit acumina radix*, in Gud. versus 77. omittitur, eiusque loco leguntur verba *Plurimaque in terram detrudit acumina radix*, in Carcav. post 77. est: *Plurimaque intra se detruncis acumina radix.* Quorum omnium nihil habent Colb. II. IV. V. Reg. I. II. III. IV. Thuan. II. Teller. Gaibac. Thann., et remanet unus Stuttg. e quo post vs. 77. haec enotavit Moserus: *Plurimaque „intrare eap“* (3 superscr.) *detrudens acumina radix*, voci *detrudens* his superscriptis „*intrae* (3 superscr.) *acerbitates et fuit raphanus*,“ unde Moserus aliis missis haec pro genuinis venditat: *Plurimaque intra se detrudit acumina radix.* Wernsdorfius dubitat, versum dicat interpolatum an minus sanum, Bothius post vs. 77. eum collocans legendum esse pronunciat: *Plurima surgebat crescens in acumina radix*, idque recepit Iahnius.]

77. *dimissa* male vett. edd.; a vertice angustiore in latum ventrem excrescit. [* *dimissa* Colb. I. II. IV. Thuan. I. Reg. I. IV. Carcav.

Sorbon. Stuttg. Lips. Thann. In Teller. legitur *in ventrem — locum*, in Gud. versus omnis deest. De *cucurbitis* v. Sprengel. ad Theophr. p. 253.]

78. [* *illo est* Reg. II. Helmst. Gud. Dresd. Thuan. II. Baluz. I. quod recepi, quum vulgo *est* abesset. *sed quis contractior illi* Reg. III. Pro *hic* in Stuttg. legitur *hoc*.]

79. *Sed populi proventus erat.* Scaligeri membrana: *profectus*, utilitas, *ὠφέλεια*, quod ille malebat. Verum vocem hanc in scriptoribus satis obviam nondum in poeta legi. Tum utilitatem haud dubie Simulus ex venditis oleribus capiebat, aere reportato. Itaque *proventus* recte legitur, h. quicquid nascitur in horto. Mox *certisque diebus* Aldina edidit: ex interpolatione. *noctis* vel *notisque* vett. edd., quod ducit ad *nonis;* nam nundinis ad mercatum in urbem proficiscebantur rustici: atque hoc agnoscit quoque Pompon. Sab. et una vel altera ex membranis Scaligeri. [* *Sed probe* Teller. *provectus* Dresd. Teller. *profectus* Reg. I. Sorbon. Lips. Deinde *nonisque* nullus habet ex meis codd., sed *notisque* in Colb. I. II. V. Thuan. I. II. Reg. III. Carcav. Teller. Baluz. I. Sorbon. Dresd. Helmst. Lips. Gaibac. Stuttg. Thann. *natisque* in Colb. IV. *noctisque* in Reg. II. et Reg. I. ubi tamen c est erasum, *certisque* in Reg. IV. Gud.]

80. *Venales humero fasces* scripta Scaligeri lectio, quam ille recipi volebat. Eadem in ms. Koeler. et Helmst. Nam et mox *domum*, inquit, *cervice levis* redibat: ut adeo nec asellum quidem haberet, qui olera veheretur. Hactenus non refragor. Ita tamen *fasces* sic nude positi parum placent. Retinui itaque *olerum fasces*, quod omnino suavius videtur. [* Vulgo legebatur *olerum*, quod modo in Gud. Carcav. exstat. Contra *humero* inveni in Reg. I. II. IV. Colb. IV. V. Teller. Thuan. II. Baluz. I. Stuttg. Lips. *umero* Sorbon. *humeris* Reg. III. *chumero* Gaibac. *humore* Colb. I. II. Thuan. I. *fasses* Reg. II. Helmst. a m. sec. Baluz. I. *faces* Lips. Perturbata est lectio in Dresd. *Venales homero fasses levis gravis ere redibat.*]

81. [* *Unde* Gud. *domi* Reg. III. *levi* Reg. IV. *ridebat* Stuttg.]

82. *Vix u. u. vacua mercede macelli* vetus scriptura apud Scaligerum: quam non admittam equidem. [* Cum vetere scriptura Scaligeri consentiunt Reg. I. Sorbon. Lips. eamque Scaliger ita interpretatur: „vix „percipiens ex suo olerum fasciculo, unde de macello aliquid emeret." Sed praeterquam quod haec lectio in paucissimis tantum codd. exstat, dupliciter offendit. Nam si *gravis aere* redibat, tum certe pecunia aliqua carni emendae suppetebat; et Simulum non inopia sed parsimonia carne abstinuisse, docet vs. sequens, hominem scilicet oleribus contentum fuisse. Huc accedit, quod parum Latine dicitur *merces macelli* pro merces eius rei quae in macello emitur. In Teller. est *nunquam*, in Gaibac. *mente*, in Dresd. *cede*, in Helmst. a m. pr. *ierce*, Gud. *maceli;* v. Schneideri Gr. Lat. P. I. Vol. II. p. 419.]

83. *Caepe*, *Caepa* promiscue edd. vett. [* *Caepa* Colb. II. *cepe* Gaibac. Lips. De hac planta v. Dioscorid. II. 180. *secti* om. *que* Stuttg. *sertique* Gud. *septique* Reg. IV. *famam* Reg. I. Sorbon. *arrea* Stuttg. *acrea* Dresd.]

84. [* *ari* Dresd. *animo* Colb. V. *voltum* Stuttg. *nasturcia* idem. *nastricia* Teller. *masturcia* Reg. II. *masturtia* Colb. V. *morssum* Dresd. De hac planta v. Dioscorid. II. 184. Sprengel. ad Theophr. p. 251.]

85. Colum. X, 108 *Et quae frugifero seritur vicina Priapo, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.* Nota res. Vide modo Burmann. ad Anthol. lib. VI, ep. 76. [* *Intuba* om. *que* Stuttg. *Intibaque* Colb. II. IV. V. Thuan. I. II. Carcav. Lips. Baluz. I. Sorbon. Dresd. *Intiba* om. *que* Reg. III. *et* om. Thuan. II. *Venerem venis* Reg. IV. *erucha* Gud. De *eruca* v. Dioscorid. II. 169. Sprengel. ad Theophr. p. 32.]

86. [* *Tunc* Colb. I. II. IV. V. Reg. I. II. Carcav. Thuan. I. II. Baluz. I. Sorbon. Lips. Helmst. Dresd. Stuttg. Thann. Sed v. Voss. ad Ti-

Digitized by Google

bull. I. 1, 21. Lachm. ad Propert. p. 35. *Nunc* Teller. *Totque* Gaibac. *tale admeditans* Teller. *aliud* Thuan. II. *intravit in* Reg. IV. Gud.]

87. *tellure refusa* vetus scriptura Scaligeri, sed a loci sensu aliena. [* *Hac* Colb. I. II. *Hanc* Thuan. I. *Tunc* Colb. IV. *At* Stuttg. *digitis leviter* Colb. IV. Gud. *leniter* Reg. III. *tellura* Sorbon. *refusa* Reg. I. Sorbon. Lips.]

88. *cum spicis* vett. edd., perperam. *quattuor*, nil refert. [* *Quattuor* Colb. II. Reg. II. *conspissis* Gud. *pissis* Dresd. *spicis* Colb. I. II. Thuan. I. II. Carcav. Teller. Gaibac. *alia* Thuan. II. *allea* Gaibac. *alea* Sorbon. Stuttg.]

89. *rutamque rigentem* ex vett edd. revocavi: eleganter, *ἀφροδισιαστικήν;* nisi, pudori ut consulas, firmam et solidam interpreteris. Contra *coriandra* tenuia. Aldina male substituit *rutamque virentem;* quod et ms. Koeler. habebat. [* *grandes apii* Gud. *rufamque* Dresd. *ruchamque* Gud. *virentem* reposui ex Reg. II. III. IV. Colb. IV. V. Teller. Thuan. II. Baluz. I. Helmst. Gud. Dresd. Gaibac. Stuttg., quum Heynius dedisset *rigentem*, quod tamen vix explicare possis. Tantum enim abest, ut apud Dioscorid. III. 45. ed. Spreng. Plin. H. N. XX. 13. s. 51. Geopon. XII. 25. aliquid de *rutae* vi Venerem movente legatur, ut Plinius l. l. disertis verbis dicat: *Itemque generationes impediri hoc cibo: ideo in profluvio genitali datur et Venerem crebro per somnia imaginantibus.* Cur autem Simulus allio rutam admiscuerit, docet Dioscorides l. l. p. 393. *τάς τε ἀπὸ σκορόδων καὶ κρομμύων ὀσμὰς καὶ δριμύτητας παύει ἐπιμασσηθέν.* De *apio* v. Sprengel. ad Theophr. p. 263. sq.]

90. [* *coriendra* Teller. De *coriandro, κορίῳ,* v. Dioscorid. III. 64. ed. Spreng.]

91. *lentum — ignem* corrigebat Heins. ad Ovid. Fast. II, 578, sed *laetum* multo accommodatius h. l. esse nemo dubitet. [* *Hoc ubi* Carcav. *laetus* Gaibac. *letus* Thuan. II. *locum* Teller. *consendit* Gud. *conscendit* Baluz. I.]

92. [* *Clara familiam* Reg. III. IV. *Clara inde* Stuttg. *claram* Helmst. a m. pr.]

93. Vett. edd. pertinaciter exhibent: *numerosa cortice*, praeter Norimb.; Ald. vero: *nodoso cortice*, et vetus scriptura apud Scalig. *nodoso corpore;* ms. Koeler. et Helmstad. *nodoso vertice*, quod in allia vix cadere videtur. *nodoso cortice* defendit Gronov. contra Cruceum p. 186 [* T. II. p. 253. Lips.]. Io. Schrader. coni. *Singula tunc apte.* non accedam. [* *tunc* Reg. II. III. Helmst. Dresd. Gud. Stuttg. Teller. Baluz. I. Colb. V. *capiti* Gud. *capricum* Thuan. II. Tum legebatur ex Taubmanni emendatione *numeroso cortice*, quod in uno Carcav. legitur, nisi quod ibi exstat *numerosa.* Ego cum Gronovio l. l. ex Colb. V. Reg. III. Gud. Gaibac. Stuttg. scripsi *nodoso cortice*, quod et codex Zwiccav. ap. Handium ad Gronov. l. l. exhibet. In Colb. I. II. IV. Teller. Thuan. II. Reg. I. Sorbon. Lips. et Ms. ap. Gronov. est *nodoso corpore*, in Thuan. I. *nodosum corpore*, in Baluz. I. Reg. II. IV. Helmst. Dresd. *nodoso vertice*, unde Handius fecit *nodoso a vertice* i. e. a parte nodosi verticis, coll. Virg. Aen. I. 114. *mundat* Teller. *miscet* Thuan. II.]

94. *contentaque* Norimb. [* *Sump''tis* Teller. *expolliat* Dresd. *coreis* Colb. II. Thuan. I. *contentaque* Stuttg. *contectaque* Reg. I. *conceptaque* Thuan. II. *passim* om. Teller.]

95. *adicit* vett. edd., sed recte Aldina *abicit.* Mox *servatum gramine bulbum* non satis expedio. Non de bulbis, quod plantae genus est, hic agitur: adeoque hic bulbus est allii caput interius, exterioribus pelliculis nudatum et decorticatum. Ergone abiectas membranas *gramina* appellat? An voluit *servantem germina bulbum?* ut *germina* nucleus sit, qui idem semina et germina continet? Heinsium video coniicere *Servatum stramine.*

Digitized by Google

melius Io. Schrader: *Servatum in germine bulbum.* [* *adiicit* Helmst. *adicit* Colb. II. IV. V. Reg. I. II. III. Thuan. I. II. Lips. Baluz. I. Teller. Carcav. Sorbon. Dresd. Stuttg. *abiit* Gud. — Tum legebatur *gramine*, quo expulso cum Schradero et Handio ad Gronov. l. l. reposui *in germine;* Gud. *gramina.* — *bullum* Reg. II. III. Colb. V. Carcav. Thuan. II. Baluz. I. Teller. Gaibac. *bulum* Dresd. In Colb. II. *bulbum* in rasura legitur.]

96. [* *Tinguit* Colb. I. II. Thuan. I. Reg. I. Sorbon. *Gignit* Reg. III. *Indit* Lips. *liquidisque* Teller. *dimittit* Colb. I. II. IV. Reg. II. Sorbon. Carcav. Helmst. Dresd. Lips. Gaibac. Stuttg. *urbem* Carcav.]

97. *aspergit* ms. Koeler. cum Aldina. *Sale durus adeso Caseus adiicitur.* Proprie *caseus sale adesus* dicendus erat: ut omnino ea, quae sale condiuntur, adesa. Scaliger exemplo vocis *vescus* illustrat: cum et *corpora vesca* et ipsum *sal* quoque vescum dicatur. Sed sufficit, poetis licere epitheta a passione ad actionem transferre. *adusto* Norimb. Ascens.; tum prior illa *divus* pro *durus.* [* *Hic* Colb. IV. Carcav. Reg. II. III. Gaibac. Thann. *Hi* Thuan. II. *His* Colb. I. II. Lips. Thuan. I. Reg. I. Sorbon. *Hec* Dresd. *Haec* Helmst. *inspergit* Colb. IV. Sorbon. Lips. *inspargit* Colb. I. II. Thuan. I. Reg. I. *inspargitque* Carcav. Thann. *aspergit* Reg. II. III. Teller. Helmst. Baluz. I. Colb. V. Thuan. II. Dresd. Gaibac. *aspargit* Reg. IV. *spargit* Gud. Stuttg. *migas* Gud. *sale* om. Reg. I. *adesto* Colb. II. *adese* Thuan. II. *abeso* Reg. III. *obeso* Stuttg. *adusto* Thann. *ridesso* Dresd.]

98. *superinserit* vett. edd. ante Aldinam. [* *adicitur* Colb. I. II. IV. Thuan. I. Teller. Lips. *addicitur* Dresd. *advehitur* Reg. III. *advehitum* Stuttg. *inserit* Colb. I. II. IV. V. Thuan. I. II. Reg. I. Lips. Carcav. Teller. Sorbon. Thanner. *inseritur.* Gud.]

99. [* *setossa super inguinassa* Dresd. *super in grumina sistit* Gud. *imagine* Gaibac. *inguine* Colb. I. II. *fulsit* Teller.]

100. [* *Dextra* Reg. I. Thuan. II. Stuttg. *pistillum* Reg. III. *flagrantia* Colb. I. II. IV. V. Thuan. I. Teller. Sorbon. Gaibac. Stuttg. *fraglantia* Lips. *tollit* Gud.]

101. [* *Allea* Gaibac. *tunc* Colb. IV. V. Reg. II. IV. Teller. Thuan. II. Baluz. I. Dresd. Helmst. Gud. *cum* Gaibac. *mixto* Colb. I. II. IV. V. Reg. I. II. IV. Lips. Thuan. I. II. Teller. Baluz. I. Sorbon. Dresd. Helmst. Gaibac. Stuttg. unde hoc restitui, quum vulgo legeretur *misto.* In Gud. *iuncto.* — *suco* Colb. I. II. Thuan. I. Reg. I. Sorbon. Lips. V. Schneideri Gr. Lat. Vol. I. P. II. p. 402.]

102. [* *In* Gud. *Et* Reg. III. *giron* Teller. *paulatim* Colb. I. II. *palatim* Lips. Stuttg. *virens* Dresd.]

103. [* *ex* Reg. II. IV. Baluz. I. Helmst. Dresd. Stuttg. *in* Gud.]

104. [* *totus est* Colb. V. *latea* Lips. *latri* Gud. *frustra* Colb. II. a m. pr. Thuan. I. II. Reg. I. IV. Teller. Sorbon. Gud. Dresd. *fusta* Helmst. a m. pr. *resultant* Gaibac.]

106. [* *viri ad* Colb. V. *iocullatur* Dresd. *apertos* Teller. *iaculabitur aptas* Gud. De v. *iaculari* v. Spohn. ind. ad librum de extrema Odysseae parte s. h. v. p. 281.]

107. *summo*—*vultu* haeserat in vett. edd. ad Ald., ut et paullo ante v. 104 *frustra.* [* *summo* Carcav. Teller. Gud. Thann. *simio* Lips. *dampnat* Colb. I. Tell. Helmst. *praemia* Gud. *voltu* Stuttg. *naso* Teller.]

108. [* *manus* Stuttg. *terget* Colb. II. Teller. Sorbon. Lips. *tersit* Gud. Dresd. Ceterum in Thuan. II. post vs. 109. legitur.]

109. [* *Inmeritosque* Reg. I. *Ita meritoque* Dresd. *fervens* Helmst. a m. pr. *arcens* Gaibac.]

110. *Nec tum s.* ms. Koeler. et Helmst. [* *Procedebant* Thuan. II. *opus* om. Gud. *nec* Reg. I. II. Baluz. I. Sorbon. Lips. Colb. IV. Helmst. Dresd. Gaibac. Vulgo *non*, in Stuttg. *iam non.* Deinde *tam* Thuan. II.

Digitized by Google

Colb. IV. Reg. II. Helmst. Dresd. In Carcav. hic versus post vs. 111. legitur.]

111. *Sed graviter* iidem mss. *lentus* vett. edd. eaedem. [* *gravio* Sorbon. *gravius* Reg. III. *graviter* Reg. II. Baluz. I. Helmst. Gud. Dresd. Stuttg. *gravis et* Reg. IV. *lentus* Colb. II. Reg. II. IV. Thuan. I. Sorbon. Carcav. Baluz. I. Helmst. Dresd. *lentusque* Reg. III. Stuttg. *ibit* Dresd. *pistillans* Thuan. I. *pastillus* Colb. V. *orbem* Stuttg.]

112. [* *palladi* Thuan I. *paladi* Dresd]

113. [* *super* om. Dresd.]

114. *mistumque recurvat* mss. iidem. *pistum* coni. Heins. [* *commiset* Gud. *mixtumque* Colb. I. II. IV. V. Reg. I. II IV. Thuan. I. II. Sorbon. Carcav. Baluz. I. Helmst. Dresd Gaibac. Stuttg. Vulgo *mistumque*, Gud. *multumque*, Reg. III. Teller. *iterumque*. — *retrectat* Reg. I. *recurvat* Reg. II. Baluz. I. a m. pr. Helmst. Dresd. In Lips. ultima vox deest, Wakefieldus dedit *recurat*.]

115. [* *Tunc* Reg. II. III. IV. Carcav. Teller. Thuan. I. Colb. V. Baluz. I. Helmst. Dresd. Stuttg. *Dum* Gud. *digitis demum* Reg. II. III. IV. Gaibac. Stuttg. *primum* Teller.]

116. [* *Circumit* Colb. I. II. a m. pr. Thuan. I. *Circum mit tinque* Sorbon. *condit in unum* Reg. III.]

117. [* *Constat* Helmst. Stuttg. *et* Dresd Stuttg.]

118. *Eruit* recte Aldina, scil. e cinere. At vett. *Exuit*. [* *Exuit* Carcav. Stuttg. *exurit* Reg. III. *Extrahit* Teller. *Cibele* Gaibac. *Scibale* Stuttg. *Cibala* Helmst. *Cyballe* Dresd. *cedula* Gud.]

119. *laetus recipit* vetus Scaligeri membrana suppeditavit. Vulgg. *lotis recipit manibus*, vett. edd. *recipit lotis manibus*. [* *laetus recipit* Heynius. Ego reposui *recipit lotis* ex Reg. II Carcav. Helmst. Thann. V. Lindenbroch. In Gud. est *lotis recipit*, Reg. IV. *manibus laetis recipit*, Dresd. Gaib. *recipit letis m.*, Thuan. II. *tutus*, Colb. II. *retus*. — *tremore* Thuan. II.]

120. *Iam famis* e ms. Koeler. reposui pro *Hinc famis*. [* *Hinc famis* Carcav. Thann. *Infamis* Colb. I. II. Thuan. I. Gud. *Iam fatuus* Colb. V. *Similus* Colb. I. Teller. Thuan. II. Sorbon. *Symilus* Colb. II. Thuan. I. *Similis* Gaibac. *Scimulus* Stuttg. *illa* Thuan. II.]

121. [* *Abit* Sorbon. *ocriis* Stuttg. *decasque* Gaibac. De *ocreis* et *galero* v. I. H. Voss. ad. h. l.]

122. [* *locata* Reg. III. Dresd. V. Lindenbroch.]

123. *terrae immittit a.* ms. uterque, ex interpretamento. vomer terrae immissus solo conditur. [* *abit* Gud. *seges* Reg. III. *in terrae* Dresd. *immittit* Reg. II. Baluz. I. Helmst. Dresd. *infigit* Gud. — In Reg. II. haec a librario sunt addita: *Moreti liber Virgilii pueri explicit*, in Gud. *Publii Virgilii Maronis Moretus feliciter explicit*, in Stuttg. *Moretum virgily explicit feliciter.*]

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM IN NOTAS ET ADNOTATIONEM CRITICAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM.

INDEX GRAECUS.

Digitized by Google

ADDENDA.

Ad Culicis vs. 20. *recurrit*, pro confugit; v. Wopkens. ad Taciti Dialog. 9. in edit. Orell.

Ad eiusd. vs. 206. *effigies*, pro umbra; v. Heins. in Burm. Sylloge Epp. II. pag. 669.

Pag. 163. Narrationem de Scylla a Callimacho non in Hecale expositam fuisse, contendit etiam Naekius de Hecale p. 12. Bonnae a. 1829.

Ad Ciris vs. 164. Weichertus in poetarum Latin. vitis et reliquiis p. 425. vulgatam lectionem praeferre videtur.

In Moreti vs. 15. Fr. Lindemannus in selectis carminibus scripsit: *Et reserat clavi, quae prominet, ostia cellae.* „*Clavis* non est h. l. *vectis*, sed instrumentum, quo pessulus repellitur."

vs. 89. Henricus Lindemannus ibidem correxit: *servat cum gramine bulbum.* „Sententia est: bulbum cum canna viridi servat, bulbo non detrahit cannulas, quae supereminent terram, ubi cepa adhuc humo recondita est."

De Codicibus Monacensibus, qui carmina Virgilii minora continent, Ludovicus de Ian Vir Cl. pro sua in me benevolentia haec ad me perscripsit, quae quamquam iis ad recensenda carmina non amplius uti poteram, tamen cum lectoribus communicare eo minus dubitavi, quo rariores de immensis bibliothecae Monacensis thesauris nuntii ad nos perferuntur. Inveniuntur igitur hi codices.

a) Codex Tegernseeas (X. 21. 1.) saec. XI. fol. max. binis columnis scriptus continet Virgilii carmina cum Servii commentariis, item Moretum, elegiam de Maecenatis obitu, Diras, Priapeia, Copam, coll. Aretin Beiträge zur Geschichte und Literatur, vorzüglich aus den Schätzen der Pfalz-Baierschen Centralbibliothek zu München. Bd. I. Heft 2. pag. 62.

b) Codex Weyhenstephanianus scriptus ab Alto Abbate, saec. XIII. form. 4ta; eadem plane, quae modo commemoratus, habet.

c) Codex Monacensis nr. 305. membr. fol. saec. XI. praeter Virgilii carmina genuina habet quoque carmina modo dicta. Idem valet de

d) Codice Monacensi nr. 261. chart. saec. XV.

e) Codex Monacensis nr. 319. membr. saec. XV. fol. continet Virgilii Virum Bonum et Rosetum.

Ex tribus igitur libris prioribus *a b c* Ludovicus de Ian ad Moretum hanc lectionis discrepantiam ab Heynii editione tertia attulit:

u
3. similis *a* similis *b c*
5. vili sensim *a b c* dimissa *a b c* grabatto *a b c*
inertes
6. extersit inanes *a* extersit inertes *b c*
7. laesum *b*
11. stuppas *a b c*
13. sed lux fulgore recedit *a b c*
15. clavis *a b c p* videt *c*
17. Hanc *a* petebat *a b c*
18. bifido *a* bis et *b c*
19. abiit *b* assistitque *a b c*
23. praevertit *a b c*
24. utrique *a b c*
26. assiduum *a b c*
27. silicum rapido *a b c* decurrat *b c*
31. scybalen *a b c.* — Versui 32. denuo in *a b c* praemittitur vs. 7. ubi *a* habet *vestigatis.*
32. Ipsa *a b c* patrium tota *a b c*
33. colore *a b c*
34. Pectora *a b c* late *b* gerens *a b c* comprensior *a*
36. omittitur in *a b c*
38. bullire *a b c*
39. fine *a b c* iusto *a b c*
40. illa *a b c*
41. haec *a b c*
43. illa *a b c*
44. *et* omittunt *a b c*
45. admixtas *a b c*
47. gremio *a b c*
50. scybale *a b c*
52. vesta *a b c*
u
53. similis *a* similus *b c*
62. rediviva *a b c* leva *a* harundo *a b c*
u
64. Nil *a b c* exigat casus *b*
66. ullius *a b c*
68. Festaque *a b c* morte *a* aratri *a b c*
69. disponere *a b c*
72. locus *a b c* fundentis *a b c*
73. inilaeque *a b c*
74. nomen capiti *a b c* tepentia *a b c*
75. omittitur in *a b c*
76. Huic versui subiiciuntur in *a b c* haec:

Crescitque in acumina radix.

77. dimissa *a b c*
78. hec *a b c*
79. profectus *a b c* notis *a b c*
80. humero *a b c* ad *b c*
82. vacua *a b c*
83. aera *b*
85. Intibaque *a b c*
86. Tunc *a b c*
90. *et* omittit *a*
91. collegit *a b c*
93. nodoso pectore *a* nodoso corpore *b c*
94. coniecta *a b c* — *spoliat* omittit *b*
95. abicit *a b c* bullum *a* bolu *b c*
96. Tinguit *a b c* dimittit *a b c*
97. His *a b c* inspargit *a b c*
98. inserit *a b c*
100. flagrantia *a b c*
103. puribus *b*
104. frustra *a b c* singula *b* quia singula *a c*
110. Nec *a c* omittit *b*
114. mixtumque *a b c*
118. Scybale *a b c*
a
120. illum *a* Similus *b c*
123. segetem *a* ait *b*

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

C A T A L E C T A

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIUM

IN CATALECTA

Maronem *Catalecta*, h. e. in numerum relata, conscripta, collecta carmina, *κατάλεκτα ἔπη*, vel *Catalecton*, scil. libellum, scripsisse, pervulgata res est, eaque credita non modo librariorum fide, qui Virgilii nomini plura adscripsere temere, quoniam ad calcem codicum Virgilii poematia modo haec modo illa, prout spatium, quod vacabat, caperet, appicta videbant; verum et Grammaticorum auctoritate, Pseudodonati in Vita Virgilii §. 28, et Pseudoservii ad Aen. I pr. Nam, neutrum locum ab antiquo aliquo Grammatico profectum esse, multa manifeste produnt; et, quam levis hominum fides sit, etiam hoc arguit, quod alia poematia Virgilio tribuunt, quae eius non esse liquido constat. Nam priore loco: *Poeticam puer auspicatus, in Balistam — Deinde Catalecton et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata et Diras et Culicem, cum esset annorum quindecim.* Altero autem: *Scripsit autem septem sive octo libros hos: Cirinam, Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalecton, Epigrammata, Copam, Diras.* Est tamen antiquior, eaque gravior, auctoritas Ausonii in Technopaegnio: *Dic quid significent catalecta Ma-*

Digitized by Google

ronis? Ergo iam saeculo IV tales Catalecton libelli extitere; (v. sup. Prooem. in Culicem) et *Epigramma Virgilii* (quod inf. Epigr. II est) memoratum iam est Quinctiliano Instit. Or. VIII, 3, 27. 28. Etsi ergo nomen serius accessit, antiqua tamen fama nonnulla saltem carmina brevia habita fuisse Virgiliana credere licet. An vero ex his, quae hic Virgilio tribui solent, carmen ullum sit vere ab Virgilio profectum, valde dubito: pignore tantum non contendere paratus, saltem iambos a liberali ingenio et indole honesta, quae in Marone fuit, proficisci haud potuisse: v. inf. ad Carmen VIII. Odio omnium ingenuorum et bonorum dignus est poeta, qui ad famam aliorum virulentis dictis laniandam sese componit. Non Musarum aut Phoebi, sed Erinnyum, afflatu talia carmina scribuntur.

In libris scriptis et prelo expressis antiquioribus subiiciuntur ea plerumque Priapeiis,*) ideoque in aliis, in quibus post Cirin aut alio loco collocantur, adhaesere in fronte nonnulla ex Priapeiis. Porro omnia haec poematia in iisdem vetustioribus continua scriptura, tamquam unicum carmen exarantur, et quidem foedis vitiis contaminatissima.

Cum Carmina haec suis iam locis Anthologiae Latinae Burmanni Secundi inserta essent, nolui actum agere et variam lectionem, seu potius corruptelas adscribere. Itaque ea tantum commemoravi, quae a viro doctissimo plerumque posthabita videbam, ut sententiam versuum accuratiore interpretatione constituerem: etsi hoc maiorem plerumque difficultatem habet, quam ex librariorum stuporibus ariolando aliquid exsculpere, quod non prorsus absurdum sit. Atque haec una res tolerabilem mihi operam reddere potuit, quam in hac operis parte posui; nam in his probris virulentis, criminibus, maledictis, quidnam sit, quod bonam

*) De edd. v. Harles. Notit. script. Lat. To. II. p. 276. sq. cf. sup. Prooem. in Culicem.

Digitized by Google

mentem ingenui hominis delectare possit, equidem haud video; videant illi, quibus natura hoc dedit, ut ex aliorum probris ipsi crescere sibi videantur.

(Quum neque e codicibus multum afferatur ad emendanda haec carmina, pessime affecta, neque ipsarum rerum hominumque, quorum in iis fit mentio, si pauca quaedam excipis, certa exstet notitia, nec vacuum mihi esset, in iis vel corrigendis vel illustrandis tempus terere, brevitati studendum ita putavi, ut nihil nisi quod inter relegendum ultro se offerret, adderem; non quo fastidierim hanc laboris mihi impositi partem, sed ne opera, rebus impendenda gravioribus, abusus viderer.

Concessit mihi Silligius meus usum diversarum lectionum, quas ipse e cod. Helmstadiensi enotavit; Passovio, Viro Cel., variantes codicis Rehdigeriani, eiusdem, qui Statii Silvas continet emendatius scriptas, acceptas refero; sed uterque liber mendosissimus et mire plerumque inter se consentiens. Ceterum non vereor, ne quis vitio mihi vertat, quod, quum saepe pessime affecta sint haec carmina, minus difficilis fui in recipiendis coniecturis. *Wr.*)

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS
C A T A L E C T A

I

AD TUCCAM

Delia, Tucca, tibi venit; sed saepe videre
Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia saepe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.

I.

Delia, Tucca, tibi venit. Extat Anthol. Lat. lib. III, 250, editum iam ante in vet. Poet. Catalect. p. 153 (ad calc. Petron. ed. Patisson.) et a Scaligero. Nec alia fides vel auctoritas est, qua Virgilio tribuitur. *Delia* ex Scaligeri emendatione receptum est, cum legatur *de qua, T.* Idem Scaliger Epigramma hoc salsissimum et argutissimum appellat, et interpretationem subiicit, in qua tamen argutias illas vix expisceris; ut nec omnino inter meliorum censum carmen referam. Fugit nos caussa et occasio; quam equidem suspicor fuisse hanc: Est servus aliquis vel libertus aut alius puellae perductor, qui eam venire nuntiat. Illa tamen, surgit quidem et exire domo tentat, sed clausae a marito fores exire vetant. Apud Tibull. I, 9, 43 *Saepe insperanti venit tibi munere nostro* (puella tua) *Et latuit clausas post adoperta fores;* ubi tamen latet puella pone fores per lusum. Nil igitur iuvat amatorem, quod sibi dictum accipit, illam venire. Suspicatur tamen illum ipsum hominem, forte ex conlibertis puellae, interea illius amore potitum: I, ergo, subiicit, et nuntia marito, eam rediisse. Ita excidisse videtur acumen in extremo versu: *cui rediit.* ,,*Delia, Tucca, tibi venit.*" (sunt perductoris verba: cui respondet Tucca)*: sed saepe videre Non licet;* (forte fuit: *Delia nocte tibi veniet; sed, Tucca,*

Digitized by Google

Venerit aut tibi; sed iam iam mihi nuntius iste
Quid prodest? illi dicito, quae rediit.

II

IN C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor! Namque quatenus totus

videre Non licet) *occulitur limine clausa viri. Delia saepe tibi*, (venit; nuntias saepe eam venisse; a te nuntiatur venisse) *non venit adhuc mihi;* (nondum eam teneo amplexu) *namque Si occulitur: longe est, tangere quod nequeas. Venerit illa tibi.* (Fac nuntiari a te, eam venisse.) *Sed iam mihi nuntius iste Quid prodest? illi dicito, cui rediit:* h. ei, cui eius reditus iucunditatem attulit; ei, qui eam tenuit. — In *saepe* corruptela latet, forte nominis, aut compellatio, forte repetitio vocis *Tucca: sed, Tucca, videre non licet.* Mox *Venerit at* emendabat Burmannus Sec., praestat: *venerit illa tibi:* quod paullo ante posui. In fine *illi, cui rediit, ad quem rediit,* dicito eam venisse ei, in cuius amplexus illa venit. In Cephalae Anthologia Misc. Lips. Vol. IX, pag. 476 epigramma est similis coloris: *Αὔριον ἀθρήσω σε· τὸ δ' οὔποτε γίνεται ἡμῖν — Ὄψομαι ἑσπερίη σε* (ut pro *ἑσπερίην* emendatum est a Toupio Cur. noviss. in Suid. p. 12.). Legitur illud nunc in Analectis To. III, p. 111. Iacobs To. III, p. 81. Similis color passim est in aliis poematibus, ut Anal. III, p. 158 Incert. XXXV. cf. To. II. Stratonis XLIII, p. 369. Nil tamen inde profeci ad carmen nostrum melius expediendum. (Priora duo disticha, ut nunc eduntur, satis videntur emendata; tertium non uno modo corruptum, quod vel ex inepta particula *aut* et geminato *iam* intelligere licet; et simplex *iam* legitur in Ald. 1517., apposita stellula, qua debilitatum esse hunc versum indicetur. — Pro *Tucca* vs. 1. legitur etiam *saepe* in antiquis Edd. — vs. 4. cod. Rehd. *Sic longe occulitur tangere q. n.* — vs. 6. *dicito* ex emendatione Scaligeri receptum, quum vel *dicere*, vel *dicite*, antea legeretur. Praeterea idem Scalig. vs. 1. ita scribendum censet: „Delia saepe tibi venit; sed, Tucca, videre;“ vs. 5. autem sic: „Venerit aut iam iam tibi: sed mihi nuncius iste.“ *Wr.*)

II.

Celebre inter eruditos viros epigramma, a Quinctiliano servatum Inst. Or. VIII, 3, 28, qui expresse Virgilii esse ait; et inter *Maronis catalecta* illud refert Ausonius in Monosyllab. (Idyll. XII Technopaegnion: Grammaticomastix v. 5 — 7). Lepor, qui ei inest, magna ex parte ad nostros sensus

Thucydides tyrannus Atticae febris,
Tau Gallicum spinae ipsemet male illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

periit; nec sine longa disputatione accurata crisis aut interpretatio institui potest. Fecit otium nobis hac in re Burmannus Sec., qui hoc carmen Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, 242 exhibuit commentariis et suis et aliorum instructum: super aliis ad Interpretes Quinctiliani et Ausonii, tum ad Sam. Petit. Miscell. III, 9 remittit. Ut paucis defungamur: Scriptum est epigramma in C. Annium Cimbrum Rhetorem, qui fratrem veneno sustulerat: idem malus Rhetor, qui aut, quod in Gallia natus et in Britannia forte artem professus erat, verba barbaro more et soloeco pronuntiabat, aut insolentia et barbara verba tamquam glossas affectabat: (Quinctilianus tamen de vetustorum verborum affectatione agit eo loco, quo versus hos commemorat: ut omnis adhuc huius carminis interpretatio parum tuta mihi esse videatur). Dicit igitur poeta, his ipsis vel barbare pronuntiatis vel exoticis et barbaris verbis eum, tamquam veneno, fratrem necasse. De lectione, admodum in multis incerta, videndi sunt iidem viri docti: addam Io. Schraderi coni. *Evandriorum* pro *Corinthiorum*. Ut tamen aliquid apponam, quod lectorem in sententia assequenda iuvare possit, haec addam. *Corinthia verba* (nam haec tenenda cum Burmanno statuo, donec verum repertum fuerit: natae sunt forte corruptelae ex vitiosa scriptura (*Chorynthiorum*), (et *Corinthiorum* exstat in Ald. 1517. *Wr.*) sunt mollia, fracta, calamistrata: a luxu Corinthiorum; at h. l. cum respectu venenorum Medeae. Alioqui vix multum inesset salis. *Thucydides tyrannus Atticae febris* esset, qui dominatur in frigore illo Atticismi affectati. Sed melior lectio: *Thucydides Britannus.* Versus quartus qui, ut legitur, palo transfixum, quod supplicii genus, declarat, debet nomina exhibere vel barbara vel affectate aut barbare enuntiata. Amplectenda itaque hactenus aut Scaligeri lectio: *Taur Gallicum, min ipsum et al, ei illisit:* in eodem mortario venena illa satis nota: taurinum sanguinem, minium et allium, trivit, ut fratri misceret; ridicule igitur decurtabat ille, quoties declamabat, verba, *taur*, pro tauro, *min* pro minio, *al* pro allio; aut Petiti emendatio, qui Graeca substituit: *Tau Gallicum* (h. Gallorum ille pessimus), μὶν, ἰψὸν ἄλ' *ei intrivit:* ut haec e glossis obscuris petita sint vocabula, quae ille pro stellulis suis declamationibus graece habitis inserere solebat. Est autem ἰψὸς ex Thuriorum glossa, κισσός, hedera, ἄλ pro ἅλς, Cypriis pro vino dicta: μὶν pro αὐτόν (hoc omnium minime probabiliter), ut adeo vino hedera nigra misto inebriatum sustulerit fra-

III

IN NOCTUINUM

Socer, beate nec tibi nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore pressa rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus usquequaque pertinet:
Gener socerque, perdidistis omnia.

4. Stupore, pr.

trem Cimber. Sed, ut paullo ante diximus, antiquata verba latere arbitramur, eiusmodi forte, quae propius ad sonum medicaminum accedebant. (Vide longiorem de hoc Epigrammate disputationem in Excursu, quem Catalectis subieci. *Wr.*)

III.

Vid. Anthol. Lat. T. I, lib. II. Ep. 244. Quo iure hi et sequentes Iambi Virgilio tribuantur, non dicam; nisi forte pro firmamento hoc est, quod Marius Victorinus Virgilium in quodam epigrammate iambico ter *Thalassio* repetisse narrat: id autem factum extr. carm. versu. Tribuuntur ei in antiquis catalectorum editionibus. Catullo tamen Fruterius, Calvo, idque magis sagaciter, Vossius tribuit. vid. Burmann. l. c. (adde, quae scripsi in V. L. ad Aen. IX, 335. *Wr.*). Ceterum fugit nos etiam huius epigrammatis caussa et occasio, adeoque etiam eius lepos et acumen. Nisi forte hoc fuit: Noctuinus ducit Atilii filiam, hominis vinolenti, qui bona sua omnia consumserat, quemque gener secum habiturus erat: cum exitio adeo et suo et novae nuptae. Certe in Noctuinum et ipsum, putidum caput, odiosum hominem, videtur aliquid inclementius dicere velle.

4. *pressa*; oppressa, coacta, *rus abibit*, in rus abducetur, forte quod maritus soceri vinolentia aere alieno obrutus in urbe durare nequit.

5. *ille versus;* ex noto epigr. Catulli XXVII in Caesarem, sed alio sensu: nunc uterque bona sua abliguriisse dicuntur.

(Sententia huius Epigrammatis, si quid video, haec est. Duxerat Noctuinus filiam Atilii, puellam eximiam, — *puella talis* vs. 3. — indignam hoc matrimonio. Is Noctuinus ruri habitabat, vs. 4.; dolet igitur poeta, quod talis puella ex urbe in solitudinem ruris abducatur. Iam Atilius nec sibi beatus dicitur vs. 1., quod tam putidum generum sibi adiunxerat, nec alteri, i. e. genero, ipsi Noctuino, cuius bona improba faux Atilii abliguritura erat. Vs. 4. si vera est lectio, *pressa* non valet i. q. *coacta*, sed obsceno sensu dictum videtur; vid. Burm. ad Valer. Fl. VIII, 256. Comma,

Digitized by Google

IV

IN EUNDEM

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur;
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,

quod post *stupore* erat, sustuli. *Tuo stupore*, i. e. a te, stupido homine. Iam extremus versiculus non eodem modo ad utrumque, et Atilium, — quem Tristanus Comment. T. I. p. 44. eundem esse putat, ac rhetorem Atilium ... ita enim legit, non *Annium* ... Cimbrum, commemoratum a Sueton. Aug. LXXXVI. — et Noctuinum pertinet: ille quidem suum patrimonium perdiderat; non item Noctuinus; qui proximo carmine superbus quum dicatur, non intelligitur, si dilapidasset iam fortunas suas, qua re superbierit; at quo superbiret, nihil erat, nisi divitiae: Horat. Epod. IV, 5.: „Licet superbus ambules pecunia.“ Neque Atilium credibile est filiam formosissimam collocaturum fuisse ei, qui sua bona omnia prodegisset, sed ei, qui haberet, unde ipse peteret, quo se ingurgitaret. Quae quum ita sint, sic illum versiculum ad Noctuinum pertinere crediderim, ut is dicatur perdidisse puellam istam praestantem; quae enim male collocata sunt, quasi perdita haberi solent; et sic demum videtur illud *usquequaque* vim tueri suam. — Ceterum extremus hic versus, e Catullo petitus, apud hunc sic legitur: „Socer generque perdidistis omnia.“ Quare Spengel in libro, cui inscribitur *Neues Archiv für Philologie und Pädagogik*, Vol. III. fasc. IV. pag. 114. eundem verborum ordinem in nostro carmine revocandum putat; *gener socerque* invito poeta legi, qui sic carmen incipiat: „*Socer beate n. t. n. a. Generque Noctuine.*“ At recte Catullus *Socer generque*, recte etiam nostri carminis auctor *Gener socerque*, quum apud illum Soceri, apud hunc Generi mentio proxime praecesserit. — *tuone* editur e. Fruterii et Scalig. emendatione; legebatur *tuque;* idem Scalig. *heu tuo* scripsit pro *et tuo;* idem proximo vs. cum Fruterio *ei* s. *heu mihi* pro *et mihi. Wr.*)

IV.

Coniungit hoc cum antecedente Fruterius; vix bene. Collocandum quoque existimo ante superius carmen.

5. Lusus videtur in hoc latere: quod *hernea*, vel *hirnea*, quae vasis potorii genus est, pro ipso patre vinolento ponitur, et genero pro altera coniuge et filia Atilii assignatur. Nam, ne ipsam coniugem bibacem fuisse credamus, vetat superius epigramma.

Digitized by Google

Duas, et hanc, et alteram, tibi dari.
Adeste nunc, adeste, ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

V

IN LUCIUM

Iacere me, quod alta non possim, putas,
  Ut ante, vectari freta;
Nec ferre durum frigus, aut aestum pati,
  Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor,
  Et lingua, qua adsiem tibi,

6. ADSIM TIBI.

Herniam autem legere ac herniosum socerum intelligere si velis, acumen frustra quaeras.

9. (Additus hic versus a Burmanno e vestigiis cod. Voss. ed. Vicent. Venetae et Brixiens. *Wr.*)

V.

Catullo potius quam Virgilio dignum carmen, Archilochi metro et felle exaratum, et genuinum licentiae Iambicae exemplum, in Lucium quendam cinaedum qui eum opprobrio lacessiverat, quod attenuato per Venerem et libidinem corpore fractisque viribus militare amplius non posset (hoc enim est, *iacere*) poeta. Hoc amolitur a se poeta, recriminando pueritiae impudicitiam, moxque abligurito patrimonio egestatem ac sordes. Extat in Anthol. Lat. Lib. II Epigr. 246, ad quam lectores remittimus, qui lautiores dapes desiderant: nos in coena admodum nauseosa, apponemus tantum, quod satis sit, ne *fame genuini crepent;* nam ingenuae menti talia se probare nequeunt. (In Luc. Camerium scriptum esse hoc Epigramma putat Achill. Statius ad Catull. LVI. — *iacere* rectius Burm. explicat *animo deiectum esse*, conferri iubens N. Heins. not. ad Vellei. Paterc. II, 112. Ceterum vide, an *possum* scripserit poeta; et ita in Edit. Brix. 1485. editum. *Wr.*)

2. *vectari freta;* ut ire, currere mare, pro per mare. (— 3. *nec aestum* Mss. unde Oudendorp. legendum opinatur *aestum nec pati.* — 5. *mihi re* ex antiquis Edd. profert Burm., „fortasse pro *irae*,“ inquit. *Wr.*)

6. *qua adsim tibi.* Versui fulcrum deest. Optime Oudendorpius: *qua iam adsim tibi.* (Alii alia coniectant; ego, ne fractos habeamus numeros, edidi *adsiem;* qui archaismus non displicebit, si meminerimus, *fuat* etiam in Aeneide legi; minus

Digitized by Google

Et prostitutae turpe contubernium
  Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice, et improbande Caesari?
  Sed furta dicantur tua,
Et heluato sera patrimonio
  In fratre parsimonia;
Vel acta puero cum viris convivia,
  Udaeque per somnum nates;
Et inscio repente clamatum super,
  Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti, femina? an ioci dolent?
  An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulcra per Cotyttia
  Ad feriatos fascinos:

mihi probatur, quod scripsit Iahnius: *quis adsim t. Wr.*) *Adesse*, cum notione infesti et hostilis animi; ut alias *addi, apponi.* conf. ad Cirin 532.

7. Novam versus orditur sententiam: experitur scilicet nunc poeta, quid furor et lingua maledica valeat. Itaque *Ei* cum Scriverio, vel *Hei*, legendum. (Heinsio videbatur scribendum *En*. Sed omnia, nisi fallor, salva. Verum ut nunc leguntur, ineptissime haec interponuntur, sententiarum ordinem et compagem prorsus perturbantia et solventia. Servata copula comma in fine praegressi versus posui. Quae est enim ira illa et antiquus furor in mordacia verba iam erupturus? nempe *prostitutae contubernium sororis*, quae verba per epexegesin iungenda sunt superioribus. Sententia igitur haec est: valet mihi adhuc ira collecta ex prostituta per te sorore mea. Quae ratio si durior tibi videatur, puta *contubernium sororis* pro *memoria contubernii sororis* dictum. Sed longe praestat, mea sententia, prior explicatio. *Wr.*)

10. *Si* legendum cum eodem. *Quid? si furta dicentur tua?* (Non necessaria haec mutatio. *Wr.*)

15. Impurus homo muliebria passus tamquam pro nupta habitus, cui sollenne illud acclamaretur. Hinc idem mox appellatus *femina.* (— 17. Douzae coniecturam, *feminane an loci dolent*, probat Burm.; qui tamen in Mantissa Adnotat. hoc ita mutari iubet: *femina an loci d.*, quia scilicet syllaba redundet! *Wr.*)

19. Noles me pergere (an *peragere? Wr.*) et exprobrare foeda adolescentiae flagitia. Hoc extulit: *non me vocabis — nec videbo te movere* — et *vocare: neque* (27) *duces* me *in culinam*, in quibus propudium illud olim versatum erat. (Enarraverat is, in quem haec scripta sunt, ut

Nec dein movere lumbos in crocotula
  Prensis videbo altaribus;
Flavumque propter Thybrim olentis nauticum
  Vocare, ubi adpulsae rates
Stant in vadis, coeno retentae sordido,
  Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, et uncta compitalia,
  Dapesque duces sordidas:

21. CROCOTULAM ET OL. N.

23. FLAVUM PROPE THYBRIM

videtur, quae poeta commiserat pudenda; at foediora hic illi exprobrat. Quod quum ita efferat: *Non vocabis me* cet., acrius eum urit sugillatque, ea, quae ille sibi obiecerat, comparans cum illius flagitiis multo taetrioribus. *Wr.*). In sacris Cotyttiis (erant ea ex initiis a Thracibus acceptis. v. Strabo X, p. 721 B., qui classicus locus). Veneri ab impudicis hominibus habitis pompa fascinos gestatos esse, probabile fit: ergo *feriatus* pro, festus, dictum videtur.

21. 22. Scaliger praeclare emendavit: *alaribus*, ut *πτερύγια* sint alae vestis crocotae, quas ille muliebriter vestitus et muliebriter saltans, adducit, ne saltantem impediant. (sed notus mos aram prehendendi. *Wr.*) *in crocotula* porro lenior est medicina, quam ea, quam Scaliger adhibet toto versu transposito: *Movere lumbos nec dein, crocotulae Prensis videbo alaribus?* (Obstat huic coniecturae etiam *dein* ut bisyllabum lectum. Sed Oudendorpii coniecturam, *crocotula*, non passus sum in Nota delitescere. *in rotulam* Ald. 1517. et aliae. *Wr.*)

24. Legendum cum Oudendorpio, Burmanno quoque suadente, *Flavum prope et Thybrim te olentes nauticum vocare?* ut *olentes nauticum* sint nautae, quos impurissimus homo praestolatur, ubi appulerint, ut eorum libidini serviat. *probe* est vitium edit. Scalig. pro, *prope*. (Quod conieceram, *Flavumque propter Thybrim ol. n.*, in idem iam video Douzam incidisse; nunc didici ita in cod. Helmst. exstare; *propter* etiam cod. Rehd.; *prope* ex interpretatione illatum corrumpendo fuit versui; vid. Var. Lectt. e cod. Erf. enotat. ab E. Wundero p. LXIV. et CXIV. sq. Oudendorpii coniectura, licet facilitate commendabilis, laederet aures Romanas, *Thybrim* ita in medio versu positum aspernantes. *nauticam* exaratum ap. Iahn. — Versus 25. constat his ordinibus:

- ⏑́ ⏑ - | - ⏑́ ⏑ - - - ⏑ -

Adieci comma post *vadis*. *Wr.*).

27. Exprobrat famem et egestatem, qua coactus adit *culinas*, h. loca in suburbiis, in quibus inopum funera et epulae funebres habebantur: (unde Burm.

Quibus repletus ut salivosis aquis,
  Obesam ad uxorem redis,
Et aestuantes nocte solvis pantices,
  Olusque lambis saviis.

31. DOCTE 32. Os USQUE

opinatur scriptum fuisse *Dapesque Ditis luridas;* et *Ditis* etiam Pontedera. *Wr.*) tum *compita*, in quibus Laribus Compitalibus et quidem ipso Compitalium die necesse est apponi solitas fuisse epulas, quas pauperes mox auferre solebant. Rem tamen aliunde declaratam nondum vidi. (Fortasse eodem spectant verba Pacuvii a Scholiasta Virgilii ap. A. Maium laudata ad Aen. V, 93.: „Vitam propagans ex ar(is et) altaribus.“ *Wr.*). Factum itaque idem quod in coena Hecates. v. 28. *duces* dedit Burmann. pro *ducis*. (*ducis* Scalig. *duces* Scriver. et ita cod. Voss. *dulcis* Ald. 1517. aliaeque. *Wr.*) nec duces me in culinas? h. e. non ego videbo te adeuntem.

29. *Salivosum* Scaliger ait esse quicquid gustum reficit: Recte, sed quid porro *salivatis aquis* facimus? Nisi corruptela in *aquis* latet, ut forte: *ut salivosis apris*, salivam moventibus, scriptum fuerit: accipias *aquam salivosam* de ipsa saliva. Repletus iis epulis ut (quomodo!) redis saliva etiamnum ex recordatione affluente! Verum totum locum parum expedio, nec expedire refert. (Scaliger haec ita transponenda et legenda censet: „Quibus repletus ut salivosis aquis Os usque lambis saviis, Et aestuantes nocte solvi pantices Obesam ad uxorem redis.“ De ceteris post dicetur. Pro *salivosis aquis* scribendum puto *salivosis sacris*; corruptela inde orta, quod una *s*, ut saepe, duobus vocc. serviebat. Hoc si verum est, verba haec ita interpunge: „Quibus — *dapibus* — repletus, ut salivosis sacris!“ Nec continuo *sacra* pro *dapibus sacris* dici contenderim; sed constat liberius in epexegeseos genere versari antiquos scriptores. Tacite autem ita comparari puta has dapes compitales cum lautissimis Pontificum epulis; cf. Q. V. XXXXI.; hinc illa saliva. *Wr.*)

31. *pantices* de fartis seu farciminibus accipiunt Scaliger et hinc alii; nec male, cum *aestuantes* appellentur: ut farcimina distenta rumpi videantur. Proprie pantices sunt intestina, quibus ad edulia farta uti solent. Sed quid: *docte solvis?* Toup. ad Suid. in σιφνιάζειν To. III, p. 134. Opp. Vol. II, p. 168. ad obscenitatem refert nescio quam; nec intelligo quid tunc sit, *solvis pantices?* an de *obesa uxore?* (His quoque versibus levi mutatione integritas sua restitui posse videtur. *Docte*, adverbium, peccat in metrum; vocativus locum non habet; *nocte* scribendum esse vidit Scaliger; nisi verius est, quod Eldi-

Digitized by Google

Nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales!
Et nomen adscribo tuum.
Cinaede Luci, an te reliquerunt opes?
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem praeter ignavos nihil
Fratres et iratum Iovem,
Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos.

VI

AD VENEREM

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quae colis Idalias,

kius proponit, *dente;* in Ald. 1517. est *dote*. Pantices autem vel de farcimine accipe, vel de ventre ipsius Lucii, quod praestat fortasse, ut mordacius. Namque quum domi nihil haberet, foris coena quaerenda erat. Qua quum repletus domum redisset, ipso ieiunio solvebat quodammodo ventrem; quod quid sit docebit Martial. XIII, 29.: „Pruna peregrinae carie rugosa senectae Sume: solent duri solvere ventris onus.“ *Aestuantes* dicit pantices, crepantes puta. *Nocte* autem i. e. sub noctem, sive iusto coenae tempore, ubi, quod ederet, nihil erat, praeter olus, vilem et pauperum cibum; nisi forte oleri hic ea vis tribuitur, ut ventrem purget; certe id de lactuca praedicat Plinius H. N. XX, 7. Nam *olusque* pro *os usque* ex palmaria Colvii coniectura legendum, nec potest copula abesse. *Hossusque* cod. Rehd.; quod ipsum favet illi coniecturae; nam ita *holus*, cum adspiratione, in libris mss. exarari solet. *Wr.*)

32. Legendum haud dubie cum Burmanno secundum Colvium ad Apulei. *Olusque lambis suaviis*, h. labiis.

35. Pro *an* fuisse suspicor *en*, et sine interrogatione lego. (Ita, *en*, et hic et vs. 34. legi voluit Scriver.; nihil necesse. *Wr.*)

37. Videbo te habere nihil praeter fratres ignavos — et patruum. 39. *scissum ventrem*, podicem, ἐπ' αἰσχρῷ de cinaedo. (Ald. 1517. *himeosi*. *Wr.*). 40. γουνοπαχὴς Hesiodi Scut. 265. 266. Conf. Ovid. Met. VIII, 807, 808, pedibus ex atrophia tumentibus.

VI.

Dulcissimum poemation: quod iam pro titulo exhibuimus in T. I, ad calcem Carminum in Virgilium. Est votum pro suscepto Aeneidis opere Veneri nuncupatum, seu, ut Scaliger ex coniectura ponit, suspensum pro templo Veneris Surrentinae. Ex-

Troius Aeneas Romana per oppida digno
Iam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, et puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humilis, et maxima taurus
Victima sacratos tinguet honore focos;
Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea! tuus te Caesar Olympo
Et Surrentini litoris ora vocat.

tat in Anthol. Lat. lib. I. ep. 63. cum copiosa virorum doctorum illustratione: quam adeat qui volet.

1. Si mihi contigerit Aeneidem absolvere: non modo ture et tabula votiva et sertis pietatem testatam faciam, verum sacro sollenni facto et statua Cupidinis posita. 3. 4. Splendida rei species: invecta Venus cum Aenea, tamquam dea curru, per Italiam tamquam triumpho, ob Aeneidem absolutam.

5. *pacta* ediderat Heins. l. c., quoniam *picta* redit v. 10.

7. *hos humiles focos* iungendum, et cum Heinsio legendum *sacrato*. Nisi cum Burmanno emendare placet: *Corniger haud aries humilis*, *sed maxima taurus Victima:* quae praefero. (Et sic, ut Burm. iubet, edidit Orell. in Eclogis Poetar. Lat. p. 260. Sed ita friget epitheton *Corniger*, alienum a re extenuanda. Illud tamen *hos humiles sacratos focos* ferri vix potest. — Pro *tinguet* in cod. Helmst. legitur *spargit*, in Rehd. *sparget. Wr.*).

9. 10. Habemus igitur et hic marmoreum signum coloribus additis, non tam in *alis versicoloribus*, quae poetice forte eo epitheto ornari poterant, sed in *picta pharetra*. Noli itaque mirari Dianam marmoream cothurnis puniceis Eclog. VII, 30. 31, nec aegre ferre, me de Maronis iudicio et gustu sculpturae ac picturae dubitasse ad lib. VIII Aen. (*versicoloribus* non potest aliter, quam proprie, accipi; itaque comma, quod erat in fine versus, sustuli, ut verba *in morem* etiam ad alas versicolores referri possit. Ceterum legebatur olim, ut in edit. Ald. 1517., *Marm. tibi*, *aut digne coloribus ales;* iam alius aliter emendabat; quod a Burm. et Heynio editur, debetur coniecturae N. Heinsii. *Wr.*).

11. 12. *tuus te Caesar Olympo — vocat:* non, puto, Iulius Caesar, Divus: ut is caelo receptus Veneri supplicet: sanctorum more, qui in caelo degunt. Sed Caesar Augustus ipse invocat Venerem in Olympo degentem. Quatenus autem *Surrentini littoris ora* pro Aeneide vota faciat, illustratum a viris doctis videre vellem. Villam Virgilium non longe a Nola in agro Cam-

Digitized by Google

VII

RELICTIS ALIIS STUDIIS PHILOSOPHIAM EPICUREAM AMPLECTITUR

Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae,
Inflata rôre non Achaico verba;

1. INANES RHETORUM MANIPLI, 2. TURBA,

pano habuisse, alio loco (in Donati Vita Virgilii s. 24) vidimus; littus igitur illud ad Craterem seu Sinum Campanum per promontorium Surrentinum, ad quod ea ora protenditur, declaravit. Potuit quoque in littore Surrentino Veneris fanum esse; et habebat forte in eadem ora praedium is, qui carmen hoc scripsit; facit enim ultimum hoc distichum, cum Caesar ipse et ora Campaniae pro Aeneide feliciter absolvenda vota facere dicuntur, ut potius *ab amico aliquo Maronis*, quam ab ipso poeta, profectum illud iudicem. (Nihil video, quod obstet, quominus ab ipso Virgilio factum hoc carmen putemus. Opinioni Heynii adversatur vs. 1. Caesar Venerem propterea ex Olympo devocare dicitur, quod ei Caesaris laus, per Aeneidem praedicanda, vel maxime cordi esse debebat; litus Surrentinum, quod Virgilius villam ibi habebat. *Wr.*)

VII.

Saepius editi et hi Scazontes extant in Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, ep. 243, ubi vid. Burm. Comparandum est ex parte initium Ciris.

1. Curtior in fine versus est syllaba, et iam suppletus a viris doctis, — *manipli, ite:* vel *ite hinc.* (Satis hic incommodum *manipli;* quis *rhetorum manipulos* dixit, aut tale quid? Neque, si quando adverbium *manipulatim* extra rem militarem usurpatum est, etiam substantivo ita usos esse veteres sequitur; et saltem exspectes *maniple* singularem. Ut autem concedam, haud inepte per epexegesin subiungi potuisse vs. 3. haec: *Et vos, S.* cet.; offendit tamen ea ratio ob illa, quae deinceps his nominibus apposita sunt. Sed quum in cod. Helmst. ita scriptum inveniatur: *Iste hinc inanes iteret horum manipulle,* haud dubium est, quin ita scripserit poeta: „Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae." Horat. Epist. ad Pis. 97.: „uterque proiicit ampullas." id. Epist. I, 3, 14.: „An tragica desaevit et ampullatur in arte?" Vide de vi horum verborum, *ampullae* et *ampullari*, disserentem Weichert. *Poetar. Latinor. Vit. et Carm. Reliq.* p. 387. sqq. Et veram esse hanc emendationem probat lectio *verba* vs. 2., quam revocavi, iniuria a V. V. d. d., ut scilicet esset, quod cum vitiosa lectione *manipli* concineret, in *turba* mutata. Et Schol. Cruq. apud Horatium l. l. *ampullas*

Digitized by Google

Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui,
Ite hinc, inanis cymbalon iuventutis.

4. PINGUI;

explicat: „irata verba, inflata.“ Iam et versum habes integrum et Latina sunt omnia, et, mutata paululum interpunctione, egregie inter se convenientia. *Wr.*)

2 *Ros Achaicus*, ut *Cecropius ros*, de eloquentia; seu rorem, quo cicadae pascuntur, seu, quod malim, mel Atticum respici dixeris. *Achaicus* omnino pro Graeco, et Graecanica eloquentia. *turba* in fine dudum emendatum pro *verba* a viris doctis et recte receptum est a Burmanno; turba rhetorum *inflata rore*, nequiter, ut alias, repleta, satiata, turgens, ubi de cibo vel potu agitur; turba rhetorum falso eloquentiam Atticam iactantium. (vid. Not. ad vs. 1. *Wr.*)

3. Versus varie tentatus. vid. Burmann. l. c. Vossiana emendatio: *Et vos*, *Aelique Tarquitique Varroque*, scriptura revocata ad nota nomina se commendans, metro repugnat in *Aeli*, ut bene monuit Io. Schrader. praef. Emendat. p. XXXIV. Si de priore syllaba in *Stilo* constaret, haberet hoc locum. Nec vero hi quoque versus de rhetoribus accipi possunt: quis enim Varronem inter rhetores relatum audivit? nec Scholastici h. l. declamatores esse possunt: sed Grammaticos memorare nunc videtur, homines in sermonis ratione et antiquitate illustranda occupatos. Ex eo genere Varro fuit, eiusque praeceptor L. Aelius Stilo (v. Gell. I, 18. XVI, 8), Varro autem senex Virgilii iuventam attigit: mortuus enim est a. U. C. 726, quo Virgilius a. XLIII agebat. L. Tarquitius libro de disciplina Etrusca et Ostentario claruit. Videtur idem verba eius disciplinae explicuisse aut alias Grammaticae partes attigisse. (Uti nunc editur hic versus, legitur in Ald. 1534. *Wr.*)

4. Si Virgilii esset hoc vere poemation: antiquissima forte haec esset vocis, *Scholasticorum*, auctoritas. *madens pingui.* Dictum τὸ *pingue*, pro adipe, omento, adeoque de stupore ingenii, *madere* autem pro obductum esse, adeoque, perfusum, imbutum. Ut sit: et vos o grammatici acumen falso iactantes. (*vario mad.* antiquiores editiones; *natio* primum Ald. 1534. *Wr.*)

5. Notum est nomen Apioni Grammatico a Tiberio Caesare inditum, cum eum *cymbalum mundi* appellaret, quod ad iuvenum aures loquaciter et inaniter streperet. Itaque *inanis iuventutis* vix bene legitur; sed aut *inane cymbalon*, aut cum Burmanno, *Ite hinc, inanes*, corrigendum. Ait igitur omnino, se rhetores et grammaticos valere iubere. („Vulgatum est proverbium in eos, qui vana loquacitate improbe, importune inaniterque loquuntur, cymbalum Dodonaeum, ut tintinnabbulum,

Digitized by Google

Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine; iam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc, Camenae; vos quoque limite saevae, *

ut lebes, ut aes Dodonaeum, ut pelvis aerea, ut tympanum mundi, ex Aristotele, Menandro, Xenophonte, Zenodoro, Caecilio, Plinio, Suda (?) et aliis?" Haec Apuleius de Orthographia §. 8. pag. 129. ed. Mai.; cfr. quos laudat ad h. l. Osann. p. 33. Ceterum *inanis* ferri potest; significatur iuventus, quae inani institutione utitur. *Wr.*)

6. Heinsius castigavit feliciter: *Tuque, o mearum cura, Sexte, Musarum.* Io. Schrader. *chartarum.* Quis hic Sext. Sabinus fuerit, nunc ignoratur. (Sive *Musarum* scripseris, sive, quod eodem redit, *chartarum*, offendor, quod paullo post ipsas Camenas valere iubet poeta. Sextus Sabinus videtur fuisse puer formosissimus, quod probatur subiectis verbis: *iam valete, formosi;* nominat unum, qui ceteros facie vincebat. Hinc *curarum* minime repudiandum. *Cura curarum* est circumlocutio superlativi, i. e. *maxima cura.* Satis frequentatum hoc loquendi genus Graecis; nec Latinis ignotum. Cicero Epist. ad Fam. IX, 14.: „Quod ipsi Agamemnoni, regi regum, fuit honestum." vid. Fischer. Animadverss. ad Weller. Gr. p. 152. et Staveren. ad Nepot. Agesil. II, 4. Ceterum cum quodam acumine haec dicta putabit fortasse aliquis, respiciens vs. 10. *Wr.*)

7. *formosi.* Si verum esset, in puerorum amorem proniorem fuisse Maronem: lectio non abhorrens foret Burmann. coni. *famosi*, *fumosi.*

8. *Nos ad beatos vela mittimus portus.* Non ut Athenas naviget: sed ut ad philosophiam se conferre dicat, quae sapienti pro portu est et securitatem tranquillitatemque affert. Audivit autem Maro Syronem Romae. vid. Phocae carmen v. 63 inter Carmina in Virgilium. Est autem *vela mittere* h. l. quod sollennius tendere, pandere. Ex *νῆα στέλλειν*, *πέμπειν*, dictum *mittere navem*, et nunc *vela*, putabimus? Sane et Ovid. ex P. IV, 14, 9 *In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin Mittite: praesenti dum careamus humo.*

9. *Scironis.* Immo vero *Syronis.* vid. sup. Tom. I Vita Virg. s. 79. (*tecta* vel *scita* scriptum malit Heins. *Wr.*)

11. Corruptus versus. Varias tentatas medelas vide apud Burmann. l. c., quarum nulla satis facit. Antiqua scriptura: *Ite hinc Camoenae vos limite sene* vel *limite seve*, vel *saevae*, et expletum *nam nos quoque*, vel *vos quoque.* Latet, suspicor, exquisitius Musarum epitheton, et in *seve*, *divae.* Ita

Dulces Camenae; nam fatebimur verum,
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote; sed pudenter, et raro.

VIII

DE SABINO PARODIA CATULLIANA

Sabinus ille, quem videtis, hospites,

ad ductum litterarum foret: *Ite hinc Camenae, voce mellita divae; Dulces Camenae.* (Offendit in hac coniectura longa anacrusis antispasti — ´— ´— —, quae non elegans habetur, nec praeterea in hoc carmine invenitur. Legerim: *vos quoque ite, suaves, Dulces C. Wr.*)

VIII.

Exhibet et hoc post Scalig. et alios Anthol. Lat. T. I lib. II epigr. 130 *De Sabino.* Immo vero in *P. Ventidium Bassum*, hominem vel ex Cicerone notum, infimo loco natum, et ad summum dignitatis et fortunae fastigium evectum: nam Picens, genere humili, puer cum matre captiva ante Pompeii Strabonis triumphantis currum ductus erat: cum adolevisset, quaestum sibi aegre paravit, ac sordide invenit *comparandis mulis ac vehiculis, quae magistratibus, qui sortiti provincias forent, praebenda publice conduxisset; in isto quaestu notus esse coepit C. Caesari et cum eo profectus est in Gallias:* huic cum commeatus aliarumque necessitatum bellicarum curam egisset et pro eo, quem nos *bellicae rei commissarium* (novimus hoc hominum genus provinciis exitiosum) appellare solemus, fuisset, mox in amicitiam Caesaris, inde in amplissimum ordinem pervenit, Tribunus pl., Praetor, tandem Pontifex, Consul quoque a. U. C. 711 creatus est. Idem Syriam regendam accepit et de Parthis primus omnium triumphavit. Narrat haec et alia Gell. XV, 4. adde Plin. VII, sect. 44. Bellis civilibus cum ad Antonii partes transiisset, multorum sale fuit perfrictus. Celebratum in eum est epigramma: *Concurrite omnes augures, aruspices: Portentum inusitatum conflatum est recens: Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

Virulentum hoc alterum in eum hominem epigramma an a Marone profectum sit, graviorem auctorem, quam eum, qui Catalecta collegit, non habemus. Mihi quidem res est prorsus improbabilis, hominem ad generosos sensus et epicam gravitatem assurgentem, ingenio tam liberali, moribus candidis et ingenua indole a natura instructum, tantam infamiam aliis inurere, et, conspurcando alios probris, sui ipsius vitae integritatem et humanitatem suspectam facere: qua si quis vel leviter imbutam habet mentem, abhorret ab ista truculentia et

Ait fuisse mulio celerrimus,
Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse praeterire, sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam.
Et hoc negat Tryphonis aemuli domum
Negare nobilem, insulamve Caeruli;

6. Neque hoc domus. 7. caeruli

atrocitate. Improbos odit optimus quisque; non exercet in eos carnificinam. Epigramma Catulli in Phaselum (epigr. IV), quod comparent studiosi necesse est, parodia expressum esse, obvia res est. Interpretes, acumen horum Iamborum in singulis versibus illustrare contenti, de summa carminis nil monuerunt. Scilicet solebant Consules pro aede Castoris sedere: ita *sedens pro aede Castoris* Antonius Phil. III, 11; nec mirum, cum in eadem aede saepe Senatus haberetur: Verr. I, 49 extr. At ante eandem aedem multae erant statuae: vide v. c. Cic. Phil. VI, 5. Fingit igitur apud animum poeta, Ventidium, et quidem Consulem, ut ex vss. 23. 24. 25. intelligas, in sella curuli pro Castoris aede sedentem, tamquam statuam esse dedicatam titulo hoc apposito. Quod Sabinum appellat, potest cum aliis de caussis factum esse, tum quod Picentes Sabinis vicini sunt.

2. *Ait fuisse:* tamquam pro titulo statuae haec sunt perscripta. (De Graecismo *ait fuisse celerrimus* vid. quae scripsi ad Eleg. ad Messal. p. 42. et quos praeterea laudat Sillig. ad Catull. IV, 2. *Wr.*)

3. *Neque ullius volantis impetum cisi Nequisse praeterire:* nullius, licet celerrimi cisii, cursum potuisse praeterire vel superare cisium mulionis huius. *Cisium* genus vehiculi levioris binis rotis instructi: vid. Burm. ad h. l. *neque nequisse* pro non potuisse, ut interdum fit: Graeco more. (Sed nihil impedit, quominus hoc Latino more dictum accipiamus: *neque ullius nequisse*, i. e. potuisse cuiusvis cisii impetum praeterire; ut *impetum* non sit subiectum, sed obiectum, ut loquuntur Grammatici; et haec oratio fortior. *Wr.*)

6. 7. Legendum cum Is. Vossio: *Et hoc nec aut Tryphonis aemuli domum Negare* (scil. ait) *nobilem, insulamve Caeruli.* (Sed quam vim habet illud *nec aut?* Rectius Pithoeus et Scaliger *Et hoc negat*, ut est apud Catullum. *Neque* aberranti ad superiora librario debetur. Nec *domus* retinendum erat. *Caeruli* maiore litera initiali exarandum curavi. *Wr.*) Tryphon et Caerulus muliones: alter hic custos insularius, h. insulae, συνοικίας in aliqua urbe et aedificiorum locandorum curam habens.

Digitized by Google

Ubi iste, post Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit adtotonse forfice
Comata colla, nequa sordidum, iugo
Premente, dura volnus ederet iuba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi haec fuisse, et esse, cognitissima
Ait Sabinus; ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine,
Tua in palude deposisse sarcinas,

9. ADTONDISSE 16. DEPOSUISSE

8 sqq. Submulionem eum ante fuisse ait Quinctii alicuius. Heins. coni. *equitio:* quod alienum ab h. l. est: non de equorum armentis, sed de mulis rhedariis hic agitur. (Catullus: „Ubi iste, post Phaselus, antea fuit comata silva;" post Sabinus, i. e. qui, ex quo ipse mulas alere coepit, Sabini nomine notus fuit. *Wr.*) Pro *forcipe*, quod erat, *forfice* est repositum: qua mularum iuba in cervice attondetur, ne iugi attritu illa exulceretur; at *forcipe* prehenditur ferrum. In *Attondisse* media metro repugnat: igitur legendum *attodisse*. (Sic Scaliger emendat, et sic edidit Stephanus. Sed iure Livineii coniectura, *adtotonse*, illi praefertur a Vossio de Analog. III, 19., *produxe*, *consumse*, comparanti; ita *traxe*, *vixet*, *exstinxti*, *adcestis*, apud Virgilium; vid. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 5, 79. Itaque hoc exprimendum curavi; idem coniecit Pithoeus et margini adscripserat Heinsius. Vs. 10. ne putes *nequa* adversari metro, vid. notata ad Aen. I, 8. *Wr.*) Mox v. 11 pro *dura*, *adusta* Heins. coni.; nec hoc magis accommodate; non enim iuba, sed collum aduritur attritu iubae.

13. 14. *Tibi haec fuisse et esse cognitissima*, *Ait Sabinus*, *ultima ex origine*. Ita distinguunt alii. Altera ratio firmatur exemplo Catulli, quod sequutus est v. 14. 15. ut sit, inde a natalibus, a puero h. l. Sunt autem illa appellandi casu dicta: *Tibi*, *o Cremona* etc. (*in voragine*, *ἐν τενάγει*, ait Scaliger, comparans Catull. XVII. extr.: „Si pote — — supinum animum gravi derelinquere coeno, Ferream ut soleam tenaci in voragine mula." *Stetisse* proprie de arbore, translatum e Catullo. *Wr.*)

16. *deposuisse*, aut contrahenda est media, aut leg. *deposisse* ex *deposivisse*. (Haec verior ratio, probata etiam Struvio *Ueber die Lat. Declination u. Conjugation* pag. 282. Sic apud Catull. XXXIV, 8. in omnibus libris pro *deposivit* exstat *deposuit;* vid. ibi not. Sillig. *Wr.*) Tum *tua in palude*, paludosis locis.

Digitized by Google

Et inde tot per orbitosa millia
Iugum tulisse, laeva, sive dextera,

18. TULISSE:

17 seqq. Vulgo: *Iugum tulisse: laeva sive dextera. Stringere mulas, sive utrumque coeperat.* Quomodo alii, etiam qui emendarunt, intellexerint locum, dicere non habeo. Sententia videtur esse haec: quoties altera vel utraque mula defecerat, demtum iis iugum per multa millia mulionem portasse ex humeris suis. Acerbitas igitur et in hoc, quod mulas male curatas eum egisse narrat. *Strigare* pro *stringere*, quod editur, (*strigere* Ald. 1517. *Wr.*) esse legendum, manifestum est, idque Scaliger docuit, et dudum in vett. edd., ut Ven. 1486., expressum vidimus. Accipiendum tamen hic non tam pro interquiescere, sed omnino prae macie vel inedia deficere viribus, ut rhedae ducendae impares bigae sint. Nunc autem nec minus manifestum est, etiam reliqua sic constituenda esse: *laeva, sive dextera Strigare mula, sive utraque coeperat.* Quod media in *utraque* producitur, aliis, etsi seriorum poetarum, exemplis idem edoctos non male habebit. Si cui tamen intolerabile hoc videatur, leget *utrinque*, vel cum viro docto apud Burm. *sive utraeque coeperant.* (Comparatio carminis Catulliani facile in eam te opinionem adducet, post vs. 19. excidisse versiculum in nostro carmine. Idque sensisse videtur Nansius, qui in notis ad Nonni Paraphras. Joann. pag. 38. versum extritum putat huius sententiae: „Strigare mula sive utrumque coeperat, *Et haec et illa conquiescere in latus.*" Sed difficillima haec est totius carminis pars. Primum si Picens fuit Ventidius, num recte dici poterit ultima ex origine stetisse in Galliae voragine? Nam ad maiores si forte hoc pertinere putas, non satis convenit ea res cum vs. 13., quo haec omnia non ad remotiora tempora, sed ad recentia, spectare significatur. Tum quas ille deposuit sarcinas? Et si tam male, ut opinatur Heynius, mulas suas habuit, qui idem esse potuit mulio celerrimus? Denique qui est huius orationis nexus: „Et inde iugum tulit Sabinus, sive laeva, sive dextera strigare mula coeperat?" — Nempe persuasum habeo, haec omnia non ad ipsum Sabinum, sed, repetito ex vs. 19. subiecto, ad mulas eius referenda esse. Quae quod dicuntur deposuisse sarcinas, id mihi ita intelligendum videtur: mulas has, in Gallia emtas, antea fuisse sarcinarias. Strigare autem alterutram mulam arbitror, quum flexo itinere sinistrum vel dextrum lorum adducendum eoque cursus alterius retardandus esset; rectum quum esset iter, utriusque cursum pariter citatum fuisse. Quare versum talis fere sententiae excidisse suspicor: „sive utrimque coeperat

Strigare mula, sive utrumque coeperat

* * *

Neque ulla vota semitalibus deis
Sibi esse facta, praeter hoc novissimum,
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed haec prius fuere; nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris.

19. MULAS UTRIMQUE COEPERAT. Signa lacunae apud Heynium nulla sunt. 21. PROPTER

IX

AD VARIUM

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
  Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem praecepta vetant me dicere: sane,
  Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

pari citata currere impetu viam." Colon post *tulisse* in comma mutavi, puncto post *coeperat* deleto signa lacunae addidi, et, quum manca sit sententia, *utrumque*, quod in libris legitur, restitui. Poterunt, qui me sunt acutiores, Catulli vestigiis insistentes felici coniectura fortasse assequi, quid olim hic lectum fuerit. *Wr.*)

20.21.22. Tam feliciter omnia mulioni cessisse ait, ut ne vota quidem diis vialibus, *ἐνοδίοις*, unquam suscipere necesse haberet, nec ullum susciperet, praeter hoc novissimum, quo, arte mulionica deposita, eius artis instrumenta, habenas et pectinem, ex more dedicavit. Sole clarius, leg. *praeter hoc n.*, (idque, auctoribus Salmasio et Pithoeo, recepi. *Wr.*) tum arridet Heinsii coni. *buxeumque pectinem:* inprimis cum *eburnea* sequantur. Nunc *proximum* int. iuxta lora suspensum, eodem pariete.

23. *eburnea sede;* curuli.

25. Igitur Dioscuris fingitur dedicata statua: Consul Ventidius sedens pro aede Castoris.

IX.

Vid. Anthol. Lat. lib. III CCXLVIII. Edidit primus Scaliger.

2. *putus* vel *pusus*, pro puero, unde *pusio;* prima syllaba longa; qua ex re, quod *putus* in metri rationem peccat, tota carminis in pusionem argutia pendet: sic quoque Burmann. iudicabat. (Negat se offendi correpta syllaba Weichert. *Com-*

Digitized by Google

X

AD VILLAM SYRONIS

Villula, quae Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiae:
Me tibi, et hos una mecum, quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

3. ET QUOS

XI

AD M. VALERIUM MESSALAM

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,
Pauca mihi doctae dicite Pegasides.

ment. de C. Licinio Calvo p. 22. *potus* Ald. 1517. *Wr.*)

3. *Sin autem.* Miror neminem maluisse: *Sin artis praecepta.*

X.

1. *Scironis.* Immo vero *Syronis*, Epicurei philosophi, de quo modo Epigr. VII vidimus. (Itaque etiam titulum carminis mutavi, in quo *Scironis* ab Heynio relictum fuerat. *Wr.*) Inter belli civilis calamitates et metus, consanguineos suos, inque his patrem, in Syronis villa, tamquam in tuto loco, aut perfugio, collocasse videtur. Suspicari utique licet, quod Scaliger facit, scriptum carmen, cum ex agro Mantuano assignato militibus Romam discederet. Extat quoque in Anthol. Burmann. lib. III, epigr. CCXLIX. In v. 2 *tum quoque* bene emend. Io. Schrader. (Emendat. p. 32. — 3. *et quos;* otiosam copulam, quam neque in vett. Edd., neque apud Scaligerum, nec apud Burmann. invenio, delevi; abest eadem a cod. Rehd. *Wr.*)

XI.

Vid. Anthol. Lat. lib. II, epigr. CXXII. cf. Harles brev. Notit. p. 254. Messalam poeta carmine celebrat, tamquam victorem; 1 — 6. et poetam summum — 12. recitat carminum eius argumenta: fuere ea bucolica — 20. in amicam — 40. Celebrat laudes bellicas Messalarum — 54. Sed iis laudibus non parem esse se canendis fatetur. Virgilio attributum est a Pithoeo, hinc a Scaligero et aliis. Virgilio tamen non temere adscribendum esse, censebat Burmann. Sec. Dubitavi aliquando (ad lib. IV, 1. Tibull. p. 177 ed. tert. p. 192.

Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi,
Victor, qua terrae, quaque patent maria;

Obss.), an omnino a vetere aliquo poeta hoc carmen profectum esset. Sed ad seriora tempora vix retrahi potest tantus orationis cultus. Nunc toto carmine diligentius excusso Augustei saeculi fetum agnoscere mihi videor etiam in toto eius colore et habitu. Deprehenditur enim in plerisque his poemasin istius aetatis sermo Romanus ad dignitatem et ornatum verborum numerosque poeticos egregie comparatus: at in tota carminis summa, inque argumento ea, qua par est, copia et lumine orationis explicando et feliciter disponendo, eiusque membris commode iungendis et perpetuo quasi vinculo comprehendendis, porro in dilectu rerum vel sententiarum, quae carmine feliciter tractari possint, magna cernitur imperitia. Haec eadem in hac elegia occurrunt, in qua summum orationis cultum et ornatum merito mireris, iudicium et subtilitatem in carminis summa eiusque partibus constituendis facile desideres. Licet enim dicas, excidisse videri nonnulla et lacunis carmen hiare: tamen illud, quod vs. 21 de puella cum heroinis comparanda sequitur, ieiunum est per se et ad fastidium extremum protractum. Messalae inscriptum esse carmen ex vs. 40 patet. Verum, an ad M. Valerium Messalam illud scriptum sit, dubitavi aliquando, quod Messalae istius facta ac bella non attingat ea, quae ex historia nota sunt. Sed primum non occurrit ex Messalarum stirpe alius, ad quem haec opportunius referri possint, quae in carmine memorantur; poeticen autem M. Messalam attigisse et poetas amasse satis constat; tandem omnis difficultas tollitur, si ad Messalam iuvenem haec scripta statuas, cum ille, postquam stipendia variis in bellis meruerat, in Africa inprimis, Hispania et Lusitania (vss. 41 sqq. 51—54), aut in alterius triumpho inter primos duces laureatos incessisset, aut ipse ex Parthinis triumphasset: quod ei a. U. C. 715 (v. Vita Virgilii p. ann. dig. h. a.) adeoque non nisi viginti vel quod excurrebat annos nato, contigit. Itaque de Aquitanico triumpho, in quem Tibulli I El. VII scripta est, nullo modo hic cogitari potest. Ab his omnibus, ut solebat, dissensit et in contraria ivit doctiss. Wernsdorf., qui in Poet. Lat. min. To. III iterum hoc carmen retractavit. (Edidi hoc carmen separatim sub hoc titulo: Elegia ad M. Val. Corv. Messalam Lips. 1816. Ex pleniore commentario, quo instruxi illam editionem, sufficiet ea hic excerpta apponere, indicata tantum pagina, quae mihi visus sum probabiliter disputasse; rem accuratius qui cupit cognoscere, ipsum inspiciat libellum. In praemissa de auctore huius Elegiae disputatione argumentis idoneis demonstrasse me puto, esse hoc carmen Augusteo aevo scriptum; quaedam vestigia ducere

Horrida barbaricae portans insignia pugnae,
Magnus ut Oenides, utque superbus Eryx;
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
Maximus, et sanctos dignus inire choros.

etiam ad annum definiendum,— 725. p. U. C. — quo in lucem edita esset; vid. pag. 8 — 11.; Virgilium tamen auctorem haberi non posse: Messalam autem hunc, quem celebrandum sibi sumsit poeta, esse eum, cuius nomen in fronte libelli posui. *Wr.*)

1. Quae pulcer Apollo cognoscere, quibus adesse non refugiat. (*cognitus* i. q. probatus; vid. Huschk. ad Tibull. IV, I, 1. — Friget repetitio *Pauca mihi — Pauca mihi;* vid. pleniorem Commentarium p. 22. — *niveo*, ut sempiterna iuventute gaudenti; vid. p. 23. *Wr.*)

3. *magni triumphi.* Dalmatici: ut quidem arbitror. vid. paullo ante. (De triumpho, quem Augustus e bello Antoniano reversus egit, haec accipienda esse, probavi p. 8. sqq. et 25.; et cfr. Heynii Observatt. ad Tibull. I, 3. init. *Wr.*) *decus triumphi*, is, qui in pompa triumphali omnium maxime conspicuus est. Posset dici de eo, qui secundum triumphatorem maxima rerum gestarum laude inclaruit: sed nullus per hos annos triumphus occurrit, cui Messala interesse potuerit. (Sed vide, quae modo adnotavi. *Wr.*) 4. *Victor qua t.* simpl. terra marique victor.

6. *Oenides*. Ita N. Heinsius edidit: cum antea legeretur: *Aeneides*, *Aenides*. Voss. cod. *Eonides*. Quomodo Diomedes ad triumphalem pompam declarandam aptus sit, non magis intelligo, quam unde *Eryx* huc veniat: quem hoc unum nobilitavit, quod, cum hospites caestu provocaret, ab Hercule occisus est. (Ad insignia pugnae barbaricae haec comparatio spectare mihi videbatur p. 26. *Wr.*) Pro Oenide *Alcides* bene substitui posset: quem in simili laude Virgilius nominabat Aen. VI, 802 sqq., sed cum Baccho: *Nec vero Alcides tantum t.* (Alcides non ita debebat cum Eryce iungi; vid. p. 27. Varie tentavi ipse hunc versum ibid. *Barbaricae* illustravi p. 26. coll. Flor. IV, 11. et Aen. VIII, 685. sqq. *Superbus* sollemne victorum epitheton; vid. p. 25. *Wr.*)

7. 8. Nec minus idem maximus poeta. (*expromere maximus:* illustravi hanc compositionem p. 28. sq. Scaliger et Burmann. *Maximus* nomen esse Messalae statuunt; non recte. *Wr.*) Et in hac laude nunc moratur in seqq. Hoc magis itaque insolito more sollicitus sum, quid ipse ad te scribam. Fateor enim hoc, quod me dehortari debebat, si cogitarem, me ad tam magnum poetam scribere, hoc ipsum me multo magis excitare, ut scribam. (Pro *nostros* scribendum videri *doctos* significavi p. 29. — *sanctos choros inire*, i. e. poetarum — non

Digitized by Google

Hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis,
Quid de te possim scribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quae maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima caussa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio;
Carmina, quae Pylium, saeclis adcepta futuris,
Carmina, quae Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
Moeris pastores et Meliboeus erant;

Musarum — in numerum ac coetum referri; de qua re expositum p. 29. sq. *Wr.*)

13. *pauca tua in nostras venerunt carmina chartas:* descripta a me sunt. Is enim illo tempore mos erat, ut studiosi carmina, quae in publicum exibant, in suos pugillares referrent. cf. Burmann. h. l. (Laudat is Phaedrum Fab. V. Prol. vs. 17. sq.: „Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui Vestras in chartas verba transfertis mea." Ceterum *Pauca tua* i. q. pauca e tuis; vid. p. 33. *Wr.*)

14. *Carmina cum lingua tum sale Cecropio.* Quae sint *carmina sale Cecropio*, facile est ad intelligendum; sed quid sunt *carmina lingua?* Scilicet erit repetendum: *lingua Cecropia.* Ita vero Graeca carmina exarat noster poeta? Haud dubie Attica elegantia et Attico lepore imbutos versus declarare vult. Forte sic praestat legere: *Carmina cum lingua, tum sale, Cecropia*, h. quae sint Attica, Atticis similia, cum oratione, tum lepore. (Omnia sana esse et Graeco sermone scripta fuisse a Messala carmina, quod vel e voce *lingua* apparet, demonstravi p. 32. Quae ibi disputavi, iis adde notata ad Ecl. I, 1. Quod autem *Cecropia* mavult Heynius, huic coniecturae quid obstet, indicatur p. 33. sq. *Wr.*)

15. *Pylium* bis otiose repeti, vidit N. Heinsius et emendavit: *Carmina quae Peliam;* vel *Carmina quae Phrygium;* alterum hoc merito praefert Burmann., quem vide; ut sit Tithonus vel Priamus. In ms. Helmst. hic versus deerat. (Neutra coniectura probabilis; retinui *Pylium;* causas explicavi p. 34. sq. Langius, Profess. Portensis, Vir in paucis mihi carus et venerabilis, in epistola ad me data saepiusque laudanda scribit: „*nimium*, i. e. vehementer accepta." *Wr.*)

17. Quae sequuntur usque ad v. 40 tractata esse necesse est in aliquo Messalae carmine, et quidem bucolici generis. Sed vereor, ut vss. 17—20 a poeta nostro, nec potius ab alio viro docto, qui hiatum explere voluerit, profecta sint. Absunt quoque, quod Burmannum non fugit, ab edit. Ald. 1517. *Mol-*

Digitized by Google

Dulcia iactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriae doctus amat iuvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida divae,
Certatim divae munere quaeque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Altera non fama dixerit esse prior;
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
Quae volucrem cursu vicerat Hippomenem;

21. DIVI,

liter hic erant vix Latine dictum est. (Hinc Wernsdorf. *erant* cum participio *iactantes*, quod proximo vs. legitur, iungendum existimat. Nihil necesse: optimae Latinitatis est *molliter esse;* vid. p. 36. Ceterum si lacunosus hic locus Heynio videtur, ut visus est fortasse Bembo, nihil id quidem mirum; sed desinet videri, si ea legeris, quae p. 36. sq. scripsi. *Wr.*) Vs. 20 *Trinacriae iuvenis*, qui non magis dici potest, emendatus est a Broukhusio: *Trinacria iuvenis*, Theocritus, ὁ ἐκ Τρινακρίας. cf. Burmann. (*Trinacriae iuvenis:* omnino pastores Siculos significari putaveram, non Theocritum. Sed Langius l. l.: „*Trinacriae iuvenis* durum quidem est ad Theocritum referre, sed durius, ad Siculum iuvenem omnino, inprimis ob additum *doctus*. — *amat* accipiendum puto pro *solet*, ut subaudiatur *iactare.*" *Trinacriae iuvenis*, ut *Trinacriae Troiaeque iuventus* Aen. V, 555., *pastores Libyae* Georg. III, 339.; vid. Huschk. ad Tibull. III, 6, 15. *Wr.*)

21. Post ea, quae intercidisse videntur, (Sed nihil deesse probavi p. 38. *Wr.*) ad amasiam Messalae, carminibus eius celebratam, progreditur. Sulpicia illa fuit, Servii filia. v. Tibull. nostrum in Vita et ad lib. IV, El. 2. In fine versus — *omnes heroida divi* legendum esse, manifestum est; non *divae*. Monitum quoque a viris doctis. vid. Burmann. (Librorum lectionem idoneis argumentis defendisse mihi videor p. 38. sq. *Wr.*)

24. Erat: *alter non famam dixerit ipse prior*. Varie tentatus versus. Sententia in aprico est: Non aliam puellam fama priorem esse. Proxime ad corruptam lectionem accedit Munkeri emendatio: *Altera non fama dixerit esse prior:* per graecismum. Simplicitate quoque se commendat, quod raro fieri solet, Salmasii coniectura: *Altera nam fama vix erit estque prior;* nisi quod *estve* malim. (Quare haec coniectura reiicienda sit, cognosces ex iis, quae scripsi p. 41. Ceterum *Altera* non, quod quis opinetur, pro *Alia* positum; vid. p. 43. et 73. sqq. *Wr.*)

25. 26. Atalanta, quae vicisset et cursu superatura fuisset Hippomenem, nisi pomo aureo in fraudem adducta fuisset. (*mu-*

Digitized by Google

Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
  Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
  Optabant Graiae quam sibi quaeque manus;
Saepe animam generi pro qua pater impius hausit,
  Saepe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
  Inmitti expertae fulmine et imbre Iovem;
Cuius et ob raptum pulsi liquere Penates
  Tarquinii patrios, filius atque pater;

nus h. l. ita dictum, ut solius accipientis ratio habeatur; vid. p. 44.; adde Aen. II, 31. 189. *Wr.*)

29—32. De Hippodamia, Oenomai filia, qui rex Elidis erat; unde *Eleidem terram* vs. 32 dixit; tandem a Pelope curuli certamine superatus. *defensa* vs. 29 quid sibi velit, non dixerunt viri docti; an quatenus certaminis lex intercedebat, ne proci eam coniugem ferrent; an fuit *detenta?* detinebatur enim certamine, quo minus proci ea potirentur. (Recte *defensa;* vid. p. 45. *Wr.*) Mox *Graiae manus;* iuvenes proci. (Ingeniose Tollius *nurum;* cf. Aen. XI, 581. sq.; sed nihil est, quod *manus* spernamus; vid. p. 46. *gravidae quod s. quenque* Ald. 1517. *Wr.*) 31. *generi*, h. l. pro proco: ut saepe. vid. Burmann. (*pro qua*, i. e. ut eam retineret, ne eam amitteret; vid. p. 47. — 32. Iunge *Eleis humus*, de qua huius adiectivi forma vide quae scripsi p. 48. *rubro similis* Ald. 1517. — 33. *Regia Semele*, ut *regius Diores* Aen. V, 297. De forma voc. *Acrisione* et de iunctis duobus patronymicis vid. p. 49. notata. *Wr.*)

34. *expectant.* Adversatur hoc orationis decursui. Esse debebat *expectantes.* Nec *expectans* satis accommodatum. (Ita legi volunt D. Heinsius, Broukhus. et Wernsdorf. Sed singularis nullo modo ferri hic potest ob adiuncta *fulmine et imbre. Wr.*) Itaque praefero Scaligeri emendationem *expertae;* ut sit: Semele et Danae, *expertae*, *Iovem fulmine et imbre immitti* ἐνσκήπτεσθαι, *descendere*, *venire*. (Edidi, ut certe sententia constaret, *Immitti expertae;* quamquam Langius *Immissum expertae* potius scribendum fuisse acute admonet; ceterum vid. p. 50. *Wr.*)

35. *Cuius et ob*, h. et illa non prior fama est, cuius etc. Infrequens Lucretiae memoria in Romanis poetis, et propterea locus notabilis. (Lucretiae mentionem poeta iniicit, quo commodiorem sibi patefaceret transitum ad Valerium Publicolam, Bruti in consulatu collegam, et deinde ad laudes Messalarum celebrandas. Debebat autem poeta pergere: *Nec cuius ob raptum;* vid. p. 50. sq. — Proximo versu quaeri potest, cur *fi-*

Digitized by Google

Illo, quo primum dominatus Roma superbos
  Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa, neque inmeritis, donavit praemia alumnis,
  Praemia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego inmensi memorem studia ista laboris?
  Horrida quid durae tempora militiae?
Castra foro solitos, urbi praeponere castra,
  Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Inmoderata pati iam frigora, iamque calores?
  Stertere vel dura posse super silice?

45. NUNC F. NUNCQUE C.

lius atque pater pulsi dicantur, quum plures Tarquinius habuerit filios? Nimirum eum prae caeteris notatum vult, qui vim fecit Lucretiae, Sextum. *Wr.*)

39. Roma multos honores in Messalas contulit. (Quod e vett. Edd. a Scaligero enotatur *mater* pro *praemia*, id sapit interpretamentum: *alumnis*, sc. tamquam mater. Ac nude positum adiectivum *multa* offenderet, quum sequatur, quod illi respondet, *praemia maxima;* vid. p. 52. sq. — 40. Scribitur *Messala* et *Messalla;* vid. Huschk. Analect. ad Tibull. p. 746. De causis horum agnominum vid. p. 52. *Wr.*)

41. *Iam quid ego*, cum Burmanno legendum; qui comparat Tibull. IV, 1, 82 sq. (*Nam* ad illa, quae vs. 39. leguntur, *neque inmeritis*, referendum esse vidit Wernsdorf.; vid. etiam p. 53. *Wr.*) Transit autem ad gentis Valeriae virtutes bellicas praedicandas; in ea gente Messalae haud minimam laudum partem qui ferrent digni erant.

44. Corruptus versus. Variae medelae apud Burmann. memorantur. *Tam procul hoc natos* scil. solo, vel *Tam procul hinc* Scaliger, *Tam procul agnatis* Salmasius, *Tam procul a nato* Francius coniecit; neuter satis commode. In altero membro uterque: *tam procul a patria.* In priore autem ne illud quidem satis faciat, si *Tam procul a natis* legamus. Forte scriptum fuit: *Tam procul, orbe alio: tam procul a patria.* *Orbem* ita dici vulgatum est: sic *orbis diversus*, *ultimus*, *longinquus* et al. („Alteram pentametri partem excidisse existimo. Hoc autem, verbis prioribus ab oscitante librario bis scriptis, facillime fieri potuit. Alius enim cum versum in trochaeum desinentem vitio laborare animadvertisset, substituit verba *a patria*, quae facile in mentem ei venire poterant, nec non reliqua non habentia, quo referrentur, mutavit. Sententia fuit haud dubie talis vel similis: „„Tam procul ignoto bella ciere solo.““ Haec

Saepe trucem adverso perlabi sidere Pontum?
Saepe mare audendo vincere, saepe hiemem?
Saepe etiam densos inmittere corpus in hostes,
Communem belli nec timuisse deum?
Nunc celeres Afros perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem?
Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas adtingere laudes;
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est:

scripseram p. 54. Langius ita fortasse a poeta scriptum fuisse ait: „Tam procul a m o t o s, tam procul a patria.“ — 45. Revocavi, quod est in cod. Voss. Helmst. et Edit. Ven., *iam* — *iamque;* nimis asperum *nuncque;* vid. p. 55. — 46. *sternere* cod. Voss. Edit. Ven. Ald. pr. et aliae pro *stertere;* illud quidem non spernendum fortasse; ita *sterni* absolute ap. Plin. Epist. VII, 27.: „iubet s t e r n i sibi in prima domus parte.“ *Wr.*)

48. Legebatur: *Saepe audendo mare.* Cum Burmanno, Broukhusianam illam, facilem et obviam, emendationem amplexus sum: *Saepe mare audendo.* Cum ex uno tantum alterove Codice, qui superest, provenerint haec carmina, mirum non est, vitia vel manifesta editiones constanter obsidere. (vid. Burmann. ad h. l. et a me notata p. 1. sq. *Wr.*)

50. *Communem belli deum.* conf. Burmann. et sup. Ciris v. 359. (et quae ego notavi p. 56. Ceterum Helmst. et Edit. Ven. *non meminisse*, quod in hac re magis frequentatur: sed ob id ipsum minus commendabilis est haec lectio. *Wr.*)

51. *perituraque millia gentis.* Saltem apposite legendum *p. millia*, *gentes.* Verum et hoc scabrum est. Sic quidem in Anthol. l. I, ep. 107 Memnon *Producit gentis millia tetra suae.* Oudendorp. coni. *periuraeque ultima gentis.* Amplecterer, quo libri ducunt (etiam ms. Helmst. *periure m.*), *periurae;* sed reliqua parum placent. (*periuriae in mill.* Ald. 1517. *Wr.*) Excidit, suspicor, nomen gentis: v. c. *perituraque millia*, *Mauros* vel *Iberos.* Nam in bello inter Caesarem et Pompeium Messala loca illa adiisse videtur. (Putaveram p. 58. *periturae m. g.* poetam scripsisse; quod nunc eandem ob causam, quae, ut id, quod Wernsdorfio placuerat, *periurae m. g.*, respuerem, me moverat, abiiciendum censeo. De epexegeseos ratione vid. p. 57. et Q. V. XXXIII. — 52. De Tago aurifero vid. p. 58. — 54. Verbis *Oceani finibus ulterius* significatur Britannia; vid. p. 59. Eadem de re et de expeditione Messalae adversus Britannos vi-

Digitized by Google

Ipsa, haec ipsa ferent rerum monumenta per orbem,
Ipsa sibi egregium facta decus parient;
Nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius, et Musae, Bacchus, et Aglaie.
Si laudes adspirem, humili sed adire Camena;
Si patrio Graios carmine adire sales

58. PARIENT.

de, quae notavi ad Ecl. I, 66. *Wr.*)

55. *Non nostrum est, unquam* bene emendat Burm. *Non nostrum tantas inquam est*, ms. Helmst. (Bene se habet *inquam;* vid. p. 60. Color huius versus ex Ecl. III, 108. ductus. Satis autem multa a Virgilio mutuatus est auctor huius carminis, quae indicata sunt in pleniore commentario, ubi etiam, cuius ea sint generis quidque de ea re statuendum, explicatum videbis. *Wr.*)

57. *Ipsa, haec ipsa ferent*, scil. laudes illas; alias una ex emendationibus ibidem allatis amplectenda: seu Salmasii: *Ipsa haec se ipsa ferent*, seu Heinsii: *Ipsa hunc*, vel *Sese haec ipsa ferent*, seu Oudendorpii: *Sed te haec ipsa ferent.* seu: *Ipsa haec te, ipsa ferent.* (Ita Rhenum et Britannos Caesaris monumenta vocat Catull. XI, 10. *Wr.*)

59—61. Non una haec laborant corruptela. Priora transpositione sanare annixus est Burmannus. Equidem v. 60. 61 eiiciam: etsi etiam in 62 insolens est *adire laudes* alterius, assurgere velle ad eas, aemulari. *Graii sales* videntur esse de *Cecropio sale* vs. 14, Attico lepore accipiendi, qui Messalae versibus latinis inerat. (Cui explicationi obstat, quod sales Graii cum patrio carmine conferuntur. cf. p. 32. *Wr.*) Sed sine libris frustra aliquid certae et exploratae opis expectatur. Apponam tantum varietatem lectionis ex Ald. pr. (et aliis vett., ut Ven. 1486) *Si laudem adspirem, humiles sed adire Sirenas.* Varie hoc tentant viri docti apud Burmann. Docte, etsi vix vere, refinxit Scaliger: *Si laudem Ascrae humilis, si Doridas heroinas*, h. Hesiodum et μεγάλας ἠοίας. adire pro attingere. In ms. Helmst. legebatur: *Si laudem adspirarem, humilis sed audire cyrenas.* Wernsdorf. in Excurs. ad h. v. multum operae posuit in aliqua loci constituendi ratione exputanda, et legit: *Si laudem adspirante, humili sed adire Camena Possumus.* (De vss. 61—64. egi p. 63—67., proposuique ipse coniecturam, qua corruptelae huic occurrerem: *humili licet utar avena.* Ita vel similiter si scripsit poeta, cetera ea, quam l. l. inii, ratione expedita videri possunt. Non multum recedit haec opinatio ab Oudendorpia-

Digitized by Google

Possumus: optatis plus iam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

XII

IN POMPEIUM MAGNUM VEL IN MITHRIDATEM

Adspice, quem valido subnixum gloria regno
Altius et coeli sedibus extulerat!

2. EXTULERAT,

na: *humili licet arte Camenae. possumus adire* i. q. adeam; vid. p. 66. et Lachmann. ad Propert. I, 10, 31. De locutione *adire sales* praeter ea, quae l. l. attuli, vid. etiam Waardenburg. Opusc. p. 219. sq. Indicavit mihi Silligius meus emendationem a Medenb. Wackero in *Amoenitatibus literariis* p. 21. propositam: „Si laudes adspirem, humili *sit* adire Came*nas: Sin* patrio Graios carmine *habere* sales Possumus.“ — Adscripserat Silligius: „Utraque correctio facilis est et perspicua; *sit adire* pro *liceat adire*, Ovid. A. A. II, 27.: *sit mihi posse mori. Sales habere*, quemadmodum Terentius ex probabili emendatione Bentleii Eunuch. III, 1, 10.: *qui sal habet, quod in te est.*“ Mihi non admodum placet illa coniectura, nec, quae allata sunt exempla, satis apta ad eam comprobandam videntur. *Wr.*)

XII.

Disertum carmen, apertum planumque, sententiis verbisque gravibus. Anthol. Lat. lib. II, 123, p. 301. Sed, in quem scriptum illud sit, liquido non constat: etsi vix assequi licet, quo modo tantae rerum conversionis, quae hoc carmine narratur, auctor obscurus esse possit. Si ea colligas, quae de magno hoc viro, de fortunae fastigio deiecto, memorantur: nemo in historia Romana, sive ante sive post Virgilium occurrit, cui satis ea conveniant. *Pompeius Magnus* statim lectoris animo occurrit: in quo fortunae vicissitudo et inconstantia etiam a poetis notari solet, v. c. Petron. 123, et multis epigrammatibus in Anthol. Lat. lib. II, 25 sqq., sed in eum parum proprie dici potest illud, quod *e patria pulsus in exilium* est. Dicendum igitur, scriptum esse carmen illo temporis intervallo, quo Pharsalia fugatus Aegyptum petierat, necdum de eius caede constabat: alioqui multo magis haec commemoranda veniebat. Quod *valido subnixus regno*, quod *servitium Romae* parasse dicitur, non minus male me habent. Alter, in quem facile incidas et Scaliger quoque incidit, *Mithridates* est, Ponti rex, in quem omnia egregie conveniunt, prae-

Digitized by Google

Terrarum hic bello magnum concusserat orbem;
Hic reges Asiae fregerat et populos;
Hic grave servitium tibi, iam tibi, Roma, ferebat;
Cetera namque viri cuspide conciderant;

ter illud: *e patria;* debebat enim potius *e regno* pulsus in exilium dici. Debuit ergo Romano more dictum esse *e patria* pro ex regno. De Mithridate intelligendum esse, nuper iterum pronuntiavit Ruhnken. ad Vellei. II, 18, 3, sed quomodo is *e patria pulsus in exilium* dici possit, non docuit. Argumentum addit e Cic. pro Murena 15 sumtum esse: unde etiam singulorum petenda sit explicatio. Sane ibi breviter exponuntur res Mithridatis regis: sententiarum poetae vestigia ac semina non video. Ad *Alexandrum M.* retulit Oudendorpius, ut e Burmann. disco: quod parum commode fieri videtur. (Non licet certi aliquid hac de re pronuntiare; videtur ea esse poetae culpa, qui non usus sit oratione ad rerum veritatem satis accommodata. Ad Mithridatem haec spectare si constituimus, minus mihi displicent haec: *e patria pulsus in exsilium*, quam illud *subito* vs. 7. et *in medio rerum certamine.* Sed non est praetereunda Langii coniectura, in Antonium hoc epigramma scriptum esse existimantis; in qua acquiescendum putarem, si, quomodo is *e patria in exsilium pulsus* dici possit, intelligerem. Nam etsi Antonius hostis iudicatus fuit, tamen non ea erat eius conditio, quae aliorum, qui e patria in exsilium eiecti fuerant; certe is *a* patria, non *e* patria, pelli dicendus erat. *Wr.*)

3. *Terrore hic belli* eleganter emendat Ruhnken. l. c. nec tamen necesse. Pro *magnum Magnus* coni. Burmann., ut sit Pompeius. In v. 2 malim: *Altius heu c.* (Sed nullus hic locus tali interiectioni; iunctae hic sunt per copulam inaequales orationis partes hunc in modum: Adspice, quem valido subnixum gloria regno extulerat, et quem altius coeli sedibus extulerat; vid. Q. V. XXXIIII, 2. Et *altius coeli sideribus extollere* idem, quod alias dici solet *super astra ferre.* Ceterum non talis est haec oratio, quae, commate, ut fuit apud Heynium, in fine pentametri posito, cum reliqua apte cohaereat. Nempe scripsit haec poeta in certam quandam statuam, imaginem illius, ad quem pertinet hoc carmen, referentem; itaque exclamandi signum requirebatur. Ita Claudian. Idyll. VII, 1. in statuas Amphinomi et Anapidis: „Adspice sudantes venerando pondere fratres." *Wr.*)

4. *fregerat, hic populos* Cod. Voss. et ed. Ven. apud Burmann.

5. *Hic grave servitium iamiam tibi* Voss. Cod. apud eundem. (Cic. pro Mur. c. 15.:

Digitized by Google

Cum subito in medio rerum certamine praeceps
  Conruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deae numen; tali mortalia nutu
  Fallax momento temporis hora dedit.

XIII

AD ANTONIUM MUSAM

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
  Tangere quas terras, quosque videre homines:

„Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, quum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris?" — 6. *cuspide conciderat* ductum e Graeco δορὶ πεσεῖν. *Wr.*)

9. 10. Distichon viros doctos non videtur moratum esse; equidem non satis expedio. Quid enim est: *dare mortalia?* Forte: *Tale deae numen: pessum mortalia nutu — dedit:* ut sit, pessum dare solet hora mortalia. Ruhnken. *Hora premit* legebat l. c. (Sane *premit* optime convenit illi, quod supra legimus, *extulerat.* Sed quamquam ad speciem praeclara est haec coniectura, tamen, ut continuo in textum inferatur, nemini auctor exstiterim. Tam enim multiplex est verbi *dare* usus, ut in eo per coniecturam mutando maxima opus sit cautione. Ac satis constat, Fortunae saepe lusum tribui, ut Aen. XI, 426. sq.: „multos alterna revisens *Lusit* et in solido rursus Fortuna locavit." Iam verbum *dare* locum habet in ludo aleae et duodecim scriptorum; vid. Non. Marcell. p. 170. et not. Merceri p. 136. Heins. ad Ovid. A. A. II, 204. et Ernesti Clav. sub voc. *Scriptorum ludus.* Cicero ap. Non. l. l.: „Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis olim, ut calculum reducas, si te alicuius dati poenitet." Itaque haec videri poterit poetae nostri sententia: „Sic solet hora, sive mutabilis Fortuna, potenti nutu quasi ludens mortalia mutare." *Dedit* ἀορίστως, dare solet; et *tali nutu dedit* i. q. ita dare solet potenti nutu. Haec cui probabilia videntur, fortasse *nutu* in *lusu* mutatum malet. Sed parata est etiam, ut videtur, simplicior ratio, ut *dare* h. l. sit i. q. efficere, ut aliquid vel hoc, vel alio modo se habeat, quale est *depexum dare aliquem* et multa similia apud comicos; hoc qui probat, verba *tali mortalia nutu dedit* ita explicabit: ita afficere mortalia potenti nutu solet. Similis est verbi θεῖναι, θέσθαι, apud Graecos usus; et de εὖ, καλῶς θέσθαι vid. Iacobs. Anthol. T. VI. p. 292. seq. et quos is laudat, Gatak. ad M. Antonin. VI. p. 171. Hemsterh.

Digitized by Google

Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?
Cui Venus ante alios, divi, divumque sorores,
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;
Cuncta, quibus gaudet Phoebus, chorus ipseque Phoebi;
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
O quis te in terris loquitur iucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari;
Non, contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIV

IN OCTAVII MORTEM

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quae
Dicunt, an, nimio pocula dura mero?

ad Lucian. T. I. p. 485. sq. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 241. — Alia quaedam ad illustrandum hoc Epigramma pertinentia reperies apud Ruhnken. l. l. *Wr.*)

XIII.

Antonii Musae, medici Augusti, nomen non obscurum est vel ex Sueton. Aug. 59. v. al. apud Burm., qui hoc poematium Anthol. Lat. inseruit lib. II, ep. 124. Nunc ex hoc poematio, quod non alio, quam eo auctore, qui catalecta collegit, Virgilii esse fertur, hoc discimus, fuisse eum poetae amicissimum, omnibusque ingenii dotibus et artibus politissimum hominem. Haec etsi admittas, artem tamen medicam in ceteris laudibus vix omittere potuisset auctor carminis. Ad rhetorem Musam, qui a Seneca in Controversiis aliquot locis memoratur, cum viro docto referre malim.

7. *Phoebi chorus ipseque Phoebus;* refingebat Scalig. cum aliis. (quam mutationem fere necessariam dixerim. *Wr.*)

10. *Clio tam certe* emendavit Casaub.

XIV.

Vid. in Anthol. Lat. lib. II Ep. 65. Claudit hoc epigramma agmen catalectorum, quae Maroni vulgo tribuuntur. Quis hic Octavius sit, ignorari, eo magis mirationem facit, quod scriptis multis inclaruisse et historiam Romanam aggressus esse narratur v. 5. 6. Eum iuvenem ante patrem v. 7. 8. inter pocula, cum excanduisset, repente mortuum esse ita, ut de caussa mortis dubitatio esset, a poeta discimus, qui caussam in iracundiam a mero avertere allaborat.

Digitized by Google

Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
Fata; quod inmeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
Raptum, et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri quae fuit invidia?

XV

P. VIRGILII MARONIS

Fragmenta ex Epistola, quam ad Augustum Caesarem super Aeneide sua scripsit.

Ego vero frequentes a te literas accipio. ***Et infra:*** De Aenea quidem meo, si, me Hercules, iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est; ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, inpertiar.

2. *pocula dura* vix bene dicuntur; melius *dira* cum Oudendorpio, vel *ducta* cum Heinsio legas.

3. *Vobis si culpa est bilis.* Laborat caput versus. Cod. Voss. *Vobiscum si est culpabili.* Heins. *Vobis sic culpa est bilis* vel *Haud necis in culpa est bilis.* In promtu est multa comminisci: *An magis in culpa est bilis?* vel *Fervida an in c.* *An tumida in c.* Forte nihil horum; sed: *Non culpa est illis; sua q.* (Verum ita versus exsistit uno pede brevior. *Wr.*) sed quis ullum praestet? Simplicitate ingeniosa se commendat Iacobsii nostri coni. *Mortis si culpa est bilis;* Animadverss. p. 318. (Velis fere sic scriptum esse: *Nulla tamen culpa est illis;* vel, quod minus a literarum ductu recedit: *Non ita; si culpa est illis, s. q. s. F.* i. e. si sunt, qui eam illis culpam tribuant. *Wr.*)

Digitized by Google

EXCURSUS AD CAT. II.

IN C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM.

Virgilii esse hoc carmen, quin credamus, nihil obstat, praesertim, quum ei a Quintiliano VIII, 3, 28. tribuatur.

Nostra aetate docte disseruit de hoc Epigrammate I. G. Huschkius in Commentatione *de C. Annio Cimbro*, Rostochii Ao. 1824. 4. edita. Is primum pag. 59. *verba Corinthia* ita notasse poetam existimat, ut vellicaret nimium Annii studium imitandi in sermone Latino poetas Graeciae Italicos et Siculos, origine Corinthios, inter quos prae ceteris eminuerit Sophron, qui non dubitaverit de faece haurire et verba eo modo decurtare, contrahere et inflectere, quo id facere soleret vulgus. Quod pertinet ad illa, quae in hoc carmine leguntur, *tau*, *min*, *al*. *Tau* Annium dixisse pro *Taum*, — p. 36. sq. — quod est aestuarium Britannicum; Gallicum autem idem esse h. l., quod Britannicum; nam teste Caesare B. G. V, 12. maritimam Britanniae partem, i. e. orientalem, ab iis, qui praedae atque belli inferendi caussa e Belgis transissent, incoli; eosque Cimbros fuisse, qui etiam Galli dicantur, probabiliter demonstrare Huellmannum. Igitur Virgilium, reperto fortasse in libellis Annii historicis vel poeticis hoc sive plene sive abrupte scripto nomine, Annium ipsum appellare potuisse *Tau* vel *Taum* Gallicum ad designandum ingenii aestum, quo ille abripi se passus esset in scribendo ad absurda omnia. Quintilianum, sic pergit Huschkius p. 42. sqq., hoc Epigrammate illud docere velle: Mantuano poetae displicuisse verba ex summa antiquitate in aevum Augusti translata. Itaque *min* nihil aliud esse, quam *mihine;* et sic Persium: „Quis leget haec? min tu istud ais?“

Digitized by Google

quem quidem versum ille, teste vetere interprete, de Lucilii I. transtulerit. Neque illud *min* per se reprehensurum fuisse Virgilium, nisi modum in hoc antiquario genere excessisset Annius; quo pertinere *al* i. e. *ala;* eius generis esse *facul*, *famul*, *difficul*, *coel*, cet. Librorum lectionem *Thucydides Britannus*, cuius in locum *tyrannus* substituitur in edit. Ald., praeclare a Gesnero e Cic. Epist. ad Fam. VII, 11., ubi Trebatius lepide iureconsultus Britannicus vocatur, defensam, retinet Huschkius, apparere, scribens p. 29., Annium fuisse in numero eorum sive oratorum, sive historicorum, quos Thucydidios vocet Cicero, laud. a Spalding., Orat. c. IX.: „qui quum mutila et hiantia locuti sunt, germanos se putant Thucydidas.“ Quum autem appareret, nec *Atticae febris* habere, unde pendeat, nec pluralem *Atticae febres* ferri posse, fuerunt, qui *ἀττικὴ febris* scribi iuberent; sed rectius Huschkius p. 34. *Attice febris*, ut *Persice porticus*, quod exstet ap. Cic. Epist. ad Att. XV, 9. Rem ipsam Huschkius illustrat verbis Lucilii: „In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multo Obmarcescebat, febris, senium, vomitus, pus.“ Verba *spinae male illisit* p. 26. ita Huschkius interpretatur: „Rhetor iste — in rhetorico illo sermonum curriculo — verba Latina decurtavit, mutilavit ac quasi spinae — in Circo — vel metae illisa frustillatim ac minutatim confregit.“ *Misceri verba* dici, ut venenum; — p. 39. — itaque hanc prodire sententiam: „Annius fratrem veneno, lectores verbis enecavit;“ venena autem malos poetas audire apud Horatium. Totum autem Epigramma sic scribendum esse:

Corinthiorum amator iste verborum
Iste iste rhetor: namque quatinus totus
Thucydides Britannus, Attice febris,
Tau Gallicum, min, al spinae male illisit,
Ita omnia ista verba miscuit fratri.

Prorsus ita duo extremi versus in Quintiliani recentioribus editionibus scripti exstant.

Habes hic in breve coacta rerum momenta, insigni doctrinae copia ab Huschkio illustratarum. His quaedam opposuit Vir eruditissimus, U. F. Kopp, in epistola ad Huschkium scripta, quam hic Analectis Literariis, Ao. 1826. in lucem editis, inseruit. Is pag. 359. scribit: „Aenigma Virgilianum quod attinet, miror quidem ingeniosam Tuam dictionum compositionem „„fratrem veneno, lectores verbis enecare;““ sed obstare videtur, quod poeta fratrem verbis Tau, Al, Min, sublatum esse dicit. Namque scribens: „„omnia ista verba miscuit fratri,““ in ipsis illis verbis letiferi quid haud lectoribus, sed

Digitized by Google

fratri latere significat." Tum longe quaesita videtur Koppio coniectura Huschkii, *Tau* ad Britanniae aestuarium *Taum* referentis; rectius ex Gallica voce *Tavus*, quod putredinem significet, explicari illud posse; nec voces *min* et *al* recte interpretatum videri Huschkium, quippe quas fratri mixtas non dixisset poeta, si ita eas intelligi voluisset. — Praeterea Censor Gottingensis Huschkianae Commentationis negat, *spinae* ferri eo loco posse, quum ea sede, quam prior huius vocabuli pars occupet, brevis syllaba requiratur; aestuarium Taum autem per Agricolam demum innotuisse Romanis.

His respondet Huschkius in Epilogo Koppii Epistolae subiecto, loca vicinarum gentium litoralia nautis piratisque multo ante innotescere potuisse, quam ab ullo exercitu peregrino attingerentur; ergo etiam aestuarium Taum, credibile esse, Gallis nomine notum fuisse ante Agricolae in has regiones adventum, et per C. Annium innotuisse Virgilio. Sed abiecisse se hanc interpretationem, consuetudinis Gallicae a Koppio admonitum, qua literae *B* et *V* permutari et confundi soleant. Itaque fieri potuisse, ut Annius scripserit *Tavum* pro *Tabum:* sic autem optime sibi respondere Atticam febrem et Tabum Gallicum. Sed quum Ausonius quartam ita decurtatam syllabam in notissimo illo Idyllio adiiciat, *Sil*, locum non relinqui voci *spinae;* quamquam, si metrum respicias, ferri illud posse, quum Latini spondeum in omni senariorum sede, praeter ultimam, admittant. Qua in re fallitur Vir eruditissimus; verum illud quidem de dramaticis poetis et de Phaedro; ceteri poetae Latini Graecam rationem sequuntur; nihil autem magis inelegans, quam longae syllabae quavis sede receptae in versu Hipponacteo. Iam, quum in Edit. Quintiliani Venet. 1512. superiore versu Huschkius deprehendisset *fepres*, — idem exstat in uno cod. ap. Burm. — quod ex *vepres* ortum existimat, *spinae* interpretamentum esse huius vocabuli et ita in textum irrepsisse. Illud autem *Sil* decurtatum esse ex σίλι, σέσιλι, Lat. *seselis.* Atque *Sil* in quibusdam Quintil. Edd. exstare, testatur Burmannus. Censor Gottingensis inde formavit *simil.* Denique Huschkius quintam vocem, quam ab Annio similiter corruptam putat, infert, *im* vel *em*, quod in quorundam codd. Quintil. lectione *ehim* latere suspicatur, pro *eum;* coll. Commentat. p. 57., et pro *male illisit* scribendum censet *male sicilit.* Nititur haec coniectura tamquam fundamento verbis, quae apud Mar. Victorin. p. 2456. leguntur: „Consonantes literas non geminabant, — sed supra literam, quam geminari oportebat scilicet, sicilicum imponebant, cuius figura haec est ', quod erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris." Pro *scilicet sicilicum* Husch-

kius *sicilem vel sicilicum* Victorinum scripsisse existimat. *Sicilis* factum esse a *sica*, et denotare falcem, qua foeniseces gramina, Annius, veneficus simul et rhetor, verba pariter et gramina decurtasset, illis lectores, his fratrem enecans; et has fortasse siciliculas vocibus illis ipsum apposuisse Virgilium. Itaque legendum videri:

> Tau Gallicum, min, al, sil, im male sicilit,
> Ista omnia ista verba miscuit fratri.

Sed dicendum iam, quid ego sentiam de Huschkii conatu huius Epigrammatis vel emendandi, vel interpretandi. Ac primum apparet, verissime Koppium iudicare, non esse eam huius carminis sententiam, quam infert ei Huschkius. Quintilianus refert, his versibus a Virgilio lepide perstringi Annium ut ineptum antiquitatis affectatorem. Neque vero haec ipsa summa carminis putanda est. Sed acrius etiam urere et notare Annium Virgilius voluit tamquam fratricidam. Quod duplex consilium ita uno carmine consecutus est poeta, ut vocabula quaedam Annii more decurtata afferret, quae ad veneficium spectarent. Quod nisi ita esse statuis, nec quomodo illa „*miscuit ista verba fratri*" accipienda sint, intelligitur, et omnis facetissimi carminis vis perit. Itaque de sententia Epigrammatis nihil est quod dubites. Sed haeretur in singulis, nec licet sperare, omnia umquam ita expediri posse, ut nihil remaneat, de quo possit ambigi. Acute vidit Spalding. in Not. ad Quintilianum, geographica haec epitheta *Corinthia verba*, *Britannus Thucydides*, *Attica febris*, *Tau Gallicum*, se invicem firmantia, non esse movenda. Quae sint verba Corinthia, quid Gallicum Tau, quis pro certo affirmet? Hoc tamen apparet, ita traduci scribendi genus Annii, ut poeta illud non certum aliquod et constans esse, sed mirifice mixtum dicat, adeo, ut iam Corinthium, nescio cuius scriptoris — Sophronem, ut vidimus, significari putat Huschkius — morem, iam Atticos imitatus sit Annius, denique novum quoddam et inauditum genus, — Britannicum iocose, vel Gallicum, appellat poeta — usurpaverit. Thucydides autem Britannus Huschkio videtur vocari, — neque plane improbabilis ea coniectura — ob historiam quandam Britanniae ab Annio scriptam, in qua Thucydidem sibi aemulandum ille sumserit; sed ita Britannicum dici puto, ut adiecto hoc epitheto simul indicetur, adeo male eam rem illi cessisse, ut non Atticus aliquis scriptor, sed Britannicus, illius operis auctor videri potuerit; idem sentit Turnebus. Verbis *min*, *al*, non impedio quominus minium et allium significari existimes; atque haec, ut etiam *tau*, satis munita sunt Ausonii auctoritate. Extremam eiusdem versiculi partem corru-

ptam esse et ipse habeo persuasum. *Spinae* vocabulum, ut omittam metricam rationem, quamcunque interpretandi viam ingressus fueris, crucem figit interpretibus. Nam qui de Circo sumtum putat, ut prius fecerat Huschkius, is velim meminerit, medium illum Circi aggerem a nullo antiquiore scriptore ante Cassiodorum vocari spinam. Vocem *sil* sane videtur Ausonius, quamquam ea res non extra omnem dubitationem posita est, in hoc Epigrammate invenisse; neque negaverim ex *σίλι*, *σέσιλι*, repetendam esse; quamquam, qui huius herbae usus in re venefica fuerit vel esse potuerit, ignoro; cervas ante partum ea purgari discitur e Plinio H. N. VIII, 32. Sed quod praeterea addit Huschkius *em* sive *im*, nec legitur, ut cetera, apud Ausonium, nec pro *eum* dictum accipi sententia carminis patitur. Facilius feras extremum verbum in *sicilit* ab Huschkio mutatum, quamquam, si sicilicus nota quaedam fuit, qua utebantur scribentes, vid. etiam E. I. A. Seyferti Grammat. Lat. Vol. I. §. 293., non continuo sequitur, etiam verbum *sicilire* in eadem re usurpari; nec *sicilire* plane idem est, quod *secare, demetere;* audiamus Plinium H. N. XVIII, 28.: „Praeterea quoties secta sint, siciliri, hoc est, quae foeniseces praeterierunt, secari." vid. etiam Dalecamp. ad eund. XVI, 16. Relinquam etiam in medio, longane sit syllaba *ci*, an brevis; quamquam sicilicus numerus, i. e. tertia pars assis, correptam habet apud Priscian. de Ponder. et Mensur. vs. 21.; et Ennius *sĭcĭlĭcibus*, an *sĭcĭlibus* scripserit, incertum est. Hoc utut est, illud certe offendit, quod in quintam versus Hipponactei sedem tribrachys vel etiam anapaestus infertur.

Sed in his quoniam soli coniecturae locus relinquitur, experiar et ipse, quid proficiam hariolando. Ac primum versus secundus

Iste iste rhetor. Namque quatenus totus

abest a libris mss. Quintiliani, veterrimi testis; invexit eum Aldus, quem plerique editores secuti. Verendum igitur, ne male pedem huc intulerit. Iam quarto versu ex Ausonio teneri fortasse poterit *sil.* Sed quomodo ea verba illiserit Annius, quis assequitur? Scilicet non illisit, sed elisit, ut oculos cui elidimus; elisit verba, i. e. fregit et decurtavit. At observa epigrammaticam in hoc verbo ambiguitatem et amaritudinem. Verbum elidendi enim etiam de eo dicitur, quod contunditur, tundendo comminuitur; ut in illo: *caput alicuius elidere*. Itaque simul ad tundenda in mortario et ita miscenda venena trahi hoc verbum existimo. Iam vero in voculis *et*, *met*, quae ante *male* in compluribus codd. et vett. Edd. leguntur, latere

puto *ut*, quod, eiecto secundo versu, ad *Ita*, — sic enim apud Quintilianum exstat — quod proximum versum incipit, referendum, totumque Epigramma sic legendum censeo:

Corinthiorum amator iste verborum,
Thucydides Britannus, Attice febris,
Tau Gallicum, min, al, sil ut male elisit,
Ita omnia ista verba miscuit fratri.

Ph. Wr.

Digitized by Google

PHILIPPI WAGNERI

QUAESTIONES VIRGILIANAE

Digitized by Google

PRAEMONITUM.

Quaestiones has Virgilianas, aliquot abhinc annis iam perscriptas, quamquam haud inutiles fore spero vel ad orationem Virgilii explicandam, vel ad textum mendis purgandum, tamen non ita licuit expolire et perficere, ut non hic illic aut desit aliquid, aut melius tractari potuerit. Est etiam, quam rescidissem, nisi aliquoties lectorem in Notis et V. L. ad eam remisissem. Nec dubito, quin futuri sint, qui quasdam res Lexico potius Virgiliano reservandas, quam in his Quaestionibus exponendas fuisse iudicent. Vere illi quidem fortasse, si huius ipsius Lexici propediem emittendi potestas esset.

Digitized by Google

INDEX

QUAESTIONUM VIRGILIANARUM

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIO. I.

De Praepositione *Ab*.

1. *Ab* ante consonas apud Virgilium non legitur, nisi quum ea Praepositio locum et originem indicat idemque valet, quod Graecum ἀπό. Numquam autem Passivis *ab* iungitur ita, ut sit ὑπό. Quare erret, qui Aen. II, 429. ex Burm. Exc. edendum statuat: „Confixi *ab* sociis.“ Sed ne tum quidem, quum illa Praepositio Graecae ἀπὸ vim sustinet, semper *ab* scribitur; requirit enim ea non solum certas quasdam consonas, sed etiam vocabula. Itaque non solet *ab* ante alias consonas apud Virgilium scribi, quam ante *I, L, R, S* et *T,* neque ante alia vocabula, quam haec, quae appositurus sum: *Iove* Ecl. III, 60. G. III, 35. Aen. I, 380. VI, 123.; *litore* Ge. III, 33. Aen. III, 536., hoc quidem loco Medic. a m. sec., ibid. 639. XII, 787.; *laeva* Aen. VIII, 460.; *radice* et *radicibus* Ge. I, 20. 319. II, 17.; *rege* Aen. XI, 230.; *rupe* Aen. III, 647.; *sede* Aen. I, 270. III, 687. VII, 209. 255. 324. 454.; *stirpe* Aen. VII, 99. VIII, 130., neque aliter Medic. a m. sec. cum aliis Aen. I, 626., ubi *ad* prius in Medic. fuerat; item a m. sec. Ge. I, 171.; recte etiam Aen. IX, 603. *ab stirpe* e Sprotiano et Avieni imitatione reduxit Heinsius. Sed in omnibus, ut videtur, libris mss. legitur Ge. II, 312. „non *a stirpe* valent,“ i. e. ipsa stirps invalida est; *ab stirpe* significaret aut *cum ipsa stirpe*, aut *a stirpe, radice, usque ad summum*, sive *totae*, quod utrumque alienum ab isto loco. De Aen. III, 94. infra dicetur. *Ab* ante *t* vindicavi poetae Ecl. VIII, 40. ex Mediceo; et ex Valerio Probo Ge. I, 457., ubi Medicei lectio *at terra* eodem ducit. *Ab limite* e codd. editur Ecl. I, 54. *Ab stabulis* in Mediceo legi Ge. IV, 14. auctor est Heinsius; apud Fogginium tamen *a st.* exaratum.*) *Ab Troia* Aen. III, 149. ex duobus, in quibus Fragm. Vat., et VI, 335. ex uno, sed et ipso bono, cod. affertur; item unus *ab vulnere* Aen. VI, 450.

*) Sed Fogginium hic, non Heinsium, errasse, Freytagius certiorem me fecit.

Digitized by Google

2. Contra ubique Mediceus, licet aliis libris alterum sequentibus, praebet *a sanguine*, cfr. Aen. I, 19. 235. 550. IV, 230. V. 45.; item *a sedibus* Aen. I, 84. II, 611.; et alia similiter. — Quibus ea res nisa fuerit rationibus, non facile quisquam ita explicuerit, ut, quid quoque in loco sequendum sit, ex ipsius rei natura appareat. Sono multum in his tribuisse veteres, mihi quidem persuasissimum est; sed eius rei non ubique idonei sumus iudices. Hinc certe relinquendum ratus sum Aen. III, 94.: „Quae vos *a stirpe* parentum Prima tulit tellus;" sic ibi omnes codd.; durius, credo, videbatur *ab*, praegressis duobus vocabulis monosyllabis.

QUAESTIO II.

De Praepositione *Ex*.

Praepositio *Ex* ante consonas raro apud Virgilium invenitur. Quae ea de re praecipi posse videntur, haec sunt: 1) *Ex* ponitur subiecto Pronomine monosyllabo: *ex se* Ge. II, 218.; *ex me* Aen. XII, 435.; *ex quo* Aen. II, 163. 648. V, 47. VIII, 47. Haec res prorsus ad soni suavitatem videtur referenda. 2) *Ex* ponitur, ubi haec Praepositio numerum indicat: Ecl. X, 35.: „*ex vobis* unus;" Aen. XI, 533.: „unam *ex* virginibus;" I, 171.: „omni *ex* numero." Huc referendum etiam Aen. II, 659.: „Si nihil *ex* tanta Superis placet urbe relinqui." Aliud est Aen. III, 602.: „Scio me Danais *e* classibus unum." Sed tamen Aen. III, 377.: „Pauca tibi *e* multis;" et IX, 217.: „sola multis *e* matribus." 3) *Ex* ponitur in eiusmodi dictionibus, quales sunt *ex diverso* Aen. II, 716. III, 232.; *ex longo* Aen. IX, 64.; *ex more* Aen. V, 244. VIII, 186. 4) *Ex* scribitur, quum haec Praepositio ei nomini, quod ex ea pendet, postponitur, aut quum inter Substantivum et Adiectivum ita interiecta est, ut Substantivum praecedat: Ecl. VI, 19.: „*ipsis ex* vincula sertis." Aen. IV, 410.: „Prospiceres *arce ex* summa. Hinc praestiterit Aen. II, 718.: „Me *bello ex* tanto," ut est in aliquot Pierianis paucisque aliis codd. Recte autem Aen. XII, 134.: „At Iuno *e* summo, qui nunc Albanus habetur, — — Prospiciens tumulo," ab Heinsio, ante quem *ex s.* edebatur, revocatum est. Denique 5) editur Aen. XI, 720.: „poenasque inimico *ex* sanguine sumit;" et XII, 949.: „poenam scelerato *ex* sanguine sumit;" bene utique et eleganter in quarta eaque debiliore ceteris sede, praegressa etiam longa vocali. Ubi alterutra harum causarum sola locum habet, *e* scriptum invenitur; sic praegressa longa vocali *e* legitur Ge. IV, 200. Aen. III, 176. 590. V, 270. X, 263. XII, 134.; et absorpta brevi in quarta sede Aen. I, 44. X, 221. — Ceterum *e* quamvis consonam subiectam

habet, neque ulla videtur esse, quae alteram harum formarum respuat. — Aen. V, 270.: „saevo *ex* scopulo" in Rom. legitur, durius fortasse.

QUAESTIO III.

De forma Accusativi nominum propriorum.

1. Nominum Graecorum masc. gen. in *as* et *es* desinentium Accusativus a Virgilio terminatur in *an* et *en;* et ex optimorum librorum fide recte ubique editur *Acesten*, *Aenean*, vid. V. L. ad Aen. V, 850., *Anchisen*, *Antoren*, *Hylan*, *Idan*, *Iolan*, *Niphaten*, *Oronten;* vid. Heins. ad Aen. I, 113. Ecl. I, 66. male editur *Oaxem*, tacite correctum a Vossio et Iahnio. Nominativus *Oaxes* legitur apud Vibium, cuius inprimis magna hic auctoritas. *Oaxis* apud Serv.; sed idem Servius in ipso Commentario Accusativum *Oaxen* exhibet, quem tamen, si *Oaxis* esset Nominativus, in *im* mittendum fuisse vix dubites. *Oaxen* praeter alios tuetur antiquissimus ille Gudianus et Rom. Aen. I, 581. *Aeneam*, haud dubie operarum vitio, in edit. Heyn. legitur. Nec dubito, quin ex Grammaticorum auctoritate ubique scribendum sit *Achillen;* vid. Heins. ad Aen. I, 458. et a me notata ad Aen. I, 30. Codicum in hac voce minor auctoritas; nam quum ea semper, ter omnino, Aen. I, 458. IX, 792. XI, 438., in fine versuum legatur, ultima eius litera etiam in antiquissimis libris, ut in ipso Mediceo, per lineam transversam exprimitur, quae interdum etiam literam *n* designat, ut in Medic. Ecl. IX, 10. Aen. V, 298. VI, 445. IX, 184. X, 128.

2. Contra retinui Aen. X, 561. sq. Accusativum *am* in Italicis nominibus, *Lucam* et *Numam;* ubi unus Gudian. *Lucan*, itemque unus Medic. *Numan* produnt, scilicet quia alias, sed in Graecis nominibus, hae formae frequentatae.

3. Terminationem *in* nusquam Virgilius videtur admisisse, nisi forte metri necessitate cogente. Hinc edidi *Alexim*, *Chromim*, *Daphnim*, *Lirim*, *Moerim*, *Opim*, *Parim*, *Phasim*, *Tanaim*, *Thetim*, *Itym* etiam et alia eodem modo. Burmannus saepius in Bucolicis expressit *im*, Heynius constanter *in*. In Mediceo, quoties ipsa finalis horum vocc. litera expressa, nec lineola tantum significata est, ubique *im* legitur, si Ecl. VIII, 85. ap. Fogg. et Aen. V, 116. et X, 705. exceperis; hoc quidem loco libri minime contemnendi *Parim* tuentur, quod etiam Charisius confirmat; et in talibus non negligenda Grammaticorum auctoritas; edidit ita Iahnius. Optandum esset, ut in eiusmodi rebus, in quibus accurata scripturae diversitatis notatio vel maxime requiritur, diligentiores fuissent editores, Heinsius inprimis. Is ta-

Digitized by Google

men ad Ecl. IV, 32. et Aen. VII, 84. veterrimos ait codices *Daphnim*, *Alexim*, *Parim*, *Moerim*, *Irim*, et similia habere; et ad Ecl. VIII, 76. haec scribit: „*Daphnim* Mediceus passim hac Ecloga, et alii vetustiores. Sic *Moerim* bis terve habebis Ecloga subsequente." *Pristin* Medic. Aen. V, 116., alii *Pristim:* „recte; inquit Heinsius; nam Maroni sollemnis enuntiatio Latina in nominibus Graecis." Et *Pristim* ipse idem Medic. X, 211. Idem Heins. VI, 445.: „*Procrimque* libri vetustiores, Maroniano more;" idque revocavi. Apud Foggin. tamen Ecl. VIII. pro finali litera in fine versuum lineola conspicitur. *Moerim* liquido in Mediceo Ecl. VIII, 98. IX, 53., ubi *moverim* a m. pr., quod haud facile ex *Moerin* nasci potuit. *Thetim* Ecl. IV, 32. omnes Heinsiani praeter unum alt. Mentel. *Alexim* praeter alios Serv. Dresd. Ecl. II, 1. et 73.; altero quidem loco in interpretatione; nam in ipso textu *Alexis* exhibet, quae est altera lectio. *Irim* in Medic. ceterisque codicibus Aen. V, 606. IV, 694. IX, 2. X, 38; et quod IX, 803. in Medic. legitur *Irem*, id non potuit ex *Irin* exsistere. *Daphnim* et similia etiam ubique in emendatissima Ald. tert. expressum; *Daphnim* Ecl. II, 26. Serv. Dresd. et codd. Parisini 7. 11. 14., etiam Romanus ibi a Potterio ad testimonium vocatur; *Daphnim* Serv. Dresd. etiam Ecl. V, 20. 51.; eamque codicum quoque scripturam esse, affirmat ad vs. 20. Burmannus. Quod autem Ecl. V, 52. legitur: „*Daphnin* ad astra feremus," metri necessitate compulsus ita scribere eo loco debuit poeta; quamquam ne illud quidem vero absimile, Virgilium in eo quidem positu scripsisse „*Daphnim* ad astra" etc. cf. Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 61. sq. Quo loco quod Heynius ad alios corrigendos utitur, possum alium ei opponere, qui scripturam a me defensam luculento testimonio confirmat; legitur is Aen. VI, 334.: „Leuca*spim et* Lyciae ductorem classis Oronten." adde VII, 242. Ac si semel *Daphnin* poeta usurpavit, non maiorem hoc habet vim, quam quod item semel exaratum *Tarcho* videmus Aen. VIII, 603.; vid. quae notavi ibi ad vs. 506. Unde intelligitur, non recte Heynium istoc exemplo usum esse ad omnia similia in Bucolicis corrigenda; *Ararim* tamen et *Tigrim* Ecl. I, 63. ab eo retentum; nec ulla ibi e codd. notatur diversitas, nisi quod *Ararin* et *Tigrin* in cod. Lengn.

QUAESTIO IV.

De Graecis terminationibus sec. Declinat. *os* et *on*.

In terminandis Graecis nominibus sec. Declinationis, quantum ex codd. intelligere licet, non videtur Virgilius ubique certam aliquam legem secutus esse. In nominibus Insularum prae-

Digitized by Google

tulit Graecam formam: *Lesbos* Ge. II, 90. *Delos* Ge. III, 6. *Delum* tamen in antiquioribus libris Aen. IV, 144. *Tenedos* Aen. II, 21. *Neritos* III, 271. *Zacynthos* ibid. 270. *Naxon*, *Olearon* et *Paron* Aen. III, 125. sq. Hinc Aen. VII, 208. e codd. scripsi *Samon;* Medic. ibi *Samom*, ut *Arctom* Ge. I, 138. *Paphi* nomen in optimis libris Latinam habet terminationem, Aen. I, 415. X, 51. 86.; quo accedit *Thapsumque* Aen. III, 689. Terrarum, montium fluminumque nomina nunc Graece, nunc Latine terminantur: Graece *Epiros* Ge. I, 59. *Aegyptos* Ge. IV, 210.; sed *Aegyptus* Aen. VIII, 705.; porro *Tmaros* Ecl. VIII, 44. *Pelion* Ge. III, 94. *Spercheosque* e Medic. et Leid. Ge. II, 487. editur. *Cocytos* Aen. VI, 132. e Medic. restitui. *Pactolosque* Aen. X, 142. editur; Mediceus tamen *Pactolus*. Et sic *Hermus* Ge. II, 137. *Ismarus* Ecl. VI, 30. *Tmolus* Ge. I, 56. ex fide meliorum codicum, quod firmatur Ge. II, 98. *Caicus* Ge. IV, 370. *Hebrus* ibid. 524. Urbium sola *Tyros* Aen. IV, 670. Graece terminatur. — Rarae in hominum nominibus Graecae formae: *Mnasylos* Ecl. VI, 13. *Epeos* Aen. II, 264. *Tityon* VI, 595. Nam Accusativus Rutuli nominis *Talon*, qui Aen. XII, 513. legitur, recte in suspicionem vocatur. — Praeterea haec inveniuntur: *Arcton* Ge. I, 138. *Lageos* Ge. II, 93. *Scorpios* Ge. I, 35. Contra *Sirius* Ge. IV, 424. et Aen. III, 141.; ubi tamen non negligendum, quod ibi *Indos*, hic *agros* subiicitur; quare auribus consuluisse videtur poeta, utroque loco scribens *Sirius*.

QUAESTIO V.

De terminatione tert. Personae plural. Perfecti Indic. Activi.

Sollemnis est permutatio terminationum *ĕrunt* et *ĕre*. Sed ipsi codices eo ducunt, ut, utra quoque loco praeferenda sit, plerumque appareat. In medio versu res omnis pendet ex metri necessitate, quod uno, eoque maxime luculento, exemplo comprobatur: Ecl. X, 13.: „illum etiam — — *flevere* myricae, — — *fleverunt* saxa Lycaei.“ Sed quum ea permutatio non nisi in fine versuum locum habeat, sponte intelligitur, formam breviorem ad versum apte claudendum multo altera illa pleniore commodiorem esse. Quod nolim ita a me dictum putes, quasi versus, contra ac vulgo fit, brevi syllaba saepius aut rectius finiri, quam longa, existimem; sed vocalis *e* quum exilioris sit soni, aurium maxime iudicio haud dubie poetae hoc dederunt, ut in ultimi pedis thesi syllabam eadem vocali, quam gravi illa fuscaque *u*, terminatam, positione etiam, quam vocant, corroboratam, subiicere mallent. Hinc recte *dedere* editur Ge. I, 287. III, 83. 115. 247. 378.

Digitized by Google

IV, 204. Aen. I, 398. II, 243. 567. III, 238. 337. 566. IX, 686. XI, 190. et *tulere* Aen. II, 131. V, 582. Ex Medicei auctoritate eandem formam reduxi Aen. VIII, 324. IX, 292. Reliqui tamen, ob codicum consensum, duobus locis pleniorem terminationem, etsi ibi quoque tenuior illa videtur restituenda: Ge. II, 454.: „Quid memorandum aeque Baccheia dona *tulerunt?*" et Aen. I, 605.: „Quae te tam laeta *tulerunt* Saecula?" hic quidem duo, sed non magni ponderis, codd. apud Burm. *tulere*. Longior autem forma tum praelata est, ubi Perfectum sua ac propria vi praeditum et a nobis vernaculo sermone loquentibus et a Graece scribentibus per idem tempus reddendum est. Hinc Ecl. III, 111.: „sat prata *biberunt;*" sic ibi omnes libri mss. Ecl. V, 34.: „postquam te fata *tulerunt*, Ipsa Pales agros — reliquit;" tres libri *tulere*. Ge. II, 422.: „Quum semel haeserunt arvis, aurasque *tulerunt*."

QUAESTIO VI.

De Modis ac Temporibus Verborum confusis.

Saepissime Tempora Modique Verborum a librariis permutati. E multis pauca decerpam; plura daturo tempus deerat, non voluntas aut rerum copia.

1. Maximam vim in Tempora Modosque mutandos habuerunt diversarum Coniugationum terminationes *et*, *at;* *ent*, *ant;* ut Ecl. III, 48.: „Si ad vitulam *spectas*, nihil est, quod pocula *laudes;*" ubi in aliis libris mss. *spectes — laudas*. Aen. I, 48. sq.: „Et quisquam Iunonis *adorat* Praeterea, aut supplex aris *imponet* honorem?" alii *imponit*, *imponat*, *adoret*. III, 407.: „Ne qua — Hostilis facies *occurrat* et omina *turbet;*" alii *turbat*, unus *occurret*. ibid. 457.: „Ipsa *canat*, vocemque volens atque ora *resolvat;*" alii *canet — resolvet*, quod inde ortum videtur, quod in antiquo aliquo codice, ut est in veterrimo illo Gudiano, mendose exaratum fuerat: *canat — resolvet*. VIII, 244.: „Non secus, ac si — — Infernas *reseret* sedes et regna *recludat;*" alii *reserat*, *recludit*, *recludet*. XI, 330.: „qui dicta *ferant*, et foedera *firment;*" unus *firmant*, hinc alius *ferunt*. ibid. 466.: aditus urbis *firment*, turresque *capessant;*" ubi duo *firmant*, et hinc alter ex iisdem *capessunt*.

2. Relativo *quicunque* interdum male subiungitur Coniunctivus a librariis; vid. Aen. I, 610. II, 709. IX, 299. XII, 203. *quidquid* VIII, 401. Male tamen unus *violavit* pro *violarit*, Futuro exacto, XI, 591. coll. vs. 848.; item unus Ecl. III, 49. *vocabis* pro *vocaris*.

Digitized by Google

3. In enunciatis conditionalibus ubi talia ponimus, quae utrum fiant, facta sint aut fieri possint, necne, incertum relinquimus, et protasis et apodosis Coniunctivum requirit. Nam si quae erunt, quae adversari videantur huic regulae, ea si diligentius examinaveris, facile intelliges minime repugnare; fieri enim potest interdum, ut alterum tamquam certum, alterum tamquam incertum efferatur. Ecl. II, 57.: „nec munera curat Alexis, Nec, si muneribus *certes*, *concedat* Iollas;“ alii codd. *concedet* et *concedit; concedet* ferri potest: dabit ampliora munera; sed de hoc versu vid., quae in V. L. scripsi. Ecl. VII, 68.: „Saepius at si me, Lycida, *revisas*, Fraxinus in silvis *cedat* tibi, pinus in hortis;“ alii *cedet;* recte, si *revises;* sed quum *revisas* legatur, aeque ineptum est *cedet*, ac si quis dicat: amabo te, si me ames. Ecl. X, 33.: „o mihi tum quam molliter ossa *quiescant*, Vestra meos olim si fistula *dicat* amores;“ recte *quiescant*, non *quiescent*, ut est in aliis codd., quia haec res omnis ex eo suspensa est, facturine hoc, quod fieri cupit, sint illi, necne. Male editur Aen. I, 374.: „O dea, si prima repetens ab origine *pergam*, Et *vacet* annales nostrorum audire laborum: Ante diem clauso *componet* Vesper Olympo;“ reduxi *componat* e Pierianis; vide, quae ibi notavi.

4. In contrariam partem peccatum Ge. I, 229.: „Si vero viciamque seres — — Haud obscura cadens *mittet* tibi signa Bootes;“ ubi male unus *mittat*, i. e. si seres, fieri fortasse potest, ut tibi haud obscura signa mittat Bootes; at hoc dicit poeta: si viciam serere voles, idoneum serendi tempus certissime ex Boote cognosces. Male edebatur Ge. II, 227.: „Rara sit an supra morem si densa *requiras*, — — Ante locum capies oculis;“ quod esset: si forte requiras, quod quidem facturusne sis, necne, nescio. Male etiam Ecl. IX, 64.: „Cantantes licet usque (minus via *laedat*) eamus;“ vid. ibi notata; recte *laedit*, quod ita explicandum: si cantamus, minus via laedit; sive: cantantes via non laedit. Male etiam tuetur Burmannus, diversa miscens, Coniunctivum Ecl. VI, 10.: „Si quis tamen haec quoque, si quis captus amore *legat:* — — Te nemus omne *canet*.“ Indicativum reduxi Ecl. II, 27.: „Non ego Daphnim Iudice te metuam, si numquam *fallit* imago;“ conditionalis sententia ad verbum *metuam* referenda latet in his: *iudice te*, i. e. si ipse iudices; haec autem: *si numquam fallit imago*, negligentius subiunguntur et ita explicanda sunt: quod possum contendere, si, ut credo, imago non fallit. Inepta est altera lectio *fallat*, i. e. at fieri potest, ut imago fallat; inepta hic etiam tertia *fallet*. Nemo haerebit in Coniunctivo Aen. IX, 172.: „Quos pater Aeneas, si quando adversa *vocarent*, — dedit esse magistros.“ Sed erit fortasse, quem offendat Ge. II, 49. 54. Aen. VII, 310. Et primo quidem loco haec leguntur: „Tamen haec quoque si quis *Inserat* — : *Exuerint*

silvestrem animum; cultuque frequenti In quascumque voces artes haud tarda *sequentur;*" hoc loco cave *sequantur* scribendum censeas, quamquam ita est in optimae notae libro, Moret. pr.; apodosis praegressae conditionalis sententiae his verbis conclusa est: *Exuerint silvestrem animum;* inde nova subiungitur sententia et ipsa conditionalis, hunc in modum capienda: et si deinde cultum frequentem adhibueris, (Futur. exact.) haud tarda sequentur etc. Ge. II, 54.: „Hoc *faciet*, vacuos si *sit* digesta per agros;" bene *faciet*, quamquam *faciat* in Medic. a m. pr. et in Gud.; totus ibi locus ita est comparatus, ut illud iam pro certo affirmari potuerit. Denique Aen. VII, 310.: „Quod si mea numina non *sunt* Magna satis: *dubitem* haud equidem implorare quod usquam est. Flectere si nequeo superos" etc.; hic Coniunctivus gravius affirmandi vim habet: non video, cur dubitem.

5. Ut autem Modus Modo respondet, si eadem est utriusque enunciati natura, sic idem Tempus eidem Tempori opponi in his similibusque solet. Aen. VI, 625.: „Non, mihi si linguae centum *sint* oraque centum, Omnia poenarum percurrere nomina *possim;*" male ante Heinsium *possem*. IX, 211.: „Si quis in adversum *rapiat* casus, — Te superesse *velim*." Aen. II, 709.: „Quo res cumque *cadent*, — Una salus ambobus *erit*." IX, 299.: „casus quicumque *sequentur*, Haec eadem — *manebunt*." Ge. I, 454.: „Sin maculae *incipient* — —, omnia — vento nimbisque *videbis* fervere;" male alii *incipiunt*. Hinc recte editur Ge. II, 202.: „quantum longis *carpent* armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte *reponet*;" alii *reponit* et *reponat*. Ex Medic. Ge. I, 438. *condet* adscivi: „Sol quoque et exoriens et quum se *condet* in undas, Signa *dabit;*" nam Participium Praesentis ex adiecto verbo finito *dabit* explicandum: *quum orietur*; cfr. vs. 458.: „At si, quum *referet*que diem *condet*que relatum, Lucidus orbis *erit;*" nam quod opponunt vs. 427. sqq., eius rei alia est ratio: *parabitur* enim referendum ad *comprenderit*. Ecl. V, 76.: „fluvios dum piscis *amabit*, Dumque thymo *pascentur* apes —, Semper honos nomenque tuum laudesque *manebunt;*" ubi male a Cortio defenditur *pascuntur*, quod est in Gud. Aen. I, 607.: „In freta dum fluvii *current*, dum montibus umbrae *Lustrabunt* convexa, polus dum sidera *pascet*, Semper honos nomenque tuum laudesque *manebunt;*" ubi male in nonnullis et in ipso Mediceo *pascit*. Adde Ecl. VII, 63. Aen. IX, 447. sqq. Ovid. Ib. 135. sqq.; de quibusdam locis, qui repugnare videntur, vid. V. L. ad Aen. IV, 336. Ge. IV, 411.: „Sed quanto ille magis formas se *vertet* in omnes, Tanto, nate, magis *contende* tenacia vincla;" recte *vertet* ob Imperativum, cui respondet Futurum in eiusmodi re, quae futura est, nondum fit. Hinc recte Ge. III, 73.: „quos in spem *statues* submittere gentis, — inde a teneris *impende* laborem;" ante Heinsium *statuis* legebatur. Ceterum quum in his praestan-

Digitized by Google

tissimi etiam codices interdum fluctuent, erit fortasse, ubi plus rationi, quam libris mss. inservire debeas. Nemo tamen sollicitabit talia: Ge. I, 189.: „Si *superant* fetus, pariter frumenta *sequentur.*“ Aen. XI, 168.: „quod si immatura *manebat* Mors natum: caesis Volscorum millibus ante, Ducentem in Latium Teucros, cecidisse *iuvabit.*“

QUAESTIO VII.

De permutatione Praesentis et Perfecti.

1. Praesens et Perfectum saepissime permutantur, ubi parem utrumque habet mensuram similemque sonum; quod omnium quidem frequentissime verbis *fundere*, *rumpere*, *linquere* et inde compositis accidit. Qua in re duo sunt maxime observanda, codicum auctoritas et sententiae ratio. De codicibus in universum hoc tenendum: multo saepius Praesens in Perfectum, quam Perfectum in Praesens mutatum esse in iis verbis, quorum Perfectum fit detracta una Praesenti littera; facilius enim demebatur, quam addebatur litera; et consonae *m* et *n* saepissime per lineolam transversam in recentioribus libris mss. indicabantur, quae facile fieri potuit ut ab iis, qui eiusmodi codices describerent, omitteretur. Hinc si antiquiores libri aut omnes, aut plerique in Praesens conspirant, multo consultius fuerit, hoc tempus praeferre Perfecto.

2. Sententiam si consulimus, Praesenti tempore et historicos et poetas saepissime uti pro Perfecto tum, ubi velut in rem praesentem perducere lectorem volunt, inter omnes constat. Hinc egregie Aen. II, 275.: „Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui *redit* exuvias indutus Achilli!“ Fit autem hoc maxime, ubi ipsa res, quae narratur, quibusdam exspectationis stimulis animum excitat; excitant autem ea maxime, quae produnt commotum eius animum, qui vel facit aliquid, vel loquitur. Hinc quae cum aliqua commotione animi, cum quadam alacritate, vehementia, studio atque impetu geruntur, plerumque per Praesens exprimi solent. Quamobrem Praesentia recte exhibentur Aen. IV, 195.: „Haec passim dea foeda virum *diffundit* in ora. Protinus ad regem cursus detorquet Iarban.“ ibid. 388.: „His medium dictis sermonem *abrumpit* et auras Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert.“ ibid. 448.: „Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros Tunditur et magno *persentit* pectore curas.“ ibid. 646.: „Conscendit furibunda rogos, ensemque *recludit* Dardanium.“ VII, 458.: „Olli somnum

ingens *rumpit* pavor, ossaque et artus *Perfundit* sudor." X, 890.: „Multa movens animo, iam tandem *erumpit* et — coniicit hastam."

3. Hinc per Praesens ad futura aut proxime subiecta attendere iubemur, ut quum orationem alicuius exhibiturus est poeta. Inde fit, ut verbum *fatur*, *adfatur*, quoties fere apud Virgilium legitur, futurum indicet sermonem, *fatus* autem et *effatus* praegressum; de Aen. VI, 1. X, 621. XI, 718., qui versus eximendi sunt, mox dicetur. Interdum tamen per metri necessitatem Perfecto utendum fuit, ut Ge. IV, 530.: „namque ultro *adfata* timentem;" eodemque modo Aen. IV, 632. VI, 538. 666. XII, 138.; etiam *edidit* Aen. V, 799. VII, 194. Sed Aen. VI, 455.: „Demisit lacrimas, dulcique *adfatus* amore *est;*" et VIII, 611.: „Talibus *adfata est* dictis seque obtulit ultro;" propter adiectum idem tempus Perfecta praetulit poeta; item Aen. IV, 650.: „Incubuitque toro *dixit*que novissima verba." (Ge. IV, 320. neque eadem est codicum omnium lectio, et varia admittitur struendi ratio.) Itaque recte editur Aen. V, 482.: „Ille super tales *effundit* pectore voces." vs. 780.: „talesque *effundit* pectore questus." vs. 842.: „*fundit*que has ore loquelas." VI, 55.: „*fundit*que preces rex pectore ab imo." VII, 292.: „haec *effundit* pectore dicta." VIII, 70.: „tales *effundit* ad aethera voces." XI, 377.: „*rumpit*que has imo pectore voces." Ita his locis omnibus in optimis mss. legitur.

4. Properatur ad sequentia Aen. VII, 573.: „Nec minus interea extremam Saturnia bello *Imponit* regina manum. Ruit" etc. male alii *Imposuit*. Similia infinitis locis inveniuntur. Hinc etiam *fatur* bis legitur praegresso sermone Aen. VI, 1.: „Sic *fatur* lacrimans classique immittit habenas;" et XI, 718.: „Haec *fatur* virgo, et pernicibus ignea plantis Transit equum cursu."

5. Contra Perfectum res denotat quietiores et compositas. Sufficeret unum exempli gratia afferre locum, Ge. II, 495—513., nisi is longior esset, dignus tamen inprimis, quem inspicias. Adde versus placida quadam gravitate, ipsis etiam numeris expressa, praesignes Aen. I, 124.: „Interea magno misceri murmure pontum, Emissamque hiemem *sensit* Neptunus, et imis Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto Prospiciens, summa placidum caput extulit unda;" ubi male quidam *sentit*. Eandem ob causam, quamquam alibi subiectum sermonem Praesens *fatur* praecedit, ex optimis libris scribendum Aen. X, 621.: „Cui rex aetherii breviter sic *fatus* Olympi." Aen. V, 90. sqq.: „Ille agmine longo Tandem inter pateras et levia pocula serpens *Libavit*que dapes, rursusque innoxius imo *Successit* tumulo, et depasta altaria *liquit;*" male in aliis *succedit* et *linquit*.

6. Sed quum Perfectum rem plane absolutam significet, interdum hoc tempus ita pro Praesente ponitur, ut inter initium alicuius rei et finem vix ullum videatur spatium intercedere. Ge.

Digitized by Google

II, 81.: „deinde feraces Plantae immittuntur; nec longum tempus, et ingens *Exiit* ad caelum — arbos.“ Aen. IX, 418.: „Dum trepidant, *iit* hasta Tago per tempus utrumque.“ V, 336.: „Ille autem spissa *iacuit* revolutus arena;“ de repente lapso. IX, 771.: „huic uno deiectum comminus ictu Cum galea longe *iacuit* caput.“ De XII, 81. vid. Quaest. XXXV, 6. Huc refer etiam Ge. I, 330.: „Terra tremit; *fugere* ferae; et mortalia corda Per gentes humilis *stravit* pavor.“ Itaque non erat, quare in suspicionem Perfectum Heinsius vocaret Aen. XII, 154.: „Vix ea: quum lacrimas oculis Iuturna *profudit.*“ De X, 444. infra dicetur.

7. Saepe ita iunguntur Praeteritum, Perfectum maxime, et Praesens, ut hoc rem consecutam significet. Hinc recte editur Aen. IX, 432.: „sed viribus ensis adactus *Transabiit* costas, et candida pectora *rumpit;*“ i. e. transabiit et ita rumpit. X, 451.: „*Fatus* medium *procedit* in aequor.“ X, 659.: „Vix proram *attigerat: rumpit* Saturnia funem.“ XII, 380.: „praecipitem *Impulit effundit*que solo.“ VIII, 506.: „oratores regnique coronam Cum sceptro *misit*, *mandat*que insignia Tarchon.“ Itaque e Mediceo aliisque reponendum Aen. VI, 747.: „Donec longa dies — Concretam *exemit* labem, purumque *relinquit* Aetherium sensum.“ VII, 621.: „*Impulit* ipsa manu portas, et cardine verso Belli ferratos *rumpit* Saturnia postes.“ vid. etiam Wunderl. Not. ad Ge. III, 228. et Aen. II, 465. Inde saepissime fit, ut, praegressa Coniunctione *Quum* vel *Postquam* cum Perfecto, Praesens subiungatur.

8. Sed quod in superiore Quaestione vidimus, solere Tempus respondere Tempori, id si ad hanc causam transtuleris, non pauca erunt, quae illustrari hinc possint. Ge. IV, 415.: „Haec *ait*, et liquidum ambrosiae *diffundit* odorem.“ Aen. X, 379.: „Haec *ait*, et medius densos *prorumpit* in hostes.“ Ex paucis libris repositum Aen. XII, 470.: „Metiscum *Excutit*, et longe lapsum temone *relinquit.*“ X, 796: „*Prorupit* iuvenis, seseque *immiscuit* armis;“ ubi male Heinsius *Prorumpit.* Ge. III, 92.: „Talis et ipse iubam cervice *effudit* equina Coniugis adventu pernix Saturnus, et altum Pelion hinnitu fugiens *implevit* acuto.“ Ge. IV, 384.: „Ter liquido ardentem *perfudit* nectare Vestam: Ter flamma ad summum tecti subiecta *reluxit;*“ male hic ipse Medic. cum paucis aliis *perfundit.* Aen. X, 336.: „Illa volans clipei *transverberat* aera Maeonis, et *thoraca simul* cum pectore *rumpit.*“ IV, 277.: „Mortales visus medio sermone *reliquit*, Et procul in tenuem ex oculis *evanuit* auram.“ Contra VII, 7.: „*tendit* iter velis portumque *relinquit.*“ Male editur XII, 842.: „Interea *excedit* caelo, nubemque *reliquit.*“ Male etiam X, 465.: „Corde *premit* gemitum lacrimasque *effudit* inanes.“

9. Vehementer autem erret, qui ad hanc legem omnia revo-

Digitized by Google

care velit; nec cuiquam in mentem veniet, Praesens *perrumpit* sollicitare Aen. II, 480.: „correpta dura bipenni Limina *perrumpit*, postesque a cardine vellit Aeratos; iamque excisa trabe firma *cavavit* Robora et ingentem lato *dedit* ore fenestram.“ X, 444.: „Haec *ait*, et socii *cesserunt* aequore iusso.“ Ge. I, 35.: „iam brachia *contrahit* ardens Scorpios, et caeli iusta plus parte *reliquit;*“ ubi vid. notata.

10. Omnino autem, qui ubique, quid cuique rei conveniat, exquirere consueverit, plerumque, utrum tempus aptius sit, facile intelliget. Sic Ge. III, 530.: „nec somnos *abrumpit* cura salubres;“ qui totum locum perlegerit, persuadebit sibi, Perfectum *abrupit* alienum esse h. l.; item Ge. IV, 334.: „At mater sonitum thalamo sub fluminis alti *Sensit;*“ male *sentit;* et Aen. XI, 691.: „sed Buten aversum cuspide *fixit;*“ male *figit*. Bene Aen. VIII, 67.: „Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto, Ima petens: nox Aenean somnusque *reliquit;*“ sic interpungendum. X, 310.: „Signa canunt. Primus turmas *invasit* agrestes Aeneas;“ sic recte editur et interpungitur. V, 517.: „Decidit exanimis, vitamque *reliquit* in astris Aetheriis, fixamque refert delapsa sagittam;“ i. e. relicta in astris vita. III, 568.: „Interea fessos ventus cum sole *reliquit;* Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris;“ i. e. postquam tandem fessos reliquit ventus, adlabimur. Similiter Aen. XI, 1.: „Oceanum interea surgens Aurora reliquit: Aeneas — — Vota deum primo victor solvebat Eoo;“ i. e. proximo mane, postquam Aurora Oceanum reliquit, etc. Recte XI, 150.: „*Procubuit* super, atque *haeret* lacrimansque gemensque;“ illud fit momento temporis, hoc durat; quae res optime illustratur VIII, 86.: „Thybris ea fluvium, quam longa *est*, nocte tumentem Leniit.“ VII, 600.: „Nec plura locutus Saepsit se tectis, rerumque *reliquit* habenas;“ recte *reliquit*, quia hinc ad novum argumentum transitur. X, 415.: „saxo ferit ora Thoantis, Ossaque *dispersit* cerebro permixta cruento;“ ubi *dispersit*, quod est in optimis libris, eo defendas, quod Praesens *ferit*, quum destitutum sit Perfecto hoc verbum, Perfecti vicem sustinet, ut similia verba sexcenties. XII, 495.: „Diversos ubi *sentit* equos currumque referri;“ male editur *sensit*, quod saepius recurrenti literae sibilanti debetur. VII, 221.: „nos ad tua limina *misit;*“ duo, in quibus Vatic., *mittit*, minime hoc spernendum, si per se spectas; sed repetitum est e III, 155.

Digitized by Google

QUAESTIO VIII.
De Numeris Verborum permutatis.

1. Vix quidquam ex toto permutationum genere frequentius apud Virgilium, quam Numeri Verborum et Nominum confusi. Quamobrem de ea re accuratius exponendum mihi putavi. Hoc autem acturus in ipso disserendi principio illud inprimis teneri volo, Virgilium hac quoque in re, ut in multis aliis, maxime studuisse simplicitati, neque ab hac parte ornatum magnopere quaesivisse. Dici tamen vix potest, quam saepe Heinsius, ut taceam alios, nescio quam elegantiam venatus probas lectiones tentaverit, ubicunque fieri poterat, immo saepissime, ubi non poterat, pluralem numerum pro singulari obtrudens invito ac paene reluctanti Virgilio. Sed missis ambagibus statim in mediam rem veniamus.

2. Primum magna pars exemplorum singularis numeri in pluralem mutati versatur in eo genere, quod ex vicino Nomine vitium traxit. Hoc genus duplex est: nam aut verus vel praecedit proxime vel sequitur Nominis alicuius Pluralis, aut propinquus est Singularis Nominum communem habens cum Neutris Pluralium terminationem.

a) Prioris generis exempla invenies Ge. II, 113.: „Bacchus *amant* colles, aquilonem et frigora taxi;“ sic Leid. sec. pro *amat*. III, 565.: „immundus olentia sudor Membra *sequebantur;*“ e duobus enotatum. Aen. I, 58.: „Ni *faciant*, maria ac terras“ etc. sic pro *faciat*, Medic. Priscian. et Pompon. Sab. III, 455.: „cursus in altum Vela *vocent;*“ sic bene multi. II, 536.: „si qua est caelo pietas, quae talia *curent;*“ Medic. et Parrhas. XI, 830.: „Et captum leto posuit caput, arma *relinquunt;*“ sic pro *relinquens* fuerunt apud Servium qui legerent; quod alii mutarunt in *relinquit*. Recte Medic. cum aliis Aen. II, 208.: „*sinuatque* immensa volumine terga;“ ita edidi pro *sinuant;* Pluralis enim ex subiecto Plurali Nominis ortus. Ipse autem orationis nexus requirit Singularem, ad voc. *pars* referendum; respondent enim haec sibi invicem: „Pectora, anteriorem partem, angues per mare invecti excelsa tenent,“ et, „Pars cetera, posterior, in magnos sinus est collecta.“ Prorsus autem languent ista: *Pars cetera pontum Pone legit*, si retinemus *sinuant:* nam quum illud ita esse per se intelligeretur, non erat cur adiiceret poeta, nisi ea cum proxime subiectis coniuncta esse voluisset. Aen. V, 825. editur: „Laeva *tenent* Thetis et Melite;“ sed recte optimi libri magno numero *tenet*, quod reduxi; accedit etiam Servii Dresd. auctoritas, recentissimi quidem libri, sed saepe cum praestantissimis codd. conspirantis; cfr. etiam infra §. 3. a). Nec melius ex uno Mediceo — nam in

Digitized by Google

tali re ne optimi quidem libri vitiorum prorsus immunes sunt — editum Aen. X, 238.: „Iam loca iussa *tenent* — Arcas eques;" de quo cfr. praeterea §. 4. c). Aen. VI, 37. in Rom. legitur: „Non hoc ista sibi tempus spectacula *poscunt;*" eadem est prior Medicei lectio, altera *poscit.* Hoc quoque loco Pluralis Verbi e proxime praegresso Nomine ortus; neque ad sensum perinde est, ut putat Heynius, utrum *poscunt* legatur, an *poscit;* de eo enim agitur, quid sibi tempus illud poscat, non spectacula quod tempus poscant. Facillime autem talia e contrariis iudicare licet: hoc tempus non spectacula poscit, sed longe aliud quid; non: spectacula non hoc, sed aliud, poscunt tempus; quod si dixisset vates, videretur Aenean ad aliud tempus remittere voluisse; quod alienum erat ab hoc loco. Aen. VI, 651. in codd. non paucis, et, nisi falsus est Fogginius, in ipso Mediceo, exstat: „Arma procul currusque virum *mirantur* inanes;" Singularis defenditur vs. 656.; et soli convenit Aeneae haec miratio, utpote qui haec primum videat, non Sibyllae, cui haec omnia dudum nota, cfr. vs. 564. sq. Porro IX, 733.: „clipeoque micantia fulmina *mittunt:*" ubi *mittit* e Mediceo aliisque revocavi. Explicant illud *mittunt* ita, ut valeat i. q. *se mittunt.* Atque sic interdum usurpari Activa verum est quidem; sed talia angustioribus, quam vulgo putatur, inclusa sunt finibus, nec facile admittenda, nisi exemplis ante probatum fuerit, in eo ipso, quo de agitur, verbo hunc obtinere usum; neque enim in quovis id sibi concessum poetae putaverunt. Nec Aen. XI,. 145. recte editur: „Contra turba Phrygum veniens plangentia *iungunt* Agmina;" vid. etiam §. 3. a) et 4. c) Ge. III, 383. recte scripsit Heinsius: „Et pecudum fulvis *velatur* corpora saetis;" non fecisset, credo, nisi ornatus e Graecismo blandiretur.

b) Venio nunc ad alterum genus. Ge. II, 270.: „Ut, quo quaeque modo *steterint*, qua parte calores Austrinos *tulerint*, quae terga obverterit axi;" sic Mediceus; videtur librarius *quaeque* pro Plurali habuisse; quamquam etiam e praegresso Plurali Verbi *signant* origo mendi repeti potest; qua de re mox. Aen. III, 499. „Effigiem Xanthi Troiaeque videtis, Quam vestrae fecere manus; melioribus, opto, Auspiciis, et quae *fuerint* minus obvia Graiis;" sic pro *fuerit* in compluribus. VI, 209.: „leni *crepitabant* bractea vento;" quod impense placet Heinsio; atque his eiusdem farinae deliciis qui delectatur, ad satietatem usque e pleno Heinsii penu h. l. petere poterit. Male editur Ecl. X, 60.: „Spicula: tanquam haec *sint* nostri medicina furoris;" nempe *haec* a librariis pro Nominat. Pluralis accipiebatur; sententia haec est: medicina haec mihi sit, torquere spicula; neque ipsa spicula recte dici possunt medicina. — Denique etiam Genitivus primae secundaeque declinationis pro Nominativis plural. habitus corrumpendo Verbi numero fuit; cuius rei insigne est exemplum

Digitized by Google

Aen. IV. 18.: „Si non pertaesum *thalami taedae*que *fuissent;*“ sic sat multi codd. cum ipso Medic.

Vice versa Pluralis Verbi mutatus in Singularem per Singularem proximi Nominis, ut Ecl. VIII, 58.: „Omnia vel medium *fiat* mare;“ sed recte editur *fiant*.

c) His adiungere quaedam placet, quae corrupta sunt per propinquum alius Verbi Numerum. De Ge. II, 270. modo dictum. Ge. I, 185. „quae plurima terrae Monstra *ferunt; populat*que — Curculio;“ *populant* quidam. Aen. VI, 362.: „Nunc me fluctus *habet*, *versant*que“ cet.; ubi *habent* Medic. Aen. III, 417.: „Dissiluisse *ferunt*, quum protinus utraque tellus Una *forent;*“ sic Rottend. tert. Aen. XI, 609.: „progressus uterque *Substiterant;*“ sic nonnulli subsequenti *erumpunt* decepti. III, 142.: „Arebant herbae et victum seges aegra *negabant;*“ quod vitium e duobus codd. enotatum commendat Heinsius. De VII, 687. vid. §. 4. b). Inprimis memorabile exemplum exstat Ge. III, 402.: „Quod surgente die mulsere horisque diurnis, Nocte *premunt;* quod iam tenebris et sole cadente, Sub lucem *exportant* (;) calathis adit oppida pastor; Aut parco sale *contingunt* hiemique *reponunt;*“ vera lectio *exportans* a Scaligero restituta, quae quam facile depravari potuerit apertum est, in nullo videtur libro mss. inveniri. Eodem modo ob praegressum Singularem Verbi mutatus est in Singularem Pluralis in Mediceo Ge. II, 50. sq.: „Inserat — mandet — *Exuerit*,“ hoc pro *exuerint*. — Exemplum ex a) et c) mixtum suppeditat Aen. I, 308.: „Qui teneant, nam inculta *vident*, hominesne feraene;“ sic pro *videt* Medic. a m. pr.

3. a) Ubi duo Nomina iunguntur, Verbum proximi Nominis Numerum plerumque sequitur. Ecl. I, 58.: „Nec — raucae, tua cura, palumbes, Nec gemere aeria *cessabit* turtur ab ulmo.“ Ge. I, 484.: „Nec — fibrae apparere minaces, Aut puteis manare cruor *cessavit*.“ IV, 30.: „Haec circum casiae — et serpylla, et copia thymbrae *Floreat*.“ Aen. I, 16.: „Hic illius arma, Hic currus *fuit*.“ Sic etiam Aen. III, 274. sq. VI, 181, sq. IX, 706. sqq. et saepe alibi. Neque ubi metrum locum dat Plurali, usus est hoc numero poeta, ut Aen. I, 574.: „Tros Tyriusque mihi nullo discrimine *agetur*.“ II, 597.: „*superet* coniunxne Creusa Ascaniusque puer?“ III, 270.: „In medio *apparet* fluctu nemorosa Zacynthos, Dulichiumque Sameque et Neritos.“ ibid. 552.: „*Adtollit* se diva Lacinia contra Caulonisque arces.“ IX, 254.: „cetera *reddet* Aeneas atque Ascanius.“ Hinc firmantur emendationes Aen. V, 825. et XI, 145. supra factae §. 2. a). Hinc recte editur Ge. III, 565.: „Ardentes papulae atque immundus olentia sudor Membra *sequebatur*,“ ubi in duobus *sequebantur*. Aen. III, 269.: „Qua cursum ventusque gubernatorque *vocabant*,“ e Medic. multisque aliis

libris Singularem *vocabat* adscivi. Pauci libri IV, 276.: „cui regnum Italiae Romanaque tellus *Debetur;*" plerique *debentur;* in Mediceo tamen, frequenti corruptelarum indice, cfr. Ecl. IX, 66. X, 12. Ge. I, 339. II, 302. III, 273. 466. IV, 259. 443. et saepe alibi, abrasa est litera *n*. Hoc quidem et praegresso loco Servius Pluralem affert; ac vereor, ne eius iudicium fucum fecerit librariis, ut saepe, de quo peculiari Excursu exponetur. Aen. IV, 651.: „dum fata deusque *sinebant;*" at Medic. cum aliis nonnullis *sinebat*. Male in Ald. tert. V, 107. legitur: „Famaque — et clari nomen Acestae *Excierant*." Duo libri VIII, 318.: „rami atque — venatus *alebant;*" ceteri recte *alebat*. IX, 619. optimi libri, in quibus Mediceus: „Tympana vos buxusque *vocat* Berecyntia;" quod restitui. X, 358. Heinsius, eumque secutus, licet invitus, Heynius ediderunt: „non nubila, non mare *cedunt*," ex vitio unius Medicei, eoque ab emendatrice manu sublato. Simile mendum placebat Heinsio X, 760.: „Hinc Venus, hinc contra *spectant* Saturnia Iuno." X, 679.: „Quo neque me Rutuli, nec conscia fama *sequatur;*" sic ibi plurimi optimique libri, non *sequantur*, quod exstat in quibusdam. Quae quum ita sint, deserui etiam lectionem Ecl. VI, 30.: „Nec tantum Rhodope *mirantur* et Ismarus Orphea," ab Heinsio e quinque suis libris invectam. Neque obstat, quominus id facerem, Rufinianus, vel quisquis illum de Schematis Lexeos libellum concinnavit, ab Heinsio ad testimonium vocatus; nihil enim, quod certum sit, inde licet intelligere, nisi satis antiquum esse illud vitium. Ac fuit fortasse, qui *Rhodope* Pluralem putaret, e contractione explicandum.

b) Metri causa tamen admissus est Pluralis Ge. II, 215.: „Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris Creta *negant* alios aeque serpentibus agros Dulcem ferre cibum;" quamquam aliter haec intellecta sunt ab ipsis antiquis Grammaticis, quod discitur e Servii scholio: „NEGANT: Scilicet Nicander et Solinus, qui de his rebus scripserunt." Aen. XI, 184.: „Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon *Constituere* pyras." Aen. II, 478.: „una Periphas, Automedon, una omnis Scyria pubes *Succedunt* — *iactant;*" sic in omnibus libris; et recte: nam multitudinis notio per Pluralem erat exprimenda. Bene etiam secundum plurimos optimosque libros IX, 171.: „*instant* Mnestheus acerque Serestus;" sic enim ubique, ubi statim duo vel plura nomina obversantur animo, quod hoc quidem loco e proximo versu apparet: „*Quos* pater Aeneas — Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros." V, 154. sq.: „Post hos aequo discrimine Pristis Centaurusque locum *tendunt* superare priorem." Hinc Ecl. VII, 2.: „*Compulerant*que greges Corydon et Thyrsis in unum;" ubi male unus *compulerat*. Sed ubi unum post alterum menti succurrit nomen, rectius Singularis praefertur, ut Aen. V, 825., de quo supra §. 2. a). Aen. XI, 597.: „At manus interea muris Troiana *propinquat*,

Digitized by Google

Etruscique duces, equitumque exercitus omnis;" quem locum laudans Valer. Probus ita exhibet: *muris tectisque propinquant*, memoria scilicet lapsus; tamen *propinquant* valde probatur Heinsio; cf. etiam §. 4. a. b. c. Denique Ge. II, 450.: „Nec tibiae leves, aut torno rasile buxum Non formam *accipiunt*," requiritur Pluralis, quia iungenda *Nec non*.

4. Collectivis raro adiicitur pluralis Verbi Numerus. Fit hoc a) in circumlocutione, adiecto Genitivo eius Nominis, quod verum est subiectum; ut Ge. IV, 461.: „At chorus aequalis Dryadum clamore supremos *Implerunt* montes." Aen. III, 675.: „At genus e silvis Cyclopum et montibus altis Excitum ruit ad portas, et litora *complent*." Posteriore tamen loco Grammatici hunc versum laudantes et aliquot libri mss. *complet;* et fortasse Pluralis proximo Nomini *litora* debetur.

b) praegresso vocabulo *Pars;* sed ea res his regitur finibus, ut eius Nominis, ad quod refertur voc. *pars*, Pluralis, aut Pronomen *alii* praecedat. Ge. II, 10. sqq.: „Namque *aliae* — Sponte sua veniunt —: *Pars* autem posito *surgunt* de semine." IV, 374. sqq.: „manibus liquidos dant ordine fontes *Germanae*, tonsisque ferunt mantelia villis; *Pars* epulis *onerant* mensas." Aen. I, 210. sqq.: „*Illi* — — Tergora deripiunt costis et viscera nudant; *Pars* in frusta *secant*." II, 399. sqq.: „Diffugiunt *alii* ad naves, — *pars* ingentem formidine turpi *Scandunt* rursus equum." IV, 402. sqq.: „Ac veluti ingentem *formicae farris* acervum Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt, It nigrum campis agmen, praedamque per herbas *Convectant* calle angusto; *pars* grandia *trudunt* Obnixae frumenta humeris: *pars* agmina *cogunt*." IX, 505. sqq.: „*Volsci* fossas implere parant; *Quaerunt pars* aditum." XII, 277. sqq.: „At *fratres*, animosa phalanx, adcensaque luctu, *Pars* gladios *stringunt* manibus, *pars* missile ferrum *Corripiunt*." Eandem legem sequitur *quisque*. Quae quum ita sint, nemo facile commendabit, quod in paucissimis neque iis optimis codd. legitur VII, 686.: „*pars maxima* glandes Liventis plumbi *spargunt; pars* spicula *gestant* Bina manu," pro recepto *spargit* — *gestat;* illud ortum ex praegresso et subiecto Plurali. Nec recte editur XI, 466.: „*Pars* aditus urbis *firment*, turresque *capessant;*" ubi qui Pluralem per ea, quae praecedunt, tueri velit, is, re accuratius pensitata, id non procedere intelliget. Itaque Mediceum prae ceteris ducem secutus *firmet* et *capessat* exarandum curavi. Memorabilis est locus Aen. VI, 637. sqq., quem totum adscribam:

His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit

Digitized by Google

Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis *exercent* membra palaestris;
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus *plaudunt* choreas, et carmina dicunt.

Apparet, recte dici potuisse: *Pars exercent;* nam etsi certum quoddam subiectum desideratur, tamen e praegresso verbo *norunt* totoque orationis habitu facile illud quale sit perspicitur, puta: *qui habitant haec loca.* Sed in bene multis nec spernendis codd. exstat *exercet;* quod haud scio an genuinum sit. Pluralis *exercent* ex eodem numero et praecedente et subsequente ortus videtur; adde, quod huic verbo subiectum, *membra.* Ac si deberetur Singularis voc. *pars,* sane mirum videbitur, quod nullus liber in proximis versibus eundem Numerum exhibeat. Nihil autem offensionis habebit Pluralis *plaudunt—dicunt* vs. 649., quum praecedat *Contendunt*, in quo Verbo subaudiendum *alii.* Sed pergimus ad alia. Aen. II, 395. in uno Gudiano: „spoliis se quisque recentibus *armant;*" imprudentis haud dubie librarii lapsus. In eodem a m. pr. ibid. vs. 130. legitur: „et quae sibi quisque *timebant;*" cui lectioni etiam ex Servianis patrocinium paratum ivit Heynius; quod quantum valeat, alio loco videbimus. Longe aliud est, quod XI, 185. legitur: „huc corpora *quisque* suorum More *tulere* patrum;" quae ita struenda: huc tulere — sc. omnes — corpora, et suorum quidem quisque more patrum.

c) Iam facile de aliis quibusdam quid statuendum sit, existimari poterit. De Aen. XI, 597. vid. §. 3. b.; de VIII, 599. vid. V. L. ad eum locum. Ge. I, 373. Pierius in quibusdam invenit: „*omnis navita* ponto Humida vela *legunt*," pro *legit;* „eleganter!" inquit Heinsius. At, ut taceam non tantam esse librorum Pierii auctoritatem, obfuit librariis Pluralis *vela* vicinitas. Similes elegantias alibi venatur Heinsius, ut Aen. VI, 209.: „*crepitabant bractea;*" ibid. 364.: „Nunc me *fluctus habent.*" Aen. III, 563. in pr. Hamb. legitur: „Laevam *cuncta cohors* remis ventisque *petebant;*" ecce tibi elegantem librarium! scilicet praegressum superiore versu Perfectum *contorsit* non patitur dubitare, quin hic quoque Perfectum *petivit* requiratur. Nec debebat Heinsius probare, quod a nonnullis apud Pier. et a Donato proditur Aen. II, 254.: „Et iam Argiva *phalanx* instructis navibus *ibant.*" De X, 238. et XI, 145. vid. §. 2. a. Omnino saepius soli librariorum oscitantiae debetur Pluralis, ut Aen. VI, 124.: „Talibus orabat dictis, arasque *tenebant,*" ut est in pr. Moret. Nolui tamen sollicitare Aen. V, 120.: „triplici pubes quam Dardana versu *Impellunt*, terno consurgunt ordine remi;" quamquam *Impellit* in quatuor codd.; quare noluerim, facile sentient, qui aurium iudicio non destituti sunt. Vides autem poetae etiam ita loqui

Digitized by Google

licuisse: „quam triplici versu *Impellunt*," sc. remiges; quare verba *Dardana pubes* per appositionem adiecta videri poterunt.

d) Seiungendi prorsus ab hac quaestione eiusmodi loci, ubi, postquam praegresso collectivo Verbum singularis Numeri subiectum est, in adiuncta enunciatione Pluralis sequitur. Quae res nititur tacita quadam subiecti mutatione, qua fit, ut ex ipso collectivo Pluralis repetatur, ut *iuvenes* ex *iuventus*. Aen. II, 31.: „*Pars stupet* innuptae donum exitiale Minervae, Et molem *mirantur* equi;" sic omnes uno consensu libri. II, 120.: „*Vulgi* quae vox ut venit ad aures, *Obstupuere* animis." Hinc optime editur ibid. vs. 64.: „Undique — Troiana *iuventus* Circumfusa ruit, *certantque* illudere capto;" vid. ad h. l. Heinsius. IV, 404.: „It nigrum campis *agmen*, praedamque per herbas *Convectant*."

5. In contrariam peccet partem, qui Aen. II, 37. ex Grammaticorum ab Heinsio excitatorum fide edere velit: „praecipitare *iubet*," pro *iubent*, quem Numerum vs. 35. flagitat. Sed qui accuratius Grammaticos istos inspexerit, videritque versum 35. ab iis non adiici, iam non cogitabit de mutanda ex illorum auctoritate scriptura. Aen. VI, 477. vix me continui, quin ederem: „arva *tenebat* ultima;" sed potiori codicum parti obsecutus vulgatam lectionem *tenebant* servavi; hoc si genuinum est, alterum praegresso Singulari *molitur* debebitur. Certe ita statuendum de VI, 678., ubi unus Venetus: „dehinc summa cacumina *linquit*," propter praegressum *ostentat*. Alio modo peccatum in Mediceo aliisque Ge. II, 181.: „Palladia *gaudet* silva," ubi Singularis deberi videtur verbis *Palladia silva* pro Nominativo habitis.

QUAESTIO VIIII.

De Casu ac Numero Nominum permutato.

Frequentissima est Casus ac Numeri Nominum permutatio.

1. Casus saepe ex proximi Nominis Casu mutationem patitur; quod maxime in Adiectivis usu venit; non raro tamen etiam in Substantivis. Ut pauca e multis afferam: Ge. II, 330.: „*Zephyri*que tepentibus auris," Medic. *Zephyris*que. ibid. 341.: *duris* caput extulit arvis," in aliis *durum*. ib. 447.: „bona *bello* Cornus," *bella* Medic. III, 144.: „viridissima *gramine* ripa," duo *gramina*. ib. 334.: „*sacra* nemus accubet umbra," *sacrum* aliquot. ib. 347.: „*hosti* Ante exspectatum," multi *hostem*. IV, 294.: „in *hac* certam," Rom. *hanc*. Aen. I, 129.: „oppressos Troas caelique *ruina*," Rom. *ruinam*. ib. 323.: „subcinctam *phuretra*." aliquot *pharetram*. ib. 348.: „Quos inter

medius venit furor," plures *medios*. II, 696.: „Cernimus Idaea claram se condere *silva,*" Vatic. *silvam*. III, 540.: „*bellum* haec armenta minantur," unus *bella*. ib. 631. sq.: „iacuitque per antrum *Immensus*, saniem eructans," sat multi *Immensum*, alii *Immensam*. ib. 708.: „tot tempestatibus *actus*," plurimi *actis*. Hinc Ecl. VIII, 74. ex uno Longobard. emendatiorem lectionem recepi: „*hanc* altaria circum Effigiem duco," in ceteris *haec*. Aen. I, 724. recte editur: „Crateras *magnos* statuunt," non *magnas*. E certissima coniectura scribitur Aen. IV, 98.: „quo nunc *certamina tanta*," pro eo, quod in libris est: *certamine tanto*. V, 584. edidi: „*Adversi* spatiis *alternos*que orbibus orbes Impediunt;" sic Mediceus aliique; vulgo legitur *Adversis — alternisque*. Recte editum IV, 441.: „*annoso validam* quum robore quercum;" hic enim regnat in his ordo; in aliis *annosam valido*. IX, 486.: „nec te tua *funera* mater Produxi" in omnibus libris legitur; *funera* e praegresso *tua* ortum; sic XI, 3.: „turbataque *funera* mens est" in Mediceo et Exc. Burm. exstat; recte igitur Bothius Bembi emendationem *funere* sequitur. Recte etiam XI, 658. editur: „pacisque *bonas* bellique ministras;" alii *bonae*. Similium exemplorum vide largam copiam apud Cort. ad Luc. VIII, 290. Libet hic deflectere paululum ad Pindarum. A quo quum nomen habeat Schema Pindaricum, semper suspecta mihi fuit ea figura, tamquam merum Grammaticorum inventum. Nam quod unum adhuc certum haberi potuit huius Schematis vestigium, Olymp. XI, 4.: „*εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων τέλλεται·*" id satis facili certaque, ut opinor, coniectura tolli poterit, si mecum scribas *ὕμνος*. Pluralem enim *ὕμνοι* praegresso Plurali *μελιγάρυες* deberi, vix dubites. Simile appositionis genus eidem Pindaro restituit Hermann. Olymp. I, 44. Perperam autem, ut eundem Hermannum sentire video Adnotatt. ad Eurip. Med. ab Elmsl. edit. vs. 34., referuntur quaedam ad schema Pindaricum, quae aliter explicanda sunt.

2. a) Venio ad Numerorum permutationem. Qua in re primum illud observasse mihi videor, multo saepius Singularem verti in Pluralem, quam hunc in illum Numerum. Sic quum Aen. I, 214. 732. II, 420. III, 410. 509. 589. 639. IV, 147. VI, 474. IX, 692. X, 876. XI, 413. XII, 119. et saepe alibi longe maxima codicum pars Singularem exhibeat, singulis tamen locis singuli codices Pluralem praebent, in quibus nominatim Venetus, Hamb. II., Rottend. II., Parrhas., Franc., Zulichem.

b) Numerorum permutatio non raro explicanda eodem modo, quo casuum, i. e. ex propinquitate alicuius Nominis alium Numerum habentis. Ecl. IV, 40.: „*rastros — falces;* hoc in uno, in ceteris *falcem*. Ge. II, 72.: „*glandesque sues*, pro *glandemque*. ib. 155.: *urbes — labores*, pro *laborem*. ib. 443.: *cedrosque* —

Digitized by Google

cupressosque, pro *cedrumque*. ib. 455.: „ad *culpas causas* dedit,“ pro *culpam*. III, 82.: „color deterrimus *albo* Et *gilvo*,“ sic unus pro *albis*. ib. 288.: „hinc *laudes fortes* sperate coloni,“ pro *laudem*. ib. 410.: *lepores* — *damas*, pro *leporem*. ib. 560.: *undis* — *flammis*, sic unus pro *flamma*. IV, 345.: „Inter *quas curas* Clymene narrabat *inanes*,“ pro *curam* — *inanem*. Aen. I, 455.: *manus* — *labores*, pro *laborem*. ib. 562.: *metus* — *curas*, pro *metum*. ib. 673.: *dolis* — *flammis*, pro *flamma*. IV, 219.: *aramque tenentem*, pro *aras*. ib. 269.: *caelum et terram*, pro *terras*. ib. 427.: *cineres Manesve*, pro *cinerem*. ib. 444.: „Consternunt *terras* — *frondes*,“ pro *terram*. VI, 724.: „*caelum* ac *terram*, pro *terras*. VII, 571.: *terram caelumque*, pro *terras*. VIII, 60.: *irasque minasque*, pro *iramque*. ib. 98.: *muros arcesque*, pro *arcemque*. X, 83.: „in totidem *classes* convertere *Nymphas*,“ pro *classem*. XI, 99.: *muros gressusque*, pro *gressumque*. ib. 199.: „*raptas*que — In *flammas* iugulant *pecudes*,“ pro *flammam*. ib. 911.: „*Adventumque* pedum, *flatumque* audivit equorum,“ pro *flatus*; et ex hoc, *flatus*, rursus fluxit Medicei lectio *Adventusque*. XII, 214.: „*sacratas* In *flammas* iugulant *pecudes*,“ pro *flammam*. His adde quaedam alia: Ge. II, 82.: *miratasque novas*, pro *miraturque novas*. ib. 483.: „Sin *has* ne possim *naturas* accedere *partes*,“ sic pro *naturae* Medic. a m. pr. — Hic inprimis tenendum, ubi fieri possit, duo Substantiva sic iungi a Virgilio solere, ut alterum singularem sequatur, alterum pluralem Numerum, unde gratior existit sonus, quam iterato eodem Numero. Cfr. e magna copia exemplorum modo laudatorum Ecl. IV, 40. Ge. I, 157. II, 443. III, 82. 410. 560. Aen. I, 455. 562. 673. IV, 269. 427. VI, 724. VII, 571. VIII, 60. 98. XI, 99. 911. Item singula eiusdem versus hemistichia Nominibus diversi Numeri claudere solet Virgilius.

c) Saepe Singularis in Pluralem versus sequente litera *s*. E multis pauca attingemus: Ge. I, 125. 146. 259. II, 299. III, 108. 349. IV, 447. Aen. II, 693. IV, 184. VIII, 350. X, 307. 819. XII, 949. Hinc orta vitiosa lectio, quam expuli, Ge. IV, 132.: „Regum aequabat opes *animis*; seraque“ etc. pro *animo*, ex quo quum, adscita e proximo voc. litera *s*, factum esset *animos*, mutarunt hoc librarii in *animis*; vid. notata ad h. l. Similiter peccatur in quibusdam libris Aen. I, 582.: „*animo* sententia *surgit*;“ ubi quum, litera *s* ex subiecta voce praegressae adiecta, exstitisset *animos*, depravatum est etiam verbum, *surgit*, atque in *vertit* mutatum. Male edebatur Aen. XI, 774.: „Aureus ex *humeris* sonat arcus,“ pro *ex humero*, quod revocavi. Nam Medicei scriptura *ex humeris erat* aperte ostendit, *s* e proximo vocabulo priori adhaesisse. Sic etiam vs. 652. in Romano legitur *ex humeris sonat*, atque hic eodem modo, ut supra in Mediceo, apud Donatum exstat *erat arcus*. Male in quibusdam libris V, 525. *humeris*

Digitized by Google

spatia, pro *humero sp.* et IX, 53. *campis sese*, pro *campo s.* In contrariam partem peccatum Aen. IV, 414.: „animos submittere amori;" deteriores libri *animum*, quod ortum ex *animosubmittere*, non sentientibus librariis, unam *s* duobus inservire vocabulis. Quid? quod etiam *s* ante *m* in eandem *m* versa V, 350.; sed in paucis tantum et recentibus libris.

d) Nec raro litera sibilans, saepius in eodem versu repetita, ita se videtur in aures insinuasse librariorum, ut vitiorum causa facta sit: Ge. II, 395.: „Et ductus cornu stabit sacer hircus ad *aras*," pro *aram*. II, 492.: „Subiecit pedibus, strepitusque Acherontis," pro *strepitumque*. III, 91.: „Martis equi biiuges, et magni currus *Achillis*," pro *Achilli*. ib. 182.: „Primus *equis* labor est, animos" etc. pro *equi*. Aen. I, 338.: „Punica regna vides, Tyrios et Agenoris *urbes*," pro *urbem*. II, 223.: „Qualis mugitus, fugit quum saucius *aras*," pro *aram*. III, 87.: reliquias Danaum atque immitis *Achillis*," pro *Achilli*. ib. 258.: „in silvas pennis ablata," pro *silvam*. ib. 302.: „falsi Simoentis ad *undas*," pro *undam*. ib. 389.: „sollicito secreti ad fluminis *undas*," pro *undam*. VI, 838.: „Victor aget *currus*, caesis insignis Achivis," pro *currum*. VIII, 640.: „Iovis ante *aras*, paterasque tenentes," pro *aram*. IX, 314.: „Egressi superant fossas, noctisque per *umbras*," pro *umbram*. Cfr. etiam IX, 478. X, 282. XI, 82. 521. XII, 426. 661. Una etiam *s*, in quam proxime praegressum vocabulum desinit, hanc habuit vim, ut subiectum Singularem verteret in Pluralem, ut Aen. VII, 7.: „tendit iter velis, *portusque* relinquit," pro *portum*. X, 833.: „ad fluminis *undas*," pro *undam*.

e) Interdum in fine versuum librariorum oculi aberrasse videntur ad terminationes extremorum vel praegressi, vel subsequentis versus vocabulorum, et ita Pluralem pro Singulari arcessivisse, ut Ge. I, 284. 366. alibi.

3. Sed tota haec de Numeris confusis quaestio latissime patet. Nam quum Singularem et Pluralem in multis promiscue usurpare vulgo credantur poetae, — quod absurdum est contendere non explicatis rationibus — eam rem qui totam pertractare et absolvere cupiat, ei de omnium vocabulorum, quorum Numeri ab ipsis poetis inter se confusi videri possint, varia significatione et usu accurate distincteque dicendum erit. Quae res incredibile est quantum ad intelligentiam poetici sermonis conferat; sed tempore exclusus satis habeo, pauca quaedam attingere et quasi fundamentum iacere, cui reliqua, qui otium impendere velit, superstruere facile possit. Quod praefandum videbatur eorum causa, qui, ea ipsa, quae prolaturus sum, iusto tenuiora esse existimantes, studium meum ac voluntatem fortasse desiderent.

I. AURA. In hoc vocabulo ut plurimum Plurali Virgilius utitur.

Digitized by Google

a) Aura, qua circumfundimur, i. e. aer, atmosphaera, ubique per pluralem Numerum, *aurae*, denotatur, ut Ge. IV, 499. Aen. VII, 287. X, 898. XII, 267. et saep. De liberiore aura, cui contrarium ponimus thalamum, carcerem: Aen. IV, 388.: „auras Aegra fugit seque ex oculis avertit et aufert." VI, 733.: „neque auras Dispiciunt, clausae tenebris et carcere caeco." Ubique apud Virgilium exstat *ad*, *in*, *per*, *sub auras*, non *ad*, *in*, *per*, *sub auram*, nisi ubi metri necessitas Singularem flagitat, quod bis tantum et in eodem versu factum: Aen. IV, 278. et IX, 658.: „in tenuem ex oculis evanuit auram." Sed, nisi fallor, aliud est *in auram evanescere*, aliud *in auras evanescere*.

b) Sic etiam aurae de mota aura, flamine et vento, ut Ge. III, 193. Aen. IX, 312. 645. XII, 84.; inprimis de vento navigantibus secundo, ut Aen. III, 356. 530. IV, 417. V, 844. VII, 8. Sunt tamen pauca quaedam his contraria, et ipsa metricis rationibus excusanda: Aen. XI, 801.: „illa neque aurae, Nec sonitus memor." XII, 370.: „Et cristam adverso curru quatit aura volantem." et vs. 617.: „Attulit hunc illi aura — clamorem."

c) Praeterea Aen. I, 546. legitur: „si vescitur aura Aetheria;" quod soni elegantiae datum videtur; nam quum et superior versus et inferior claudatur Ablativo Pluralis, *armis* — *umbris*, male repeteretur idem sonus; quamquam haud negaverim, eodem modo passim apud Virgilium inveniri versus pariter cadentes. Eadem tamen etiam Aen. III, 339. videtur causa fuisse, cur ita scriberet poeta: „et vescitur aura Aetheria;" superioris enim versus extremum est vocabulum *oris*. Certe, qui subtiliore usus ratione *auram* hic non plane idem valere censeat, quam iis locis, quos supra excitavi, is videat, quid faciat eiusmodi loco, qualis exstat Aen. I, 387.: „haud, credo, invisus coelestibus auras Vitales carpis;" sic enim omnes ibi libri mss. Mollius haud dubie sonat Ge. IV, 417.: „Dulcis compositis spiravit crinibus aura," quam si ita scriptum esset: „Dulces compositis spirarunt crinibus aurae." Epitheto *simplex* convenit Singularis Aen. VI, 747.: aurai simplicis ignem;" accedit, quod *aurarum* et quaedam his similia, ut minus suaviter sonantia, vitabant Romani. Bene etiam habet Aen. VII, 230.: „rogamus — undamque auramque patentem;" in tali enim verborum iunctura quaeri solent pariter terminata; vid. notata ad Ecl. III, 110. Ge. I, 157. Metro denique deberi videntur Aen. VI, 204.: „Discolor unde auri per ramos aura refulsit;" et VII, 646.: „ad nos vix tenuis famae perlabitur aura;" nisi forte in eiusmodi circumlocutione, *auri aura*, *famae aura*, elegantior visus est Singularis.

Digitized by Google

II. FLAMMA. Singularis *flamma* dicitur a) de igne, ut vim lucendi incendendique habente, surgente, crepitante, nulla praeterea adiecta rei crematae cremandaeve, parvae an magnae, notione, ut Aen. I, 176.: „rapuitque in fomite flammam." VI, 6.: „quaerit pars semina flammae Abstrusa in silicis venis." ib. 226.: „Postquam conlapsi cineres et flamma quievit." II, 304.: „In segetem veluti quum flamma — incidit." ib. 684.: „*visa* — Lambere flamma comas." Adde Ge. III, 560. Aen. III, 580. VII, 462. VIII, 694. X, 232. XI, 82. 199. XII, 214.

b) de uno igne, una face: Aen. VI, 518.: „flammam media ipsa (*Helena*) tenebat." IX, 536.: „ardentem coniecit lampada Turnus, Et flammam adfixit lateri."

c) Flammae, plurali Numero, sunt aut plures, ut Aen. II, 256.: „flammas regia puppis Extulerat;" hinc de dea facibus armata Aen. XII, 811.: „flammis cincta sub ipsam Starem aciem," — aut multi, crebri ignes, ut Ge. I, 473.: „Vidimus — Aetnam Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa;" Aen. I, 44.: „exspirantem transfixo pectore flammas;" II, 478.: „Periphas — Automedon - una omnis Scyria pubes — flammas ad culmina iactant;" IV, 567.: „videbis Conlucere faces, iam fervere litora flammis;" adde Aen. I, 727. III, 574. IV, 594. VI, 218. 586. VII, 787. VIII, 282. 680.; hinc de perpetuo igne Phoebi Aen. IV, 607.: „Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras;" — aut late tracti, ut Ge. I, 367.: „videbis Flammarum longos a tergo albescere tractus;" Aen. V, 526.: „Signavitque viam flammis;" adde VI, 650.; — hinc de magno aliquo igne, de domibus, rogis incensis, ut Aen. I, 679.: „dona — flammis restantia Troiae;" II, 337.: „In flammas et in arma feror." ib. 759.: „exsuperant flammae;" adde II, 600. IV, 670. V, 680. X, 520.

d) Quae quum ita sint, nemo mirabitur, ubi uterque Numerus locum habere possit, variari haec a Virgilio, quod cernitur Aen. II, 632. sq.: „Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior; dant tela locum, flammaeque recedunt." X, 520.: „Captivoque rogi perfundat sanguine flammas;" contra XI, 82.: „caeso sparsuros sanguine flammam;" qui Singularis defenditur etiam Aen. XI, 199. et XII, 214.: „In flammam iugulant pecudes." Recte etiam *flamma* de incendio, non adiecta magnitudinis notione Aen. II, 431.: „Iliaci cineres, et flamma extrema meorum;" et V, 689.: „da flammam evadere classi." Neque est, quare quis Aen. IV, 620.: „rogum permittere flammae," e Medic. revocare malit flammis. Denique haec quoque, quae fortasse erit qui metro tribuat, congruunt cum iis, quae supra, §. c), attuli: Ecl. VIII, 105.: „corripuit tremulis altaria flammis — cinis ipse;"

Digitized by Google

Aen. I, 179.: „fruges torrere parant flammis et frangere saxo;" ib. 704.: „flammis adolere Penates;" XII, 300.: „Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit."

e) Ad affectus animi translatum hoc vocabulum Singularem sequitur, neque usquam Pluralis ita legitur: Aen. I, 673.: „capere ante dolis et cingere flamma Reginam meditor." VII, 356.: „animus toto percepit pectore flammam." Adde Ge. III, 271. Aen. II, 587. IV, 23. 66. VIII, 389. Et de truci adspectu Aen. VI, 300.: „stant lumina flamma.

III. HERBA. Non valet idem *per herbam* et *per herbas.* Illud satis crebro legitur, significatque locum quendam herbosum; rarius hoc, et tum demum usurpatur, quum de hominibus animalibusve passim per herbas vagantibus agitur. Hinc recte ab Heinsio e plurimis optimisque libris editum Aen. III, 221.: „Laeta boum passim campis armenta videmus — per herbas." Ge. III, 162.: „Cetera pascuntur virides armenta per herbas." Aen. IV, 404.: „praedamque per herbas Convectant." Contra recte Singularis retinetur Ge. IV, 121.: „tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis." Aen. I, 214.: „fusique per herbam Implentur veteris Bacchi." Adde Ge. II, 527. Aen. V, 102. VII, 109. IX, 164. 316. Bene etiam habet Aen. III, 236.: „tectosque per herbam Disponunt enses;" intelligendus est enim locus ille herbosus, quo antea accubuerant. Item recte editur Aen. VI, 656.: „alios dextra laevaque per herbam Vescentes;" i. e. per locos herbosos. At Ge. III, 436.: „Neu dorso nemoris libeat iacuisse per *herbas;*" sobrie utique; neque enim dici recte potest *per herbam nemoris*, i. e. per locum herbosum nemoris; quod si *nemoris* abesset, dicendum sane fuisset: „dorso iacuisse per herbam."

IV. ORA. De hoc vocabulo, ad terram translato, haec tenenda:

a) *Ora*, singulari Numero, est extrema terrae alicuius pars mari adiacens, sive litus, *αἰγιαλος.* Hinc Ge. II, 44.: „primi lege litoris oram." Aen. III, 396.: „Italique hanc litoris oram." ib. 707.: „Drepani me portus et illaetabilis ora." X, 706.: „Laurens habet ora Mimanta;" in litore enim pugnabatur. Ecl. VII, 7.: „Sive oram Illyrici legis aequoris." Et quum satis crebro talia inveniantur: *applicat*, *appulit oris*, et similia, ut Aen. I, 377. 538. 616. III, 338. 569. 715. VII, 39.: recte, licet uno loco, legitur Aen. III, 410.: „ubi Siculae te admoverit orae Ventus;" videlicet diserte ibi vetat Helenus classem appelli ad Siciliam; vid. §. b).

b) Pluralis *orae* inservit circumlocutioni; sic Libyae, Ausoniae, Italae orae idem est, quod Libya, Ausonia, Italia; *χθών*, *γῆ*; nec quidquam usquam cogit, de ipso litore cogitare. Quod certius etiam intelligitur ex eiusmodi locis:

Ge. II, 171.: „extremis Asiae iam victor in oris — Augustus." — III, 196.: „Qualis Hyperboreis aquilo quum densus ab oris Incubuit." ib. 225.: „alter — taurus — victus abit longeque ignotis exsulat oris." Aen. I, 331.: „quibus orbis in oris. II, 91.: „superis concessit ab oris," de mortuo. ib. 282.: „quibus Hector ab oris Exspectate venis?" III, 97.: „Antiquam exquirite matrem. Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris." VII, 564.: „locus fama multis memoratus in oris." X, 198.: „patriis agmen ciet Ocnus ab oris;" fuit is Mantuanus. Eodem modo *luminis orae*, non *luminis ora*.

V. SILVA. *Silva* Singulari Numero, ubi aut certa aliqua silva indicatur, aut ubi nihil refert, magna sit, an parva, aut ubi improprie dicitur de quavis arborum vel fruticum multitudine, ut *myrtea*, *arundinea silva*. *Silvae* Plurali Numero aut non certam aliquam, aut maiorem silvarum tractum, aut varia arborum genera denotant. Hinc *degere silvis*, *errare per silvas*, et similia. Unde recte editur Aen. XI, 134.: „Per silvas — Erravere iugis;" ubi solus Mediceus *silvam* suppeditat. Recte contra Aen. VIII, 82.: „per silvam procubuit;" et similia.

VI. TERRA. De vocabulo *Terra* difficilius est statuere.

a) Ubi non est, cur de magno aliquo tractu, aut de variis terris cogites, Singularis praeferri solet. Sed ea res quum saepe pendeat e iudicio poetae, in simili ceteroquin oratione et Singularem et Pluralem invenies, ut Ge. I, 330.: „quo maxima motu Terra tremit;" at Ge. II, 479.: „unde tremor terris;" et sic similia. Scite tamen Aen. I, 133.: „caelum terramque miscere," etsi alibi, ubi haec iunguntur, *caelum terras*que legitur. — Et ad regiones significandas quum et Singularis et Pluralis adhibeatur, hic tamen Numerus ignotas maxime indicat, ut Aen. II, 800.: „in quascumque abducere terras;" cfr. etiam III, 601. III, 4.: „quaerere terras." ib. 170.: „requirere." VII, 239.: „exquirere." Ecl. III, 104. et 106.: „Dic, quibus in terris."

b) *Terra*, Singularis, de terra, ut arborum, fruticum, herbarum altrice, ut Ge. II, 136. 286.; porro de humo, quod infinitis locis probatur; inde de agro arando; sed ubi non subest certi cuiusdam loci notio, invenitur etiam Pluralis: Ge. II, 37.: „Neu segnes iaceant terrae." ib. 45.: „In manibus terrae." III, 525.: „quid iuvat vomere terras Invertisse graves." — De solo variisque soli generibus Singularis et Pluralis, ut fert oratio.

c) Denique distinguenda inter se fortasse videbuntur *ad terram* et *ad terras*, ut *Ad terram* significet rem superne venientem, ut Ge. III, 524.: „Ad terramque fluit devexo pondere cervix;" Aen. II, 565.: „corpora saltu Ad terram misere;" adde V, 447. VI, 310. IX, 542. XI, 501. 828. XII, 855. 927.; contra *Ad terras* dicatur de eo, quod e mari, motu igitur horizontali, appropinquet: sed Ge. III, 239.: „fluctus — volutus Ad

Digitized by Google

terras, inmane sonat;“ et Aen. XII, 451.: „ubi ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium;“ metri necessitas Pluralem exegisse videtur; XI, 625. autem pars codicum praebet Singularem, quem restituere nemo iam dubitaverit, qui comparaverit unum, qui restat afferendus, locum Aen. V, 243.: „Illa — navis — noto citius — Ad terram fugit;“ sic libri mss. h. l. omnes.

VII. UMBRA. De voc. *umbra* haec tenenda:

a) *Umbra*, Singulari Numero, dicitur de umbra calorem refrigerante, *Schattenkühle*. Ecl. V, 70.: „Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra.“ X, 75.: „gravis cantantibus umbra.“ Ge. I, 121.: „umbra nocet.“ IV, 402.: „Quum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est.“ Adde Ecl. I, 4. VII, 10. Ge. II, 58. III, 418. 464. Aen. I, 441. 694. al. Eiusmodi autem umbram cum aliae res efficiunt, — unde Ge. III, 145.: „Speluncaeque tegant, et saxea procubet umbra;“ — tum vel maxime frondes; unde factum est, ut voc. *umbra* interdum ipsas arborum frondes, vel densiores, vel rariores, quas coronas arborum vocamus, *Kronen*, denotet: ut de nuce Ge. I, 191.: „foliorum exuberat umbra.“ II, 297.: „media ipsa ingentem sustinet umbram.“ ib. 19.: „Parva sub ingenti matris se subiicit umbra. ib. 489.: „ingenti ramorum protegat umbra.“ IV, 511.: „populea maerens philomela sub umbra.“ Aen. II, 514.: „laurus Incumbens arae atque umbra complexa Penates.“ Hinc de uno ramulo VIII, 276.: „Herculea bicolor quum populus umbra Velavit comas.“ Inde intelliges quid sit Ecl. IX, 20. „viridi fontes induceret umbra.“ Aen. I, 165.: „horrentique atrum nemus inminet umbra.“ X, 190.: „Populeas inter frondes umbramque sororum Dum canit;“ quod ex notissima Epexegeseos figura explicandum. Non tamen ita prorsus propriam in his voc. *umbra* exuit significationem, quin interdum talia adiiciantur verba, quae umbrae magis, quam arbori convenire dixeris, ut Ge. III, 334.: „Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra.“ Eodem retulerim Ecl. VII, 46.: „rara viridis tegit arbutus umbra.

b) *Umbra*, Singulari Numero, etiam de nocte nocturnisque, vel similibus, tenebris: Ge. I, 366.: „noctisque per umbram.“ Aen. II, 420.: „si quos obscura nocte per umbram Fudimus.“ III, 589.: „Humentemque Aurora polo dimoverat umbram.“ XI, 210.: „Tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram.“ Adde Ecl. VIII, 14. Aen. II, 251. 360. 732. 768. IV, 184. VI, 257. 268. 271. 340. 867. IX, 314. X, 541. al. Quaedam his repugnantia vid. infra §. l.

c) De mortui simulacro, εἰδώλῳ, et Singularis, ut Aen. II, 772. IV, 386. VI, 289. et Pluralis, Ge. IV, 501.: „Prensantem

Digitized by Google

nequidquam umbras — Eurydices —;" de Manibus Aen. V, 81.: „salvete recepti cineres, animaeque umbraeque paternae." VI, 510.: „Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris."

d) *Umbrae*, Plurali Numero, simpliciter i. q. umbra per res soli obtentas effecta, nulla alia adiuncta significatione: Ecl. I, 84.: „maioresque cadunt altis de montibus umbrae." II, 67.: „Et sol crescentes decedens duplicat umbras." V, 5.: „sub incertas Zephyris mutantibus umbras." Aen. I, 607.: „dum montibus umbrae Lustrabunt convexa." VI, 139.: obscuris claudunt convallibus umbrae." XII, 207.: „Ut sceptrum hoc — Numquam fundet virgulta, neque umbras." Hinc Ecl. II, 8.: „umbras et frigora captant;" i. e. umbrarum frigora. V, 40.: „inducite fontibus umbras;" quod aliud est, quam Ecl. IX, 20.; vid. §. a). Hinc etiam Ecl. VII, 58.: „Liber pampineas invidit vitibus umbras;" quod est aliter dictum, quam *populea umbra* supra §. a).

e) *Umbrae* i. q. loca umbrosa: Ge. II, 435.: „Aut illae pecori frondem aut pastoribus umbras Sufficiunt." IV, 146.: „ministrantem platanum potantibus umbras." Aliud est Ge. II, 58.: „arbos — seris factura nepotibus umbram." Quamquam sponte intelligitur, quaedam ita esse comparata, ut alter Numerus alteri substitui possit; nisi forte in his quoque metro aliquid et sono concedendum esse existimare malueris; vid. §. l).

f) *Umbrae* i. q. multa umbra. Ecl. X, 76.: „nocent frugibus umbrae." Ge. I, 342.: „densae umbrae." ib. 157.: „falce premes umbras;" sed eo loco, codicum auctoritati obsecutus, *umbram* edidi, quod referes ad §. a). Huc etiam, nisi ad §. d) malueris, referes Ge. III, 520.: „Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt Prata movere animum."

g) Hinc *umbrae* de loco tenebricoso: Aen. VII, 619.: „aversusque — Latinus — refugit Foeda ministeria, et caecis se condidit umbris." Cui simile Aen. I, 311.: „sub rupe cavata Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris Occulit;" quae repetuntur III, 230. His quidem locis vocabulo *umbris* iunctum est epitheton, quod arbori, quam umbrae aptius est; cfr. Aen. I, 165. supra laud. et §. a) extrem.

h) *Umbrae* de Orcinis tenebris; hinc saepius „ire sub umbras" et similia, ut Aen. IV, 660. XI, 831. XII, 952. Porro Aen. VI, 461.: „has ire per umbras." Adde VI, 619. V, 734. XII, 881. al.

i) *Umbrae* i. q. nubila, maxime nocturna: Aen. IV, 351.: „quoties humentibus umbris Nox operit terras." XII, 52.: „quae nube fugacem Feminea tegat; et vanis sese occulat

Digitized by Google

umbris." Hinc interdum verbis cum *dis* compositis iunctum: Ge. III, 357.: „sol pallentes haud umquam discutit umbras." Aen. V, 839.: „Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras." IX, 411.: „hasta volans noctis diverberat umbras." Denique II, 621.: „spissis noctis se condidit umbris."

l) Sed sono datum videtur Aen. II, 693.: „per umbras Stella facem ducens." VI, 452.: „agnovitque per umbras Obscuram — Didonem" — ib. 490.: „Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras;" nisi hoc ad §. h. referendum. XII, 864.: „Nocte sedens serum canit importuna per umbras." Sed Ge. I, 209.: „medium luci atque umbris iam dividit orbem," praelatus Pluralis, quia sic solet Singularem et Pluralem iungere Virgilius.

VIII. a) UNDA. Ubi voc. *unda* merae inservit circumlocutioni, Singularis requiritur; hinc *Iulia unda* Ge. II, 163. *Maeotia* III, 349. *ad undam Penei* IV, 355. *Strymonis* IV, 508. *Simoentis* Aen. I, 618. III, 302. *Tiberini* fluminis X, 833. *Trinacria* III, 202. *fluminis* III, 389. VI, 714. — *Unda* de mari: Ge. I, 360. III, 240. IV, 352. Aen. I, 127. III, 195. 509. V, 11. VII, 230. IX, 22. X, 282. XI, 327. — de flumine: Ge. II, 451. III, 361. IV, 361. — de fluctu, qui lenis sit an concitatus nihil refert: Ge. IV, 420. Aen. I, 161.

b) *Undae*, Plurali Numero, aut continuitatem quandam et copiam aquae, undarum significant, — quare nusquam Praepositionibus *in*, *per*, *sub*, Singularis, sed ubique Pluralis adiungitur; ac recte spreta altera Medicei lectio Ge. I, 386.: „currere in *undam*." — aut commotum mare vel flumen. Quae qui accuratius considerare velit singula et inter se comparare, ubique facile deprehendet poetae artem et elegantiam dictionis. Hinc factum, ut, quum de horrido mari vel flumine mentio iniicitur, etiam in circumlocutione Pluralis praeferatur, ut Aen. I, 596.: „Libycis ereptus ab undis." V, 789.: „Ipse mihi Libycis tu testis in undis." VI, 295.: „Acherontis ad undas." XI, 405.: „Hadriacae undae;" quocum confer Horatianum illud „turbulentior Hadria."

IX. CURRUS. De uno curru semper fere Singularis. Ortus Pluralis *currus* Aen. VI, 838. e saepius repetita litera sibilante; quemadmodum etiam X, 581., ubi ex optimis libris Singularem restitui. Sed sono debetur Aen. XII, 350.: „Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus;" ita libri mss.; editiones quaedam veteres *currum*. Hinc retinui Medicei lectionem etiam X, 574.: „Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus;" ubi, quod in multis codd. legitur, *currum* inde videtur exstitisse, quod syllaba finalis *us* — ut in Mediceo quum alibi tum hoc ipso loco — haud raro ita pingebatur, ut altera virgula literae Ụ (*u*) inflecte-

Digitized by Google

retur hunc in modum: ꝰ. Quae quidem forma syllabae finalis *us* non nisi in antiquissimis libris conspici videtur. Iam apparet, quam facile potuerit in talibus litera *s* a librariis omitti; qua omissa pronum erat, adiicere literam *m*, in extremis vocabulis vulgo omitti aut lineola transversa indicari solitam.

X. CURSUS. Vocabulum *cursus* saepe et singulari Numero et plurali legitur. Soni elegantiae concessum est aliquantum in Accusativis; facile enim, qui teretes habet aures, *medios cursus* suavius sonare sentit, quam *medium cursum.* Inde recte editur Aen. VI, 350.: „haereba*m* — cursu*s*que regeba*m*;" male quidam libri *cursum.* Alibi sane in ea locutione Singularis usitatus est: ut *dirigere*, *contendere cursum.* Praeterea Pluralis acriorem quendam cursum, aut multiplicem et erraticum significat. Merito igitur praefertur Pluralis Aen. VII, 8.: „nec candida cursus Luna negat;" tenue est illud, quod prodit altera lectio, *cursum:* i. e. nec prohibetur cursu navis luminis lunaris defectu; *cursus* contra si retinemus, haec existit sententia: favet cursui et alacriorem esse sinit. Inepte autem quidam *cursus* Aen. VII, 196.: „auditique advertitis aequore cursum."

XI. Addam pauca quaedam, quae statim in mentem veniunt, Accusativorum Singularis in Accusativos Pluralis versorum exempla. Aen. VI, 653. editur: „Per campos pascuntur equi." Et sic, praeter hunc locum, ubique *per campos*, non *per campum.* Optimi tamen libri h. l. Singularem defendunt; et Pluralis inde ortus videtur, quod is Numerus, ut diximus, alibi Praepositioni *per* iungitur. Nimirum Pluralis indefinitam quandam latitudinem et amplitudinem significat; quae notio nostro quidem loco adeo non requiritur, ut ista verba salva sententia etiam omitti possint. Sane, locus ipse quantus fuerit quamque longe patens, si indicare voluisset poeta, scripturus fuisset: *per campos.* XI, 903. prior Medicei lectio *campos* recte spernitur; sententia enim haec est: „relicto saltu iam attigerat campum;" quod non debebat plurali Numero exprimi. — Aen. V, 812. recte praelatum: „pelle timorem;" non *timores*, ut Rom. cum plerisque; hoc enim dicit Neptunus: „pelle istum timorem, ne eadem mens mihi non perstet." Nam ut taceam, pluralem Numerum *timores* non legi apud Virgilium: *timores*, Pluralis, non unam aliquam rem timendam, sed plures significaret. Sic de certo aliquo metu Aen. I, 562.: „Solvite corde metum;" ita ibi libri praestantissimi; recte contra ibid. 463.: „Solve metus." — Aen. VIII, 492. egregia optimorum librorum lectio, „inter caedem Rutulorum," exterminata est eo, quod praeterea ubique invenitur: *inter caedes.* Nempe *inter caedem* valet: inter caedendum, sive: dum Rutuli caedunt. Haec transitiva vis non videtur convenire Plurali; atque *inter caedes Rutulorum* vereor ne ita accipiendum sit: dum caeduntur Rutuli; vid. etiam V. L. ad h. l. — Aen. X, 293. veri

Digitized by Google

est simillimum, Virgilium scripsisse, quod altera unius Medicei lectio offert, *proram,* non *proras,* adscito sigmate e proximo voc. Ipse enim Tarchon quum proram ad litus advertat, tum hortatur, ut idem faciant, socios; quare de una Tarchontis nave loqui poeta ac proinde Singularis requiri videtur.

QUAESTIO X.

De Permutatione Praepositionum *Ad* et *In.*

1. Permutatio Praepositionum *Ad* et *In* longe frequentissima est in verbis *ad auras* et *in auras.* Plerumque tamen Editores, optimos codices secuti, veram in textu exhibuerunt lectionem; est tamen, ubi nondum satis emendatum ab hac parte habeamus poetam. Nempe non unum idemque significant *ad auras* et *in auras*, id quod ex ipsa harum Praepositionum natura divinare licet. *Ad auras surgere*, *ferri*, *tolli*, de eo dicitur, quod a terra se elevat ita, ut aut terram adhuc contingat, aut non nimis a terra assurgat: Ge. II, 363.: „dum se laetus ad auras palmes agit." Aen. II, 699.: „victus genitor se tollit ad auras." VI, 554.: „stat ferrea turris ad auras." Adde Ge. II, 291. Aen. II, 759. IV, 445. V, 427. VI, 128. 719. VII, 530. Sic aves ad auras surgunt, evolant, Ge. I, 408. Aen. V, 861.; cantus, clamor, Ecl. I, 57. Aen. IV, 665. VI, 561.; fumus, Aen. VII, 466. XII, 592. Quae quum ita sint, ex Mediceo *ad auras* reduxi Aen. XI, 455.: „clamor magnus se tollit ad auras." Recte autem de ingenti monstro, capite astra, pedibus terram tangente, Aen. IV, 176.: „mox sese attollit in auras;" non *ad auras*, ut de arbuscula vel ave aliqua. Recte etiam Ge. III, 109.: „iamque elati sublime videntur Aera per vacuum ferri atque adsurgere in auras;" ubi illud *in auras* ostendit currum, non qui modo sursum, modo deorsum feratur, sed qui terram non tangere et per ipsam auram ferri videatur; at currus per viam saxosam raptus *ad auras* multum sublatus dici poterit, non *in auras*. Egregie porro Aen. V, 257.: „saevitque canum latratus in auras;" id est *adversus auras;* vid. totum locum. Cui simile est illud V, 520.: „aerias telum contendit in auras." Diversa ab his sunt talia: *in auram*, *auras evanescere*, *fugere*, *recedere*, similia. Male Heins. et Burm. ediderunt Ge. II, 47.: „Sponte sua quae se tollunt in luminis auras;" cfr. Aen. VI, 128. 719. supra laud., quibus adde VII, 771.: „ab umbris ad lumina surgere vitae;" et II, 259.: „illos patefactus ad auras Reddit

Digitized by Google

equus." Recte autem isto loco *in luminis oras* Heynius scripsit, quod Aen. VII, 660. confirmatur: „partu sub luminis edidit oras."

2. Differunt etiam *ferre*, *evehere ad aethera* sive *ad astra*, et *in astra;* illud improprie dicitur significatque: laudibus extollere, celebrare; hoc proprie, valetque: in Deorum numerum referre. Ecl. V, 51. sq.: „Daphnimque tuum tollemus ad astra; Daphnin ad astra feremus." Ecl. IX, 29.: „Vare, tuum nomen Cantantes sublime ferent ad sidera cycni." Aen. III, 462.: „factis fer ad aethera Troiam." Recte editur VI, 130.: „quos ardens evexit ad aethera virtus." Contra proprie illud intelligendum, quod dicunt Penates Phrygii, Aeneae per somnum visi, Aen. III, 158.: „venturos tollemus in astra nepotes." VII, 99.: „Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum Nomen in astra ferant;" et ibid. 272. Sed ea res non impedit, quominus etiam *ad* interdum ponatur, ubi *in* propriam habet sedem; ut Aen. I, 259.: „sublimemque feres ad sidera caeli Magnanimum Aenean." XII, 794.: „Aenean scis ipsa — — fatis ad sidera tolli." — Denique ineptissima est ad sensum, alienissima a poeticae orationis consuetudine, et meliorum codicum auctoritate destituta lectio, quam mireris non dudum sublatam, Aen. VII, 773.: „Stygias detrusit in undas;" cfr. VI, 404.: „Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras;" ubi bis eandem Praepositionem in eodem versu admittere maluit poeta, quam scribere *in umbras.* Confirmat hanc emendationem Silii imitatio XV, 43.: „Haec Decios Stygias Erebi detrusit ad undas." Non tamen propterea sollicitanda erat proba lectio apud Tibull. III, 3, 37.: „Me vocet in vastos amnes nigramque paludem — Orcus."

QUAESTIO XI.

De Hiatu.

1. Hiatum a consuetudine Graecorum poetarum epicorum esse repetendum, eo videtur probari, quod ea licentia crebro in versibus ad Graecorum similitudinem factis, i. e. vocabulo quadrisyllabo, eoque ipso saepe origine Graeco terminatis, aut exitum spondaicum habentibus, conspicitur; quod ut facilius cognoscatur, eiusmodi versibus signum crucis praeponam*).

*) Stellulae signum multis versibus praefixum quid indicet, e §. 4. disces.

Digitized by Google

2. Admittitur autem a Virgilio hiatus maxime ultima prioris vocabuli syllaba in longam vocalem, inprimis *i* vel *o*, exeunte, eademque sub ictum cadente.

a) *i*. I. In Genitivo sec. Decl. Aen. IX, 291.:
* Hanc sine me spem ferre *tui:* audentior ibo. XI, 480.:
Causa mali *tanti* oculos deiecta —

II. In Nominat. Plural. sec. Decl. Ecl. III, 63.:
† *lauri*, et suave rubens hyacinthus. X, 13.:
* etiam *lauri*, etiam flevere myricae. VII, 53.:
† Stant et *iuniperi*, et castaneae hirsutae. Ge. I, 281.:
* Ter sunt *conati*, imponere Pelio Ossam. I, 341.:
* Tum pingues *agni*, et tum mollissima vina. II, 86.:
* et *radii*, et amara pausia baca.

III. In Dativo tert. Decl. Ecl. III, 6.:
* Et succus *pecori*, et lac etc. Ge. I, 4.:
* Sit *pecori*, apibus etc. III, 155.:
* Arcebis gravido *pecori*, armentaque. Aen. III, 74.:
† Nereidum *matri*, et Neptuno Aegaeo. X, 156.:
* Externo commissa *duci*. Aeneia puppis —

IV. In Perfecto Act. Ecl. VIII, 41.:
* Ut vidi, ut *perii*, ut me etc.

V. In Infinit. Ge. III, 60.:
† iustosque *pati* hymenaeos.

b) *o*. I. In Dativo et Ablat. sec. Decl. Ecl. II. 24.:
† in *Actaeo* Aracyntho. Aen. I, 16.:
* coluisse *Samo;* hic illius arma. I, 617. et IX, 647.:
† quem *Dardanio* Anchisae. III, 74.:
† et *Neptuno* Aegaeo. IV, 667. et IX, 477.:
† et *femineo* ululatu. VII, 178.:
* Antiqua e *cedro*, Italusque paterque Sabinus. VII, 226.:
* Submovet *Oceano*, et cet. X, 136.:
† Inclusum *buxo*, aut Oricia terebintho. X, 141.:
* Maeonia generose *domo*, ubi pinguia culta. XI, 31.:
† *Parrhasio* Euandro. XII, 31.:
* eripui *genero;* arma impia sumsi. XII, 535.:
* ruenti *Hyllo*, animisque etc.

Digitized by Google

II. In prima Persona Praesentis. Aen. III, 606.:
* Si *pereo*, hominum manibus periisse iuvabit. V, 735.:
* Elysiumque *colo;* huc casta Sibylla.

c) *e.* Ecl. VIII, 44.:
† aut *Rhodope*, aut extremi Garamantes. X, 12.:
† neque *Aonie* Aganippe. Ge. IV, 343.:
† Atque *Ephyre*, atque Opis et Asia Deiopea. Aen. IV, 235.:
aut qua *spe* inimica in gente moratur.

d) *a.* Ecl. VI, 44.:
* ut litus *Hyla*, Hyla omne sonaret. Aen. XII, 648.:
* Sancta ad vos *anima*, atque istius inscia culpae.

e) *ae.* Ecl. VII, 53.:
† Stant et iuniperi, et *castaneae* hirsutae. Ge. I, 221.:
† Ante tibi *Eoae* Atlantides abscondantur. II, 144.:
* tenent *oleae*, armentaque laeta. IV, 463.:
† Atque *Getae*, atque Hebrus et Actias Orithyia. Aen. VII, 631.:
† et *turrigerae* Antemnae.

3. Multo rarior in thesi hiatus reperitur; neque locum fere habet, nisi ubi longa vocalis ante proximam vocalem corripitur. Ecl. II, 65.:

Te, Corydon, *o* Alexi. III, 79.:
vale, *vale*, inquit. VI, 44.:
Hyla, *Hyla* omne sonaret. VIII, 108.:
an, *qui* amant. Ge. I, 281.:
imponere *Pelio* Ossam. I, 332.:
Aut *Atho*, aut Rhodopen*). I, 437.:
† *Panopeae* et Inoo Melicertae. IV, 461.:
Rhodopeiae arces. Aen. III, 211.:
Insulae Ionio in magno. V, 261:
sub *Ilio* alto. VI, 507.:
te, amice, nequivi.

Nam Ecl. II, 53.:

Addam cerea *pruna;* honos erit huic quoque pomo.

et Aen. I, 405.:

Et vera incessu patuit *dea.* Ille ubi matrem etc.

excusationem habent a graviore interpunctione; qua de re infra pluribus dicetur. Sed Ge. I, 437.:

---

*) Sed vide, quae ad hunc versum disputavi.

Digitized by Google

„*Glauco* et Panopeae et Inoo Melicertae“
nullus dubito, quum nusquam longam syllabam in eo positu produxerit Virgilius, pessumdata etiam soni elegantia, quin scripserit *Glaucoque*. Apparet autem, nusquam facilius excidere potuisse hanc copulam, per simplex *q* scilicet exprimi solitam, quam hoc loco, praecedentibus duabus ipsi *Q* similibus literis, altera quidem simillima, *C* et *O*. Sic in Medic. Aen. I, 69. a m. pr. scriptum est SUBMERSASQ. BRUE pro *submersasq. obrue*. An etiam probabis, quod proximo statim versu in ipso quoque Mediceo legitur: „Sol *quoque exoriens*, et quum se condet in undas, Signa dabit;“ ubi, etiamsi in omnibus libris desideraretur copula, tamen sine dubitatione adiicienda esset, quum omissam in tali oratione vix ipsa Latinitas ferat. Laudat tamen et hoc, et illud Ge. I, 178.: „Area tum *primum ingenti* aequanda cylindro,“ Heinsius in hiatus exemplis ad Ge. I, 4.; quamquam, ut ad alterum prius respondeam, *m* ante vocales apud Virgilium semper eliditur; et ea lex constanter observatur, — c o n s t a n t e r autem dico, ubi in s i m i l i re atque oratione i d e m ubique sequi poetam videmus — ne in hiatu eaedem vocales concurrant, ut in his: *quoque exoriens;* quod quidem a pronunciationis elegantia ac suavitate multum abhorrere facile sentis. Eandem ob causam retinui *que* Ge. IV, 339.: „Cydippe*que* et flava Lycorias;“ ubi, ut I, 437. supra laud., copula a Mediceo compluribusque Heinsianis abest. Iam demum intelligetur penitusque perspicietur singularis quorundam versuum ratio. Hinc enim defendendus poeta, quod Aen. XII, 648., supra 2. d) laud., ultimam in Nominativo *anima* produxit; cuius rei exemplum praeterea apud Virgilium frustra quaeras; fieri hoc ibi potuit propter subiectam eandem vocalem, quae vocem cogeret in praegressa paulo diutius morari. Hinc etiam gravitas aestimanda in his: Aen. III, 606.: „Si *pereó*, *hominum* manibus periisse iuvabit;“ hinc denique summa ars in opere omnium difficillimo declarando Ge. I, 281.: „Ter sunt *conati*, *imponere Pelio Ossam*.“

4. Sed dicendum iam de interpunctione. Hiatum Latinos poetas constat magis etiam vitavisse, quam Graecos. Quare ubi Virgilius hiatum admisit, plerumque non alia lege hoc sibi licere putavit, quam ut vocabula, in quibus est hiatus, interpunctione vel leniore vel graviore dirimerentur. Constanter haec lex in versibus non ad Graecorum morem efformatis observatur tum, quum prioris vocabuli ultima syllaba in arsi collocata est; cfr. versus §. 2. stellula * notatos. Nam Aen. XI, 480. ipsa verbi substantivi reticentia facit, ut paulisper subsistat vox post *tanti*. Atque unum, quod illi praecepto refragari videatur, exemplum, Aen. IV, 235., ita comparatum est, ut verba „*inimica in gente*“ distinguenda sint a reliquis, ipsa quoque pronunciatione urgenda, quippe peculiare incisum constituentia, hunc in modum:

Digitized by Google

„aut qua spe moratur, et quidem inimica in gente;“ quare haec commatis separanda puto. Ac diligentiores in interpungenda oratione fuisse veteres, quam vulgo existimant, ex multis, quae in Mediceo reperiuntur, vestigiis intellexisse mihi videor. Neglectam autem eandem legem non raro videmus in versibus ad Graecorum rationem propius accedentibus, in Graeca etiam vocabula saepe exeuntibus; cfr. Ecl. II, 24. VII, 53. X, 12. Ge. I, 221. III, 60. Aen. I, 617. III, 74. IV, 667. VII, 631. IX, 477. 647. XI, 31. Neque ubi hiatus est in thesi, hoc interpunctionis temperamentum poeta quaesivit, quippe hiatu, qui est in concitatiore pede, dactylo, — nam ab altera spondei syllaba excluditur hiatus — minus offendente; cfr. exempla §. 3. allata; quin etiam omnem moram, quae per interpunctionem obiiciatur, respuente.

5. Ceterum quamquam vocalis *u* numquam in hiatu deprehenditur, tamen, quoniam omnino infrequens est haec terminatio, non hanc ob causam nolui edere Aen. VIII, 72.: „Tuque, o Thybri, *tu o* genitor,“ sed partim quod ipse antiquus et Ennianus sermo tuetur *tuo*, de quo cfr. notata ad IX, 816.; partim quod illud *tu o genitor* nescio quid exile habet. — Neminem autem, ut hoc addam, offendet geminata Interiectio *Heu*, *heu*, Ecl. II, 58. III, 100.

QUAESTIO XII.

De brevi syllaba arseos vi producta.

1. Tertia Persona Singularis Verbi activi producta:

Ecl. I,	39.:	Tityrus hinc *aberat;* ipsae
III,	97.:	Ipse, ubi tempus *erit,* omnes
VII,	23.:	Versibus ille *facit;* aut
Ge. II,	211.:	At rudis *enituit* impulso
Aen. I,	308.:	inculta *videt*, hominesne feraene
	651.:	quum *peteret* inconcessosque hymenaeos*
VII,	174.:	Regibus omen *erat;* hoc illis
	398.:	Turnique *canit* hymenaeos*
VIII,	363.:	Alcides *subiit;* haec
IX,	9.:	sedemque *petit* Evandri*
X,	67.:	Italiam fatis *petiit* auctoribus
	383.:	qua spina *dabat;* hastamque receptat
	433.:	Tela manusque *sinit;* hinc Pallas
XII,	883.:	Te sine, frater, *erit?* o quae

Digitized by Google

2. Tertia Persona Singularis et prima Pluralis Passivi et Deponentis:
Ge. III, 76.: Altius *ingreditur*, et mollia
Aen. II, 411.: *obruimur*, oriturque
IV, 222.: Mercurium *alloquitur;* ac talia
V, 284.: Olli serva *datur*, operum
3. Substantiva in *r* desinentia:
Ecl. IX, 66.: Desine plura, *puer;* et quod
X, 69.: Omnia vincit *Amor;* et nos
Ge. III, 118.: Aequus uterque *labor;* aeque
IV, 92.: hic *melior*, insignis et ore.
Aen. II, 369.: Luctus, ubique *pavor*, et plurima
V, 521.: Ostentans artemque *pater*, arcumque
VI, 768.: Et Capys, et *Numitor*, et
XI, 323.: si tantus *amor*, et moenia condant
469.: Concilium ipse *pater*, et magna
XII, 13.: fer sacra, *pater*, et concipe foedus
68.: Si quis *ebur*, aut mixta rubent
422.: Quippe *dolor;* omnis
550.: At Messapus, equum *domitor*, et fortis
668.: agitatus *amor*, et conscia virtus.
Substantiva et Adiectiva in *s* terminata:
Ge. I, 138.: *Pleiadas*, Hyadasque
II, 5.: tibi pampineo *gravidus* auctumno*
III, 189.: *Invalidus*, etiamque tremens
332.: Sicubi magna *Iovis* antiquo
Aen. III, 112.: Idaeumque *nemus;* hinc
IV, 64.: *Pectoribus* inhians
V, 337.: Eminet *Euryalus*, et munere
X, 720.: linquens *profugus* hymenaeos*
XII, 232.: Fatalisque *manus*, infensa
5. Promiscua quaedam:
Aen. VI, 254.: Pingue *super* oleum infundens †)
VIII, 98.: arcemque *procul*, ac rara domorum
X, 394.: Thymbre, *caput* Euandrius abstulit
6. Quaedam in Vocalem exeuntia:
Aen. III, 464.: Dona dehinc auro *gravia* sectoque elephanto *
702.: Immanisque *Gela*, fluvii cognomine dicta
XII, 648.: Sancta ad vos *anima*, atque istius
7. *Que* productum:
Ecl. IV, 51.: Terras*que* tractusque maris
Ge. I, 153.: Lappae*que* tribolique

---

†) vid. de hoc vs §. 13.

Digitized by Google

164.: Tribula*que* traheaeque
352.: Aestus*que* pluviasque
IV, 222.: Terras*que* tractusque maris
Aen. III, 91.: Limina*que* laurusque Dei
IV, 146.: Cretes*que* Dryopesque
VII, 186.: Spicula*que* clipeique
IX, 767.: Noemona*que* Prytanimque
XII, 89.: Ensem*que* clipeumque
181.: Fontes*que* Fluviosque voco
363.: Chlorea*que* Sybarimque
443.: Antheus*que* Mnestheusque

idem productum ante *X*, *Z* et *St*

Ge. I, 371.: Euri*que* Zephyrique
IV, 336.: Drymo*que* Xanthoque
Aen. VIII, 425.: Brontes*que* Steropesque

8. Quae hactenus protulimus, in his omnibus, si partem eorum eximis, quae §. 7. proposuimus, brevem caesurae vi productam alia praecedit brevis. Superest, ut brevis syllabae post praegressam longam productae, quae exstant, afferam exempla:

Ecl. VI, 53.: latus niveum molli *fultus* hyacintho *
Ge. IV, 137.: Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi *
453.: Non te *nullius* exercent numinis irae
Aen. I, 478.: versa *pulvis* inscribitur hasta †)
IX, 610.: Terga *fatigamus* hasta
XI, 69.: seu *languentis* hyacinthi *
111.: *Oratis?* equidem et vivis
XII, 772.: Hic hasta Aeneae *stabat:* huc impetus illam

9. Hanc quoque producendae brevis syllabae rationem e Graecis poetis assumsisse putandus est poeta; quod ex quibusdam ad Graecorum consuetudinem effictis, signo stellulae notatis, apparet: Ge. II, 5. IV, 137. Aen. I, 651. III, 464. VII, 398. IX, 9. X, 720. XI, 69. Ecl. VI, 53.; in quibus memorabile est, quod, praeter Ge. II, 5. et Aen. III, 464., omnibus his locis versus Graeco clauditur vocabulo *hymenaeus* aut *hyacinthus*. Praeterea huc pertinent omnes versus §. 7. laudati; etiam Ge. I, 138.

10. Ac Virgilius cautius, quam vulgo existimari solet, in ea re versatus est. Ut enim emolliretur prava, et Romanis auribus minus iucunda in his mensura, plurimum eo usus est artificio, ut primum interpunctione pleraque id genus adiuvaret, cfr. exempla magno numero supra laudata; tum choriambici vel anapaestici rhythmi vehementia, ultimas verborum syllabas fortius acuentis, stabiliret et corroboraret numeros; qui rhythmus quum in tertio quartoque pede inprimis locum habeat, pleraque, quae attuli,

---

†) Adde iam Aen. V, 853., de quo dictum §. 13. Not.

Digitized by Google

exempla in penthemimeri et hephthemimeri productam exhibent brevem syllabam. Choriambicum numerum invenio in eiusmodi versibus: Ge. I, 138.: *Pléiadás*, Hyadasque. II, 211.: At rudis *énituit* impulso. III, 76.: Altius *ingreditúr* et. ib. 189.: *invalidús*, etiamque. IV, 92.: *hic meliór*, insignis. Aen. II, 411.: *óbruimúr*, oriturque. IV, 64.. *Péctoribús* inhians. ib. 222.: *álloquitúr* ac. V, 284.: *sérva datúr*, operum. ib. 337.: *Eúryalús* et. VI, 786.: *ét Numitór* et. X, 383.: qua *spína dabát* hastamque. XII, 13.: fer *sácra patér* et. ib. 68.: *Sí quis ebúr* aut. ib. 422.: *Quíppe dolór;* omnis. Eodem refero Aen. I, 308.: nam *incúlta vidét.* III, 112.: Idae*úmque nemús.* ib. 702.: Imma*nísque Gelá.* V, 521.: Ostentans ar*témque patér.* VIII, 98.: ar*cémque procúl.* ib. 363.: Alci*dés subiít.* XII, 282.: Fata*lísque manús.* ib. 550.: At Messapus e*quúm domitór.* — Anapaestici numeri insunt his: Ecl. VI, 53.: latus *niveúm mollí fultús* hyacintho. Ge. II, 5.: tibi *pámpineó* (choriamb.) *gravidús* auctumno. IV, 137.: Ille comam *mollí iam tóndebát* hyacintho. Aen. I, 478.: *versá pulvís* inscribitur hasta. III, 464.: Dona dehinc, *auró graviá* sectoque elephanto. VII, 398.: *Turníque canít* hymenaeos. IX, 9.: *sedémque petít* Euandri. IX, 610.: Terga *fatígamús hastá.* X, 67.: Italiam *fatís petiít* auctoribus. ib. 720.: *linquéns profugús* hymenaeos. XI, 69.: *seu lánguentís* hyacinthi. Accedit in hoc et aliis quibusdam insignis quaedam accentus mutatio, quo in antepenultimam retracto acuitur ultima. XII, 648.: Sancta *ad vós animá*, atque istius inscia culpae. ib. 668.: Et *Furiís agitátus amór* et conscia virtus. ib. 772.: Hic *hasta Aéneaé stabát;* huc impetus illam etc., ubi sonus anapaesticus indicare videtur penitus infixam. Sed in his fortasse erunt, quae alius choriambice, in illis, quae anapaestice legere malit; nisi rectius dices, choriambo in his anapaestum subiici. — Denique sunt etiam dactylica quaedam, brevem syllabam non respuentia. In quibus hanc videtur poeta observasse legem, ut prior hexametri ordo concitatior, i. e. constans duobus dactylis subiectam habeat syllabam brevem: ut Ecl. I, 39.: *Títyrus hinc aberát;* ipsae. III, 97.: *ípse, ubi témpus erít*, omnes. VII, 23.: *Vérsibus ílle facit;* aut. IX, 66.: *Désine plúra, puér;* et. X, 69.: *ómnia vincit Amór;* et. Ge. III, 118.: *aéquus utérque labór;* aeque. ib. 332.: *Sícubi mágna Iovís* antiquo. Aen. I, 651.: *Pérgama quúm peterét*, inconcessosque. II, 369.: *Lúctus, ubíque pavór*, et. VII, 174.: *Regibus ómen erát;* hoc. X, 394.: *Nám tibi, Thýmbre, capút* Euandrius. ib. 433.: *Téla manúsque sinít;* hinc. XI, 469.: *Cóncilium ípse patér*, et. XII, 883.: *Té sine, fráter, erít?* o quae. Erit fortasse, qui miretur, cur haec dactylica, illa, quae supra proposui, choriambica esse voluerim; sed is, si vel ipsorum verborum, vel ordinum rhythmicorum, vel etiam sententiarum diver-

sam rationem consideraverit, facile sibi persuadebit, non fictum esse, quod statui, sed verum discrimen.

11. Plerumque etiam, ut firmetur brevis syllaba, longa ei subiicitur; sic enim, quum non adeo properatur ad sequentia, diutius consistere potest vox in brevi ista syllaba; nec nisi tum, ubi versus aut ad choriambicum accedit, aut ad anapaesticum rhythmum, breves interdum subiunguntur syllabae; ex anapaestico genere duo tantum sunt exempla, eaque prorsus ad Graecam rationem conformata, Aen. VII, 398. X, 720.; ex choriambico haec: Ge. I, 138. III, 189. Aen. I, 308. II, 411. V, 284., quae quidem omnia interpunctione adiuvantur. — Ceterum ὡς ἐν παρόδῳ illud tango quorundam praeceptum: litera *h* poetas interdum uti ad producendas breves syllabas; quod an ex Virgilio probare liceat, ut facit Huschk. ad Tibull. I, 7, 61., ex iis, quae hactenus disputata sunt, facile poterit intelligi; vid. etiam V. L. ad Aen. IX, 418.

12. Venio nunc ad singulare genus productae brevis syllabae, illud dico, quod particulam *que* productam habet. Hoc totum versatur in rhythmo choriambico, nec nisi in secundo quartoque pede locum habet, his quippe sedibus ad recipiendum numerum choriambicum inprimis commodis. Hic tamen illud notandum: pro choriambo saepe molossum admitti; tum rariorem esse huius rei usum in quarta sede, ut debiliore; deinde plerumque subiungi productae particulae *que* vocabulum a muta cum liquida incipiens, bis a semivocalibus *l* et *s*, Aen. III, 91. et XII, 363.; denique ubique geminari *que*.

13. Ex iis, in quibus ante producendam brevem syllabam longa praecedit, cetera iustam habent excusationem, etiam Aen. XI, 111.; unum tamen quo pacto se tueatur, vix dicas: Ge. IV, 453.: „Non te *nullius* exercent numinis irae;" priora corrupta esse, mihi quidem persuasissimum est; sed quomodo persananda, nondum satis exploratum habeo. Quod autem Aen. I, 668. editur: Litora *iactetur*, odiis Iunonis iniquae," nisi omnium, certe longe plurimorum ac praestantissimorum codicum fides aspernatur. Nam in ipso Mediceo quamquam Heinsius *iactetur*, absque copula, exhiberi ait, vix dubito, quum in eodem post vocem *Litora* interpungatur, quin, ut Fogginius exarandum curavit, *iacteturque* inveniatur. Quamobrem aut traiectio statuenda, quum proprie dicendum esset, *pelago — odiisque iactetur;* aut corruptela in praegresso versu latet et vox *pelago* occupavit Verbi alicuius locum, quale *peragret*; nisi *circum* pro *circet* a librariis invectum suspicari malis, cfr. Broukhus. ad Propert. IV, 9, 35., cui obloquitur Burmann. ad eund. loc.; tuetur tamen verbum *cir-*

care Herm. Elem. Doctr. metr. p. 619.*). — Aen. VI, 254., ubi ab Heynio et Brunckio editur: „Pingue *supér* oleum ínfundéns," item in omnibus prope libris, atque in ipso Mediceo, legitur *superque;* sed copulam *que* sic alteri vocabulo apud Virgilium iungi negavimus ad Ge. I, 142. Ut editur hic versus, numeri bene se habent; sed vereor, ne in codicum lectione lateat vera Virgilii manus ortumque sit illud *superque* ex *superne*.

14. Brevis syllaba ante consonas *X*, *Z*, *St*, productae non nisi haec exstant exempla: Ge. I, 371. IV, 336. Aen. VIII, 425. eandem ceteroquin legem sequentia, quam reliqua id genus §. 7. commemorata, ita tamen, ut subiecta habeant Nomina propria. *Sc*, *sp*, *sq*, *st*, longam plerumque efficere extremam praegressi vocabuli syllabam brevi vocali terminatam, ex Terentiano Mauro notisque Viror. Doctorum satis constat; quamquam hac in re multum erratur, quod nec scriptorum singulorum, nec diversarum aetatum ratio haberi solet. Hic vero ante omnia tenendum, non facile inveniri ullum tersioris quidem poetae versiculum, ubi syllaba hoc modo producta extra arsin collocata sit. Hinc pessime editur Aen. IX, 37.: „date *tela*, *scandite* muros;" optimis libris *ascendite* reponi iubentibus. Quid vero fiet innumeris istis exemplis productae ante has consonas syllabae, quae C. Barthius ad Claudian. Bell. Gild. vs. 136. ex Virgilio enotari posse contendit, si, codicum optimorum auctoritate confisi, vel concesso illo productionum genere abstinuisse Virgilium affirmabimus? Nam Aen. VIII, 425. paulo ante laud. nihil contra nos valere, sponte intelligitur. Aen. X, 251. editur *supera adspectans;* in quibusdam libris tamen legitur *supera spectans*, quod ex vocabulis iunctim scriptis ortum esse, praeter duos Moretanos, in quibus *super — aspectans*, Mediceus planissime docet; in hoc enim exstat *superaspectans*, supra picta altera *a*, ut etiam in duobus aliis. Iam vero in eodem codice, si Aen. X, 4. exceperis, ubique scribitur *aspicere*, *aspectus*, *aspectare;* qui si *adspicere*, *adspectare* ubique exhiberet, tum sane recte diceres, ex eius auctoritate istoc loco exarandum esse *supera spectans*. Saepe etiam factum est, ut altera vocalis in elisione obtereretur, sicut in eodem Mediceo Aen. V, 615. scribitur *Pontum spectabant*, supra tamen adiecta *a*. — Aen V, 163. et in aliis quibusdam, sed paucis admodum, codd. et in Mediceo legitur: „*laeva* stringat sine palmula cautes." Nempe una *s*, ut saepe, vid. V. L. ad Ge. II, 203., duobus inservit vocabulis; et nullo haec sunt intervallo in Mediceo scripta *laevastringat*, ut apud Fogginium videre licet. — Aen. VI, 687.

*) Sero animadverti, praetermissum esse a me Aen. V, 853.: „Nusquam *amittebat*, oculosque sub astra ferebat." Itaque hic locus et I, 668. invicem tueri se poterunt, utrobique servata et in auxilium vocata interpunctione.

Digitized by Google

editur: „*tuaque* spectata parenti Vicit iter durum pietas;“ quod lubens amplecterer, nisi codices, ut videtur, ad unum omnes *exspectata* praeberent; quod reduxi; quamquam non dissimulaverim, Serviana, ut apud Burm. leguntur, ad lectionem *spectata* ducere; praescribitur tamen iisdem *exspectata;* quod si vitiosum esset, antiquum sane foret vitium, quod in tali quidem re vix praeterisset Servius silentio. Explicat Servius: *probata;* cui tamen verbo in antiquis Editionibus et cod. Dresd. subiiciuntur haec, a Burmanno male omissa: *nunc etiam.* Quare Servius vocabulo *exspectata* hanc videtur tribuisse significationem, ut Praepositio *ex* quandam perpetuitatis notionem contineat. — Quae quum ita sint, ne illud quidem ferendum arbitror, quod Ecl. V, 68. editum fuit: „Craterasque *duo* statuam.“ *Duo* pro *duos* legitur Aen. XI, 285.: „Si *duo* praeterea tales Idaea tulisset Terra viros.“ Sed quum reliquis locis omnibus et correptum sit et in thesi positum hoc numerale, uno hoc loco producitur in arsi collocatum. Quum autem tanta, quanta vidimus, in producendis per arsin syllabis versetur diligentia Virgilius, non est temere affirmandum, *duo* istoc loco per eius vim produci; et quum ne illarum quidem consonarum *sc*, *sp*, *st*, auxilio usum esse Virgilium ad producendas breves syllabas finales ostenderimus, nullus dubito, quin e Nonii compluriumque codicum auctoritate *duos* ibi restituendum sit. Simillimum mendum exstat Aen. I, 724. in cod. Rom., ubi *magno statuunt* a m. pr. pro *magnos statuunt.* Simplicem scilicet saepe librarii ponebant consonam, priore vocabulo in *s* desinente, proximo ab eadem litera incipiente, ut una litera utrique inserviret vocabulo. — His leviora quaedam adiungere placet. Aen. IX, 267. in quibusdam Pierii libris, corrupto verborum ordine, legitur: „Si vero Italiam *capere* sceptrisque potiri,“ pro „*capere Italiam.*“ Aeque sublesta fide, codicum Pierianorum dico, nititur lectio a Cuninghamo in ordinem recepta Aen. XII, 537.: „*fixa* stetit hasta cerebro.“ Debetur hoc *fixa* vocabulo *hasta;* saepe enim, de qua re in peculiari Excursu expositum est, Adiectivorum genus ac numerus a librariis ad proximum Substantivum accommodatur; nec non Substantivorum casus interdum e proximo Substantivo, Pronomine aut Adiectivo mutatur. Hinc interdum breves syllabae natae longarum loco: ut Aen. VI, 640.: „Largior hic *campus* aether.“ X, 139.: „Te quoque *magnanime* viderunt, Ismare gentes.“ Huc pertinet etiam Ge. II, 71.: „Et steriles platani malos gessere valentes, Castaneae *fagos* ornusque incanuit albo Flore piri;“ ubi librarii *fagos* scripserunt, coniunctum hoc rati cum praegressis. Recte utique ad sensum scribitur *fagus;* verum non habet satis idoneam h. l. excusationem producta brevis syllaba. Scilicet in eo erratur, quod *fagus* Nominativum singularis esse Numeri putant, quum sit pluralis quartae Declinationis; vid. Culex vs. 139.

Digitized by Google

et Conr. Schneider. Grammat. Lat. Vol. I. P. II. p. 471.; ex more autem verbum *incanuit* proximi Nominis sequitur Numerum. Magis in eo genere turbatur Ge. II, 417., ubi ex vulgari editorum librorum lectione Heynius exhibet: *extremos effetus vinitor antes;* idem tamen veriorem sibi lectionem videri *effetus extremos* significat; atque ita edidit Iahnius. Verum haec quoque productio brevis syllabae non habet, quo adiuvari aut excusari possit, magis etiam reprehendenda, quum adeo facile vitari potuerit. At Mediceus cum Romano praebet *effectos extremus;* nam quod in illo supra ultimam prioris vocabuli appictum est *u*, manus est alienae. Multi quoque alii, ac fortasse plerique, codices in *effectus*, vel *effectos* consentiunt. Omnis perturbatio huius loci ex una litera *c* omissa videtur esse nata; nam *effetos antes* quid esset, quum intelligi non posset, *effetus* scriptum est, quod ad vinitorem referretur; iam quum duo Adiectiva ad unum Subiectum relata sorderent, *antes* autem desideraret epitheton, *extremus* mutatum est in *extremos;* metrum autem inde claudicans transpositione adiutum, unde factum *extremos effetus*, quamquam hic verborum ordo nullo ex codice disertis verbis asseritur; quam quidem ipsam rem apparet totam a me stare. Hinc non dubitavi, *effectos extremus* revocare. Similiter *effetus* pro *effectus* vulgo legitur apud Columell. VIII, 5, 16., ubi vid. Schneider. Et quamquam non satis certa est vocabuli *antes* significatio, recte tamen dici poterit *antes efficere;* verbum *efficere* enim perficiendi et absolvendi vim sustinere constat. Cfr. etiam V. L. ad istum locum.

15. Iam videamus quaedam alia. Aen. V, 451. legitur: „It clamor caelo, *primusque* accurrit Acestes;" Mediceus omittit *que*, probante Heinsio; sed ut taceam, supra adiectum esse *Q* in codice, causa omittendi quaerenda est haud dubie in prava interpunctione, quae illuc irrepsit: „It clamor · caelo primus acc. Ac." vid. etiam, quae mox dicentur de XII, 81. — Aen. VIII, 619.: „*Miraturque* interque manus et brachia versat;" male a quibusdam abest *que*, reclamante ipso sententiarum nexu. — X, 126. male scribitur in Codd.: „Et Clarus *ét Haemon;*" numquam enim *et* caesurae vi producitur. — Nec XII, 23. audiendi sunt quidam codices, pro „nec non *aurumque animusque* Latino est" exhibentes *animus aurumque.* Nam ut taceam, praestantissimum quemque librum vulgatam tueri, prima in his lex est, ne quid tale praeter necessitatem inferatur; unde ne ea quidem exemta velim, quae §. 7. sub unum obtutum vides vocata; et insignis est eorum error, qui ex istiusmodi re ornatum poetis petitum existimant. Male etiam XII, 81. Heynius abesse vult copulam, omnium librorum fide defensam, in his: „Haec ubi dicta dedit, rapidus*que* in tecta recessit;" neque enim ultimam brevem producere licebat in vocabulo alterum hemistichium incipiente, praegressa interpunctione; omitti copula poterat, si ita distinguere

liceret: „Haec ubi dicta dedit *rapidus*, in tecta recessit;" ceterum vide notata ad h. l. Hinc etiam patet, nec Aen. V, 451. supra laud., nec II, 542.: „erubuit, corpus*que* exsangue sepulcro Reddidit," nec V, 467.: „dixit*que* et proelia voce diremit," ac ne VIII, 245. quidem: „Pallida, dis invisa; super*que* inmane barathrum Cernatur," omitti posse copulam; frustra enim provocaveris ad X, 394. — Ge. II, 260.: „Excoquere et magnos;" in Mediceo Pierii *et* desideratur, suffragante Martyno, Cuninghamo etiam eiiciente; parum considerate; e vocalibus enim *a* tantum, quippe pinguior, neque haec ipsa frequenter, producitur; *que* autem Graecae particulae τέ rationem sequitur; accedit, quod, quum *ante* vs. 261. repetatur, non potest ferri omissa *et* copula; qua exsulante exspectandum erat vs. 261. non *ante*, sed *atque;* eadem recepta bene se habet *ante;* quod Bryantii causa, ab Heynio laudati, dictum volui. — Nec Ge. IV, 238. *Adfixă venis* habet, quo defendatur, quamquam id probat Brunckius, non improbat Heynius. — Ge. IV, 483. Gifanius e scriptis laudat: „*tenuit* inhians tria Cerberus ora;" numeros si spectas, haud inepte; sed orationis nexum consideranti facile persuadebitur, copulam, casu detractam, requiri h. l., quum vox *Quin*, vs. 481. praegressa, ad omnia, quae sequuntur usque ad vs. 484., pertineat. Neque, ut ad Aeneidem redeam, II, 643. sententia *et* abesse patitur.

Sed satis iam superque dictum de brevi syllaba; ac si quid relictum a me fuerit, id, quale sit, facile iam iudicare poteris.

QUAESTIO XIII.

De Caesura post primum pedem.

1. De Caesura, quae est post primum pedem, expositurus non id mihi agendum sumsi, ut omnem eius rationem exquirerem, sed ut singulare quoddam eius genus, ad quod Critico inprimis attendendum puto, breviter illustrarem. Veteres poetae meliores quanto studio in eo elaboraverint, ut ipse rhythmus vel suavitate aures deleniret, vel apta quadam singulorum ordinum conformatione verba ipsa et sententiam adiuvaret, constat inter omnes. Quum autem certae quaedam sedes prae ceteris magnam in eo genere diligentiam requirant, omissis ceteris, de una prima Hexametri sede dicam.

2. Prima versus alicuius sedes natura sua comparata est ad res graves exprimendas; cuius rei causa in eo est posita, quod

incipientes versum aliquem pronunciare, collecto novo et pleno spiritu, firmiore utimur et validiore voce, quae, nisi denuo excitatur, deficit in medio extremoque versu. Is vocis impetus cavendum est ne temere circum ipsa versuum initia frangatur; quod facile fit incisione post primum pedem facta. Ubi si id ipsum agitur, ut omnis spiritus omnisque vis vocis effundatur in illud ipsum, quod primum pedem explet, vocabulum, egregia est haec caesura, ut in hoc, Aen. I, 135.: „Quos ego — Sed motos“ etc. aut in illo, Aen. IV, 237.: „Naviget! — haec summa est.“ Sed ubi non habet locum is orationis vigor, ibi poetae ita rem instituerunt, ut tamen vitium, quod oriri poterat e prava incisione, non sentiatur. Itaque non dubitarunt post primam sedem incidere, ubi vocabulum inciperet versum dactyli mensuram habens, quo fit, ut rhythmus concitatior aegre patiatur moram interponi inter primum et secundum pedem. Sed inelegans et salebrosus exsistit numerus, ubi post spondeum in versus principio inciditur. Quod quum minorem habeat offensionem, si vocabulum hunc spondeum efficiens non includitur superioris versus sententia, magnum ea res numeris affert detrimentum, si id verbum pars est enunciati praegresso versu comprehensi. Itaque si egregia sunt talia, quale Aen. IV, 623.: „cinerique haec mittite nostro Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto;“ vel quale Aen. V, 149.: „Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant Litora; pulsati colles clamore resultant;“ vitiosa contra forent eadem, si sic legantur: „cinerique hoc mittite nostro Munus. Nullus“ etc. et „vocemque inclusa volutat Vallis; pulsati“ etc. Itaque si quando, quod tamen satis raro factum videmus, talem admisit spondeum Virgilius, fecit hoc ita, ut aut

a) trisyllabi vocabuli ultima elideretur, ut Ecl. VII, 19.: „Alternis igitur contendere versibus ambo Coepere: alternos Musae meminisse volebant.“ Ge. I, 14.: „cui Fudit equum magno tellus percussa tridenti, Neptune; et cultor nemorum.“ Adde Aen. III, 497. et al.

aut b) ut copula, quae necteret sententias, istum exciperet spondeum. Ge. III, 317.: „Atque ipsae memores redeunt in tecta, suosque Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.“ ib. 375.: „Comminus obtruncant ferro, graviterque rudentes Caedunt, et magno laeti clamore reportant.“ IV, 40.: „Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras Explent, conlectumque haec ipsa ad munera gluten.“ ib. 164.: „aliae purissima mella Stipant, et liquido distendunt nectare cellas.“ Adde Aen. I, 433. V, 131. 807. VI, 213. VIII, 641. XI, 693. 803. Quamquam ne in copula quidem ubique satis est ad tuendam hanc caesuram praesidii; cfr. §. d.

Digitized by Google

aut c) ut copulae loco particula quaedam repeteretur. Ecl. I, 24.: „Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos Noram; sic parvis componere magna solebam." VIII, 98.: „His ego saepe lupum fieri et se condere silvis Moerim, saepe animas imis excire sepulcris."

aut d) singularis esset vis in eo vocabulo. Aen. III, 635.: „et telo lumen terebramus acuto, Ingens*), quod torva solum sub fronte latebat." VI, 590.: „divumque sibi poscebat honorem, Demens! qui nimbos" etc., adde IX, 728. VII, 80.: „Namque fore illustrem fama fatisque canebant Ipsam; sed populo magnum portendere bellum." Huc referendum etiam, quod legitur Ge. I, 477.: „Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes, Ingens; et simulacra modis pallentia miris Visa." Aen. X, 879.: „Quid me, erepto, saevissime, nato, Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses." ib. 117.: „Solio tum Iupiter aureo Surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt;" ubi rerum gravitati aptissimus est is numerus; idem rei lugubri convenientissimus Ecl. V, 21.: „Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim Flebant: vos coruli testes et flumina Nymphis." Aen. IV, 184. interpungo: „Nocte volat caeli medio terraeque per umbram, Stridens, n." Nullam habet, ut facile intelligitur, offensionem Aen. I, 30.: „iactatos aequore toto Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli;" nec Aen. II, 80.: „nec, si miserum Fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget," ubi sententia per *nec* incepta post verbum *Finxit* demum absolvitur; unde bene se habet VII, 735.: „quem generasse Telon Sebethide nympha Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret, Iam senior;" ubi comma post *teneret* addidi, male neglectum ab Heynio; cfr. I, 255. Hinc etiam defendes Ge. IV, 196.: „et saepe lapillos, Ut cymbae instabiles fluctu iactante saburram, Tollunt: his sese per inania nubila librant;" ubi, ut plena sit sententia, statim ea, quae verbo *Tollunt* subiiciuntur, annectenda sunt; tum ipse tollendi oneris labor eo numero exprimitur. At haud dubie venustius interpungitur Ge. I, 245. „Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis Circum perque duas in morem fluminis Arctos," omisso, quod est apud Heynium, post *Circum* commate. Ge. IV, 19. recte editur: „At liquidi fontes et stagna virentia musco Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus," non, ut suadet Meierotto: „Adsint: at tenuis;" quod etsi repetitione eiusdem particulae defendi possit, ea est tamen vis huius particulae, ut necessario videatur maior ante eam pausa facienda. Sed quod Heynius

*) Talia rectius commatis includuntur; atque ita haec interpunxit Wolfius in Homero, atque in ipso Virgilio ut plurimum Heynius.

Digitized by Google

Ge. IV, 243.: „nam saepe favos ignotus adedit Stellio; et lucifugis congesta cubilia blattis," copulam omittendam statuit, id nullo modo probari potest. Nam ita aut creticum pro dactylo, aut, facta synizesi, fractos numeros habebimus. Nec qui Ge. I, 175.: „Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque fagus Stivaque, quae cursus a tergo torqueat imos," *Stivae* pro *Stivaque* scribendum putant, aures in deliberationem adhibuerunt. Nam ut concedam, posse illos sententiam suam eo tueri, quod Relativo *quae* oratio nectatur, molestissima est tamen haec ratio propterea, quod praecedens versus, meris decurrens dactylis, male exciperetur versu spondaico.

3. Hac re ad elegiacos poetas, aeque diligenter hoc vitium fugientes, translata, miraberis etiam in novissima Tibulli Heyniani editione servari pessimam interpunctionem III, 4, 19. sq.: „Nec me sopierat menti deus utilis aegrae Somnus; sollicitas deficit ante domos." Venustius apud eundem III, 6, 1. sq. sic interpungetur: „sic sit tibi mystica vitis; Semper sic hedera cornua vincta geras;" cfr. notata ad Ge. I, 248. Noli autem cum his comparare IV, 7, 9. sq. „vultus componere famae Taedet; cum digno digna fuisse ferar;" ubi ipse tardior numerorum incessus plenam fiduciae orationem praeclare adiuvat.

QUAESTIO XIIII.

De Praepositione *in*, etiam *a* et *e*, non raro in codd. vel omissa temere, vel adiecta.

Nisi adeo praestantes libri textum Virgilianum puriorem et emendatiorem servassent, quam id in aliis scriptoribus factum videmus, difficillimum sane esset indicare, quibus conditionibus vel additae a poeta, vel omissae fuerint Praepositiones. Hac in re quae observavi, pauca illa quidem, neque omnem rem conficientia, proponam.

1. Solet Virgilius concursum Adiectivi et Substantivi interiecta Praepositione vitare: Aen. III, 211.: „Insulae *Ionio* in *magno.*" IV, 358.: „Ipse deum *manifesto* in *lumine* vidi." 504.: „pura *penetrali* in *sede* sub auras Erecta." 554.: „Aeneas *celsa* in *puppi* — Carpebat somnos." V, 214.: „dulces *latebroso* in *pumice* nidi." 475.: „quae fuerint *iuvenali* in *corpore* vires." 488.: „volucrem *traiecto* in *fune* columbam — suspendit." VI, 505.: „tumulum *Rhoeteo* in *litore* — Constituit." 636.: „*adverso* in *limine* figit." VII, 167.: „Nun-

tius ingentes *ignota* in *veste* reportat Advenisse viros." X, 387.: „ensem *tumido* in *pulmone* recondit." XI, 184.: „iam *curvo* in *litore* Tarchon." I, 19. „Progeniem *Troiano* a *sanguine* duci Audierat." 235.: „*revocato* a *sanguine* Teucri." II, 290.: „ruit *alto* a *culmine* Troia." III, 687.: „*angusta* ab *sede* Pelori Missus adest." VII, 209.: „*Tyrrhena* ab *sede* profectum." 255.: „*externa* ab *sede* profectum."

2. Hac ipsa re non raro consulitur soni elegantiae, ne scilicet duae vicinae arses syllabas habeant pariter cadentes: Aen. I, 148.: „Ac veluti *magno* in *populo*." II, 356.: „Raptores *atra* in *nebula*." 718.: „Me *bello* ex *tanto* digressum." V, 270.: „*saevo* e *scopulo*." 449.: „aut Erymantho, Aut *Ida* in *magna*." VI, 451.: „Errabat *silva* in *magna*." VII, 4.: „*Hesperia* in *magna*." 54.: „*magno* e *Latio*." 379.: „turbo, quem pueri *magno* in *gyro* — *exercent*." 601.: „Mos erat *Hesperio* in *Latio*." XI, 456.: „*alto* in *luco*."

3. Inprimis frequenter Praepositiones in thesi quarti pedis, plerumque cum elisione praegressae syllabae, inveniuntur; quod ad corroborandos numeros aliquantum valere, alio loco docuimus. E laudatis modo exemplis huc pertinent: Aen. I, 19. 235. II, 290. III, 211. IV, 358. 504. V, 214. 475. 488. VI, 505. 636. VII, 167. X, 387. XI, 184. Adde VIII, 247.: „*deprensum in* luce repente;" et quae plurima cumulari possunt.

4. Facillime et omitti et adiici potuit, et saepissime omissa aut adiecta est Praepositio *in* litera *m* vel praegressa, vel subiecta. Pauca de multis afferam: Aen. II, 447.: „extrema *iam* in *morte*." 533.: „*quamquam* in *media* iam morte tenetur." V, 3.: „quae *iam infelicis*." 220.: „Et *primum* in scopulo." VI, 444.: „curae non ipsa in *morte* relinquunt." VII, 709.: „*postquam* in partem data Roma." XI, 846.: „Extrema *iam* in *morte*." XII, 598.: „*iuvenem* in certamine credit Exstinctum." His locis multisque aliis Praepositio a parte codicum exsulat; adiecta est eadem a librariis Ge. I, 256.: „*tempestivam* (*in*) silvis evertere pinum;" ubi meliores libri *in* non habent. IV, 576.: „Ecce *iterum ins*timulat." V, 290.: „Consessu (*in*) *medium* tulit." VI, 254.: „*oleum in*fundens." VIII, 139.: „*conceptum* (*in*) vertice." XI, 67.: „agresti *sublimem* (*in*) stramine ponunt."

5. Hic vero inprimis notabilis est Praepositio *in* ante Ablativos vocabuli *medius*, *medium*, omissa vel adiecta. Qua de re haec tenenda:

a) Adiicitur Praepositio 1) ubi *medius*, *medium*, proprie de spatio medio: Aen. I, 441.: „Lucus in urbe fuit media." II, 328.: „mediis in moenibus adstans — equus," i. e. in ipsa arce. 512.: „Aedibus in mediis — Ara fuit." 665.: „mediis hostem in penetralibus — cernam." III, 624.: „medio resupinus in antro," Polyphemus. V, 110.: „munera — ante

Digitized by Google

oculos circoque locantur In medio." 160.: „medioque Gyas in gurgite victor;" i. e. in medio cursu, non extremo. VIII, 588.: „ipse agmine Pallas In medio." Ecl. III, 40.: „In medio duo signa." 46.: „Orpheaque in medio posuit." Ge. II, 528.: „Ignis ubi in medio." III, 16.: „In medio mihi Caesar erit." Aen. VI, 282.: „In medio ramos — pandit Ulmus." VII, 227.: „si quem extenta plagarum Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui." VIII, 675.: „In medio classes — Cernere erat." IX, 395.: „Nec longum in medio tempus." XII, 118.: „parabant, In medioque focos," i. e. inter utramque aciem. Hinc I, 109.: „mediis in fluctibus;" est enim is locus, cui nomen est Arae, in medio mari situs, ut ex nota Servii ad h. l. intelligitur. Et IV, 156.: „mediis in vallibus acri Gaudet equo," quia oppositi commemorantur montes. — — 2) ubi *in* i. q. *inter*. Ge. II, 283.: „dubius mediis Mars errat in armis." Aen. I, 491.: „mediisque in millibus ardet." V, 303.: „quibus in mediis sic deinde locutus." VIII, 696.: „Regina in mediis patrio vocat agmina sistro." 700.: „saevit medio *in* certamine Mavors;" i. e. inter medios. IX, 728.: „Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem." XI, 237.: „sedet in mediis." XII, 125.: „mediis in millibus ipsi — volitant." Huc retulerim etiam illud, quod saepe legitur, *mediis in undis*, significans: in ipso currendi impetu, inter ipsum cursum, dum nihil circum, nisi mare: Aen. III, 202.: „Nec meminisse viae media Palinurus in unda." VI, 339.: „Exciderat puppi mediis effusus in undis." X, 305.: „viros mediis exponit in undis." — — 3) quum rem, quae agitur, non locum, ubi quid agitur, indicat poeta; quod reddi fere potest per verbum adiuncta particula *dum*, vel per Praepositionem *inter*: Ge. III, 486.: „Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram." 519.: „opere in medio — reliquit aratra." Aen. I, 584.: „medio in fluctu quem vidimus — Submersum;" i. e. inter mediam maris fluctuationem. II, 67.: „ut conspectu in medio turbatus — Constitit." III, 308.: „Deriguit visu in medio." IV, 76.: „mediaque in voce resistit." VII, 577.: „medioque in crimine caedis Terrorem ingeminat." XI, 225.: „Hos inter motus, medio in flagrante tumultu." 838.: „medio iuvenum in clamore furentum." XII, 213.: „Conspectu in medio procerum." 732.: „in medioque ardentem deserit ictu." 910.: „in mediis conatibus — Concidimus."

b) Omittitur Praepositio 1) quum *medius*, *medium*, improprie ponitur, non ut locum, qui sit inter ceteros medius, indicet, sed ut fere Praepositionis *in*, vel *per*, vel *inter*, vim sustineat; valetque hic idem fere discrimen, quod in vernaculo sermone inter *mitten* et *in der Mitte*. Incipiam ab Adiectivo: Ge. III, 466.: „medio procumbere campo Pascentem." Aen. I,

Digitized by Google

314.: „Cui mater media sese tulit obvia silva." 505.: „Tum foribus divae, media testudine templi, — resedit." 638.: „mediisque parant convivia tectis." III, 73.: „Sacra mari colitur medio gratissima tellus." 104.: „Creta Iovis magni medio iacet insula ponto." 270.: „Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos." IV, 382.: „Spero equidem mediis — Supplicia hausurum scopulis." 620.: „cadat ante diem mediaque inhumatus arena." V, 188.: „media socios incedens nave per ipsos." 423.: „ingens media consistit arena." VIII, 467.: „mediisque residunt Aedibus." X, 665.: „Turnum medio interea fert aequore turbo." XI, 762.: „Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo." XII, 92.: „quae mediis ingenti adnixa columnae Aedibus adstabat — hasta." 409.: „spicula castris Densa cadunt mediis." — Hinc recte editur Ge. III, 237.: „Fluctus uti, medio coepit quum albescere ponto;" male in ipso Mediceo: „fluctus *ut in* medio." Venio nunc ad Substantivum: Aen. III, 417.: „venit medio vi pontus et undis Hesperium Siculo latus abscidit." IV, 184.: „Nocte volat caeli medio terraeque." VII, 566.: „medioque (*nemore*) fragosus Dat sonitum torrens." IX, 230.: „Stant — Castrorum et campi medio." XI, 547.: „fugae medio." Itaque iam concidet omnis illa disputatio super Aen. VII, 563. agitata: „Est locus Italiae medio, — Amsancti valles." Revocavi etiam ex optimis quibusque libris genuinam lectionem Aen. III, 354.: „Aulai medio libabant pocula Bacchi," coll. I, 638., deleta Praepositione, quam Heinsius e Grammaticis invexit. Ceterum etsi nemo facile miretur, si hic illic *medio* pro *in medio* usurpatum inveniat, non videtur tamen Virgilius hoc sibi usquam indulsisse. Nam quod Aen. VII, 59. scripsit: „Laurus erat tecti medio in penetralibus altis," ubi, coll. Aen. II, 512. sq., *in medio*, quod est in aliquot codicibus, legendum putes, ita potius expediendum erit, ut Praepositionem statim subsequentem, qui mos est poetarum satis ille quidem notus, etiam ad praegressum *medio* retrahendam esse dicas. —— 2) ubi *medius* de tempore: Ecl. X, 65.: „frigoribus mediis Hebrum bibamus." Ge. I, 297.: „Ceres medio succiditur aestu, Et medio tostas aestu terit area fruges." III, 154.: „mediis fervoribus acrior instat." 331.: „Aestibus at mediis." Aen. IV, 310.: „Et mediis properas Aquilonibus ire per altum." Huc retulerim etiam ea, quae ex Ablativorum absolutorum ratione explicanda sunt, ut Aen. I, 358.: „Nec plura querentem Passa Venus medio sic interfata dolore est." IV, 277.: „Mortales visus medio sermone reliquit." IX, 657.: „Mortales medio adspectus sermone reliquit." Adde VIII, 407.: „prima quies medio iam noctis abactae Curriculo expulerat somnum;" i. e. medio curriculo noctis acto.

c) Addo quaedam singularia. Ablativus, quum ea saepe

sit eius casus ratio, ut locus, in quo quid sit vel fiat, per eum significetur, interdum ibi *medio* ponitur, ubi Praepositio quaedam requiri videatur: ut Aen. V, 113.: „tuba commissos medio canit aggere ludos;" i. e. de med. aggere; nam voc. *agger* quum locum aliquem editum significet, facile carere illa Praepositione possumus. IX, 28.: „postrema coercent Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus;" i. q. medii agminis dux; ubi male adiiceretur *in*, quod esset: *inter medium agmen*. — IX, 343.: „multam in medio sine nomine plebem — subit;" ubi fluctuant interpretes; *in medio* h. l. est i. q. *sine discrimine*. — Ge. I, 442.: „medioque refugerit orbe — sol;" ὃς ἀφανής ἐστι τὸν μέσον κύκλον. — Ge. I, 328.: „media nimborum in nocte;" *in* additur, quod *nox* hic non proprie. — Aen. II, 533.: „quamquam in media iam morte tenetur;" de ipso moriendi articulo; *morte tenetur* dicitur de eo, qui iam est mortuus. — Denique non pertinent ad hanc quaestionem ea, quae Ablativum e verbis suspensum habent, ut Ge. IV, 524.: „Gurgite quum medio portans — Hebrus volveret caput." Aen. IV, 524.: „medio volvuntur sidera lapsu."

QUAESTIO XV.

De Verbo *Est* vel omisso, vel adiecto.

De Verbo *Est* vel omittendo, vel adiiciendo praeter alios scripserunt Weichertus Commentat. I. de Versu Poetar. epicor. hypermetro pag. 24., et quos ille laudat. Adde Lachmann. ad Propert. II, 6, 15. et Huschk. ad Tibull. I, 1, 34. II, 1, 46. et in Analect. ad Tibull. Carmm. p. 687. sq., quamquam, quae hic disputat, nihil ad nostram causam faciunt.

Verbum *est* in libris mss. vulgo vel contra necessitatem omittitur, vel praeter necessitatem additur. Ea res duobus regitur praeceptis, quorum alterum in aurium iudicio positum est, alterum in sententiarum pondere.

1. Breves vocales *a* et *e* in fine versus non patiuntur omissum Verbum substantivum. Ecl. III, 72.: „O quoties, et quae nobis Galatea locuta est!" X, 23.: „perque horrida castra secuta est." Ge. IV, 212.: „Rege incolumi mens omnibus una est." Aen. I, 64.: „his vocibus usa est." 386.: „medio sic interfata dolore est." II, 703.: „vestroque in numine Troia est." III, 478.: „praeterlabare necesse est." IV,

558.: „ita visa monere est.“ 613.: „terris adnare necesse est.“ VI, 189.: „de te, Misene, locuta est.“ 325.: „inops inhumataque turba est.“ 455.: „dulcique affatus amore est.“ De III, 298. tamen vid. §. 9. 514.: „meminisse necesse est.“ 538.: „breviterque affata Sibylla est.“ 611.: „quae maxima turba est.“ VII, 552.: „fraudis abunde est.“ VIII, 71.: „genus amnibus unde est.“ IX, 5.: „ore locuta est.“ 131.: „pars altera ademta est.“ 187.: „contenta quiete est.“ 260.: „quaecunque mihi fortuna fidesque est.“ X, 450.: „pater aequus utrique est.“ 861.: „res si qua diu mortalibus ulla est.“ XI, 151.: „Et via — voci laxata dolore est.“ His quidem locis omnibus gravius interpungitur; commate tantum his: Ecl. VI, 11.: „nec Phoebo gratior ulla est, Quam sibi“ etc. 74.: „quam fama secuta est — — Dulichias vexasse rates.“ Ge. IV, 402.: „Ipsa ego te, — — quum pecori iam gratior umbra est, In secreta senis ducam.“ Aen. XII, 319.: „adlapsa sagitta est, Incertum“ etc. Unum *est* duobus servit Participiis IX, 578. sq.: „alis adlapsa sagitta, Et laevo adfixa est lateri manus.“ Non interpungitur his locis· Ecl. VI, 49.: „non ulla secuta est Concubitus.“ Ge. III, 478.: „miseranda coorta est Tempestas.“ Aen. I, 148.: „quum saepe coorta est Seditio.“ 601.: „quidquid ubique est Gentis Dardaniae.“ VI, 737.: „penitusque necesse est Multa modis — — inolescere miris.“ Quae qui accuratius consideraverit, intelliget, quod praecipi solet, *est* addi in fine sententiarum, praetereaque respiciendum esse ad versum subiectum, utrum a consona, an a vocali incipiat, is, inquam, intelliget, quam parum explorate hoc praecipiatur.

2. Adiicitur *est* in enunciatis e Coniunctione aliqua, vel e relativo pendentibus; *Si:* Ecl. VII, 43.: „Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.“ Ge. III, 98.: „si quando ad proelia ventum est.“ 391.: „si credere dignum est.“ Aen. IV, 95.: „Una dolo divum si femina victa duorum est.“ VI, 173.: „si credere dignum est.“ VII, 263.: „nostri si tanta cupido est.“ 559.: „si qua super fortuna laborum est.“ XI, 369.: „si dotalis regia cordi est.“ *Etsi:* Aen. II, 584.: „etsi nullum memorabile nomen Feminea in poena est.“ *Postquam:* Aen. III, 463.: „Quae postquam — sic ore effatus amico est.“ X, 710.: „postquam inter retia ventum est.“ Hinc revocavi Verbum e Mediceo XII, 739.: „postquam arma dei ad Volcania ventum est.“ *Ut:* Aen. V, 178.: „ut fundo vix tandem redditus imo est.“ Retinui *est* etiam Ecl. V, 32.: „Vitis ut arboribus decori est.“ *Quoniam:* Aen. V, 224.: „quoniam spoliata magistro est.“ *Qui, quisquis, etc.:* Aen. III, 154.: „Quod tibi — — dicturus Apollo est.“ V, 235.: „Di, quibus imperium pelagi est.“ 714. sqq.:

Digitized by Google

„quos Pertaesum — — rerumque tuarum est; — — Et quidquid invalidum metuensque pericli est.“ VII, 311.: „quod usquam est.“ IX, 175.: „quod cuique tuendum est.“ 287.: „quodcumque pericli est.“ X, 493.: „quidquid solamen humandi est.“ XI, 23.: „qui solus honos Acheronte sub imo est.“ Tamen Aen. I, 78.: „Tu mihi, quodcunque hoc regni, tu sceptra Iovemque Concilias;“ et sic saepius in simili inciso, ut I, 109. 157. Sed Coniunctio *ubi* vel locum, vel tempus indicans verbo Substantivo caret Ge. II, 180.: „Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis.“ III, 144.: „muscus ubi et viridissima gramine ripa.“ IV, 49.: „Aut ubi odor coeni gravis, aut“ *cet.* Aen. II, 634.: „ubi iam patriae perventum ad limina sedis;“ de quo loco vid. etiam §. 12. Adde Aen. I, 416. VII, 764. Praeterea cfr. V. L. Ge. IV, 77.

3. In apodosi adiectum legitur *est* Ecl. IV, 63.: „Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.“ Aen. I, 406.: „tali fugientem est voce secutus.“ V, 710.: „superanda omnis fortuna ferendo est.“ VII, 95.: „subita ex alto vox reddita luco est.“

4. Praegresso Verbo finito annexa per copulam superioribus sententia requirere est videtur. Aen. IV, 370.: „Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?“ V, 679.: „suosque Agnoscunt, excussaque pectore Iuno est.“ 727.: „qui classibus ignem Depulit, et caelo tandem miseratus ab alto est.“ VII, 51.: „prolesque virilis Nulla fuit, primaque oriens erepta iuventa est.“ VIII, 17. XII, 23.: „Sunt tibi regna patris; — — nec non aurumque animusque Latino est.“ Sed aliter VII, 486.: „cui regia parent Armenta, et late custodia credita campi.“ Ge. IV, 444.: „redit, atque hominis tandem ore locutus.“

5. Denique *est* requiritur in dictionibus *aequum est*, *multum est*, similibusque, Infinitivum regentibus: Ge. II, 272.: „adeo in teneris consuescere multum est.“ Aen. X, 84.: „Nos aliquid Rutulos contra iuvisse nefandum est?“ XII, 20.: „tanto me impensius aequum est Consulere.“ 646.: „Usque adeone mori miserum est?“ Durior est ellipsis Verbi substantivi Ecl. III, 108.: „Non nostrum, inter vos tantas componere lites.“ Nec videtur Verbum desiderari posse in his: Ge. IV, 236.: „Illis ira modum supra est.“ Aen. VII, 784.: „toto corpore supra est.“ Ge. II, 182.: „Indicio est tractu surgens oleaster eodem.“ Aen. XII, 803: „Ventum ad supremum est.“ Ac videtur Virgilius etiam voci *Incertum* Aen. II, 740.: „erravitne via, seu lassa resedit, Incertum:“ adiecturus fuisse *est*, quod in parte codicum visitur, nisi eodem versu sequeretur *est:* „nec post oculis est reddita nostris.“

6. Omittitur autem *est*, si quaedam ad §. 1. pertinentia excipis, in sententiis non ex Coniunctione aut Relativo aliquo

Digitized by Google

suspensis: Ge. I, 215.: „Vere fabis satio." 466.: „Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam." 299.: „hiems ignava colono." II, 83.: „Praeterea genus haud unum, nec fortibus ulmis." 319.: „Optima vinetis satio, quum" etc. III, 97.: „Frigidus in Venerem senior." IV, 215.: „Ille operum custos." 530.: „namque ultro adfata timentem." Aen. I, 529.: „Non ea vis animo." II, 2.: „Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto." 682.: „Ecce levis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex." III, 495.: „Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum." IV, 456.: „Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori;" ubi nolim *est* a Iahnio receptum. 632.: „Tum breviter Barcen nutricem affata Sychaei." V, 334.: „Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum." 719.: „Talibus incensus dictis senioris amici. Tum vero" etc. VI, 123.: „et mi genus ab Iove summo." 126.: „facilis descensus Averno." 673.: „Nulli certa domus." 509.: „nihil o tibi, amice, relictum." XI, 279.: „Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama." Quae quum ita sint, apparet, Verbum *est* etiam Pronomine relativo praegresso omitti posse, si relativum vim demonstrativi habet, ut Ge. I, 234.: „quarum (i. e. *harum*) una corusco Semper sole rubens et torrida semper ab igni;" quare Iahnius testimoniis haud idoneis fisus non recte edidit: *ab igni est.* Aen. III, 673.: „quo — Intremuere undae, penitusque exterrita tellus Italiae." Eodem modo defendes Aen. II, 545.: „senior telum imbelle — Coniecit: rauco quod protinus aere repulsum, Et summo clipei nequidquam umbone pependit;" quamquam praestiterit, libri Vratislav. sequi lectionem *E summo.*

7. Itaque *est* omittitur etiam a) in Praeceptis: Ge. I, 178.: „Area cum primis ingenti aequanda cylindro." II, 363.: „Parcendum teneris." 365.: „Ipsa acie nondum falcis tentanda." 371.: „Texendae saepes etiam, et pecus omne tenendum." 399. sq.: „Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis Aeternum frangenda bidentibus; omne levandum Fronde nemus." Aen. II, 118.: „Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum Argolica." De Aen. V, 710. vid. V. L. ad h. l. Hinc recte Ge. IV, 8.: „Principio sedes apibus statioque petenda," ex optimis libris editur, quamquam brevis *a* alibi adiectum *est* flagitat. Contra in simili ceteroqui oratione, praecepti tamen vim non habente, additur *est:* „Aen. V, 731.: „gens dura atque aspera cultu Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen" etc., ne scilicet Anchises praecepisse potius, quam narrasse, quid instaret, videatur. VI, 719.: „O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est Sublimes animas?" XII, 890.: „Non cursu, saevis certandum est comminus armis;" quae quidem exprobratio est, non praeceptum. — — b) in Exhortationibus, ut Aen. VI, 261.: „Nunc animis opus, Aenea, nunc

Digitized by Google

pectore firmo." IX, 320.: „Euryale, audendum dextra." — — c) in Exclamationibus: Ecl. III, 101.: „Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro." Aen. I, 460.: „Quae regio in terris nostri non plena laboris." VI, 721.: „quae lucis miseris tam dira cupido?" X, 850.: „Heu, nunc misero mihi demum Exilium infelix! nunc alte vulnus adactum!" Itaque optimis libris ducibus eieci *est* VI, 866.: „Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso! (*est*)" Recte tamen Ge. III, 112.: „Tantus amor laudum, tantae est (sc. *iis*) victoria curae;" omisso enim *est* versus ille vim generalis sententiae induit. Hinc etiam defendes Ge. III, 452.: „Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est, Quam si quis ferro potuit rescindere summum Vulneris os;" i. e. nullum fuit praesentius auxilium. — — d) omninoque in breviter graviterque dictis, ut Aen. II, 291.: „Sat patriae Priamoque datum." 646.: „facilis iactura sepulcri." IV, 373.: „Nusquam tuta fides."

8. Hinc interdum in commotiore oratione, ubi festinatur ad proxima, licet in simili ceteroqui orationis structura alibi *est* reperiri soleat, omittitur hoc Verbum, omninoque in eo genere orationis, in quo scriptores vulgo brevitati student, ut: Aen. III, 658.: „Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum." VII, 507.: „quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit." Quo refero etiam VII, 374.: „His ubi nequidquam dictis experta, Latinum Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum Serpentis furiale malum —: Tum vero" etc. cfr. §. 4. coll. §. 2. extr. Sic etiam in alacri relatione IX, 236. sqq.: „Rutuli somno vinoque soluti Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi, Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto; Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus Erigitur."

9. Sollemnis est omissio Verbi substantivi in talibus: *visum, placitum, licitum, datum;* Aen. I, 283.: „Sic placitum. Veniet" etc. II, 428.: „Dis aliter visum." 624.: „Tum vero omne mihi visum considere in ignes Ilium." IX, 135.: „Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva." Etiam praegressa Coniunctione III, 2.: „Postquam — — Priamique evertere gentem Immeritam visum superis." X, 106.: „Quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris Haud licitum." Contra *est visum*, i. e. ὤφθη, non ἔδοξεν, Aen. IX, 375.. „Haud temere est visum;" sed ne hoc dissimulem: *temere* numquam videtur ultimam productam habere apud antiquiores poetas; vid. Diar. literar. Hal. 1827. 59. p. 466. Nec non *si cupido*, omisso Verbo *est*, ubi Infinitivus sequitur: Aen. II, 349.: „si vobis audentem extrema cupido Certa sequi." VI, 133.: „Quod si tantus amor menti, si tanta cupido, Bis Stygios innare lacus;" ubi delevi *est*, quod additum quidem in Mediceo, sed punctis notatum, tamquam delendum; interpungitur etiam in eodem post *cu-*

Digitized by Google

pido. His adde Aen. III, 298.: „miroque incensum pectus amore, Compellare virum;“ vid. §. 1.

10. Aurium iudicio tribuenda videtur omissio Verbi Ge. II, 195.: „Sin armenta magis studium vitulosque tueri.“ Aen. I, 602.: „magnum quae sparsa per orbem;“ ubi haec praecedunt: „Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est Gentis Dardaniae.“ VI, 125.: „Quum sic orsa loqui vates.“ IX, 156.: „melior quoniam pars acta diei.“ Idem num statuendum sit de Aen. VII, 486.: „cui regia parent Armenta et late custodia credita campi;“ IX, 720.: „quoniam data copia pugnae;“ XII, 669.: „Ut primum discussae umbrae, et lux reddita menti;“ non audeo decernere, quamquam meus mihi sensus persuadet, recte ibi omitti.

11. Bis in simillimo versu omissum *est* contra observationem §. 2. prolatam, Ecl. VIII, 15.: „Cum ros in tenera pecori gratissimus herba;“ et Ge. III, 326.: „dum canent —, Et ros in tenera pecori gratissimus herba;“ quamquam longa *a* subiecto *est* absorbetur Aen. VI, 459 : „si qua fides tellure sub ima est;“ VII, 51.: „proles Nulla fuit, primaque oriens erepta iuventa est.“

12. Vitatum *est* etiam, ubi praemittendum foret Participio; hinc Aen. IX, 675.: „Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt.“ X, 148.: „ut ab Euandro castris ingressus Etruscis.“

13. Denique vix est, quod lectorem admoneam non plane deesse locos, ubi per solam metri necessitatem vel adiiciatur *est*, vel omittatur. Sic omittitur post *qui* Ecl. VIII, 24.: „Panaque, qui primus calamos non passus inertes.“ post *postquam* Aen. IV, 151.: „Postquam altos ventum in montes.“ VIII, 362.: „Ut ventum ad sedes.“

QUAESTIO XVI.

Lectiones e veterum Grammaticorum, maxime Servii, Commentariis ortae.

Incredibile est, quot Variae Lectiones e veterum Grammaticorum commentariis in textum Virgilianum illatae sint. Quas qui indagaverit, multis de locis statuere rectius poterit, quam superiores Editores, qui parum ad eam rem in crisi factitanda animum adverterunt. Quinimo, nisi Servius ad Ge. II, 69.: „In-

Digitized by Google

seritur vero et fetu nucis arbutus et horrida," et ad Ge. III, 449.: „Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura," haec adnotasset: „Dactylicus versus," vix puto, Heinsium hunc verborum ordinem retenturum fuisse. Atque in eo genere quae inter Serviani Commentarii lectionem quasi sponte se mihi obtulerunt, sub unum obtutum vocata hic exponam.

Afferam primum Ecl. VI, 30., unde clarissime apparebit, quantum sordium e Servianis in textum Virgilii fuerit invectum. Ibi quum haec legantur: „Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea:" in quibusdam libris vitiosissimus subiicitur versiculus: „Quantum omnis mundus gaudet cantante Sileno;" quem ex Servii verbis consarcinatum esse, vidit iam, teste Heynio, Io. Schraderus; sic enim eo loco Servius: „Non tantum isti montes gaudent cantante Apolline vel Orpheo, quantum cantante Sileno laetatus est mundus."

Corruptelarum autem e Servio ortarum plura sunt genera.

1. Plurima invito Servio sunt ex eius commentariis in textum Virgilianum illata.

Ecl. X, 55.: „Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis;" ubi aliquot boni codices *mixtus*, ortum ex Servii interpretatione: „*ὑπαλλαγή*, pro immixtus Nymphis."

Ge. I, 388.: „Tum cornix plena pluviam vocat improba voce." Servius: „*Rauca* contra naturam suam." Plenius Serv. Dresd.: „Tunc cornix plena: *plena* dicit *rauca*, contra naturam suam." Unde *rauca* in Editiones quasdam irrepsit.

ib. 483.: „Cum stabulis armenta tulit;" ubi Heynius: „armenta trahit Moret. sec. Zulich. edd. Ven. et Mediol. cum Regio Martini et Erf., quod sollenne. vid. Burm." Quid igitur? recipiendumne? Scilicet *trahit* ortum e Servio: „Cum st. arm. tulit: Et ipsa stabula subversa secum trahit, et armenta simul."

Ge. II, 194.: „Lancibus et pandis;" ubi quod est in Medic. a m. pr. et Mead. Lancibus et patulis, Grammatici alicuius ineptae interpretationi haud dubie debetur; sic enim Servius: „Lancibus pandis: aut patulis, aut extorum pondere incurvatis." At nisi fallor, Servius ipse, sive is, qui haec scripsit, ridiculum in modum imponi sibi h. l. passus est. Nam ineptum illud *patulis* videtur depravatum esse ex *patinis*, quo vocabulo aliquis vocem *lancibus* reddiderat; quod ut credam, persuadet Serv. Dresd., in quo post *Lancibus* haec inferuntur: „i. e. patinis."

ib. 371.: „Texendae saepes etiam, et pecus omne tenendum." Abest ab aliquot codd. *et* copula; quae res debetur pravo Grammaticorum acumini. Sic enim Servius: „Texendae saepes etiam: Alii hic distinguunt; alii separant: *Texendae saepes, etiam et pecus omne tenendum.*" Sic enim interpungenda haec

Digitized by Google

esse, docet Serv. Dresd., in quo ita legitur: „Alii sic: *texendae saepes*, hic distinguentes; deinceps addunt insuper *etiam et pecus omne tenendum.*" Apparet haec ultima primo ita fere fuisse comparata: „deinceps addunt: *etiam*, i. e. insuper, *et pecus omne tenendum.*" Quae verba ubi semel ita, uti videmus, confusa erant, supervacaneum illud *et* videri debebat, quo factum est, ut expelleretur.

Ge. III, 254. Copulae *et*, *que*, interpretamentis suis interdum a Grammaticis praefixae, in textum poetae transferuntur; vid. ad hunc versum a me notata.

Ge. IV, 449. „lapsis quaesitum oracula rebus." Gudian. pr. var. lect. *fessis*, quod ex eodem fonte videtur fluxisse, unde sua hausit Serv. Dresd.: „lapsis rebus: fessis et perditis."

Aen. I, 534.: „Hic cursus fuit." Altera lectio *Huc* mirae Servii notulae fortasse debetur: „Vel *iste cursus*, vel pro *illuc.*" — De I, 313. vid. Burm.

ib. III, 362. „namque omnem cursum mihi prospera dixit Religio." In aliis libris legitur *omnis*, quod ortum, ut etiam Brunckium statuere video, ex hac Servii nota: „Hypallage est: nam non omnem cursum prospera dixit religio; sed omnis religio dixit prosperum cursum."

ib. V, 336. „spissa iacuit revolutus arena." Diversa lectio *tenui* orta e Servio: „spissa: tenui."

VI, 124. „Talibus orabat dictis, arasque tenebat." Ex duobus mss. notatur *tenebant;* quod ortum videtur ex Servii nota, qui, quod de Aenea narratur, ita exponit, ut omnem istum precandi ritum spectet, dicens: „Rogabant enim Deos aras tenentes."

ib. 406. „aperit ramum, qui veste latebat." *Nudat* pro *aperit* Venet., e Servio, qui *aperit* per *nudat* interpretatur. — De VII, 211. vid. V. L. ad eum vs.

VII, 656. „satus Hercule pulcro;" codd. Pieriani *forti*, quippe Servio illud per hoc interpretante. — De VIII, 108. vid. V. L. ad eum locum.

IX, 94. „quo fata vocas?" in quibusdam libris *trahis*, ortum ex Servii verbis: „Ostendit fata posse aliquatenus trahi." In Serv. Dresd. quidem ipso praescribitur *trahis*, idemque in aliquo Servii codice Fabricius invenit. Scilicet semel corruptis poetae verbis etiam in Servii codices redundabant corruptelae.

ib. 667. „Dant sonitum flictu galeae." Aliquot libri *adflictu;* scilicet Servius haec habet: „Flictu: pro *adflictu.*"

X, 107. „quam quisque secat spem." Servius: „Secat: sequitur, tenet, habet." Hinc *tenet* in uno cod.

XI, 708. „ventosa ferat cui gloria laudem." Duplex hic est lectio: *laudem* et *fraudem*. Hanc tuetur Servius, explicans per *poenam*. Hinc duo libri: „cui gloria *poenam.*"

Digitized by Google

XII, 727. „Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum." Servius quum *damnet* interpretetur per *liberet*, factum est, ut *et* mutaretur in *aut*, quod legitur in compluribus libris.

ib. 897. „Saxum antiquum ingens, campo quod forte iacebat, Limes agro positus." *Quod* in plurimis optimisque libris, in aliis *qui*. Servius h. l.: „Secundum artem propiori respondet." Praescriptum est huic Servii notae *quod*, non *qui*. Quae nota quum dubitari vix possit quin ad Participium *positus* spectet, eo detorta est, ut librarii, de Pronomine haec a Servio dici existimantes, *qui* scriberent. Servius autem hoc dicere voluit: pro eo, quod dici potuerit *saxum positum erat limes*, (atque sic, *positum* exstat in quodam codice) Virgilium secundum artem dixisse *saxum limes positus erat*. Quamquam sponte apparet, haec non ita esse iungenda: *quod limes agro positus campo iacebat*, sed verba *Limes agro positus* per appositionem adiuncta esse superioribus.

Denique hoc addo, Ecl. VII, 41. formam *Sardois*, quae visitur in Editionibus, e Servianis videri natam; vid. ibi notata.

2. Depravatus Servii textus interdum corruptelarum causa fuisse videtur.

Aen. IX, 462. sqq.: „Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse, Suscitat; aeratasque acies in proelia cogit, Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras." Sic, *suos*, multi libri; alii, in quibus Mediceus, *suas*. Facile intelligitur, scabra haec esse ac vix ferenda. Debebant haec ita comparata esse: „Turnus viros suscitat, aeratasque acies in proelia cogunt, (sc. *illi*, vel *singuli duces*) Quisque suos." Quo facilius autem vitium illud orationis vitari poterat, eo aegrius nobis persuademus, genuinam esse hanc lectionem; itaque alteram, *suas*, illi praeferendam iudicabimus. At unde ortum illud *suos* censebimus? Vereor equidem, ne Servio, licet omnis culpae experti, acceptum referamus. Apud hunc ita exstat: „Quisque suos: Scilicet comites; nam plenum est *aeratasque acies.*" Mihi quidem admodum probabile est, Servium, addito uno vocabulo, quod facillime excidere potuit, sic scripsisse: „Quisque suas: suos scilicet comites." Iam vero Servius hoc videtur declarare voluisse, non recte dici *quisque suas acies;* plurali enim numero *acies* significari totum exercitum; itaque potius dicendum fuisse: *aeratasque acies in proelia cogit Quisque suam*, i. e. suos quisque comites.

XII, 356. „Semianimi lapsoque supervenit." Multi codd. *elapsoque;* quod quum alienum sit ab h. l., mireris, unde natum sit. Ac nullus dubito, quin haec lectio depravatae Servii notulae debeatur. Is enim haec adnotat: „Elapsoque: pro *lapso.*" Exspectes certe: „Elapsoque: pro *lapsoque.*" Nimirum lege: „Et *lapsoque* pro *lapso;*" vid. ad Ge. III, 254. no-

Digitized by Google

tata. Quum enim saepe talia inveniantur, quale *Labitur exsanguis*, *Labitur exanimis*, eodem modo haec iungi voluit Servius nostro loco: *Semianimis lapsus*, *Semianimi lapso*, ut abundet copula *que*. Ac ne calumniam Servio fecisse videar, audi ipsum loquentem: Aen. I, 668.: „Iacteturque: Vacat *que*.“ III, 379.: „prohibent nam cetera Parcae Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno:“ „„Vacat *que*, ut solet frequenter.““ V, 169.: „Inter navemque: *que* vacat.“ ib. 467.: „Dixitque: Vacat *que* metri causa.“

3. Vitia a Servio in textu Virgiliano inventa latius per codices propagata.

Aen. V, 591.: „qua signa sequendi Falleret indeprensus et irremeabilis error.“ Pro *Falleret* in aliquot codd. est *Frangeret*, quod petitum videri potest ex interpretatione Servii: „Falleret: frangeret, deciperet.“ Sed rectius in cod. Dresd. aliisque, quos vidit Heinsius: „Frangeret: falleret, deciperet.“ Itaque potius statuendum erit, mendum proclive (facile enim pro *Falleret* ab oscitante aliquo librario exarari poterat *Frangeret*) per Servium latius propagatum esse.

X, 686.: „iuvenemque animi miserata repressit.“ Revocandum hic *animo; animi* ortum ex prima syllaba proximi vocabuli; quod vitium per Servium in alios codices propagatum. Sane Genitivus *animi* interdum adiicitur Adiectivis et Participiis, ut *praestans animi*, quod laudat Servius; sed hoc ita explicandum, ut dictum sit pro: *praestantis animi*. Hinc etiam *animi pendere*, i. e. *animi pendentis*, sive *suspensi*, *esse*. Sed *animi miseratus* soloecum est, neque habet, quomodo explicetur.

XI, 801.: „nihil ipsa nec aurae, Nec sonitus memor.“ Servius propinat *auras* tamquam antiquam lectionem, i. e. antiquum vitium, quod quum commendari cum quadam doctrinae specie atque ostentatione posset, non defuit inter veteres Grammaticos, qui tamquam genuinum venditaret. Ac nisi inter vulgares et proclives lapsus hoc referendum, facile poterant librariorum oculi ad vs. 799. aberrare, ubi *auras* in extremo versu.

4. Doctrina et praecepta veterum Grammaticorum aliquoties veras lectiones expulerunt.

Ecl. II, 54. Quod fere in Mediceo tantum legi solet *laurus* Accusat. plural., in aliis plerisque *lauros*, videtur Grammaticis ipsique Servio deberi, ad Ecl. II, 54. haec scribenti: „Licet Horatius dixerit: *Depone sub lauru mea:* melius tamen est, iuxta secundam formam inflectere, nam melius sonat.“ Sic formam et lectionem *densere* ex parte Grammaticis deberi, statui ad Ge. I, 248., ubi vid. quae notavi.

Ge. II, 197. Grammatici h. l., vid. Serv. et nota Heinsii, ex *saturo Tarento* fecerunt *Satyrium Tarentum*, unde in aliquot codicibus: „Satyri petito longinqua Tarenti.“

Digitized by Google

Ge. II, 453.: „vitiosaeque ilicis a l v e o." Grammaticis deberi, quod in libris tantum non omnibus legitur, *alvo*, persuasum habeo. Fuerunt autem inter praestantissimos criticos, qui *alvus* vel suo, feminino, genere, vel masculino pro *alveus* dictum ab antiquis contenderent; vid. inprimis Gronov. ad Plin. H. N. XXI, 12. et Gud. ad Phaedr. III, 13, 9. Nimirum admodum proclive erat mendum, ut pro *alveus* exararetur *alvus*, praesertim apud poetas in synaeresi. Quod autem modo masculini generis Adiectivum, modo feminini iungitur, id ipsum testimonio esse debebat, corruptum esse *alvus* ex *alveus*. Nam quum alveus masculini sit generis, facile fieri potuit, ut masculinum Adiectivi genus relinqueretur, alii deinde id corrigerent, quod non erat corrigendum, quod autem corrigendum erat, *alvus*, non corrigerent. Mirum certe, cur veteres, si *alvus* dixerunt pro *alveus*, non *alvaria* etiam, aut *alvulus* pro *alveolus* dixerint; quamquam, ne quid dissimulem, *alvaria* exstat in aliquot libris Ge. IV, 34. An vero adeo cognatae significationis haec erant, ut et notiones et ipsa vocabula confundi facile possent? Credat Iudaeus Apella! Sed audiamus Servium ad l. l. „Sane," inquit ille, „pro *alveo* per synaeresin *alvo* dicimus." Nimirum, quod probe teneri velim, mere prosodiaca est haec Grammatici observatio; quam quum alii eo pertinere existimarent, ut hoc dici putarent, *alveus*, quod est trium, et *alvus*, quod est duarum syllabarum, promiscua haberi, hic autem *alvo*, non *alveo* scripsisse Virgilium, protinus Grammatici et librarii, nubem pro Iunone amplexi, *alvo* isti versui intulerunt. Quid? quod his Servii verbis deceptus scripsit aliquis, aperte errorem suum prodens duas diversas res miscendo: „*Alvo* hic pro *alveo;* per synaeresin *alvo* dicimus;" ut exstat in cod. Dresd. Clarius quum ad Aen. VI, 412. locutus esset Servius, non ita multos libros falsa invasit forma. Haec ibi Servius: „A l v e o, fluminis scilicet; et per synaeresim *alvo* facit." At Aen. VII, 33. 303. IX, 32. quum sileat Servius, omnes codices consensu praebent *alveo;* nisi quod IX, 32. unus Francianus, malae notae liber, *alvo* exhibet. Itaque hac scripturae diversitate nihil efficitur, nisi ad summum hoc: labente, vel potius lapsa iam Latinitate literam *e* in *alveus*, *alveare*, extritam esse in quotidiano sermone.

Ge. IV, 370.: „S a x o s u s que sonans Hypanis." Hic *saxosus*, vera lectio, expulsa videtur a Grammaticis; sic enim Servius: „*Saxosum* legendum est, non *saxosus*, ne sint duo epitheta; quod apud Latinos vitiosum est."

Aen. II, 130.: „quae sibi quisque t i m e b a t." Gudian. a m. pr. *timebant;* quod ortum e Servio videtur, apud quem haec leguntur: „Est autem figuratius, si legatur *timebant.*" Ubi quum Coniunctivo *legatur* usus sit Servius, non illud indicare Grammaticus videtur, esse libros, in quibus ita scriptum exstet; sed

Digitized by Google

mera, nisi fallor, est grammatica observatio, qualis in scholis a magistro pueris proponi poterat: Pronomini *quisque* subiungi etiam Pluralem Verbi. Similia vide infra §. 5.

Aen. VI, 123.: „Quid Thesea magnum, Quid memorem Alciden? et mi genus ab Iove summo." Pessima lectio quorundam codicum *Alcidemque mihi* haud dubie ex nota Servii ad vs. 104. proposita fluxit, ubi ita ille: „Nova mi facies: Sciendum, *mihi* Pronomen numquam in synaeresim venire, ne incipiat esse blandientis adverbium. Et licet quidam huius loci nitantur exemplo, non procedit, vel quia unum est exemplum, vel quia potest esse etiam blandientis adverbium."

5. Male feriati critici Servius et veteres Grammatici.

Ge. I, 383. Veram lectionem a me restitutam: „Iam variae volucres" proscripsit Servii iudicium: „Nam si *iam variae* legeris, sensus nulla ratione procedit."

ib. II, 82. „Miraturque novas frondes." Ecce tibi h. l. Grammaticorum inanes conatus verae lectionis restituendae. Sic enim Servius: „sane *mirata estque* legendum est, ut stet versus." Glossa cod. Mentel. pr.: „*Miratas* dicit propter scansionem, sed *mirata* est lectio." Glossa Mentel. alt.: „sane *miratasque* legendum est, ut stet versus." Vide, quae notavi ad h. l. Ceterum hinc disci potest, quam parum solliciti fuerint isti Grammatistae de conferendis inter se codicibus, quantumque eorum iudicio tribuere liceat, quum vel hanc, vel illam lectionem veram esse et genuinam asseverant.

ib. 256. „Et quis cui color: at sceleratum exquirere frigus." In libris fere *Et quisquis color; Et quis cuique color; at sc.* in aliis *at* exclusum. Hic rursus licet videre, quam inepte tentaverint Maronis verba veteres Grammatici. Sic enim Servius: „Et quisquis color: Vera lectio haec est; nam male quidam *Et quis cuique* legunt, excludentes *at.* Alii *colos* legunt, ut, excluso *s*, fiat synaloepha et scandamus ita: *Et quis cuique col' at sceleratum;*" etc.

Aen. I. 2. „*Laviniaque venit Litora;*" sic edidi; vid. not. ad h. l.; vulgo *Lavinaque.* Non posse legi *Lavinia litora,* demonstratum Quaest. XXXIII, 8. Restabat igitur *Lavinaque* aut *Laviniaque.* Hoc posterius legisse in suo codice Servium, satis probat putida eius disputatio: „Haec civitas tria habuit nomina: nam primum *Lavinum* dicta est a Lavino, Latini fratre; postea *Laurentum,* a lauro inventa a Latino; post *Lavinium* a Lavinia, uxore Aeneae. Ergo *Lavina* legendum est, non *Lavinia*, quia post adventum Aeneae *Lavinium* nomen accepit. Et aut *Lavinum* debuit dicere, sicut dixit, aut *Laurentum;* quamvis quidam superfluo esse prolepsim velint." Quae eo consilio disputari apparet, ut ostendatur, *Laviniaque,* quod metro adversari videba-

Digitized by Google

tur, mutandum esse in *Lavinaque*. Eandem ob causam alii *que* expunxerant.

Aen. II, 778. „Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creusam." Ita salebrosum hunc versum vulgo in editis libris legimus, ex mera Servii, si Diis placet, emendatione sic refictum. Ita enim ille: „Nec te comitem hinc asportare Creusam: Hic versus scansione caret; unde multi ei *hinc*, multi *as* syllabam detrahunt. Si tamen vis fide servata hunc scandere, fiat conversio, ut: *Eveniunt; nec te hinc comitem asportare.*" Veram lectionem nobis videmur restituisse in not. ad h. l.

ib. III, 269. „Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat." Male ibi editum, vid. Quaest. VIII, 3, a., *vocabant* e codd. non optimis; qui quidem pluralem numerum ex nota Servii videntur adscivisse. Sic enim ille: „Honestius hac elocutione per pluralem utimur numerum; licet possit et singularis esse." Et IV, 276. „cui regnum Italiae Romanaque tellus Debentur;" sic plurimi codices; Servius: „Debentur: Honestius plurali numero respondit." Si vera lectio *debentur*, alio modo defendenda erit.

6. E coniecturis veterum Grammaticorum interdum novae lectiones ortae.

Non raro apud Servium ita scriptum invenitur: *Quidam legunt*, *Alii legunt*, et his similia. Quibus verbis qui putet ubique prodi discrepantes ipsorum codicum lectiones, is vereor ne magno versetur in errore. Immo haec saepe nihil aliud indicant, nisi hoc: esse, qui ita legi sua ipsorum opinione ducti, non testimoniis veterum librorum confisi, iubeant. Quod ita esse ut illustri exemplo probetur, afferam primum Aen. XII, 168.: „magnae spes altera Romae." Servius: „Male quidam *magna* legunt." Nullum huius lectionis in libris Virgilii mss. vestigium. Quid igitur? num ita quidam in codd. Virgilianis invenerunt? Minime; de mera coniectura hoc intelligendum, id quod testatur Serv. Dresd., in quo pleniora haec leguntur: „Male quidam *magna* volunt et legunt."

Ge. II, 247.: „ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror;" ubi quod in multis codd. legitur *amaro*, Grammaticorum inventum videri, dixi in nota ad eum locum. Certe eo ducunt Servii verba: „multi *amaro* legunt, ut sit: *sensu amaro.*" Aliud enim est: „multi legunt," aliud: „in multis legitur." — De Aen. VIII, 90. vide V. L. ad eum vs.

Aen. IX, 814. „quatit aeger anhelitus artus." Revocavi *aeger*, quod omnium librorum fide stabilitum. *Acer* intulit Heinsius e Servio, ita scribente: „Probus ait: Commodius hic est *aeger*, quam in quinto: Vastos quatit aeger anhelitus artus: quamvis consuetudo sit Virgilio ista mutandi. Quidam

Digitized by Google

acer legunt; et volunt in quinto *aeger* aptius dictum de sene, hic de iuvene *acer* melius convenire."

Aen. X, 539.: „insignibus armis." Hic quoque locus coniectura a Grammatico tentatus; Probus enim pro *armis* legi vult *albis*. Nam coniecturam hanc esse, non lectionem, ipse color notae Servianae prodit; sic enim ille: „Asper sic legit (*armis*) et utitur Sallustii exemplo, qui ait *Equo atque armis insignibus*. Probus vero *insignibus albis* dicit legendum, ut albas vestes accipiamus, quae sacerdotibus congruae sunt: sicut Statius dicit de Amphiarao: *Albaque purpureas interplicat infula cristas.*" Hinc se insinuavit *albis* in quosdam libros. Ne autem forte existimes, quod sibi opponantur Asper et Probus, de lectione, non de coniectura, haec accipienda esse, non alia de causa videtur Asper laudari, quam quod Sallustiano exemplo illustraverat hunc Virgilianum sermonem.

ib. XI, 243. „Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra." Mirum est profecto, quod adeo multos bonosque libros, refragante metro, forma *Diomeden* obsidet, quamvis per se non damnanda. Num igitur *Diomede* legere placet cum recentioribus Editoribus? At inaudita haec forma Latinis auribus. Restat igitur, ut *Diomedem* legamus, quemadmodum edidi. Ac fortasse ipsi Virgilio nolenti excidit *Diomeden;* quod si statuimus, patet, quomodo in libros illud immigrarit. Sed ne forte temere *Diomede* mutasse videar, aperiam etiam fontem huius depravationis. Audi modo Servium: „Sane hic aut *Diomedem* legendum, ut sit Latinus Accusativus: — — aut, si Graecum Accusativum facere voluerimus, *Diomede* legatur." Quid clarius, quam ab ipso Servio fictum esse hunc Accusativum? declarant hoc verba: *si facere voluerimus;* declarat illud *legatur*, quum modo dixerit: „aut *Diomedem* legendum." Exsulet igitur haec forma, ut exsulat e Latinitate, et recondatur inter κειμήλια Servii.

ib. 341. „genus — — incertum de patre ferebat." Lectio *ferebant* Servio, vel potius iis deberi videtur, quorum Commentariis usus est Servius. In huius scholio leguntur haec: „Alii incertum aut ipsum patrem, aut genus tradunt." Quae quum intelligi non possint, vix dubito, quin ita emendanda sint: „Alii legunt *ferebant;* i. e. incertum aut ipsum patrem, aut genus tradunt."

ib. XII, 147. „Qua visa est fortuna pati." Veteres Grammatici h. l. praebent *quoad*, vel *quod*, haud dubie ortum e coniectura; sic enim Servius: „Et quidam putant, Virgilium *quoad visa est fortuna* reliquisse."

ib. 709. „Inter se coïsse viros et cernere ferro." In codd. omnibus vel *decernere ferro*, vel contra metrum *et decernere;* quod ex interpretatione aut etiam coniectura Grammaticorum esse natum, probant Serviana: „Posteritas coepit le-

gere *et decernere ferro*, secundum quam lectionem synaloepha opus est, sed excluso *os*, ut sit: *Inter se coiisse vir' et decernere ferro.*"

Possunt huc referri etiam Ge. II, 256. et Aen. II, 778., de quibus supra §. 5. dictum.

Denique 7. etiam ex errore Servii diversa lectio videtur orta, Aen. XI, 430.: „nec tarda sequetur Gloria." Haec Servii, contra librorum mss. lectio est *parva;* in unum Venetum, ex Servianis haud dubie, irrepsit *tarda,* in alio *tarda* pro diversa lectione adscriptum. Mihi vero videtur Servius, quum haec explicaret, nolens imprudensque a vero aberrasse simili hemistichio deceptus, quod legitur Ge. II, 52.: „haud tarda sequentur." Vid. etiam nota ad h. l.

QUAESTIO XVII.

De Pronomine *Is*.

1. Personalia, quae proprie dicuntur, Pronomina quum tria sint in quaque lingua: veluti in nostra *ich*, *du*, *der*, (*er*)*:* non recte Pronomini *Is* inter demonstrativa suus assignatur locus, quum sit natura sua personale. Hoc autem tertiae Personae Pronomen, pro grammatica Subiecti ratione, duplicem habet in casibus obliquis formam:

ὅ, ὅς, *αὐτός*		is		der (er)	
αὐτοῦ	*ἑαυτοῦ*	eius	sui	dessen	seiner
αὐτῷ	*ἑαυτῷ*	ei	sibi	dem (ihm)	sich
etc.		etc.		etc.	

Iam vero constat Pronomina dici ab eo, quod Nominum loco ponuntur. Utimur autem Nominibus sic, ut aut simpliciter certam quandam vel rem, vel personam declaremus, ut: „Cicero fuit orator;" i. e. is, cui nomen est Cicero, fuit orator; aut vim ac naturam eius vel rei, vel personae, quae certo aliquo nomine designatur, complectamur, ut: „quid Fronto ad Ciceronem?" i. e. quis aequiparet eum oratorem, qui Fronto vocatur, ei oratori, cui nomen est Ciceroni? Necesse est igitur, duplicem esse hunc etiam Pronominum usum. Ex eo genere, quod priore loco posui, est illud apud Terent. Eun. III, 3, 24.: „Ecquis hic? — Ego sum, Chremes;" i. e. is, qui vocor Chremes. Virg. Aen. I, 1.: „Ille ego, qui quondam" etc. III, 45.:

Digitized by Google

„Nam Polydorus ego.“ Ex altero genere hoc, quod apud eundem legitur Virgilium, Ge. II, 42.: „Non ego cuncta meis amplecti versibus opto;“ i. e. non sum is, i. e. tam temerarius, qui optem. Aen. XII, 189.: „Non ego nec Teucris Italos parere iubebo, Nec mihi regna peto;“ i. e. non sum is, qui iubeam etc. Sic etiam illa cum emphasi dicta, Aen. I, 46.: „Ast ego, quae divum incedo regina Iovisque Et soror et coniux.“ VII, 308.: „Ast ego, magna Iovis coniux, nil linquere inausum Quae potui infelix, quae memet in omnia verti, Vincor ab Aenea.“ Eodem refero VIII, 62.: „Ego sum, pleno quem flumine cernis Stringentem ripas, — — Caeruleus Thybris;“ i. e. Ego sum, verax vates, Caeruleus Thybris; non: *ich bin Thybris*, sed, *ich bin's, Thybris;* cfr. etiam V. L. ad X, 230. Hinc idem Pronomen etiam ipsi Nomini sic subiungitur, ut id, quod in eo, cuius est id nomen, potissimum spectatur, designet: Aen. XI, 440.: „Vobis animam hanc soceroque Latino Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus, Devovi.“

2. a) Eadem duplex est Pronominis Is ratio. Itaque primum certam quandam vel rem, vel personam designat, nulla adiuncta demonstrandi, restringendi, aut simili potestate; repetendi igitur Subiecti vice fungitur. Quo in genere inprimis sunt notabilia, quae Aen. IV, 474. sqq. leguntur:

Ergo ubi concepit furias, evicta dolore,
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, maestam dictis adgressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, gratare sorori,
Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.

Aen. II, 114.: „Eurypylum scitantem oracula Phoebi Mittimus; isque adytis haec dicta reportat.“ III, 591 — 96.: „Ignoti nova forma viri — Procedit —. Isque ubi Dardanios habitus vidit.“ V, 704. sqq.: „Tum senior Nautes — Haec responsa dabat, — —. Isque his Aenean solatus vocibus infit.“ VI, 679. sqq.: „At pater Anchises — convalle virenti Inclusas animas lustrabat — —. Isque ubi — vidit Aenean.“ VII, 48.: „Fauno Picus pater; isque parentem Te, Saturne, refert.“ VIII, 576.: „Si visurus eum vivo.“ IX, 12.: „namque omnis eum stipata tegebat Turba.“ Adde IV, 203. VIII, 321. IX, 549. 595. 696. XI, 702. cet.

b) Sic explicanda sunt etiam, quae legimus Aen. II, 192. sqq.: „Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem, Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello Venturam, et nostros ea fata manere nepotes;“ i. e. fore, ut nostris nepotibus id accideret, quod vobis fore ut accideret Calchas dixerat. ib. 17.:

Digitized by Google

„Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur;" i. e. votum esse vagatur. ib. 171.: „Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris;" i. e. id significavit, sc. aversam esse mentem suam a rebus Graecorum. III, 504. sq.: „Unam faciemus utramque Troiam animis. Maneat nostros ea cura nepotes," cura unius ex duabus Troiae faciendae. ib. 660.: „Lanigerae comitantur oves; ea sola voluptas;" i. e. id solum illi volupe. VI, 153.: „Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto;" i. e. eas primum macta.

c) Pergo ad alia: Aen. I, 23.: „Id metuens Saturnia." 676.: „Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem." II, 49.: „Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes." V, 417. sq.: „Sed si nostra Dares haec Troius arma recusat, Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes." Huc referendae sunt etiam crebro recurrentes istae formulae: „Vix ea fatus erat;" „Atque ea dum geruntur;" et his similia; cfr. Aen. I, 586. II, 323. VI, 190. VII, 540. VIII, 337. 520. IX, 1. XI, 296. XII, 154. Eodem pertinet XII, 383. Ceterum nihil impedit, quominus in eiusmodi oratione transitum etiam per Pronomen demonstrativum facias, hoc modo: „Haec ubi dicta dedit;" et quae his similia inveniuntur; sed quomodo haec formula ab illa differat, docebit Quaest. XX, 2.

3. Porro Is refertur ad vim ac naturam earum vel personarum, vel rerum, quas indicat, vel quarum ipsis nominibus adiectum est: Aen. I, 529.: „Non ea vis animo, nec tanta superbia victis." II, 103.: „Idque audire sat est;" i. e. vel unum eiusmodi exemplum. III, 376.: „Sic fata deum rex Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo." IV, 34.: „Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?" ib. 379.: „Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat." VI, 98. sqq.: „Sibylla Horrendas canit ambages, antroque remugit Obscuris vera involvens: ea frena furenti Concutit — Apollo."

4. Iam quum nec demonstrandi vim, nec restringendi, aut aliam, quae propria sit aliorum Pronominum, hoc Pronomen habeat, solamque Subiecti repetendi potestatem sustineat, saepe autem ad naturam rei significatae spectet, nova atque ex utroque genere mixta oritur significatio, ut inserviat notionibus rerum animo effingendis, non adiuncta ipsarum rerum veritate; veluti si interrogo: quod est id flumen? rem cogitatam definiri cupio; contra si quaero: quod est hoc flumen? rei non cogitatae, sed praesentis, vel quasi praesentis, nomen indicari volo. Atque ut appareat, mixtam esse hanc ex utraque, de qua supra est expositum, ratione, ita haec mente informamus: „quod flumen est id?" i. e. quod flumen est flumen (repetitum Subiectum) ita comparatum (quod pertinet ad alteram Pronominis potestatem). Graece dixeris ποῖόν τι; Hoc autem ipsum, quod exempli gratia proposui, si quis minus commodum putet,

Digitized by Google

videat ea, quae infra §. 5, d) de Aen. VI, 711. dicentur. Sed exempla in medium proferenda. Aen. II, 115—123.: „isque adytis haec dicta reportat: —— Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum Argolica. —— Hic Ithacus vatem — Protrahit in medios: quae sint ea numina divum, Flagitat.“ III, 96—100.: „Antiquam exquirite matrem. —— Haec Phoebus; —— cuncti, quae sint ea moenia quaerunt.“ XII, 216.: „At Rutulis impar ea pugna videri;“ pugna nondum coepta, sed instans. Eodem refero V, 797. sq.: „liceat Laurentem adtingere Thybrim, si concessa peto, si dant ea moenia Parcae;“ quod dictum est de urbe aliquando condenda.

5. a) Restat, ut quaedam persequar, quae disputationi supra institutae adversari videantur. Atque Aen. III, 393. („Is locus urbis erit; requies ea certa laborum“) perlectis iis, quae praecedunt, quis non videt, recte dici *Is locus?* Apponam totum locum:

Signa tibi dicam: tu condita mente teneto:
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati,
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

At Aen VIII, 46. repetitur idem versus, sed ita immutatus: „Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.“ Adscribam et ista omnia:

36. O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, aeternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates;
40. Neu belli terrere minis. Tumor omnis et ira
Concessere deum.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
45. Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Ergone idem is et hic? Minime! Illic Helenus loquitur de loco aliquo tamquam incerto atque sibi ignoto; hic contra Tiberis de loco tamquam certo, cf. vs. 38. sq., sibique noto; quare hic recte utitur demonstrativo Pronomine, quo ille uti non poterat. At, inquies, si *hic* et *is* non significant idem, cur tamen in Tiberini sermone retinentur haec: *requies ea:* quum nihil poetam impediverit, quominus scriberet: „requies haec certa laborum?“

Digitized by Google

Nempe alterius hemistichii eadem est in utroque versu ratio; referendum utrobique illud *requies ea* ad voc. *locus*, hoc modo: „isque (locus) certam tibi laborum requietem afferet."

b) Aen. I, 19. sqq.:

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum, late regem belloque superbum,
Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
— — — — — — — — — —
Arcebat (Troas) longe Latio.

Contra paulo inferius, vs. 58. sqq.:

Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens.

Illud *Is metuens* dicitur de eo, qui metuit incerto tempore futura; hoc autem *Hoc metuens* de eo, qui metuit statim futura; constat enim *Hic* Pronomen dici de re praesenti, vel modo instante; illud est: *ob talem metum;* hoc: *ob hunc metum.*

c) Aen. I, 738. sqq.:

Ille impiger hausit
Spumantem pateram, — — —
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, cet.

Is in libris quibusdam legi refert Pierius; et *hic* pro *is* hoc loco positum putat Heynius; non satis recte; per demonstrativum Iopas distinguitur a ceteris, quos ante commemoravit poeta; vid. Quaest. XX, 4. et 7.

d) Aen. VI, 703. sqq.:

Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus et virgulta sonantia silvis,
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant.
Ac veluti in pratis, ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, causasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.

Digitized by Google

Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.

Ex iis, quae supra §. 4. scripsi, si quis coniecturam facere velit, facile eo delabatur, ut poetam sic scripsisse putet: „*quae sint* haec *flumina porro;*" certum est enim flumen, quodque monstrari possit. At minus curat Aeneas, nomen quod positum sit fluvio; illud miratur, quale sit hoc flumen, quod circum innumerabiles vagentur animae, causasque, quare id fiat, requirit. Hinc Anchises non illud maxime respondet, quo nomine appelletur id flumen, sed quae sit eius natura, et quare tam cupide ab istis petatur. Itaque Graece non **τί ῥεῦμα,** sed **ποῖόν τι ῥεῦμα,** h. l. interrogaveris.

6. Sed recta ratio, ut fit, interdum in deteriorem deflexa. Quod contigit etiam Pronomini *Is*. Nequit enim negari, Pronomini huic etiam demonstrandi potestatem tributam esse. Rara tamen eius rei apud Virgilium exempla; notavi tria, quorum unum exstat Aen. VIII, 86.: „Thybris e a fluvium, quam longa est, nocte tumentem Leniit;" *ea*, i. e. *illa*. Alterum invenies ibid. vs. 705.:

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis e o terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

Tertium legitur Aen. XII, 420., quem versum apponam cum praegressis:

Hoc (*dictamnum*) Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans; spargitque salubres
Ambrosiae succos, et odoriferam panaceam.
Fovit e a vulnus lympha longaevus Iapis.

Quamquam erunt fortasse, qui ea, quae altero tertioque loco posui, eximant ex hoc numero; ac recte, si quid video; utroque enim loco Pronomen *is* ad rei naturam spectare, ac priore quidem magnitudinem terroris significare videtur; altero autem per verba *ea lympha* hoc dici puto: lympha ita comparata.

QUAESTIO XVIII.

De Pronomine *Ipse*.

1. Usus Pronominis *Ipse* quamvis varius sit et multiplex, tamen primariam eius ac propriam vim si cognoveris, facile, quid quoque loco significet, indicare poteris. Illa autem ipsa potestas ac notio si quaeris quae sit, optime hoc discere licebit indagata et perspecta huius vocis origine. Facile autem apparet, si vel vim, vel formam huius Pronominis spectas, ortum esse e Pronomine *is* et particula inseparabili *pse*. Hinc *eapse*, *eampse*, *eopse* apud Plautum; ut Trucul. I, 1, 3.: „Neque eam rationem eapse umquam edocet Venus;" *eapse* i. e. *ipsa;* alia vid. in Seyferti Gramm. Lat. §. 2531. In pedestri quidem sermone unum servatum est huius compositionis vestigium in *reapse* i. e. *re eapse*. Quod si cui minus probabile videatur, quandoquidem, si vera haec essent, Pronomen *ipse* ita flectendum esset: *eiuspse, eipse*, cet., non deest, quod huic respondeam. Factum est enim interdum, ut voces quaedam neglectis originibus aliter declinari paulatim sint coeptae, quam ipsa postulabat earum natura et origo. Itaque Pronomen *iste* quum ex Pronomine *is* et particula *te*, servata illa etiam in *tute, tete*, constare manifestum sit, tamen, quum indeclinabilis sit altera eius pars, declinabilis prior, illa declinatur, haec non inflectitur. Sed fortasse ne indigemus quidem hac disputatione, si casus obliquos e nominativo *ipsus*, non *ipse*, formatos statuimus. Pronomine *is* autem supra vidimus vel certam aliquam rem personamve denotari, vel rerum personarumve naturam contineri. Itaque si recte disputata sunt, quae modo proposui, utramque notionem inesse etiam Pronomini *ipse* necesse est; licet non tertiae solum, sed primae etiam secundaeque hoc esse Pronomen usus voluerit. Accessit praeterea enclitica *pse*, vim distinguendi opponendique habens. Quae quum ita sint, primum tenendum erit, Pronomen *ipse* esse personale, et pertinere ad omnes tres personas, adiuncta tamen distinguendi opponendique potestate.

2. Pronomen *Ipse* rebus personisve distinguendis opponendisque inserviens.

a) Ecl. I, 39.: „Ipsae te, Tityre, pinus, Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant;" opposita haec Amaryllidi, de qua vs. 37.: „Mirabar, quid moesta deos, Amarylli, vocares." II, 62.: „Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam." IV, 16.: „videbit — heroas, et ipse videbitur illis." V, 34.: „Postquam te fata tulerunt, Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo;" i. e. tu reliquisti agros, ideo etiam Pales et Apollo; itaque Pronomen te gravius pronunciandum. VI, 24.

sqq.: „Solvite, me pueri, —— Carmina, quae vultis, cognoscite; carmina vobis, Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse;" hoc *ipse* tantum distinguendis personis *pueri, huic*, inservit. Ge. IV, 33.: „Ipsa — alvearia;" antea de loci ratione, quo ponenda essent alvearia, praeceperat poeta; iam ad ipsa transit. IV, 432.: „Sternunt se somno —— phocae: Ipse (*Proteus*) — Considit scopulo medius numerumque recenset." Aen. I, 42.: „Ipsa (*Pallas*) — Disiecitque rates, evertitque aequora ventis: —— Ast ego" cet. IV, 144. sqq.: „Delum maternam invisit Apollo, Instauratque choros, mixtique altaria circum Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi: Ipse iugis Cynthi graditur." ib. 629.: „pugnent ipsique nepotesque." V, 859. sqq.: „liquidas proiecit in undas Praecipitem, ac socios nequidquam voce vocantem: Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras." VII, 156.: „festinant iussi, rapidisque feruntur Passibus. Ipse humili designat moenia fossa." XI, 328. sq.: „ipsi numerumque modumque carinis Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus."

b) Sed in re nota ac trita satius fuerit, sola indicare ea, quae minus facilem expeditamque explicationem habent, aut alia de causa memoratu digna visa sunt. Ecl. I, 12.: „Usque adeo turbatur agris: en, ipse capellas Protinus aeger ago;" i. e. ego ipse sum unus ex illis proturbatis. VII, 7.: „Vir gregis ipse caper deerraverat;" i. e. grex cum ipso capro; nam vs. 9.: „caper tibi salvus et haedi." Eodemque modo Aen. VIII, 110.: „Audax quos rumpere Pallas Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;" i. e. cum aliis, ut e vs. 119. intelligitur. Ge. III, 129.: „Ipsa autem macie tenuant armenta;" i. e. feminas, quae opponuntur maribus, largiter curandis illis quidem. ib. 376.: „Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra;" i. e. dum cetera rigent. IV, 386.: „Omine quo firmans animum sic incipit ipsa;" i. e. postquam invocati dei adnuerant, ipsa incipit; cfr. Aen. X, 5.: „Considunt (Dei) tectis bipatentibus. Incipit Ipse." Aen. II, 279.: „Ultro, flens ipse, videbar Compellare virum;" quod spectat ad vs. 271.: „Hector visus adesse mihi, largosque effundere fletus." V, 51. sqq.:

Hunc ego, (*diem, quo Anchises obiit,*) Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae,
Annua vota tamen sollemnesque ordine pompas
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis
Adsumus;

Digitized by Google

i. e. ad ipsum eius sepulcrum; pertinet igitur illud ipsius ad notandam locorum diversitatem. Aen. V, 410.: „Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma Vidisset?“ oppositi sunt cestus Erycis ab illo prostrati; nos: *hätte einer erst des Hercules Waffen gesehen!* ib. 772. sqq.: „Tres Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam Caedere deinde iubet: — — Ipse — — Stans procul in prora pateram tenet;“ i. e. alios illud facere iubet, ipse pateram tenet. VII, 493. sqq.:

> Hunc (*cervum*) procul errantem rabidae venantis Iuli
> Commovere canes, fluvio quum forte secundo
> Deflueret, ripaque aestus viridante levaret.
> Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,
> Ascanius curvo direxit spicula cornu.

Hoc aut ita intelligendum, ut idem Ascanium cum aliis fecisse statuamus; aut, quod malim, quoniam vs. 478. Ascanius commemoratur solus, ita, ut haec sit sententiarum ratio: Canes animadvertunt cervum per flumen delabentem eumque excitant; nec non Ascanius, videns excitatum, telis insequitur. VII, 707.: „Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar.“ VIII, 304.: „super omnia Caci Speluncam adiiciunt spirantemque ignibus ipsum.“ IX, 454.: „Nec minor in castris luctus: — — ingens concursus ad ipsa Corpora;“ i. e. non solum lugent caesos, uti factum ibi legimus, sed concursus etiam fit ad eos. ib. 625.: „Iupiter omnipotens, audacibus adnue coeptis. Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona;“ i. e. tu hoc fac, ego faciam illud. XI, 712.: „At iuvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse;“ ipse equum, ex quo desiluerat Camilla, cum eo congressura, conscendit et avolat. XII, 299. sqq.: „venienti Ebuso — Occupat os flammis; — — super ipse secutus Caesariem laeva turbati corripit hostis;“ prius eminus petit, deinde comminus aggreditur Ebusum. — Interdum sola cogitatione assequendum, quod ponitur contrarium: Aen. V, 640.: „Deus ipse faces animumque ministrat;“ i. e. non humanum est, sed divinum consilium. XII, 794.: „scis ipsa;“ i. e. non ego solum, sed tu quoque.

c) Difficiliora sunt, quae Aen. V, 407. leguntur: „Anchisiades et pondus et ipsa Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.“ Nec geminata particula *et — et*, nec Pronomen *ipsa* haec ita accipi patitur, ut *et pondus et volumina* idem valeat, quod *ponderosa volumina*. Sed si haec ita intelligere non licet, quomodo explicabimus verba *pondus versat?* Nempe hoc voluit poeta dicere: Aeneam examinasse istos cestus; examinavit igitur primum pondus, quod fit tollendo; tum expertus est, quam habiles essent ad pugnandum, quod fit versando, sive librando.

Digitized by Google

Itaque per zeugma dixit *pondus versat*, cui verbo communis subest exanimandi, explorandi notio. Distinguuntur igitur h. l. inter se pondus et libramen. Ceterum *vinclorum volumina* non sola significant lora, quibus religatur cestus, ut Heynius statuit, sed lora cum cestu; totus enim cestus unum est lorum. — Aen. autem XI, 557. sq. haec legimus: „Alma tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo Ipse pater famulam voveo." Quorsum *ipse* hic adiectum? Nimirum alias patres hoc maxime in votis habebant, ut sobolem ex filiabus succrescere viderent: at vero h. l. pater ipse filiam Dianae vovet famulam; quod ea scilicet fiebat lege, ut, quae ita devota esset, perpetuam servaret virginitatem. Quoties autem apud poetas offendimus patres filias incusantes, quod Dianam ultro secutae spe nepotum se frustrentur? Hic vero non ipsa se filia, sed pater eam Dianae voverat. Hinc oppositi ratio postulat *ipse*. — Addo Ecl. II, 60.: „Pallas, quas condidit, arces Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae." Sententia horum verborum quae sit, in promtu est: sine tu Palladem suas arces colere, tu mecum silvas ama. Sed hoc ut exprimeretur, satis erat dicere: Pallas colat arces, quas condidit; itaque supervacaneum *ipsa* h. l. videtur. Nec licet *ipsa* per *sola*, de qua significatione infra dicetur, hic interpretari; unum enim Alexim opponit Palladi; sed si quendam unum arces Palladis colere nolumus, non continuo ceteros omnes excludimus, quo fiat, ut sola relinquatur Pallas. Nempe prava interpunctione haec laborant; interpunge: Pallas quas condidit arces, Ipsa colat; i. e. quas Pallas arces condidit, Pallas colat; ipsa, non tu cum illa. Itaque non in Palladis nomine, sed in Pronomine *ipsa* pronunciando vox elevanda.

d) Iam *ipse*, pro disiunctiva huius Pronominis potestate, etiam sic dicitur, quemadmodum apud Graecos αὐτός, ut aliquis non suo ac proprio nomine commemoratus ita per Pronomen *ipse* significetur, ut, ad quem illud pertineat, ex comparatione praegressae orationis demum colligatur. Ge. II, 523. sqq.: „Interea dulces pendent circum oscula nati; Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccae Lactea demittunt; pinguesque in gramine laeto Inter se adversis luctantur cornibus haedi. Ipse dies agitat festos;" cet. ipse, colonus. Cfr. ex supra laudatis Ge. III, 376. §. 2, b.

e) *Ipse* ponitur, ubi ad eum reditur, qui primas agit in aliqua re partes. Ge. IV, 454—464.:

tibi has miserabilis Orpheus
— — — poenas — — —
Suscitat et rapta graviter pro coniuge saevit.
Illa quidem — — — — — — —

Digitized by Google

Immanem ante pedes hydram, moritura puella,
— — — alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes; flerunt Rhodopeiae arces,
— — — — — — — —
Atque Getae, atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse cava solans aegrum testudine amorem,
Te, dulcis coniux, — — —
— — — — — — canebat.

Aen. II, 469—80.: „Vestibulum ante ipsum — Pyrrhus Exsultat. — — — — Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis, Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes, Succedunt tecto. — — Ipse inter primos — Limina perrumpit.“
IV, 504—519.:

At regina — — — — —
— — — — — — —
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funera. — — — — — —
— — — — — — —
Stant arae circum, et crines effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, — — —
— — — — — — — —
Sparserat (*sacerdos*) et latices simulatos fontis Averni;
Falcibus et messae ad lunam quaeruntur aenis
Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte revulsus
Et matri praereptus amor.
Ipsa (*regina*) mola manibusque piis altaria iuxta
— — — — — — — —
Testatur moritura deos.

VII, 392. sqq.:

Furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quaerere tecta.
Deseruere domos; ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
Ipsa (*Amata*) inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet.

ib. 655—666.:

Post hos — — — — — —
Victores ostentat equos — — — —
Pulcer Aventinus, — — — — —
— — — — — — — —
— — — — quem Rhea sacerdos
— — partu sub luminis edidit oras,

Digitized by Google

Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor
— — — Tirynthius adtigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu saevosque gerunt in bella dolones;
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipse pedes — — — — — —
— — — — — — —
— — — — regia tecta subibat.

Aen. VIII, 714—721.:

At Caesar — — — — — —
— — Dis Italis votum immortale sacrabat,
— — — — — — —.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere iuvenci.
Ipse — — — — — — —
Dona recognoscit populorum.

XII, 456—464.:

Talis in adversos ductor Rhoeteius hostes
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Adglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
— — — — — — — —.
Tollitur in caelum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;" cet.

Huc trahenda erunt etiam, si ibi sana omnia, quae leguntur Ge. IV, 75—83.:

Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
Miscentur, magnisque vocant (*apes*) clamoribus hostem.
Ergo, ubi ver nactae sudum camposque patentes,
Erumpunt portis; concurritur; aethere in alto
Fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem,
Praecipitesque cadunt: non densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis:
Ipsi per medias acies insignibus alis
Ingentes animos angusto in pectore versant.

Verum ipsa hians sententia indicare videtur, excidisse versum inter vs. 82. et 83.: quid enim hoc: „Ipsi per medias acies — — animos in pectore versant?

f) Omnino autem **ipse** de eo, ad quem inprimis adtenti sumus: Aen. VIII, 585. sqq.:

Iamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Aeneas inter primos et fidus Achates;
Inde alii Troiae proceres; **ipse** agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda
— — — — — — — —
Extulit os sacrum caelo, tenebrasque resolvit.

XII, 903. sqq.:

Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu saxumque immane moventem:
Genua labant; gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis **ipse** viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, neque pertulit ictum.

g) Interdum plures res vel personae eiusdem generis sic iunguntur, ut una a ceteris ita distinguatur, ut *ipse*, *et ipse*, commutari fere possit cum particulis *etiam*, *adeo;* nos: *auch*, *ja auch*, *sogar*, *auch ich*, *auch du*, *gleichfalls*, cet. Ecl. V, 58. sqq.:

Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas:
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes: **ipsae** iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!

Ge. I, 5. sqq.:

Vos, o clarissima mundi
Lumina, — — — — —
Liber et alma Ceres, — — —
— — — — — — —
— — — — — — —
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae;
— — — tuque — — —
Neptune: et cultor nemorum, — —
— — — — — — —:
Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan, ovium custos.

III, 245. sqq.:

Tempore non alio catulorum oblita leaena

Digitized by Google

Saevior erravit campis; nec funera vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas; tum saevus aper, tum pessima tigris;
— — — — — — — —
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
— — — — — — —
— — — — — — —
— — — — — — —
Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus.

Aen. I, 623.: „Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis Troianae, — — Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat." i. e. non alii solum, sed etiam hostis. IV, 452 — 466.

Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat,
Vidit, turicremis quum dona imponeret aris,
— — — latices nigrescere sacros,
— — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
— — . — — —
— exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri (*Sychaei*) — — — —
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri; — — — —
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas.

VII, 219. sqq.:

Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.

Sic enim haec interpungenda. VIII, 296. sqq.:

Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci,
— — — — — — —
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus.

XII, 240.: „Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini;" opponuntur hi Rutulis. Ecl. IV, 38.: „Cedet et ipse mari vector." Aen. V, 499.: „Acestes, Ausus et ipse manu iuvenum tractare laborem." VI, 90.: „Natus et ipse dea." IX, 342.: „Nec minor Euryali caedes; incensus et ipse Perfurit." — Hinc ipse i. q. *cum*, *una cum*, nostrum *samt*: Aen. VI, 840.: „Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas, Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli."

Digitized by Google

h) Inde fit, ut *ipse* indicet excellentiam: Aen. IX, 811.: „ingeminant hastis et Troes et ipse Fulmineus Mnestheus;" omninoque ea, quibus praecipuum aliquod pretium statuimus.: Ecl. X, 62. sq.: „Iam neque Hamadryades rursus, nec carmina nobis Ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae;" i. e. quae antea mihi prae ceteris placuistis.

i) Inprimis autem notanda est dignitatis et natae inde reverentiae notio, quae saepe huic Pronomini subest, orta illa quidem et ipsa e distinguendi potestate eius Pronominis propria. Nam nulla re magis inter se distinguuntur homines, quam dignitate. Hinc creberrime hoc Pronomen Iovis nomini, quippe omnia suo imperio, suo numine regentis, adiungitur: Ge. IV, 149.: „naturas apibus quas Iupiter ipse Addidit, expediam." Aen. III, 222.: „divos ipsumque vocamus in partem praedamque Iovem." 356.: „interpres divam Iove missus ab ipso." XII, 725.: „Iupiter ipse duas aequato examine lances Sustinet." Idem Pronomen frequentatur, ubi circumlocutione utimur ad Iovis nomen indicandum, ut Ge. I, 121.: „Pater ipse colendi Haud facilem esse viam voluit." ib. 328.: „Ipse pater — — Fulmina molitur dextra." ib. 353.: „Ipse pater statuit, quid menstrua Luna moneret." Aen. II, 617.: „Ipse pater Danais animos viresque secundas Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma." IV, 268—270.: „Ipse deum regnator tibi me demittit — — Ipse haec ferre iubet mandata." VII, 305.: „concessit in iras Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae." ib. 770. sqq.: „Tum pater omnipotens — — Ipse repertorem — — Stygias detrusit ad undas." — Porro deorum nominibus additur ipse: Aen. VII, 327.: „Odit et ipse pater Pluton, odere sorores Tartareae monstrum." ib. 428.: „Haec tibi fari Ipsa — Saturnia iussit." IX, 82.: „Ipsa deum genetrix — adfata Iovem." — Tum ducum regumque nominibus adiungi solet ipse: Aen. I, 575.: „utinam rex ipse — Adforet." II, 146.: „Ipse — levari Vincla iubet Priamus." IV, 141. et XII, 579.: „Ipse — Aeneas." V, 132.: „ipsique in puppibus auro Ductores — effulgent." ib. 249.: „Ipsis praecipuos ductoribus addit honores." VII, 92.: „Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus." ib. 187.: „Ipse Quirinali lituo — sedebat Picus." ib. 556. et IX, 231.: „rex ipse Latinus;" adde XI, 469. XII, 285. VII, 783.: „Ipse inter primos — Turnus Vertitur." VIII, 176.: „gramineoque viros locat ipse (*Euander*) sedili." ib. 505.: „Ipse oratores ad me regnique coronam — misit Tarchon." XI, 266.: „Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum" cet. XII, 585.: „ipsumque trahunt in moenia regem." Hinc etiam de animalibus gregem ducentibus: Ecl. III, 95.: „ipse aries etiam

Digitized by Google

nunc vellera siccat." Aen. I, 189.: „Ductoresque ipsos (*cervorum*) primum sternit." — Dignitas exprimi videtur etiam Ecl. VIII, 96.: „Ipse dedit Moeris;" summus magus. Aen. II, 394.: „hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus Laeta facit;" nisi forte, Servio auctore, hoc ad §. g. trahere malis. III, 655.: „Ipsum — videmus Pastorem Polyphemum;" *ipsum*, ut inter ceteros Cyclopas eminentem. Eodem modo etiam illud accipiendum videtur: Ge. III, 92.: „Talis Cyllarus — Talis et ipse iubam cervice effudit equina Saturnus;" quippe nullus illo nobilior equus.

l) Porro *ipse*, nostrum fere *persönlich*, *in eigner Person*. eum significat, qui in gerenda aliqua re non alius hominis, vel rei ministerio utitur: Aen. III, 456.: „Ipsa (*Sibylla*) canat;" non per folia edat oracula, sed sua voce. V, 867.: „pater (*Aeneas*) amisso fluitantem errare magistro Sensit, et ipse ratem rexit." VI, 302.: „Ipse (*Charon*) ratem conto subigit, velisque ministrat, — — Iam senior." VII, 611.: „Has, (*belli portas*) ubi certa sedet patribus sententia pugnae, Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino Insignis reserat stridentia limina Consul; Ipse vocat pugnas." XII, 90.: „ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse Fecerat;" i. e. sua manu. Ecl. III, 68. sq.: „Parta meae Veneri sunt munera; namque notavi Ipse locum, aeriae quo congessere palumbes;" i. e. mea manu notavi, incidens aliquod signum. *Ipse* etiam simpliciter i. q. *manu:* Aen. IX, 586.: „fundam, positis Mezentius hastis, Ipse ter adducta circum caput egit habena." Nec raro adiicitur Ablativus *manu;* et *ipse manu* idem est, quod *mea*, *tua*, *sua manu;* ut Ge. III, 396. IV, 329. Aen. II, 321. III, 372. VII, 143. 620. Quibus adiunge Aen. XI, 544.: „Ipse sinu prae se portans." — Sed is usus Pronominis *ipse* ita increbruit, ut *ipse* eiusmodi Ablativis etiam, ubi nulla est distinctio, adiiciatur; (cfr. infra §. s, β.) quo pertinent ex modo laudatis Ge. III, 395.: „At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes Ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas;" sed cf. etiam not. ad eum locum. Aen. II, 321.: „Panthus Sacra manu victosque deos, parvumque nepotem Ipse trahit." III, 372.: „Helenus me ad tua limina, Phoebe, Ipse manu ducit." VII, 143.: „Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem." — Iam quum de eo, qui faciendum aliquid curavit, ita, quasi ipse fecerit, loqui soleamus, is quoque hoc Pronomine indicatur: Aen. XII, 674.: „Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse," sc. Turnus.

m) Saepe ipse i. q. sponte. In hoc quoque conspicua distinguendi vis; sponte enim quod fit, fit non cogente alio. Ecl. IV, 21. sqq.: „Ipsae lacte domum referent distenta capellae

Digitized by Google

Ubera, nec magnos metuent armenta leones. Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores." VIII, 105. sq.: „corripuit tremulis altaria flammis Sponte sua cinis ipse." Ge. I, 127.: „ipsaque tellus Omnia liberius, nullo poscente, ferebat." II, 10.: „Namque aliae, (*arbores*) nullis hominum cogentibus, ipsae Sponte sua veniunt." ib. 251.: „Humida maiores herbas alit, ipsaque iusto Laetior;" brevitate haec laborant; sententia haec est: quae ipsa per sese herbas laetiores gignit, non stercore roborata, aut rivis irrigata. ib. 500.: „fructus, quos ipsa volentia rura Sponte tulere sua." III, 316.: „ipsae (*caprae*) memores redeunt in tecta." Aen. V, 843.: „Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem." VII, 492.: „Ille (*cervus*) manum patiens — — Errabat silvis, rursusque — Ipse domum se ferebat." Acute tamen Vossius ad Ecl. VIII, 106. hoc discrimen facit inter *ipse* et *sua sponte*, ut illud negativam habeat vim, hoc valeat *sua vi* vel *voluntate*. Ergo quum agri ipsi sua sponte fruges ferre dicantur, Pronomen *ipse* significare *sine semine*, eique opponi *sua sponte*, i. e. *sed sua vi*. Accedere igitur illud *ipse* ad eam significationem, de qua infra exponetur, ut sit fere id, quod *solus;* vid. §. q. — Praeterea *ipse* etiam idem fere, quod *ultro:* Aen. VII, 103.: „Haec responsa — non ipse suo premit ore Latinus;" i. e. noluit premere, s. ultro effatus est.

n) Per Pronomen *ipse* totum aliquid distinguitur a parte; quare fere i. q. *totus* significat. Ge. III, 387.: „Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, Nigra subest udo tantum cui lingua palato, Reiice." IV, 542.: „sacrum iugulis demitte cruorem; Corporaque ipsa boum frondoso desere luco." Aen. XII, 300. sqq.: „Ebuso — Occupat os flammis — — — Impressoque genu nitens terrae adplicat ipsum." Huc referet fortasse aliquis etiam Aen. X, 280.: „In manibus Mars ipse, viri!" i. e. totum bellum nunc confici potest; vid. tamen §. r. — Sic etiam pars a potiore parte distinguitur: Ge. I, 296.: „Tum fortes late ramos et brachia tendens (*Aesculus*) Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram." IV, 274.: „flos — Aureus ipse; sed in foliis — violae sublucet purpura nigrae." Aen. VII, 814. sqq.: „prospectat — ut regius ostro Velet honos levis humeros, ut fibula crinem Auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram;" *ipsa*, i. e. trunco corporis, sive tergo. X, 225.: „Cymodocea Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso Eminet."

o) Iam potest aliquis etiam sibi ipsi opponi; unde fit, ut *ipse* valeat fere i. q. *idem*, ut Aen. V, 767.: „Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam Visa maris facies, — Ire volunt;" i. e. iidem, qui antea detrectaverant profectionem, iam cupiunt proficisci. (Hinc etiam, ubi nulla est oppositio, in hanc significationem abiit: Ge. III, 166. sqq.: „Ac primum laxos tenui

de vimine circlos Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos Iunge pares;" i. e. pariter e circulis vimineis; ubi quidem si quis putet oppositum esse: *non aliis*, *non aliis e circulis*, is vereor ne huic sententiae aliquid alienum ab ipsa inferat; quasi non in eo cardo rei versetur, ut circulis quibusdam e vimine factis utamur, sed ut ne aliis, quam quibus antea usi simus.) Aen. V, 411.: „Quid, si quis — Vidisset tristem hoc *ipso* in litore pugnam;" eodem litore, quo tum certabatur. Huc revoca etiam XII, 460.: „cadit ipse Tolumnius augur, Primus in adversos telum qui torserat hostes."

p) E disiunctiva vi oritur restrictiva, ut *ipse* dicatur de eo, qui per se spectatur, nostrum *an sich*. Ecl. V, 54.: „Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis." Aen. III, 570.: „Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis;" i. e. portus quidem per se spectatus tranquillus est; sed vicinia Aetnae fragoribus commovetur. Eodem refero Ecl. III, 74. sq.: „Quid prodest, si me ipse animo non spernis, Amynta, Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo." Hoc enim dicit Menalcas: scio equidem, si animum tuum solum per se specto, amari me a te; sed si fructum amoris specto, non eum inde capio, quem velim.

q) Huic cognata est significatio *solus*. Ge. IV, 201.: „ipsae (*apes*) e foliis natos et suavibus herbis Ore legunt; ipsae regem parvosque Quirites Sufficiunt;" i. e. solae, sine connubio. Aen. V, 201.: „Attulit ipse viris optatum casus honorem." XI, 217. sq.: „Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos; Ipsum armis, ipsumque iubent decernere ferro." — Hinc de consilio clandestino: Aen. IV, 474. sq.: „Ergo ubi — decrevit — mori, tempus secum ipsa modumque Exigit;" *bey sich allein*. Omnino de eo, qui cogitat aliquid secretius: Aen. VI, 185.: „haec ipse suo tristi cum corde volutat." XII, 843.: „His actis, aliud Genitor secum ipse volutat."

r) Restrictiva vis Pronominis *ipse* cernitur etiam in accuratiore locorum temporumque definitione, ubi nos utimur particulis *gerade*, *gleich*, *unmittelbar*. Ge. IV, 75.: „circa regem atque ipsa ad praetoria densae Miscentur." Aen. II, 469.: „Vestibulum ante ipsum." ib. 550.: „Hoc dicens altaria ad ipsa trementem Traxit;" quod *ipsa* additur, quo magis exsecrabilis appareat ea res. III, 5.: „classemque sub ipsa Antandro molimur." V, 323.: „quo deinde sub ipso — volat Diores." VIII, 561.: „primam aciem Praeneste sub ipsa stravi." Neque aliter accipiendum VI, 190.: „geminae quum forte columbae Ipsa sub ora viri venere volantes." et X, 515.: „Pallas, Euander, in ipsis Omnia sunt oculis; mensae, quas advena primas Tunc adiit, dextraeque datae." ib. 280.: „In manibus Mars ipse,

Digitized by Google

viri!" quod spectat ad mutatam locorum rationem; qui antea missilibus eminus certaverant, nunc manus possunt conserere; vid. tamen supra §. n. — Hinc omnino de eo, quod propius, et in conspectu est, oppositum ei, quod est remotius, neque oculis legentis, aut certe eius, quem animo fingimus legentem, expositum: Aen. XII, 701. sqq.: „Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse — — se attollens pater Apenninus ad auras." — Ad tempus conditionemque praesentem refero Aen. II, 71.: „Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt;" *ipsi*, i. e. apud quos nunc sum. Hinc *ipse* i. q. *ut tum est*, *ut tum erat*. Sic capio Aen. IX, 561.: „Nostrasne evadere, demens, Sperasti te posse manus? Simul arripit ipsum Pendentem;" i. e. ut pendebat in muro.

s) Saepe Pronomen *ipse* iungitur cum Pronominibus personalibus et possessivis. Quod quidem

α) plerumque ita fit, ut *ipse* unam habeat ex commemoratis iam significationibus, ut Ge. I, 103.: „ipsa suas mirantur Gargara messes;" terram adsuetam largis messibus, proptereaque a multis celebratam, h. l. ita fertilem dicit poeta, ut ipsam sui admiratio incessat. Aen. IV, 233.: „Nec super ipse sua molitur laude laborem;" suae enim quemque laudi maxime favere oportet. V, 650.: „Ipsa egomet Beroen digressa reliqui Aegram;" non audivi ex aliis aegram esse, sed ipsa vidi. ib. 789.: „Ipse mihi tu testis;" non opus est ad alium provocare testem. ib. 846.: „Ipse ego pro te tua munera obibo;" non multum circumspiciendus est vicarius. XII, 638.: „Vidi oculos ante ipse meos — Murranum oppetere;" de eo, quod ipse per se, non per alium comperit. Alia exempla ex superioribus petere licet. — Iam vero

β) usus eo deflexit, ut *ipse* his Pronominibus iunctum nihil nisi intendat vim orationis; cfr. §. l. Qui usus, abusum potius dixeris, inde explicandus, quod ipsa distinguendi opponendique ratio multum valet ad orationem alacriorem commotioremque reddendam. Ge. I, 34.: „ipse tibi iam brachia contrahit ardens Scorpios." Aen. IV, 336.: „Dum memor ipse mei." 606.: „memet super ipsa dedissem." VIII, 144.: „me, me ipse meumque Obieci caput." (Sed vide iam, quae in Not. ad hunc ipsum locum scripsi.) ib. 256.: „Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem Praecipiti iniecit saltu." XI, 74.: „vestes, quas illi Ipsa suis manibus — Dido Fecerat." XII, 393.: „cui — Ipse suas artes, sua munera, laetus Apollo Augurium citharamque dabat celeresque sagittas." ib. 660.: „regina — dextra Occidit ipsa sua." Ex quibus XI, 74. et XII, 393. quis non videt eo pertinere, quo Hermannus (Opusc. Vol. I. pag. 313.) Hom. Il. ε, 734. ϑ, 385. cet. revocat, dicens caritatem per Pronomen αὐτός indicari?

Digitized by Google

3. Pronomen *ipse* ad rerum personarumque naturam spectans.

a) Pronomen *ipse* ad naturam Subiecti interdum referri, conficitur eiusmodi exemplis, quae modo allaturus sum. Nullum autem ex omnibus novisse mihi videor ad eam rem probandam illustrius, quam Ge. III, 239. Apponam totum locum:

Fluctus uti, medio coepit quum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit; utque volutus
Ad terras immane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit; at ima exaestuat unda
Verticibus, nigramque alte subiectat arenam.

Quae quum apertum sit non de certo aliquo monte dici, quaeri potest, quid sibi velit illud *ipso?* quod certe nemo desideret omissum. Erit fortasse, qui ita haec accipiat: non minor ipso monte, cui illiditur. Sed nimis vagum hoc, quum in comparationibus communes quaedam rerum imagines oculis subiiciendae sint; hic autem poeta loqueretur tamquam de certo aliquo monte, quum tamen, qui mons sit vel quantus, quod scire legentis vel maxime interesse debet, incertum relinquatur. Itaque ad aliam explicationem confugiendum. Nempe iubemur hoc Pronomine illud animo informare, quod maxime conspicuum est in monte, altitudinem dico. Nos quidem quomodo vernacule hoc reddamus, non habemus, acquiescentes in gravius pronunciando ipso Substantivo; id quod de multis aliis valet, quae vel supra prolata sunt, vel deinceps proferentur. — Aen. IV, 600. sqq.: „Non potui abreptum divellere corpus et undis Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro Ascanium?" i. e. filium, sive eum, quem natura ipsi, Aeneae, carissimum esse voluit; cfr. §. 2, s, *β.* extr. Eiusdem generis est Ge. IV, 354.: „Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura, Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam Stat lacrimans."

b) Iam de eo quum loquimur, quod tale vel tantum, quale vel quantum est, in conspectum venit, Pronomen *ipse* adiicitur; ut de deo ἐναργεῖ Aen. VIII, 352.: „Arcades ipsum Credunt se vidisse Iovem;" quod vernacule dixeris: *sie glauben, den Iupiter* leibhaftig *gesehen zu haben.* Eodem modo accipio, quae eod. lib. vs. 29. sqq. leguntur:

Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se adtollere frondes
Visus; (ὤφθη) eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.

i. e. deus, ut erat glauco velatus amictu et arundine redimitus, se adtollebat. Eodem redeunt illa: Aen. II, 172. sqq.:

> Vix positum castris simulacrum: (*Palladis*) arsere coruscae
> Luminibus flammae adrectis, salsusque per artus
> Sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu)
> Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.

Adde Aen. III, 533. sq.:

> Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
> Obiectae salsa spumant adspargine cautes:
> Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
> Turriti scopuli.

i. e. obiecti utrimque scopuli prohibent, quominus, qualis sit quantusque portus, videas.

c) Denique *ipse* de eo, qui certam aliquam habet certarum rerum potestatem; qui aliquid vel novit, vel facit optime: Ge. III, 267.: „Et mentem Venus ipsa dedit;" i. e. quae excitat amoris furorem. Aen. I, 589.: „namque ipsa decoram Caesariem nato (*Aeneae*) genetrix, lumenque iuventae Purpureum, et laetos oculis adflarat honores." III, 201.: „Ipse diem noctemque negat discernere caelo, Nec meminisse viae media Palinurus in unda." V, 12.: „Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta: Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?" Scilicet ut gubernator debebat illud (III, 201.) scire, hoc (V, 12.) minus, quam ceteri, formidare. V, 241. sqq.: „Et pater ipse manu magna Portunus euntem Impulit. Illa (*navis*) noto citius — fugit." VI, 27. sqq.: „Hic labor ille domus et inextricabilis error. Magnum reginae sed enim miseratus amorem Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit." ib. 564. sq.: „Sed me quum lucis Hecate praefecit Avernis, Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit." XII, 82.: „Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes, Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;" i. e. quae optimos dare potest, optimos habet. — Contra *ipse* etiam de eo, qui facit talia, quae aliena sunt ab ipsius natura, aetate, ut Aen. II, 518.: „Ipsum autem sumtis Priamum iuvenalibus armis Ut vidit (*Hecuba*)."

d) Ceterum in maxima horum exemplorum parte, ac, nisi fallor, in omnibus, adiunctam esse Pronomini *ipse* etiam quandam opponendi potestatem, ea tantum de causa non putavi silentio praetereundum, ne forte ad eam rem non adtendisse videar.

Digitized by Google

QUAESTIO XVIIII.

De Pronomine *Iste*.

1. Ex *is* Pronomine ortum etiam *iste*, *der da*. Hoc Pronomen semper a Virgilio, ac nescio an ab omni probo scriptore, ad secundam Personam refertur: Ecl. I, 19.: „Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.“ II, 38.: „te nunc habet ista secundum.“ III, 7.: „Parcius ista viris tamen obiicienda memento.“ V, 54.: „et ista Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.“ IX, 55.: „Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.“ X, 21.: „unde amor iste tibi?“ Aen. II, 660.: „Si — periturae addere Troiae Teque tuosque iuvat: patet isti ianua leto.“ ib. 708.: „age, — pater, cervici imponere nostrae: — nec me labor iste gravabit.“ ib. 521.: „nec defensoribus istis Tempus eget;“ i. e. tali, qualis tu es. IV, 115.: „Mecum erit iste labor.“ ib. 318.: „et istam — exue mentem.“ ib. 676.: „(hoc illud, germana fuit?) Hoc rogus iste mihi — parabat?“ ib. 703.: „teque isto corpore solvo.“ V, 670.: „Quis furor iste novus, cives?“ VI, 37.: „fatur quae talia regi: Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.“ IX, 94.: „aut quid petis istis?“ ib. 205.: „est animus —, istum Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.“ ib. 252.: „Quae vobis pro laudibus istis Praemia posse rear solvi?“ ib. 297.: „Namque erit ista mihi genetrix;“ sc. tua mater. X, 533.: „Belli commercia Turnus Sustulit ista prior;“ quae tu memoras. ib. 625.: „Sin altior istis (*tuis*) Sub precibus venia ulla latet.“ ib. 825.: „Quid tibi nunc pro laudibus istis Aeneas dabit?“ XI, 352.: „Unum etiam donis istis Adiicias.“ ib. 390.: „an tibi Mavors Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis Semper erit?“ ib. 509.: „sed nunc, est omnia quando Iste animus (*tuus*) supra.“ ib. 408.: „habitet tecum, (*anima tua*) et sit pectore in isto.“ XII, 61.: „Qui te cumque manent isto certamine casus.“ ib. 313.: „Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?“ ib. 808.: „Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas.“ — Idem valet ad *istic* et *istinc* Adverbia translatum: Aen. X, 557.: „Istic nunc, metuende, iace.“ VI, 389.: „Fare age, quid venias; iam istinc.“

2. Interdum paulo obscurior est ratio inter Pronomen *iste* et secundam Personam intercedens. Aen. V, 397.: „Si mihi, quae quondam fuerat, quaque improbus iste Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas;“ *iste*, i. e. quaque videtis hunc impudentem exsultare. IX, 136. sqq.: „Sunt et mea contra Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem, Coniuge praerepta; nec so-

Digitized by Google

los tangit Atridas Iste dolor;" i. e. quo me tangi cernitis. ib. 427.: „in me convertite ferrum, O Rutuli! mea fraus omnis, nihil iste nec ausus, Nec potuit;" *iste*, i. e. quem vultis interficere. X, 40.: „speravimus ista, Dum fortuna fuit;" i. e. speravimus ea te nobis daturum; itaque tecta his subest criminatio. XI, 165.: „sors ista senectae Debita erat nostrae;" i. e. qua me afflictum videtis. ib. 537.: „Neque enim novus iste Dianae Venit amor;" i. e. quo me illi conciliatam sentis. XII, 646.: „Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes Este boni: — Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae Descendam;" i. e. neque me ita dedecorem videbitis. Addo his locum prae ceteris memorabilem, qui legitur X, 504.: „Turno tempus erit, magno quum optaverit emtum Intactum Pallanta, et quum spolia ista diemque Oderit." Poeta his verbis alloquitur quasi legentes, hunc in modum: „erit, quum videbitis Turno ista spolia, quibus nunc ovat, invisa esse;" et ita hoc Pronomine pedestres scriptores crebro utuntur.

3. Itaque unus restat locus, qui quomodo ceteris conveniat, non dixeris, Aen. I, 153.: „Iste regit dictis animos et pectora mulcet." At hic iusta exarseris in recentiores Editores ira, qui pro genuina lectione *Ille* vitium Burmannianae Editionis *iste* repetierunt. Certe nullius codicis auctoritas pro illo *iste* affertur; at in Mediceo, Romano, Palatino, et, quos unos mihi oculis usurpare licuit, utroque Lipsiensi vera exstat lectio *ille*, ut etiam apud Quintil. Inst. XII, 1.

QUAESTIO XX.

De Pronomine *Hic*.

1. Pronomen *Hic* definitivum malim appellare, quam demonstrativum. Haec est enim huius Pronominis vis, ut rem aliquam certis definiat et circumscribat finibus. Hoc autem duplici modo fieri potest, aut ita, ut totum aliquid comprehendat, certis quibusdam finibus contentum; aut ita, ut plures aliquas res, vel unam, secernat a ceteris, suisque quasi finibus includat. Ex priore genere est, si dico: *hic mundus*, i. e. ea omnia, quae mundi vocabulo comprehendimus ac definimus, ut *hic* singularum partium, quae mundum efficiunt, complexionem designet; ex altero hoc, si dico: *hic vir*, i. e. certus quidam vir a toto ce-

Digitized by Google

terorum virorum numero segregatus. Itaque plerumque explicare hoc Pronomen licet additis quibusdam verbis, rem accuratius definientibus, ut: *hoc*, i. e. quod cernis, quod audis, quod dico, dixi, *cet.*

2. Ponam primum quaedam prioris generis exempla. Aen. XII, 231.: „omnes et Troes et Arcades hi sunt;" i. e. non plures numero. Ecl. X, 70.: „Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam;" et quod his simile, Ge. IV, 559.: „Haec super arvorum cultu pecorumque canebam Et super arboribus;" quo Pronomine hic totum Georgicôn, illic totum Bucolicôn opus complectitur poeta. Nihil autem in hoc genere frequentius apud Virgilium, quam eiusmodi formulae: *Haec ubi dicta dedit*, *Vix haec ediderat*, *Haec effata*, *Haec memorans*, cet. His formulis comprehendit poeta praegressam orationem ita, ut totam animo legentis obversari velit. Quod fit eo consilio, ut appareat, qui nexus, quae ratio intercedat inter ipsam atque ea, quae iam narraturus est. Hinc per eas formulas mutua consilii atque eventus ratio indicatur. Sic. Aen. I, 81.: „Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem Impulit." II, 550.: „Nunc morere! Hoc dicens altaria ad ipsa trementem Traxit" cet. V, 641.: „Haec memorans, prima infensum vi corripit ignem." ib. 693., ubi, quum orasset Iovem Aeneas, ut incendium classis restingueret, haec subiiciuntur: „Vix haec ediderat, quum effusis imbribus atra Tempestas sine more furit." X, 856.: „Simul hoc dicens adtollit in aegrum se femur" cet. ib. 950.: „Hoc dicens, ferrum sub pectore condit." Hinc iam existimari poterit, quomodo differat hoc: *Vix haec ediderat*, et similia, ab illo: *Vix ea fatus erat;* cfr. Quaest. XVII, 2, c. Praeterea haec consilii eventusque mutua necessitas etiam aliis modis per hoc Pronomen exprimitur. Pauca attulisse satis erit, unde de ceteris iudicare liceat: Aen. XII, 468.: „Hoc concussa metu Iuturna Metiscum Excutit." I, 360.: „His commota fugam Dido sociosque parabat." — Sed non ubique ea vis inest huic Pronomini; ut in his: *Haec fatur lacrimans; Haec Venus;* quamquam eiusmodi quoque locis ea, quae sunt dicta antea, quasi in unam notionem coniunguntur; id quod aliis etiam modis fieri potest, ut Aen. X, 469.: „Sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus;" ubi quum ita loqui liceret: virtutis opus est, famam factis extendere: illud *famam factis extendere* quasi iteratur adiecto Pronomine, tamquam si dicas: famam extendere factis, hoc, τὸ ἔργοις ἐκτείνειν κλέος, virtutis est. Simile huic, quod legitur Aen. II, 449. sq.: „alii strictis mucronibus imas Obsedere fores; has servant agmine denso;" i. e. eas ita obsessas.

3. Iam promenda alterius generis exempla. Ecl. VII, 33.: „Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis Exspectare sat est;" *haec*, i. e. quae et qualia tibi offero; sive: non alia, quam

Digitized by Google

quae offerre tibi consuevi. Aen. I, 252. sq.: „Prodimur, atque Italis longe disiungimur oris. Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?“ *hic*, i. e. qui est ita comparatus; non alius. II, 445. sqq.: „Dardanidae contra turres ac tecta domorum Culmina convellunt; his se —— extrema iam in morte parant defendere telis;“ i. e. hoc telorum genere. IV, 46.: „Dis equidem auspicibus reor — Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas;“ hunc, neque alium. ib. 237.: „Naviget! haec summa est; hic nostri nuntius esto;“ i. e. unum hoc mandatum ceterorum instar est omnium; nihil nisi hoc nuntia. ib. 242.: „Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco;“ non quamlibet virgam, sed illam, quae propria est huius dei. ib. 419.: „Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero;“ eum dolorem, quo me nunc affectam sentio. ib. 614.: „Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret;“ i. e. non alius. V, 417.: „Sed si nostra Dares haec Troius arma recusat;“ nostra haec, i. e. qualia nos gerere sueti. VI, 142.: „Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus Instituit;“ i. e. non aliud quodpiam. ib. 464.: „Nec credere quivi, Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem;“ talem tantumque. ib. 716.: „Has (*animas*) equidem memorare tibi, atque ostendere coram, Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum;“ animas certas quasdam ex reliquarum numero; *hanc prolem*, i. e. has ex reliquis animas, quae meam prolem olim constituent. VII, 30.: „Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno Prorumpit;“ inter hunc lucum, quem prospicit Aeneas. ib. 122.: „Hic domus, haec patria est;“ i. e. nulla alia terra inter ceteras, quam haec. ib. 595.: „Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas;“ i. e. poenas eiusmodi sceleri constitutas. ib. 730.: „teretes sunt aclides illis Tela; sed haec lento mos est aptare flagello;“ definit poeta, quale sit hoc genus iaculi. IX, 491. sq.: „hoc mihi de te, Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?“ *hoc refers*, i. e. non melius quid; *hoc sum secuta*, ideo, ut occisum te videam. X, 423.: „Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit;“ i. e. arma huius viri, quem quasi cernere deus fingitur; nisi malueris iungere *haec quercus* et referre ad §. 6, b.

4. Hinc ad accuratius definitum Subiectum Pronomen *hoc* refertur: Aen. III, 49.: „Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno Infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi.“ IV, 174—189.: „Fama, malum, quo non aliud velocius ullum: Mobilitate viget, *cet.* ———— Haec tum multiplici populos sermone replebat.“ ib. 487.: „Haec se carminibus promittit solvere mentes, Quas velit.“ VII, 563. sqq.: „Est locus Italiae medio sub montibus altis, Nobilis, et fama multis memoratus in oris, Amsancti valles; densis hunc frondibus atrum Urget utrimque latus nemoris.“ ib. 607. sqq.: „Stant

Digitized by Google

geminae Belli portae, sic nomine dicunt, Religione sacrae et saevi formidine Martis: Centum aerei claudunt vectes, — —. Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae, — — reserat Consul.“ IX, 359. sqq.: „Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim Quae mittit dona, hospitio quum iungeret absens Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti; — —: Haec rapit.“ XII, 411. sqq.: „Hic Venus — Dictamnum Cretaea carpit ab Ida, Puberibus caulem foliis et flore comantem Purpureo: non illa feris incognita capris Gramina, quum tergo volucres haesere sagittae. Hoc Venus — Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit.“ ib. 862. sqq.: „Alitis in parvae subitam collecta figuram, Quae quondam in bustis, aut culminibus desertis, Nocte sedens serum canit importuna per umbras, Hanc versa in faciem Turni se pestis ab ora Fertque refertque.“ Eodem pertinet Aen. I, 677—680.: „Regius accitu cari genitoris ad urbem Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura, Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae. Hunc ego, sopitum somno, super alta Cythera — recondam.“

5. Iam vero Pronomen *hic* quum non raro unum et certum aliquid reliquorum, quae sunt eius generis, numero eximat, factum est, ut etiam in significationem possessivi *meus* abiret, et ad rem referretur, quae eius est, qui modo loquens introducitur. Nam *haec manus* quum certam quandam manum indicet, si non est praeterea, quo pertinere possit, de eius ipsius manu accipiendum erit, qui de se loquitur ipse. Constat etiam pro personali Pronomine *ego* substitui *hic vir;* sed alienum hoc est a Virgilii consuetudine. Non esse autem hanc significationem ex monstrandi quadam vi, quae vulgo huius Pronominis propria putatur, repetendam, facile cognoscitur ex eiusmodi exemplo, Aen. IV, 652.: „Accipite hanc animam.“ Ac ne in his quidem: Aen. IV, 359.: „vocemque his auribus hausi:“ vim agnosco monstrandi; etsi tulerim in comoedo, vulgarium hominum morem imitante, si, ita quum loquatur, ipso manus aliquo motu adiuvet quodammodo orationem suam. Ceterum adde laudatis exemplis Aen. IV, 680.: „His etiam struxi manibus.“ VIII, 563. 567. atque ibidem 570.: „neque — Mezentius umquam Huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset Funera.“ VI, 111.: „Illum ego per flammas — Eripui his humeris. IX, 205.: „Est hic, est animus lucis contemtor.“ X, 525.: „Te precor, hanc animam serves natoque patrique.“

6. Porro Pronomen *hic* quum etiam loco ac tempori definiendo inserviat, nullum autem tempus magis sit definitum, quam praesens, nec locus ullus, quam is, in quo vel ipsi constitimus,

Digitized by Google

vel qui nobis est proximus, certe propior alio: saepissime praesens tempus, vel modo instans, locique propinquitatem denotat.

a) *Hic* de tempore: Aen. I, 732.: „Iupiter, — — Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis Esse velis, nostrosque huius meminisse minores;“ cum vi *huius* repetitum, pro quo etiam *eius* locum habere poterat, nisi quod hoc languidius. X, 629.: „si — haec Turno rata vita maneret;“ vita, qua nunc fruitur. Huc retulerim etiam I, 667. sqq.: „Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Litora iactetur odiis Iunonis iniquae, Nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore. Hunc Phoenissa tenet Dido;“ i. e. Eum nunc tenet Dido; et sic veteres haec intellexisse, erit fortasse, qui colligat ex glossemate in textum illato *nunc;* minus recte hoc referas ad §. 4. Eodem modo explicuerim I, 261.: „quando haec te cura remordet:“ quando ea te cura nunc remordet. Adde IV, 47.: „Quam tu urbem hanc cernes;“ praesens rerum conditio hic cum futura comparata, hunc in modum: quae nunc tam parva est, quanta fiet! — Hinc de iis, quae quis dicturus est, ut IV, 611.: „Accipite haec — et nostras audite preces.“ V, 474.: „Nate dea, vosque haec cognoscite Teucri.“ Adde XI, 551. XII, 26. et quae plurima adiici possunt.

b) *Hic* de loco: Aen. III, 396.: „Has autem terras Italique hanc litoris oram, Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu, Effuge.“ ib. 477.: „Ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe velis. Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est: Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo;“ prius *hanc* explicandum e §. 3., alterum huc simul et ad §. 7. referendum. ib. 643.: „Centum alii curva haec habitant ad litora — Cyclopes.“ Sed vix opus est exemplis in re nota et plana. Ceterum vid. V. L. ad Aen. VI, 18.

7. Iam vero quum aliquid definimus, hoc ita fit, ut ea res ab aliis rebus discerni possit. Hinc saepe Pronomen *hic* ita usurpatur, ut aliud quid ei rei, cui adiunctum illud est, opponatur. Ecl. III, 5.: „ipse Neaeram Dum fovet, — Hic alienus oves custos bis mulget in hora.“ IX, 16.: „Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas;“ i. e. neque ego, neque ille. Aen. I, 261. sqq.: „Hic (*Aeneas*) bellum ingens geret Italia, populosque feroces Contundet, moresque viris et moenia ponet, Tertia dum Latio regnantem viderit aestas, — — At puer Ascanius — — Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini Transferet, et longam multa vi muniet Albam.“ ib. 715. sqq.: „Ille ubi complexu Aeneae colloque pependit, — — Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto Haeret.“ II, 291. sqq.: „Sat patriae Priamoque datum. — — Sacra suosque tibi commendat Troia

Penates; Hos cape fatorum comites; his moenia quaere." ib. 577.: „Scilicet haec Spartam incolumis — Adspiciet? ——— Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?" VI, 127. sqq.: „Noctes atque dies patet atri ianua Ditis; Sed revocare gradum superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est;" facilis est aditus ad loca inferna, sed difficilis reditus. VIII, 287.: „Hic iuvenum chorus, ille senum." IX, 349. sq.: „vomit ille animam, —— hic furto fervidus instat." XI, 236. sqq.: „Olli convenere, —— Sedet in mediis — Latinus. Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos — fari iubet." — Interdum paulo tectior est haec ratio, ut Ecl. V, 10. sqq.: „Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes, Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri. — — MOPS. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi Carmina descripsi;" *haec*, non illa, quae tu me canere vis. Aen. I, 184. sq.: „tres litore cervos Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur." VIII, 514.: „Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri, Pallanta adiungam;" i. e. praeter ceteros hunc. I, 476. sqq.: „Troilus — Fertur equis, curruque haeret resupinus inani, Lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur Per terram;" variarum hic rerum imago exhibetur, equorum consternatorum, currus rectore orbati, huius rectoris ipsius per terram raptati. De Aen. I, 742. dictum Quaest. XVII, 5, c. Tectior etiam est eadem ratio, ubi Subiectum et Obiectum tamquam opposita ponuntur, hunc in modum: Aen. III, 492.: „Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis." VIII, 31.: „Huic Deus ipse loci — se adtollere visus."

8. Partim ex §. 7., partim ex §. 6. explicanda est Pronominum *hic ille*, sic iunctorum, ratio. Aen. III, 558.: „Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis, Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat;" i. e. haec, quam nunc cernimus, est illa, quam Helenus olim canebat, Charybdis. IV, 675.: „Hoc illud, germana, fuit;" i. e. hoc agitabas, quum illud apparabas. VII, 255.: „Hunc illum fatis externa ab sede profectum Portendi generum;" et vs. 272.: „Hunc illum poscere fata — reor;" i. e. hic, qui iam advenit, est ille, quem dudum fata portendebant. Sed I, 247.: „Hic tamen ille urbem Patavi — locavit:" *hic* est Adverbium.

9. Ceterum ex poetica licentia pro *hic — ille*, *alter — alter*, *alius — alius*, aliquoties *hic* geminatur: Ecl. IV, 55. sq.: „Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, Nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit." Aen. IX, 572.: „Liger — Asylas: Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta." VII, 472. sqq.: „Certatim sese Rutuli exhortantur in arma: Hunc

Digitized by Google

decus egregium formae movet atque iuventae, Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis;" adde vs. 506. sq. Singulare est, quod legitur X, 9. sq.: „quis metus aut hos, Aut hos arma sequi — suasit?" i. e. hos haec, illos illa.

10. Denique, ut *eo* et *illo* motum indicant, sic etiam *hoc*; semel ita apud Virgilium, Aen. VIII, 423.: „Hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto."

QUAESTIO XXI.

De Pronomine *Ille*.

1. Pronomen *ille* refertur ad rem remotam a loquente, sive locus spectatur, sive tempus.

a) *Ille* de loco. Aen. VI, 756—767.:

Nunc age, Dardaniam prolem — —
— — — — — — —
— — — — — — —
Expediam dictis — — — —.
Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta,
— — — — primus ad auras
— — — — — surget
Silvius. — — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
— — — — — —
Proximus ille Procas.

ib. 809.: „Quis procul ille autem ramis insignis olivae?" ib. 837. sqq.: „Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currum, — — Eruet ille Argos." XI, 257.: „Mitto — Quos Simois premat ille viros." Ecl. III, 19.: „Quo nunc se proripit ille?" i. e. *der dort*.

b) *Ille* de tempore; α) de praeterito: Aen. III, 558. sqq.: „Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;" i. e. quam olim Helenus canebat. VII, 110.: „Sic Iupiter ille monebat;" i. e. olim, tum; admonemur de vaticinio ab Harpyia, Iovis scilicet iussu, edito III, 255. sqq. V, 191.: „Nunc illas

Digitized by Google

promite vires, — quibus in Gaetulis Syrtibus usi." Ecl. III, 23.: „Si nescis, meus ille caper fuit;" i. e. quem tum mihi vindicare studui. — β) de futuro. Sic capienda Aen. VI, 782.: „En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma Imperio terras, animos aequabit Olympo." Hinc de re sperata et optata: Ecl. VIII, 7. sq.: „en erit umquam Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?" Aen. IX, 481.: „tune, illa senectae Sera meae requies, potuisti linquere solam?" X, 862.: „hodie victor spolia illa cruenta Et caput Aeneae referes."

2. Sed ea notio non ita ubique exstat, ut loci temporisve remoti aeque certa et clara imago, atque in exemplis modo laudatis, animum perstringat. Tertia enim persona, si non adest ipsa, (nam si adest, Pronomine *hic* denotanda erit) remota est a loquentis audientisque persona. Aen. I, 139.: „tenet ille (*Aeolus*) immania saxa." 691. sqq.: „At Venus Ascanio — — quietem Irrigat, et — tollit in altos Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum — dulci complectitur umbra." Exempla huius rei ubique sunt obvia. — Hinc propriam sedem habet hoc Pronomen in describendis narrandisque rebus: Aen. I, 738.: „Tum Bitiae dedit increpitans. Ille impiger hausit Spumantem pateram." II, 52.: „hastam — — Contorsit; stetit illa tremens." 694. sqq.: „Stella — — cucurrit. Illam — — Cernimus Idaea claram se condere silva." VIII, 659.: „Aurea caesaries ollis."

3. Saepissime personis et rebus distinguendis opponendisque inservit Pronomen ille. Ge. IV, 92.: „Nam duo sunt genera: hic, melior, insignis et ore Et rutilis clarus squamis; ille horridus alter Desidia." Aen. I, 683.: „Tu faciem illius — Falle dolo." II, 529.: „Illum ardens — Pyrrhus Insequitur." III, 49. sqq.: „Hunc Polydorum — Priamus mandarat alendum Threicio regi, — —. Ille (*rex Thracum*) — — Polydorum obtruncat." V, 358.: „risit pater optimus olli." VIII, 466.: „Euander — Aeneas. Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates." XI, 49.: „Et nunc ille quidem spe multum captus inani Fors et vota facit, — — Nos iuvenem exanimum — vano maesti comitamur honore." ib. 422.: „Sin et Troianis cum multo gloria venit Sanguine; sunt illis (*non* nobis *solum*) sua funera." ib. 445.: „Illi (*Latini*) haec inter se dubiis de rebus agebant Certantes: castra Aeneas aciemque movebat." XII, 398. sqq.: „Stabat acerba fremens — Aeneas — —: Ille (*Iapis*) retorto Paeonium in morem senior succinctus amictu" cet. Ex his alia quidem sunt satis aperta, quaedam autem tectiora, Aen. I, 683. II, 529. V, 358. Sic etiam Ecl. III, 21.: „An mihi, cantando victus, non redderet ille" cet. — Eandem vim vidimus Quaest. XVIII, 2. inesse in Pronomine *Ipse*. Sed differunt *Ipse* et *Ille* ita, ut, qui per *Ipse* designatur, eius praecipua aliqua ratio habeatur, non item eius, quem per *Ille* denotamus.

4. Hinc *ille* is, qui respondet, vel cui respondetur: Aen. I, 254. sqq.: „Olli subridens hominum sator atque deorum — — dehinc talia fatur.“ ib. 370.: „Quaerenti talibus ille,“ sc. respondet. II, 123. sqq.: „quae sint ea numina divom, Flagitat. — — Bis quinos silet ille dies. — — Vix tandem — rumpit vocem.“ ib. 152.: „quae machina belli? — Dixerat. Ille — — : Vos, aeterni ignes,“ cet. ib. 287.: „Ille nihil; nec me quaerentem vana moratur;“ cet. IV, 105.: „Olli — — Sic contra est ingressa Venus.“ VI, 321.: „Olli sic breviter fata est — sacerdos.“

5. Hinc *ille* etiam, ubi reditur ad Subiectum antea memoratum: Aen. I, 713. sqq.: „Expleri mentem nequit Phoenissa, et pariter puero donisque movetur. Ille ubi complexu Aeneae — pependit, Reginam petit.“ II, 212.: „Diffugimus visu exsangues: illi (*dracones*) agmine certo Laocoonta petunt.“ ib. 219. sq.: „superant (*dracones*) cervicibus altis. Ille (*Laocoon*) — tendit divellere nodos.“ ib. 238. sqq.: „pueri innuptaeque puellae Sacra canunt —: Illa (*machina*) subit.“ ib. 259.: „Laxat claustra Sinon: illos (*Danaos*) patefactus ad auras Reddit equus.“ V, 196. sqq.: „hoc vincite, cives, Et prohibete nefas. — Olli certamine summo Procumbunt.“ Reditur hic et in simili oratione a loquentis persona ad Subiectum ab ea memoratum. VII, 504. sqq.: „Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes. Olli — — Improvisi adsunt.“ VIII, 92. sqq.: „Miratur nemus insuetum fulgentia longe Scuta virum, — —. Olli remigio noctemque diemque fatigant.“ ib. 592.: „Stant — matres oculisque sequuntur — — fulgentes aere catervas. Olli per dumos — tendunt.“ X, 744. sq.: „Hoc dicens eduxit corpore telum: Olli dura quies oculos — urget.“ XI, 120.: „Dixerat Aeneas. Olli obstupuere silentes.“ XII, 450.: „Ille volat,“ sc. Aeneas, vs. 440. commemoratus.

6. Satis autem constat Pronomine *ille* saepe etiam designari res hominesque claros atque illustres, suisque vel virtutibus, vel vitiis notos. Sunt enim ita comparata hominum ingenia, ut, quae remota sunt a nobis, maiora nobis videri soleant; hinc nata huic Pronomini ea notio, ut designet aliquid aliquo modo excellens; quae autem excellunt, ea solent esse nota, illustria, vel etiam infamia. Aen. I, 617.: „Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae Alma Venus genuit?“ II, 540.: „At non ille, satum quo te mentiris, Achilles Talis in hoste fuit.“ IV, 215.: „Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu, — — rapto potitur.“ V, 391.: „ubi nunc deus ille, magister Nequidquam memoratus, Eryx?“ VI, 27.: „Hic labor ille domus et inextricabilis error;“ effigies labyrinthi in foribus templi repraesentata. X, 175.: „Tertius, ille hominum divumque interpres, Asylas.“ Cum exsecratione Amor significatur his verbis Ecl. X,

Digitized by Google

X, 60.: „tamquam — — deus ille malis hominum mitescere discat.“ Hinc etiam intelligetur, quae sit huius Pronominis vis Ecl. VIII, 43.: „Nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes, Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt.“ — Usui tribuendum, quod etiam solam praestantiam, a notitiae, vel solam notitiam, a praestantiae notione seiunctam, *ille* denotat; illuc refero Aen. II, 503.: „Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum, Barbarico postes auro spoliisque superbi, Procubuere;“ huc pertinet Ge. IV, 69. sqq.: „Continuoque animos vulgi et trepidantia bello Corda licet longe praesciscere; namque morantes Martius ille aeris rauci canor increpat.“ Aen. III, 401.: „hic illa ducis Meliboei Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.“ — Ceterum hinc repetendum videtur, quod in exemplis afferendis hoc Pronomine utimur; unde fit, ut locum habeat in comparationibus, ut Aen. X, 707.: „Ac velut ille canum morsu de montibus altis Actus aper.“ XI, 809. sqq.: „Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur, Continuo in montes sese avius abdidit altos, Occiso pastore, lupus.“ Nisi quis haec, quod equidem non probaverim, ad proximam §. referre malit.

7. Ille interdum ita ponitur, quemadmodum saepe apud Homerum ὅ, αὐτός, ut obscure indicet Subiectum, post aliquot demum verba illatum: Ge. IV, 457. sq.: „Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps, Immanem ante pedes hydrum moritura puella — non vidit.“ Aen. V, 609.: „Illa, viam celerans per mille coloribus arcum, Nulli visa cito decurrit tramite virgo.“ X, 198.: „Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris, — — Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen.“ XII, 901.: „Ille manu raptum (*saxum*) rapida torquebat in hostem, Altius insurgens, et cursu concitus heros.“ (Quibus conferri potest illud V, 520. sq.: „Qui tamen aerias telum contendit in auras, Ostentans artemque pater arcumque sonantem.“ ibid. 259. sqq.: „Levibus huic hamis consertam auroque trilicem Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse, — — Donat habere viro.“ cf. etiam VII, 611 — 613.) Simile est illud *pater ille*, de Iove dictum, explicatum per epexegesin: Aen. VII, 558.: „Haud pater ille velit, superi regnator Olympi.“ A quo nonnihil differunt, quae leguntur II, 779.: „Nec te comitem portare Creusam Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi;“ et X, 875.: „Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo;“ ubi ille nihil nisi personas distinguit. Atque his duobus locis si quis ipse scribendum putet, non *ille*, is meminerit, coordinata, ut brevitatis causa ita loquar, hic poni, non alterum alteri subordinari. vid. §. 3. extr.

8. Sed non raro *ille* simpliciter tertiam personam denotat, nulla adiecta alia notione, nisi quod oratio inde fit fortior ac vi-

vidior. Ge. II, 434.: „Quid maiora sequar? salices humilesque genestae, Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbras Sufficiunt." III, 215.: „Carpit enim vires paullatim uritque videndo Femina, nec nemorum patitur meminisse, nec herbae. Dulcibus illa quidem illecebris et saepe superbos Cornibus inter se subigit decernere amantes." Aen. IV, 227.: „Non illum nobis genetrix pulcherrima talem Promisit." — Plerumque autem Participiis et Adiectivis ita adiectum legitur, ut Aen. I. init.: „Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris Italiam, fato profugus, Laviniaque venit Litora; multum ille et terris iactatus et alto Vi superum;" quod nemo erit qui explicet *iactatus est.* V, 456.: „Praecipitemque Daren ardens agit (*Entellus*) aequore toto, Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra." IX, 477. sqq.: „Evolat infelix (*mater Euryali*) et, — Scissa comam, muros amens — petit: non illa virum, non illa pericli Telorumque memor." ib. 796.: „nec tendere contra, Ille quidem hoc cupiens, potis est;" sic haec interpungenda. X, 385.: „quem non super occupat Hisbo, Ille quidem hoc sperans." XII, 5.: „Poenorum qualis in arvis, Saucius ille gravi venantum volnere pectus, Tum demum movet arma leo."

9. Denique antiquae formae *olli* et *ollis* nusquam in Bucolicis et Georgicis leguntur, neque in ipsa Aeneide aliter, quam in narratione gravi et sedata, numquam in orationibus.

QUAESTIO XXII.

De Pronomine interrogativo *Quis* et *Qui.*

1. Spohnius ad Ecl. I, 19.: „Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis" — haec scribit: „Alii *qui* praeferunt, quod antiquius sit, alii, quod suavius, (ne concurrant sibilantes literae) alii, (Heynius in V. L. ad Ecl. II, 19. *WR.*) quod doctius; quod quid sit nescio. Nempe *nescio, quis sim,* non potest dicere, nisi ebrius, qui nesciat, utrum Titus, an Caius appelletur; *nescio, qui sim,* an doctus, an pulcer, an bonus? *Nescis, qui sis,* bono sensu v. c. de modesto, i. e. ignoras praestantiam tuam; malo sensu hunc in modum: descende in te: nescis, quibus labores vitiis; *nescis, quis sis:* ita ebrius es! Hinc *quis deus* valet: iste deus quis est e numero eorum, qui

sunt dii, num Mercurius? Apollo? Hercules? *qui deus* autem: quid est, quod istum tibi deum fecerit?" Haec Spohnius. Vid. Ramshorn. Grammat. §. 160. pag. 365. sq. Cfr. praeterea Iahn. ad h. l. et ad Ovid. Metamorph. X, 372. et ad Horat. Sat. I, 4, 41., Becker. ad Eleg. Rom. p. 3.; tum Ge. Busch., et quos hic laudat, in Ephem. Scholast. a Zimmermanno editis, ai. 1828. no. 84. pag. 693. sqq., qui vir doctus multa disputavit subtiliter et acute. Handius autem ad Stat. Silv. pag. 292. sq. haec habet: „ante consonantes, maxime ante sibilantem, boni scriptores ponere solebant *qui*, et quidem alii semper, alii tantum *d* et *t* exemtis, ut infra v. 209. *quis tibi* retinendum sit; quamquam aliter praecipiebant grammatici, ut refert Charisius p. 70. Cuius rei causam non cognovisse videtur Burm. ad Phaedr. I, 13., etsi ipse corrigi iussit Valer. Fl. IV, 404., ubi vulgo legitur *quis datus*. Vid. Gernh. ad Ciceron. Off. I, 7, 21." Vid. etiam Zumpt. grammat. §. 35. pag. 116. edit. quart. Improbat eadem de causa vulgatam *nescio quis* apud Propert. I, 12, 7. Lachmannus, his usus verbis: „Exigua pars negligentiae, quae huic disticho intolerabilem σιγματισμὸν irrepere passa est, recte poterit in librarios transferri, qui male scripserunt *An te nescio* quis *simulatis* pro *Nescio QUI.*"

2. Nondum res plane ad liquidum perducta. Neque ipse is sum, qui iam plenam huic quaestionum grammaticalium parti lucem me posse affundere confidam. Nec videtur certi aliquid de omni hac re tradi posse, nisi explorata accurateque explicata singulorum scriptorum ratione. Parum enim profuerit, locis bene multis ex omni scriptorum turba corrasis hinc praecepta petere in universum valitura. Itaque hanc mihi solam provinciam suscipiendam duxi, ut ostenderem, quid in eo genere secutus esset Virgilius. Et quum tanta sit antiquissimorum codicum Virgilii praestantia, inprimis Medicei, a quo mirifice in tota hac quaestione adiutum me sentio, haud inanem me in ea re illustranda operam collocasse spero.

3. Primum igitur tenendum, in directa, quam vocant, interrogatione *Quis*, non *Qui*, apud Virgilium legi, ut perinde sit, utrum solum nomen Subiecti, an, quale illud sit, quaeratur; quamquam qui nuper de ea re scripserunt, quando ad rerum vim ac naturam Pronomen referatur, *Quis* locum habere negant. Ecl. II, 68.: „Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?" IX, 39.: „Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?" Ge. IV, 315.: „Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?" ibid. 494. sq.: „Quis et me miseram, et te perdidit, Orpheu, Quis tantus furor?" Aen. I, 459.: „Quis iam locus, — — Quae regio in terris non plena laboris?" ib.

Digitized by Google

615.: „Quis te per tanta pericula casus Insequitur?“ II, 594.: „Nate, quis indomitus tantus dolor excitat iras?“ III, 317.: „Heu, quis te casus deiectam culmine tanto Excipit?“ IV, 10.: „Quis novus hic nostris successit sedibus hospes! Quem sese ore ferens!“ ib. 108.: „Sed quis erit modus?“ ib. 408.: „Quis tibi tum, Dido, sensus?“ V, 670.: „Quis furor iste novus?“ VI, 670.: „Quae regio Anchisen, quis habet locus?“ IX, 36.: „Quis globus, o cives, caligine volvitur atra?“ X, 9.: „Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos, Aut hos arma sequi suasit?“ XI, 732.: „Quis metus — quae tanta animis ignavia venit?“ XII, 500.: „Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine caedes Expediat?“ XII, 620.: „quid tanto turbantur moenia luctu? Quisve ruit tantus clamor?“ — Hinc e Mediceo edidi *quis* Aen. VI, 562.: „quis tantus plangor ad auras?“ et ibid. 866.: „Quis strepitus circa comitum?“ etiam IX, 146.: „Sed vos, o lecti, ferro quis scindere mecum Apparat?“ in Mediceo exstat *quiscindere*, una *s* duobus vocabulis inserviente, ut saepe. — Neque vero erit, qui mihi opponat Ge. II, 488.: „o qui me gelidis in vallibus Haemi Sistat!“ quod est optantis: utinam sit, qui me sistat; non interrogantis.

4. Contra in indirecta interrogatione Virgilianus usus requirit Qui, non Quis, sive nomen rei, sive natura respicitur. Ecl. I, 19.: „Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.“ II, 19.: „nec, qui sim, quaeris, Alexi.“ III, 8.: „Novimus et qui te —“ puta: irrumaverit. Ge. I, 3.: „qui cultus habendo Sit pecori.“ IV, 537.: „Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.“ Aen. III, 608.: „Qui sit, quo sanguine cretus, Hortamur fari.“ V, 648.: „Ardentesque notate oculos; qui spiritus illi,“ cet. IX, 723.: „Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit, Et quo sit fortuna loco, qui casus agat rem.“ — Atque haud scio, an idem usus etiam apud pedestres aetatis aureae scriptores regnaverit. Sallust. Catil. XLIV, 5.: „Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces;“ scripserat enim literas non adiecto nomine suo. Sic, *Qui sim*, multi ac boni codices et apud Sallustium h. l. et apud Ciceronem, easdem Catilinae literas recitantem, Orat. Cat. III, 5, 17. Eodem modo Corn. Nep. Themistocl. VIII, 6.: „domino navis, qui sit, aperit.“ Ac ne quis putet, *qui* his locis legi propter sibilantem literam, afferam, quae apud eundem Cornelium leguntur Attic. Vit. XVIII, 3.: „M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, notans, qui, a quo ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset.“ Hoc enim *qui*, quod constanter ibi in codd. legi videtur, ad ipsum cuiusque nomen pertinere, facile apparet. Vid. Staveren. ad Nepot. et Cort. ad Sallust. ll. ll.,

Digitized by Google

etiam Gronov. Obss. in Scriptt. Ecclesiast. cap. 21. Cortius ad Sallust. et Lucan. VII, 579. *quis* probat. — De Aen. IV, 294. vid. §. 5. — Ceterum e locis Virgilianis supra laudatis Ecl. I, 19. III, 8. et Aen. III, 608. ad nomen, non ad naturam Subiecti spectare, apertum est. Nam Ecl. I, 19. ea sententia est: quis est ille, quem deum dicis? — Denique dignum est notatu, quod *quis* in indirecta interrogatione ponitur sequente *quisque*, vel *quis*, ubi hoc idem quod *quisque:* Ge. III, 102.: „notabis, ... Et quis cuique dolor victo." Ge. II, 256.: „praediscere, ... Et quis cui color."

5. Quid, quod in ipsis versuum initiis ne in indirecta quidem interrogatione *qui* ferri videtur, etiamsi respondeat Graeco *ποῖος?* Ge. II, 179.: „Nunc locus arvorum ingeniis: quae robora cuique, Quis color, et quae sit rebus natura ferendis." Aen. VII, 38.: „Quis Latio antiquo fuerit status, — Expediam. (VIII, 352.: „Quis deus, incertum est; habitat deus.") XII, 719.: „Quis nemori imperitet." Quod autem Aen. V, 649. editur: „notate —, qui spiritus illi, Qui vultus;" etsi fortasse erit, qui ita defendat, ut, praegressa eadem Pronominis forma, non potuisse commode alteram, *quis*, subiungi dicat, video quidem, hanc lectionem ipsius Medicei auctoritate commendari; neque illud obest, quod aliquot libri *quis* utrobique praebent; sed hoc minime negligendum, quod Burmannus in quinque codd. *qui spiritus — quis vultus* legi refert. Itaque altero loco *quis* restitui. Nec mirum, *quis* in *qui* h. l. mutatum, quum *qui* proxime praecedat. Ac videtur ipsa fortior in arsi sedes requirere fortiorem formam, *quis.* Hinc etiam in medio versu positum, ut Aen. IV, 294.: „*quis* rebus dexter modus," constanti librorum auctoritate firmatum, non sollicitaverim. De Ecl. II, 19. adhuc dubito.

QUAESTIO XXIII.

De Adverbio *Hic.*

1. *Hic* Adverbium ortum esse ex Pronomine *hic*, nemo dubitavit. Illud tamen fortasse erit qui quaerat, quomodo Pronomen in Adverbium abire potuerit. Qua in re qui ad usum quendam, quippe in aliis regnantem, provocaverit, is vereor ne nihil agat. *Hic* Adverbium repetendum ex antiquo aliquo et obsoleto

Digitized by Google

Ablativo Pronominis, eadem ratione formato, qua notissima illa relativi Pronominis forma *qui*, pro *quo* vel *qua*. Similiter *huc* ex *hoc* ortum, quod pro *huc* interdum legi apud veteres, si exempla quaeris, probabunt Interpretes ad Aen. VIII, 423. Quo quidem loco si illud tibi scrupulum iniiciat, quod semel tantum ea forma in toto Virgilii opere legitur, cautum ibi auribus voluit poeta, quum nescio quid asperum sonare videretur *Huc tunc*. Ablativus autem quum et locum, ubi aliquid sit, et tempus, quo fiat aliquid, designare soleat, apertum est, utrumque significari posse per *hic*, et errare eos, qui loci Adverbium *hic* proprie esse censeant, usurpative autem temporis.

2. Iam hoc Adverbium si quaerimus quam vim habeat, spectat ad locum vel tempus accuratius definitum; cfr. Quaest. XX, 1. et 6.

a) *Hic* Adverbium loci. Ecl. I, 43. sq.: „Hic illum vidi iuvenem — — Hic mihi responsum primus dedit ille." VII, 24.: „Hic arguta sacra pendebit fistula pinu." Ge. III, 28.: „In foribus pugnam faciam — — Atque hic undantem bello Nilum" cet. 430.: „ripisque habitans hic piscibus atram Ingluviem explet;" cfr. V. L. ad h. l. Aen. II, 410.: „Hic primum telis — Nostrorum obruimur." 438.: „Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam Bella forent — Cernimus." IV, 252.: „Hic primum Cyllenius — Constitit." V, 484.: „Hic victor cestus artemque repono." VI, 24.: „Hic (*de opere caelato*) crudelis amor tauri — inest. Hic labor ille domus" cet. 477—494.: „Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis Parthenopaeus — Hic multum fleti Dardanidae." VII, 122.: „Hic domus, haec patria est." VIII, 655—663.: „Atque hic (*in clipeo*) auratis volitans argenteus anser Porticibus, Gallos in limine adesse canebat. — — — Hic exsultantes Salios — Extuderat." X, 528.: „non hic (*in mea morte*) victoria Teucrum Vertitur."

b) *Hic* Adverbium temporis. Ge. IV, 264.: „Hic iam galbaneos suadebo incendere odores." Aen. I, 728.: „Hic regina — poposcit pateram." II, 122.: „Hic Ithacus — Calchanta — Protrahit." ib. 199.: „Hic aliud maius miseris multoque tremendum Obiicitur magis." ib. 386.: „Atque hic successu exsultans animisque Coroebus: O socii, inquit," cet. ib. 533.: „Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur," cet. ib. 699.: „Hic vero victus genitor se tollit ad auras." ib. 735.: „Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum Eripuit mentem." ib. 743.: „hic demum, collectis omnibus, una Defuit." III, 369.: „(quae prima pericula vito?) Hic Helenus, caesis primum de more iuvencis, Exorat pacem divom." ib.

Digitized by Google

453.: „Hic tibi nequa morae fuerint dispendia tanti, Quin adeas vatem.“ IV, 648.: „Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile Conspexit, — Incubuitque toro, dixitque novissima verba.“ V, 340.: „Hic totum caveae consessum ingentis et ora Prima patrum magnis Salius clamoribus implet.“ ib. 353.: „Hic Nisus: Si tanta — sunt praemia victis, — quae munera Niso digna dabis?“ ib. 387.: „Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes.“ ib. 604.: „Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.“ ib. 827.: „Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim Gaudia pertentant mentem.“ VI, 861.: „Atque hic Aeneas: — Quis, pater, ille, qui“ cet. VII, 29.: „Atque hic Aeneas ingentem — lucum Prospicit.“ ib. 141.: „Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto Intonuit.“ ib. 435.: „Hic iuvenis, vatem (*Allecto*) irridens, sic orsa — Ore refert.“ ib. 477.: „Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo Obiicit.“ ib. 531.: „Hic iuvenis primam ante aciem — sagitta Sternitur.“ VIII, 219.: „Hic vero Alcidae furiis exarserat — dolor.“ IX, 33.: „Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem Prospiciunt Teucri.“ ib. 110.: „Hic primum nova lux offulsit, et ingens — visus nimbus.“ ib. 246.: „Hic annis gravis atque animi maturus Aletes: Di patrii“ cet. ib. 717.: „Hic Mars animum — Latinis Addidit.“ X, 345.: „Hic Clausus — advenit et Dryopem ferit.“ XI, 454.: „Flent maesti mussantque patres. Hic undique clamor Dissensu vario magnus se tollit in auras.“ XII, 411.: „Hic Venus, indigno nati concussa dolore, Dictamnum carpit.“ ib. 554.: „Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit, Iret ut ad muros.“

3. Atque Adverbium *hic* quum ad locum vel tempus quoddam accuratius definitum referatur, inde fit, ut locus ille vel tempus propius ad nos admotum nobis videatur; nam quae ita definiuntur, ea quasi praesentes videmus. Nihil vero magis student poetae, quam ut ipsos lectorum animos quasi in medias res abripiant, ipsisque eorum oculis spectanda subiiciant omnia. Hinc creber usus huius Adverbii apud Virgilium. Iam vero quum illa ratio plurimum valeat ad alacritatem orationis augendam, consentaneum est, eiusmodi Adverbium, quod illud possit efficere, etiam locum quendam insignem tenere in oratione. Itaque *hic* fere in arsi, et, ut plurimum, in ipso orationis versusque principio collocatum invenimus. Quare ubi *Atque hic*, aptius etiam ad legentis attentionem accendendam, quam simplex *hic*, versum incipit, ictum habet etiam thesis: *átque hic*. vid. V. L. ad Aen. VIII, 579. Ceterum ex iis, quae modo diximus, facile intelligitur, quare plerumque Verbi tempus praesens huic adiungatur Adverbio.

Digitized by Google

QUAESTIO XXIIII.

De Particula *Iam*.

1. *Iam* denotat tempus cum alio comparatum, sive praeteritum, sive praesens, sive futurum; eoque differt ab aliis Particulis temporalibus, eiusmodi comparationem non admittentibus, veluti *nunc*, *tum*. Quod facile intelligetur paucis ad eam rem probandam adhibitis exemplis. Sic Aen. III, 51.: „quum iam diffideret armis Dardaniae;" i. e. non confidebat, ut antea confisus fuerat. V, 638.: „Iam tempus agi res;" de re non differenda in aliud tempus; aliud est: „Nunc tempus agi res." ib. 738.: „Iamque vale: torquet medios Nox humida cursus;" sic interpungendum; sententia haec est: non possum diutius hic morari; nam *cet.* VIII, 190.: „Iam primum hanc adspice rupem;" sc. antequam ad alia pergamus. XI, 139. sqq.: „Et iam Fama volans, tanti praenuncia luctus, Euandrum Euandrique domos et moenia complet, Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat." XII, 582.: „Bis iam Italos hostes." Ge. III, 401.: „Quod surgente die mulsere — —: quod iam tenebris." Huc refer etiam Aen. V, 46. sqq.:

> Annuus exactis completur mensibus orbis,
> Ex quo reliquias divinique ossa parentis
> Condidimus terra, maestasque sacravimus aras.
> Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
> Semper honoratum, sic di voluistis, habebo.

2. Hinc saepe cum negandi Particulis iunctum invenitur. Ge. III, 252.: „Ac neque eos iam frena virum — retardant;" quae videlicet antea satis fuerant valida ad coercendum. ib. 548.: „Praeterea iam nec mutari pabula refert;" i. e. quod alias prodest. Aen. I, 556.: „Sin absumta salus — — nec spes iam restat Iuli;" i. e. si spes, quae antea fuit, abiicienda est. III, 260.: „nec iam amplius armis, (*ut antea*) sed votis — iubent exposcere pacem." IV, 431.: „Non iam coniugium — oro;" quod antea sperabam. V, 194.: „Non iam prima peto;" quae antea sperabam. ib. 633.: „Nullane iam Troiae dicentur moenia?" i. e. deponendane spes tam diu retenta? IX, 515.: „Nec iam sufficiunt;" antea suffecerant. XI, 71.: „Nec iam mater alit tellus;" ut ante. Huc refer etiam X, 881.: „Desine: iam venio moriturus;" *nam*, quod libri plerique praebent, ex ultima praegressi vocabuli syllaba natum, languet; *iam*, i. e. Desine dictis me terrere: non potest quidquam amplius terrere moriturum.

3. Hinc iungitur Imperativis, sive desinere aliquid, sive incipere iubentibus, quod antea vel fiebat, vel non fiebat. Ecl. VIII, 61.: „Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus." Aen. II, 148.: „Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graecos." III, 41.: „Quid miserum, Aenea, laceras? Iam parce sepulto." VI, 629.: „Sed iam age, carpe viam." XI, 373.: „Nos, animae viles, Sternamur campis; et iam tu, si qua tibi vis, — — illum adspice contra."

4. item Comparativis Adiectivorum et Adverbiorum. Aen. II, 705.: „et iam per moenia clarior ignis Auditur." VI, 304.: „Iam senior." XII, 179.: „Saturnia Iuno Iam melior, iam, diva, precor." ib. 239.: „Iam magis atque magis."

5. Porro *iam* de eo, quod nondum est, sed fiet aliquando. Aen. I, 272.: „Hic iam ter centum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea." IV, 566.: „Iam mare turbari — saevasque videbis Collucere faces, iam fervere litora flammis." VI, 676.: „Hoc superate iugum; et facili iam tramite sistam." VIII, 42.: „Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum, Litoreis sub ilicibus — ingens sus — iacebit." XI, 708.: „pugnaeque adcinge pedestri: Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem." — Inde *iam* in praeceptis, quae nos ignota nobis antea edocent. Ge. IV, 253.: „Quod iam non dubiis poteris cognoscere signis." ib. 264.: „Hic iam galbaneos suadebo incendere odores."

6. *Iam* cum aliis Particulis temporalibus iunctum eandem retinet vim comparandi. *Iam olim, Iam tum:* Ge. II, 403.: „Ac iam olim, seras posuit quum vinea frondes, Iam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus." Aen. VII, 643.: „quibus Itala iam tum Floruerit terra alma viris." VIII, 349.: „Iam tum religio pavidos terrebat agrestes." X, 533.: „iam tum, Pallante peremto." Adde Ge. III, 205.: „Tum demum — corpus Crescere iam domitis sinito;" *iam domitis* epexegesis verborum *Tum demum;* quare illa rectius commatis includentur. — *Iam nunc:* Ge. I, 42.: „votis iam nunc adsuesce vocari." Aen. VIII, 174.: „iam nunc sociorum adsuescite mensis." — *Nunc iam:* Aen. VI, 817.: „Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris." — *Quum iam:* Ge. I, 450.: „emenso quum iam decedet Olympo." Aen. II, 112.: „Praecipue quum iam hic — Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi." XII, 821.: „obtestor, — quum iam connubiis pacem felicibus — Component, quum iam leges et foedera iungent, Ne iubeas" cet. — *Ubi iam:* Ge. I, 209.:

Digitized by Google

Libra dies somnique pares ubi fecerit horas, Et medium luci atque umbris iam dividit orbem." — *Iam tandem:* Aen. VI, 61.: „Iam tandem Italiae fugientes prendimus oras." X, 890.: „Multa movens animo iam tandem erumpit." XII, 497.: „Iam tandem invadit medios." ib. 800.: „Desine iam tandem." — *Iam denique:* Aen. II, 70.: „aut quid iam misero mihi denique restat?" — His adde Aen. VI, 385.: „Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda."

7. *Iam* non raro ponitur, ubi ex comparatione duorum temporum tempus rei gestae constituitur. Quod ubi fit, praegressum *iam* plerumque excipit *quum*. Hic tenendum, *iam* poni, (ut Aen. VII, 105.: „iam Fama per urbes Ausonias — *illa responsa* — tulerat, quum Laomedontia pubes — ripae religavit ab aggere classem.") ubi alterum enuntiati membrum priori, contra *iamque*, ubi prius illustrando alteri servit. Aen. III, 135.: „Iamque fere sicco subductae litore naves, — — subito quum tabida membris — venit — Arboribusque satisque lues." ib. 588.: „Postera iamque dies surgebat —: Quum subito e silvis — Ignoti nova forma viri — Procedit." ib. 521.: „Iamque rubescebat — Aurora —: Quum procul — videmus Italiam." V, 159.: „Iamque propinquabant —: Quum — Gyas — compellat — Menoeten." ib. 327.: „Iamque fere — sub ipsam Finem adventabant: levi quum sanguine Nisus Labitur." ib. 835.: „Iamque fere mediam caeli nox humida metam Contigerat: — — Quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris" cet. VII, 25.: „Iamque rubescebat radiis mare —: Quum venti posuere." ib. 160.: „Iamque — tecta Latinorum Ardua cernebant: — — Quum praevectus equo" cet. X, 260.: „Iamque in conspectu Teucros habet —: clipeum quum deinde sinistra Extulit." — Huic *Iamque* interdum adiicitur *adeo:* Aen. II, 567.: „Iamque adeo super unus eram: quum — Tyndarida adspicio." V, 268.: „Iamque adeo donati omnes: quum Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat." ib. 864.: „Iamque adeo scopulos Sirenum (classis) advecta subibat: — — Quum pater omisso fluitantem errare magistro Sensit." — *Et iam* pro *Iamque:* Aen. I, 223.: „Et iam finis erat: quum Iupiter aethere summo Despiciens mare velivolum terrasque — vertice caeli Constitit" cet. II, 254.: „Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat A Tenedo —: flammas quum regia puppis Extulerat," cet. — Omittitur *quum* in altero enunciato: Aen. IX, 459.: „Et iam Aurora novo spargebat lumine terras, — —: Turnus in arma viros — Suscitat." X, 215. sqq.:

Iamque dies caelo concesserat, almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum;

Digitized by Google

Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
A t q u e illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum.

Hic poetae in animo erat, ita pergere: „Q u u m illi medio in spatio“ etc. vid. Q. V. XXXV, 22. — Denique non praetereundum *Interea —: iam:* Aen. XI, 182.: „Aurora i n t e r e a miseris mortalibus almam Extulerat lucem —: I a m pater Aeneas, i a m curvo in litore Tarchon Constituere pyras;“ sic enim haec interpungenda.

8. Porro *iam* de rerum temporumque vicibus et processu, quod est nostrum *bald, bereits.* Ge. III, 360. sq.: „Concrescunt subitae currenti in flumine crustae, Undaque i a m tergo ferratos sustinet orbes.“ IV, 490.: „Eurydicenque suam i a m luce sub ipsa Respexit.“ Aen. I, 302.: „Et i a m iussa facit.“ ib. 419.: „Corripuere viam interea —. I a m que adscendebant collem.“ VI, 81.: „Ostia i a m que domus patuere.“ ib. 477.: „I a m que arva tenebant ultima.“ VII, 53.: „filia — I a m matura viro, i a m plenis nubilis annis.“ ib. 637.: „Classica i a m que sonant.“ VIII, 24.: „Omnia pervolitat (*tremulum lumen*) late loca; i a m que sub auras Erigitur summique ferit laquearia tecti.“ ib. 585.: „I a m que adeo exierat portis equitatus apertis.“ IX, 25.: „I a m que omnis campis exercitus ibat apertis.“ ib. 689.: „Et i a m collecti Troes glomerantur eodem.“ XI, 766.: „Hos aditus, i a m que hos aditus, omnemque pererrat Circuitum.“ — Inde quandam celeritatis notionem videtur traxisse XII, 391.: „I a m que aderat Phoebo dilectus lapis.“

9. Hinc *iam* in progrediente rerum narratione transitioni servit. Ge. II, 57.: „I a m quae seminibus iactis se sustulit arbos, Tarda venit.“ III, 541.: „I a m maris immensi prolem — Litore in extremo — fluctus Proluit.“ Aen. XI, 100.: „I a m que oratores aderant;“ *unterdess waren sie gekommen.* — Fortius est et gravius *Iam vero:* XI, 213.: „I a m v e r o in urbe Latini Praecipuus luctus.“ XII, 704.: „I a m v e r o et Rutuli, — et Troes et omnes Convertere oculos Itali.“ — Hinc etiam, ubi a re generatim posita ad singula transitur: XI, 486. sqq.: „Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus. I a m que adeo Rutulum thoraca indutus aenis Horrebat squamis, surasque incluserat auro, — laterique adcinxerat ensem.“ XII, 328 — 341.: „Multa virum volitans dat fortia corpora leto; — — —. I a m que neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque.“

10. Comparatio inesse videtur etiam in illo, Aen. VI, 89.: „a l i u s Latio i a m partus Achilles.“ Iunge *alius iam*, i. e. novus, *schon wieder ein Achill.* Vid. Ruhnken. ad Vellei. II, 82. Sic apud Suetonium: *alius Nero,* i. e. *wieder ein Nero;* apud

Digitized by Google

Curtium: *alius Bacchus*, *wieder ein Bacchus*, comparata inter se Alexandri et Bacchi expeditione. Cfr. Eleg. ad Messal. p. 76. sq. et notata ad Ecl. II, 73. Retinet in eiusmodi oratione *alius* propriam diversa indicandi potestatem; cfr. prae ceteris Liv. IX, 2. Hinc ἄλλος δεύτερος iungi vides ab Eurip. Troad. 620. Matth.: „ἄλλος τις Αἴας, ὡς ἔοικε, δεύτερος παιδὸς πέφηνε σῆς."

11. *Iam iam* de eo dicitur, quod modo futurum: Aen. VI, 602.: „atra silex iam iam lapsura — Imminet." VIII, 708.: „Ipsa videbatur ventis regina vocatis Vela dare, et laxos iam iamque immittere funes;" i. e. videbatur modo velle vela dare cet. XII, 754.: „vividus Umber Haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti Increpuit malis." — Tum de eo, quod pro praesenti rerum statu faciendum: Aen. II, 701.: „Iam iam nulla mora est: sequor, et, qua ducitis, adsum." XII, 676.: „Iam iam fata, soror, superant; absiste morari." ib. 875.: Iam iam linquo acies;" i. e. video rem eo deductam, ut nulla mora interponenda; ut fatis cedendum; ut pugna relinquenda sit. — *Iam iam* cum Comparativo Aen. XII, 940.: „Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo Coeperat —: Quum" cet. — Doloris quandam significationem habere videtur Aen. IV, 371.: „Iam iam nec maxima Iuno — oculis haec adspicit aequis;" cfr. de vi vocc. repetitorum Eleg. ad Messal. p. 13. — Denique *iam iam* divisim scribendum esse, contra quam vulgo fit, indicio est, quod saepe legitur *iam iamque*.

QUAESTIO XXV.

De Adverbio *Tum*, *Tunc*.

1. De Adverbiis *tum* et *tunc* docta est disputatio Fr. Lindemanni: De Adverbio Latino Spec. I. Quem sequitur Iahnius, ad Ecl. III, 10. ita scribens: „*Tunc*, uti nostrum *damals* est temporis particula, atque ponitur, ubicunque sola et certa temporis monstratio exprimitur. *Tum* autem, *alsdann*, *da*, proprie quidem de ordine, sed etiam de tempore dicitur, siquidem praeter temporis notionem etiam ordinis et consecutionis vis inest." Atque ita Caper p. 2241.: „*Tunc* temporis adverbium, *Tum* ordinis est." Aliter statuit I. H. Vossius, ad Tibull. I, 1, 21. ita scribens: *tunc* ante vocales, *tum*, nisi ubi opus sit elisione, ante consonas poni a poetis. Cui adversatur Wun-

Digitized by Google

derlich. ad eund. locum. Vid. etiam eandem rem tractantes Weichert. Ep. crit. p. 37. sq. Hand. ad Stat. Silv. p. 363. Huschk. ad Tib. I, 1, 21. 8, 45. et pag. 732. Bach. ad Tibull. I, 1, 21. Lachm. ad Propert. I, 7. 21. Veritas in medio posita videtur. Itaque haec puto tenenda: *a*) *tunc* non esse idem, quod *tum* proprie dictum, neque huius loco substitui posse *tunc;* *b*) *tum* modo diversum esse ab illo, modo idem valere; *c*) *tunc* non poni nisi ante vocales, quando elisio fugienda; praeterea *tum*, quod mollius, requiri. Haec quam late pateant, non est meum explicare; iisdemque hic, quibus fere alias, finibus me regi patiar, ut intra Virgilii opera contineam disputationem meam.

2. Quam facile *tum* in *tunc* a librariis mutari potuerit, sponte intelligitur; cfr. §. 4. Iam si ea varietas non nisi eiusmodi locis reperiretur, ubi eam hoc Adverbium sustinet potestatem, quae propria est formae *tunc*, nullus dubitarem, quin illud, quod statuitur discrimen, etiam a poetis constantius observatum sit. At enim etiam, ubi *tum* requiritur, non raro in libris mss. *tunc* invenitur; velut Ecl. II, 49.: „Tum casia intexens, — Mollia luteola pingit vaccinia caltha;" i. e. praeterea, porro. Aen. I, 335.: „Tum Venus;" de respondente. ib. 594.: „Tum sic reginam adloquitur;" i. e. *darauf*. III, 223.: „Irruimus — vocamus —; tum litore curvo Exstruimusque toros," cet. IV, 222.: „Audiit omnipotens — Tum sic Mercurium adloquitur." V, 659.: „Tum vero adtonitae monstris — rapiunt ignem." VII, 614.: „Ipse (*consul*) vocat pugnas; sequitur tum cetera pubes." VIII, 154.: „Ille — lustrabat — Tum sic pauca refert." Adde VIII, 285. IX, 234. X, 663. XI, 122. 336. 475. 633. 724. cet. His locis omnibus alii codd. *tum* habent, alii *tunc*.

3. Certa quidem auctoritas formae *tunc* ex iis accedit locis, ubi vocalis subiecta:

Ge. I, 136.: Tunc alnos primum fluvii sensere.
Aen. II, 246.: Tunc etiam fatis aperit Cassandra — Ora.
III, 234.: Sociis tunc, arma capessant, Edico.
V, 808.: Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean rapui.
VI, 503. sqq.: Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui.
X, 517.: mensae, quas advena primas Tunc adiit.

Aen. XI, 207. sqq.: Cetera confusaeque ingentem caedis acervum,
Nec numero, nec honore, cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.

Tum, temporis Adverbium, quum proprium habeat locum, ubi a praegresso tempore ad insequens progredimur, *tunc* certum quoddam tempus vel praeteritum, vel praesens, vel futurum indicat, nulla aut praegressi aut subsequentis temporis ratione habita; quod nos per *damals*, vel per gravius pronunciatum *da* exprimimus. Quod vere a me disputatum esse, luculenter testantur exempla modo laudata; nec plura apud Virgilium exstare puto.

4. Restat disputationis meae pars altera, qua mihi probandum sumsi, *tum* dici etiam pro *tunc*, nec formam *tunc* admitti ante consonam. Qua in re disceptanda illud molestum est, quod, qui minus ad credendum proclives sunt, fortasse non dubitabunt, codicum fidem, ubicunque eos ad testimonium vocaveris, suspectam reddere, nimis facile literas *NC* in *M* abire potuisse dictitantes. At primum, *tunc* saepe exaratum esse a librariis, ubi *tum* requiritur, supra exemplis demonstratum est, cfr. §. 2.; deinde etiam facilius *tum* in *tunc* mutari potuisse intelliges, si virgas literae M apud veteres non rectas fuisse memineris, sed inflexas, hunc in modum *M*, quod in fragmento carminis inter reliquias Herculanenses T. II. Voll. Herculanensium descripto videre licet. Unde perspicitur, quam similis illa huius literae forma fuerit literis *NC*. Contra posterior aetas, id quod specimina scripturae ex antiquissimis codd. Virgilianis a Fogginio et a Bottario prolata testantur, rectas literarum formas pro rotundioribus amplexa, ei erat literae M formae adsueta, quae propius accedit ad eam, quam nostrae typorum officinae exhibent. Quae quum ita sint, minime mirum videbitur, si vel in veterrimis, qui exstant, libris manu scriptis hac in re interdum peccatum fuerit.

5. *a*) At enimvero ipse Virgilius litem dirimit propugnatoribus formae *tum* intentam. En enim Ge. II, 405.: „Iam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus.“ et Aen. VII, 616.: „Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus More iubebatur.“ Quibus quidem locis non erit qui dubitet, quin *tum* eam vim sustineat, quam *tunc*. Ubi si quis scribendum censeat: *Tunc acer, Hoc tunc Aeneadis*: is vereor ne arte critica ad ludibrium abutatur. Iam horum exemplorum quasi subsidio muniti facilius conficere poterimus reliqua. Ac videat iam meus Iahnius, qui Ecl. III, 10. *tunc* pro *tum* contra librorum fidem invexit, quomodo sibi constet in ceteris. Primum afferam eos locos, quibus *tunc* ante consonas servatur etiam in recentioribus Editio-

Digitized by Google

nibus, Heinsiana maxime, Burm. et Heyn. Ge. I, 341. sq. editur: „Tunc pingues agni, et tunc mollissima vina; Tunc somni dulces." Sed ter ibi Medic. *tum;* etiam Serv. Dresd. *Tum p. a.* Lips. autem obl. *Tunc agni pingues, et tum m. v. Tum s. d.* Male Lips. alt. *Cum p. a. et tunc m. v. Cum s. d.* Qua auctoritate ter repetitum *tunc* nitatur, non indicant editores; nimis harum scilicet minutiarum negligens est Nic. Heinsius. Editiones variant; Heinsianae quidem ai. 1664. et 1724., quae modo sunt ad manum, ter praebent *tum*, quod reduxi; *tunc* debetur iis, qui *agni* ad secundam sedem retraxerunt; vid. ibi ab Heynio et a me notata. — Ge. I, 455.: „Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis Fervere;" at Medic. Rom. Serv. Dresd. et uterque Lips. *tum;* neque constat, unde *tunc* illatum sit. — Aen. IV, 408.: „Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?" ita Medic., idem inveni in Lips. obl.; at *tum* commendat cod. Gud. cum aliis praeclaris libris apud Heinsium. — IX, 526.: „Quas ibi tunc ferro strages — Ediderit;" sic eo loco Medic. cum aliis nonnullis; at fragm. Vatic. cum ceteris *tum.* — Aen. XI, 72.: „Tunc geminas vestes — Extulit Aeneas;" male sic editur, diserte notante Heinsio, *tum* scriptos habere; et sic Medic. cum utroque Lips. — Quare nullus dubito, quin ne Aen. VIII, 566. quidem: „Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes Abstulit haec animas dextra:" *tunc* in textu relinqui debeat. Ubi si nulla varietas exscripta est ab Heinsio, minus diligenter fortasse eo loco, ut assolet, provinciam administravit a se susceptam. Sane quidem in Medic. et utroque Lips. *tunc* ibi visitur; *tum* tamen invenio in Edit. Steph. a. 1532. et Plantin. 1575., quas dum haec scribo, solas ex antiquioribus manu tractare licuit.

5. *b*) Laudavi supra, §. 3., Ge. I, 136. En totum locum:

Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
— — — — — — —
Tum laqueis captare feras et fallere visco
140. Inventum.
143. Tum ferri rigor,
145. Tum variae venere artes.

Nulla hic notatur varietas, nisi quod vs. 139. *tunc* in Medic. a m. pr.; manus secunda *tum* refinxit. Memorabilis hic locus, quod unum *tunc* quater excipit *tum*, ita tamen, ut nulla in his mutuae successionis notio deprehendatur. — De Ge. IV, 187.: „tum tecta petunt, tum corpora curant," vid. notata ad eum versum*).

*) Iam per literas Freytagii edoctus comperi, in ipso Mediceo sic exstare: „*tum* tecta petunt, *tunc* corpora curant.

Digitized by Google

Recte ibi *tum* editur; Lips. obl. *cum t. p., tum c. c.;* Lips. alt. *tunc t. p. tum c. c.* Ac ne quis forte putet, *tunc tecta tunc tamen*, (Aen. VIII, 566. paulo ante laud.) suavius ad aures accidisse, *tum* litera *t* subsequente exstat Ge. I, 215.: „tum te quoque, Medica, putres Accipiunt sulci." III, 335.: „Tum tenues dare rursus aquas" cet. Aen. I, 18.: „iam tum tenditque fovetque." V, 577.: „Tum Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum." IX, 812.: „tum toto corpore sudor Liquitur." Quibus locis sicubi in quibusdam libris *tunc* legitur, dudum hoc e praestantioribus codd. ab Editoribus emendatum est. Idem factum Ecl. IX, 67. Ge. II, 325. 328. 368. III, 248. 474. IV, 523. Aen. IV, 597. V, 199. VII, 92. VIII, 100. 349. sq. 397. IX, 183. 649. X, 94. 663. cet. Vid. infra §. 6. Quibus locis saepe deterrimi tantum libri *tunc* exhibent. Cfr. etiam, quae supra §. 2. excitavi. Adiiciam praeterea, tamquam cumulum, aliquot locos, ubi, quum ex ista regula *tunc* scribendum fuisset, librorum consensus, quantum quidem ex silentio Editorum colligi potest, *tum* tuetur: Aen. I, 18. III, 194. V, 866. VII, 126. 620. 643. VIII, 160. 222. IX, 590. X, 14. bis. 533. XI, 33. XII, 135. cet. Vid. infra §. 6. Quum autem innumeris locis *tum* apud Virgilium legatur, ac librarii saepissime *tum* in *tunc* converterint, mirari subit Medicei codicis praestantiam, in quo, si recte, ut puto, notavi omnia, praeter Aen. IV, 408. VIII, 566. IX, 526. supra laudd. (nam Ge. I, 139. vix licet addere) non nisi his locis erratum est: Ge. II, 317. 368. III, 474. IV, 187. Aen. I, 357. V, 199. 455. VII, 614. XI, 122*). Ex his Aen. I, 357. V, 455. VII, 614. et XI, 122. *tum* aperte flagitant; praeterea Ge. II, 317. IV, 187. Aen. I, 357. V, 199. et VII, 614. *tunc* proximo vocabulo a litera *c* incipienti debetur; sed V, 199. et 455. in ipso codice *tum* restituit secunda manus; XI, 122. a m. pr. exaratum *hunc* fuerat; denique Ge. II, 368.: „Exierint: tunc stringe comas, tunc brachia tonde:" tanta est soni durities, ut nemo facile futurus sit, qui talia ferat in carmine longe politissimo; praeterea *tum* proximo versu legitur: „tum denique dura Exerce imperia."

6. De significatu Adverbii *tum* quamquam iam dictum est, enucleatius tamen dicendum erit.

a) *Tum* designat certum quoddam ac definitum tempus, sive praeteritum, sive praesens, sive futurum. Ecl. VIII, 39.: „Alter ab undecimo tum me iam ceperat annus." Ge. I, 215.: „Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres Accipiunt sulci." ib. 341. sq. vid. §. 5. a). II, 324—28.: „Vere tument terrae—.

*) Aen. IV, 222. *Tunc* typothetae errore pro *Tum* exaratum apud Foggin., correctum ab ipso pag. 459.

Tum pater omnipotens — Coniugis in gremium descendit — : Avia tum resonant avibus virgulta canoris." III, 474.: „Tum sciat, aerias Alpes — si quis — Nunc quoque post tanto videat." ib. 193.: „tum cursibus auras, Tum vocet." ib. 248. sq.: „tum saevus aper, tum pessima tigris; Heu! male tum Libyae solis erratur in agris." Aen. IV, 189.: „Haec (*Fama*) tum multiplici populos sermone replebat." ib. 693.: „Tum Iuno omnipotens — Irim demisit Olympo." V, 148.: „Tum plausu fremituque virum — Consonat omne nemus." ib. 199.: „tum creber anhelitus artus — quatit." ib. 461.: „Tum pater Aeneas procedere longius iras — haud passus." ib. 685.: „Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem." VI, 171.: „Sed tum, forte cava dum personat aequora concha, — Triton immerserat unda." ib. 192.: „Tum maximus heros Maternas agnoscit aves." ib. 898.: „His ubi tum natum — Prosequitur dictis." VIII, 160.: „Tum mihi prima genas vestibat flore iuventa." ib. 566. vid. §. 5. a). IX, 526.: „adspirate canenti, Quas ibi tum strages Turnus — Ediderit." ib. 812.: „tum toto corpore sudor Liquitur." X, 663.: „Tum levis haud ultra latebras iam quaerit imago." XI, 759.: „tum fatis debitus Arruns — Camillam Circuit."

Tum primum: Aen. VIII, 222.: „Tum primum nostri Cacum videre timentem." IX, 590.: „Tum primum bello intendisse sagittam Dicitur Ascanius." — *Tum — ut:* Aen. XII, 218.: „Rutulis impar ea pugna videri Iam dudum —; Tum magis, ut propius cernunt." — *Tum — quum:* Ecl. IX, 67.: „Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus." Aen. XI, 379.: „tum, quum bella manus poscunt." Ge. IV, 523.: „Tum quoque, marmorea caput a cervice revulsum — quum Oeagrius Hebrus Volveret." — *Quum — tum:* Ge. III, 196. sqq.: „Hyperboreis Aquilo quum densus ab oris Incubuit —: tum segetes horrescunt." II, 403. sqq.: „Ac iam olim, seras posuit quum vinea frondes, — — Iam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus." Aen. I, 148. sqq.: „Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est Seditio, saevitque animis ignobile vulgus; Iamque faces et saxa volant; furor arma ministrat: Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent," *cet.* VII, 124. sqq.: „Quum te, nate, fames — — Adcisis coget dapibus consumere mensas, Tum sperare domos — memento." — *Dum — tum:* Aen. IX, 539. sq.: „Dum se glomerant, — — tum pondere turris Procubuit subito." — *Postquam — tum:* Aen. III, 192. sqq.: „Postquam altum tenuere rates, — — Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber." — *Ubi — tum:* Ge. I, 446. sqq.: „ubi pallida surget — Aurora — Heu! male tum mites defendet

Digitized by Google

pampinus uvas." IV, 187.: „Vesper ubi admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant." ib. 405. sq.: „Verum ubi correptum — tenebis, Tum variae eludent species."

Hinc per *tum* varia inter se comparantur tempora: Aen. I, 18.: „iam tum tenditque fovetque." VII, 643.: „quibus Itala iam tum Floruerit terra alma viris." X, 533.: „iam tum Pallante peremto." VIII, 349. sq.: „Iam tum religio pavidos terrebat agrestes Dira loci; iam tum silvam saxumque tremebant." — IX, 183.: „Tum quoque communi portam statione tenebant." VIII, 397.: „Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset." — VII, 92.: „Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus." ib. 616. vid. §. 5. a). — Ge. III, 205.: „Tum demum — corpus Crescere, iam domitis, sinito." Aen. VI, 330.: „Tum demum admissi stagna exoptata revisunt." — IV, 597.: „Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt? Tum decuit, quum sceptra dabas." VIII, 100.: „tecta vident; quae nunc Romana potentia caelo Aequavit; tum res inopes Euandrus habebat." XII, 135.: „qui nunc Albanus habetur, Tum neque nomen erat, nec honos." X, 14.: „Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit; Nunc sinite." ib. 94.: „Tum decuit metuisse tuis; nunc sera querelis Adsurgis." — IX, 647. sqq.: „Hic Dardanio Anchisae Armiger ante fuit, — Tum comitem Ascanio pater addidit." XI, 31. sqq.: „Euandro Armiger ante fuit; sed non felicibus aeque Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno." — V, 865. sq.: „scopulos Sirenum advecta subibat, Difficiles quondam, — Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant."

b) *Tum* indicat tempus tempori, rem rei succedentem: Ge. I, 181.: „Nec subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat; Tum variae illudant pestes." Aen. V, 244.: „Tum satus Anchisa — victorem Cloanthum declarat." ib. 409.: „Tum senior tales referebat pectore voces." ib. 424.: „Tum satus Anchisa cestus pater extulit aequos." ib. 500.: „Tum validis incurvant viribus arcus." VI, 3.: „Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci Ancora fundabat naves." ib. 66 — 69.: „da — Latio considere Teucros —: Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum Instituam." ib. 176.: „Tum iussa Sibyllae, Haud mora, festinant." XI, 336.: „Tum Drances surgit." Adde V, 348. VII, 152. 292. VIII, 35. 126. 179. 328. 330. 503. 532. 624. IX, 702. X, 100. 116. 154. 228. 342. 399. 466. 554. XI, 92. cet. — Hinc crebro *tum* de respondente: Aen. I, 335.: „Tum Venus." III, 102.: „Tum genitor." V, 26.: „Tum pius Aeneas." VI, 713.: „Tum pater Anchises." VII, 552.: „Tum contra Iuno." VIII, 115.: „Tum pater Aeneas." X,

Digitized by Google

62.: „Tum regia Iuno." XI, 122.: „Tum senior Drances — Orsa refert." cet. vid. etiam §. 2.

c) Frequens *tum* etiam in enumeratione et descriptione. Ecl. II, 45 — 50.: „tibi lilia — Ecce, ferunt Nymphae; tibi candida Nais, Pallentes violas et summa papavera carpens, Narcissum et florem iungit bene olentis anethi; Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis, Mollia luteola pingit vaccinia caltha." Ge. III, 227.: „Multa gemens, ignominiam, plagas, tum quos amisit inultus amores." ib. 352 — 57.:

Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae
Aut herbae campo adparent aut arbore frondes,
Sed iacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque adsurgit in ulnas;
Semper hiems, semper spirantes frigora cauri.
Tum Sol pallentes haud unquam discutit umbras," *cet.*

Aen. VI, 20.: „In foribus letum Androgei; tum pendere poenas Cecropidae iussi." ib. 273. sqq.:

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
Pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus,
Et Metus, et male suada Fames, ac turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia," *cet.*

ib. 575. sqq.:

Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum," *cet.*

VII, 72. sqq.:

Ut iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas!) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque adcensa comas, adcensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi."

ib. 446. sqq.:

At iuveni oranti subitus tremor occupat artus;
Diriguere oculi: tot Erinys sibilat hydris,

Digitized by Google

Tantaque se facies aperit. Tum, flammea torquens
Lumina, cunctantem et quaerentem dicere plura
Repulit.

Adde Ge. I, 388. II, 296. Aen. I, 104. 164. II, 697. III, 228. IV, 250. VII, 580. 670. VIII, 285. IX, 715. X, 103. XI, 475. 601. 724. 775. XII, 591. 906 — 14.

d) Ut autem non raro *tum* vividiorem reddit orationem, sic haec eius vis inprimis cernitur adiecto Adverbio *vero*. Semper enim *Tum vero* animum vehementius affectum indicat, ut concitationem quandam animorum aut alacritatem gaudiumque: Ecl. VI, 27.: „Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus." Aen. II, 105.: „Tum vero ardemus scitari et quaerere causas," cet. IV, 397.: „Tum vero Teucri incumbunt." V, 227.: „Tum vero ingeminat clamor." VII, 519.: „Tum vero — raptis concurrunt telis." XII, 257.: „Tum vero augurium Rutuli clamore salutant." adde IX, 73. X, 647. XI, 832. XII, 756. — tum dolorem: Aen. I, 485.: „Tum vero ingentem gemitum dedit." V, 172.: „Tum vero exarsit iuveni dolor." — deinde furorem et iram: Aen. V, 659.: „Tum vero adtonitae monstris actaeque furore Conclamant." VII, 376.: „Tum vero infelix — sine more furit." XII, 494.: „Tum vero adsurgunt irae." — porro curam, terrorem, pavorem: Aen. II, 228.: „Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis Insinuat pavor." III, 47.: „Tum vero ancipiti mentem formidine pressus," cet. IV, 571.: „Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris Corripit e somno corpus." V, 720.: „Tum vero in curas animum diducitur omnes." IX, 424.: „Tum vero exterritus." XII, 776.: „tum vero amens formidine Turnus." — denique omnino rem tristem horridamque: Aen. II, 309.: „Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt Insidiae." ib. 624.: „Tum vero omne mihi visum considere in ignes Ilium." XI, 633.: „Tum vero et gemitus morientum," cet. Ge. III, 505.: „Sin coepit — crudescere morbus: „Tum vero ardentes oculi," cet.

7. *Tum* Graeco more, ut *εἶτα*, *ἔπειτα*, aliaque Adverbia, Participiis vel Adiectivis subiicitur, ut Aen. V, 382.: „Nec plura moratus Tum laeva taurum tenet." XII, 5.: „qualis, Saucius ille gravi venantum vulnere pectus, Tum demum movet arma leo." Simile his illud, quod X, 445. legitur: „At, Rutulum abscessu, iuvenis tum iussa superba Miratus stupet in Turno." — Idem licet observare in Adverbio *deinde:* Aen. II, 391.: „Sic fatus, deinde comantem Androgei galeam — In-

Digitized by Google

duitur." V, 14.: „Sic deinde locutus Colligere arma iubet." 400.: „Sic deinde locutus — geminos immani pondere cestus Proiecit." VII, 135.: „Sic deinde effatus frondenti tempora ramo Implicat." VIII, 481.: „Hanc (*urbem*) multos florentem annos rex deinde superbo Imperio tenuit Mezentius." vid. Beier. ad Cic. Off. II, 5, 16. et quos hic laudat. In his *deinde locutus*, *deinde effatus*, notanda transpositio, qualis in notissimo illo Aen. I, 195.: „Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes — Dividit." Denique *sic* participio subiicitur, Graeco more, Aen. I, 225.: „Iuppiter aethere summo Despiciens mare velivolum terrasque iacentes, Litoraque et latos populos, sic vertice caeli Constitit." ubi vid. Not.; adde VII, 668. ibique V. L. et VIII, 488. Eodem modo *hic* Participio subiectum cuipiam videri potest Ge. III, 430.: „ripis habitans, hic piscibus atram ingluviem explet;" sed vid. ibi a me notata.

QUAESTIO XXVI.

De Adverbio *Adeo*.

Adverbii *adeo* multiplex usus apud Comicos; minus varius apud Virgilium. Sed quum saepe huius Adverbii significatio paulo obscurior videri possit, pauca quaedam hic de eo exponere visum est. 1) Primaria Adverbii *adeo* significatio est *usque ad id*, sive *eo*. Sic apud Comicos: „adeo res rediit." — Hinc 2) valet i. q. *tam, tam valde, ita:* Ecl. II, 25.: „Nec sum adeo informis;" nos: *nicht eben so.* Aen. I, 567.: „Non obtusa adeo gestamus pectora Teucri." III, 203.: „Tres adeo incertos soles — Erramus pelago;" nisi *adeo* cum *tres* iungere et ex §. 3. explicare malis. IV, 96.: „Nec me adeo fallit." Adiicitur etiam *usque:* Ecl. I, 12.: „totis Usque adeo turbatur agris." Aen. XII, 646.: „Usque adeone mori miserum est?" — 3) Interdum *adeo* ita ponitur, ut non habeamus, quod in vernaculo sermone ei respondeat, solaque soni vocisque intentione a nobis exprimi possit, ut Aen. VII, 427.: „Haec adeo tibi me, — — Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit;" ubi Servius reddit per *valde*. ib. 629.: „Quinque adeo magnae positis incudibus urbes Tela novant." De III, 203. vid. §. 2. — 4) Temporalibus Particulis *nunc* et *iam* iunctum intendit earum vim: Aen. II, 567.: „Iamque adeo super unus eram." V, 268.: „Iamque adeo donati omnes." 864.:

Digitized by Google

Iamque adeo scopulos Sirenum advecta (*classis*) subibat." VIII, 585.: „Iamque adeo exierat portis equitatus apertis." XI, 275.: „Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt Tempore." ib. 487.: „Iamque adeo Rutulum thoraca indutus aenis Horrebat squamis." Potest his locis *adeo* reddi per *bereits*. XI, 314.: „Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti, Expediam." IX, 156.: „Nunc adeo, quoniam melior pars acta diei, — corpora Procurate." *Adeo* de tempore etiam absque illis Particulis: Ecl. IV, 11.: „Teque adeo decus hoc aevi, te Consule inibit." — 5) Adverbio loci adiectum *adeo* legitur Ecl. IX, 59.: „Hinc adeo media est nobis via;" nostrum *gerade*. — 6) Interdum valet fere id, quod *etiam;* nisi quod gravius est *adeo;* sed ita tantum in Georgicis legitur, nusquam, si recte memini, in Aeneide. Ge. I, 24.: Tuque adeo," post multos invocatos. ib. 94.: „Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes, — iuvat arva." ib. 287.: „Multa adeo gelida melius se nocte dedere." II, 323.: „Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis." IV, 197.: „Illum adeo placuisse apibus mirabere morem," cet. III, 242.: „Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque In furias ignemque ruunt:" *ja das ganze Geschlecht*. — 7) *Vix adeo*, nostrum *kaum noch:* Aen. VI, 498.: „Vix adeo agnovit pavitantem et dira tegentem Supplicia" (*Deiphobum*). — 8) Per *ergo*, *igitur*, explicant *adeo* Aen. IV, 533.: „Sic adeo insistit." Cfr. Parei Lex. Plaut. eiusque Lex. Crit. sub ea voce. Nunc video Handium in Tursellino p. 146. illud *Sic adeo* interpretari οὕτω γε.

QUAESTIO XXVII.

De Adverbio *Ultro*.

1. *Ultra* et *Ultro* Ablativi sunt obsoleti Adiectivi *Ulter*, ὁ πέραν. Iam *ultra* proprie de loco, *ultro* de motu dicitur; sed invaluit usus, ut *ultra* etiam motum indicaret. Obscuriora paulo sunt in voce *ultro* propriae vestigia significationis, quae duplex est; valet enim *ultro* vel εἰς τὸ πέραν, vel περαιόθεν. Ex priore hanc adscivit potestatem, ut sit fere i. q. *insuper, adeo:* Ge. IV, 203. sq.: „Saepe etiam duris errando in cotibus alas Attrivere, (*apes*) ultroque animam sub fasce dedere." Aen. V, 55.: (Gaetulis agerem si Syrtibus exsul, Annua vota tamen Exseque-

rer) Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis, Haud sine — numine divum Adsumus." IX, 123. sqq.:

> Obstupuere animi Rutulis; conterritus ipse
> Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
> Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
> At non audaci cessit fiducia Turno;
> Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
> „Troianos haec monstra petunt." *cet.*

Quare *ultro* interdum de eo, qui contrarium facit ei, quod alias facere solent vel facere debere videntur: Ecl. VIII, 52.: „Nunc et oves *ultro* fugiat lupus." Ge. IV, 265.: „Mella (*suadebo*) arundineis inferre canalibus, ultro Hortantem et fessas (*apes*) ad pabula nota vocantem." Aen. VII, 236.: „Multi nos populi, multae (ne temne, quod ultro Praeferimus manibus vittas et verba precantia) Et petiere sibi et voluere adiungere gentes." IX, 676.: „(Portam — recludunt) ultroque invitant moenibus hostem." ib. 729.: „Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi."

2. *Ultro* quum est i. q. περαιόθεν, proprie dictum a veterrimis videtur de hoste ex ulteriore loco veniente et bellum inferente; hinc *ultro petere aliquem*, *ultro lacessere*, *ultro accusare*, et similia. Aen. II, 193.: „Ultro Asiam Pelopea ad moenia bello Venturam." X, 282.: „ultro occurramus ad undam, Dum trepidi labant." ib. 312.: „virum qui maximus ultro Aenean petit." XI, 286.: „(Si duo praeterea tales Idaea tulisset Terra viros,) ultro Inachias venisset ad urbes Dardanus." — Hinc omnino *ultro* de eo, qui non lacessitus, non provocatus, non rogatus aliquid facit: Ecl. III, 66.: „At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas." Aen. III, 155.: „tua nos en ultro ad limina mittit." V, 446.: „Entellus vires in ventum effudit, et ultro Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto Concidit;" non prostratus ab adversario. XI, 471.: „Multaque se incusat, qui non acceperit ultro Aenean." His adde IX, 7.: „quod optanti divum promittere nemo Auderet, volvenda dies, en, adtulit ultro." XII, 3.: „(Turnus, ut videt) Se signari oculis; ultro implacabilis ardet, Attollitque animos:" ultro se offert certamini cum Aenea subeundo. — Porro, qui non prior compellatus aliquem alloquitur: Ge. IV, 530.: „namque ultro affata timentem." Aen. II, 279.: „ultro, flens ipse, videbar Compellare virum." ib. 372.: „ultro verbis compellat amicis." IV, 304.: „Tandem his Aenean compellat vocibus ultro." VI, 387.: „Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro." Adde VI, 499. X, 606. — Tum de eo, qui se prior alteri con-

Digitized by Google

spiciendum praebet: Aen. II, 59.: „qui se ignotum venientibus ultro Obtulerat." VIII, 611.: „Talibus adfata est dictis, seque obtulit ultro." — Denique singulare est, quod Aen. II, 145. legitur: „His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro;" quod Heynius explicat *libenter*, *facili promtoque animo;* recte, ni fallor; sed quaeritur, quomodo *ultro* in hanc significationem abire potuerit? Nempe quod hic Troiani faciunt, faciunt lacrimis Sinonis commoti; at *ultro* quod facimus, facimus non commoti, non impulsi ab alio. Sed quod non impulsi, non rogati, facimus, id sane facimus libenter fortasse promtoque animo. Itaque fieri potuit, ut interdum sustineret hanc ipsam potestatem etiam ubi alterius precibus aliquid damus. — Scripta haec sunt multo ante editum Vol. III. libri Doederliniani *Lat. Synonyme u. Etymologieen.* Ibi p. 107. ita explicatur hic ipse versus.: „Talibus lacrimis vitam damus et miserescimus vel ultro; nedum rogati, ut ab hoc nunc, duri simus!"

QUAESTIO XXVIII.

Primus, *Primum*, *Primo*.

Primus et *Primum* ordinis est, ordo autem aut numeri, aut loci, aut temporis.

1. *Primus* et *Primum* in enumeratione et expositione rerum, ubi, quod sequi debet, *tum*, *deinde*, saepe omittitur, ut Ge. I, 162.: „Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma, — —: Vomis et inflexi primum grave robur aratri, Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra, Tribulaque traheaeque, et iniquo pondere rastri;" cet. III, 384.: „Si tibi lanitium curae, primum aspera silva Lappaeque tribulique absint; fuge pabula laeta;" cet. Res vulgo nota et usu trita; cfr. etiam §. 3. c).

2. *Primus* de loco: a) Aen. I, 541.: „primaque vetant consistere terra;" i. e. litore. II, 334.: „vix primi proelia tentant Portarum vigiles." ib. 612.: „Iuno saevissima portas Prima tenet;" *,prima*, ut in urbis ingressu. V, 338.: „Emicat Euryalus, et munere victor amici Prima tenet." ib. 341.: „Hic totum consessum — et ora Prima patrum — clamoribus implet;" *prima*, i. e. patrum primas sedes tenentum. VII, 531. et 673.: primam ante aciem," de προμάχῳ. IX, 696.: „is enim se primus agebat." — Hinc de prima alicuius rei parte: Aen. III, 426.: „Prima hominis facies — postrema pi-

strix." IX, 27.: „Messapus primas acies, postrema coercent Tyrrhidae iuvenes."

b) a loco *primus* transfertur ad dignitatem: Aen. VIII, 6.: „Ductores primi, Messapus et Ufens." ib. 105.: „omnes iuvenum primi." IX, 453.: „primis una tot caede peremtis." XI, 331.: „Centum oratores prima de gente Latinos Ire placet." Primi vocantur dei, qui in praecipuo sunt aliquo honore, ut in Ciri vs. 245. Prima deûm Dictynna appellatur a muliere Cressa; quo referes fortasse etiam Aen. XI, 786., de quo vid. §. 3. h. coll. §. 4.

3. *Primus* et *Primum* de tempore:

a) Aen. II, 117.: „Sanguine placastis ventos, — Quum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras." III, 544.: „numina — precamur — Palladis, — quae prima accepit ovantes." ib. 651.: „hanc primum ad litora classem Conspexi Venientem." IV, 28.: „Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores Abstulit." V, 66.: „Prima citae Teucris ponam certamina classis." ib. 491.: „primus — exit locus Hippocoontis. ib. 497.: „Pandare, qui in Achivos quondam primus telum torsisti;" sed hoc potius ad 3, h. spectat. VI, 96.: „via prima salutis — Graia pandetur ab urbe." ib. 255.: „primi sub lumina solis et ortus." VII, 51.: „primaque oriens erepta iuventa est." IX, 603. sqq.: „Durum ab stirpe genus; natos ad flumina primum Deferimus, saevoque gelu duramus et undis; Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant; — — At patiens operum parvoque adsueta iuventus Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello. Omne aevum ferro teritur; nec tarda senectus Debilitat vires animi;" cet. ubi *primum* i. q. *gleich anfangs*. Adde VI, 772. 811. XI, 448. cet.

b) *Primus* et *primum* aliis Adverbiis vel Coniunctionibus temporalibus iunctum. *Tum primum:* cfr. Quaest. XXV, 6, a. — *Nunc primum*, ubi *primum* i. q. *demum:* Aen. II, 375.: „vos celsis nunc primum a navibus itis?" — *Vix primus:* Aen. V, 857.: „Vix primos inopina quies laxaverat artus." — *Primum tandem:* Aen. III, 205.: „Tres adeo incertos soles — Erramus pelago, — Quarto terra die primum se adtollere tandem Visa." — *Dum primus:* Aen. VII, 354.: „Ac dum prima lues udo sublapsa veneno Pertentat sensus." — *Postquam primus:* Aen. I, 723.: „Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae: Crateras magnos statuunt." Sed vide de hoc vs. Not. ad VIII, 283. — *Quum primus, —mum:* Ecl. VII, 39.: „Quum primum pasti repetent praesepia tauri, — venito." Aen. VIII, 561.: „Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi." XII, 76.: „quum primum

Digitized by Google

Aurora rubescit." — *Ubi primus:* Aen. IV, 118.: „ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan." VII, 542.: „ubi sanguine bellum Imbuit et primae commisit funera pugnae." VIII, 407.: „ubi prima quies medio iam noctis abactae Curriculo expulerat somnum." Ge. III, 130.: „ubi concubitus primos iam nota voluptas Sollicitat." — *Ut primus, —mum:* Aen. IV, 259.: „Ut primum tetigit magalia." ib. 586.: „ut primum albescere lucem Vidit." VI, 102.: „Ut primum cessit furor." XI, 573.: „Utque pedum primis infans vestigia plantis Institerat, iaculo palmas oneravit acuto." — Eodem modo, quo multa ex his, illud dictum est, quod legitur Aen. VIII, 59.: „primisque cadentibus astris;" i. e. ubi primum cadent astra; et Ge. III, 187.: „Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris Audeat;" i. e. iam ubi primum ab ubere matris depulsus fuerit.

c) *Primum — tum:* Aen. II, 410. sqq.: „Hic primum ex alto delubri culmine telis Nostrorum obruimur — —. Tum Danai — ereptae virginis ira Undique collecti invadunt." IV, 239. sqq.: „et primum pedibus talaria nectit; — — Tum virgam capit." VI, 243—252.: „Quatuor hic primum — iuvencos Constituit — — Voce vocans Hecaten; — — Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras." IX, 696—703.: „Et primum Antiphaten — sternit; — — Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum, Tum Bitian." Adde IX, 110. cet.

d) *Primus* i. q. *prius, ante:* Aen. I, 24.: „veterisque memor Saturnia belli, Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis." VI, 152. sqq.: „Sedibus hunc (*exanimum amicum*) refer ante suis, et conde sepulcro; Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto. Sic demum lucos Stygios — Adspicies." — Hinc *quum primus* non multum differt a *priusquam:* Aen. VII, 601. sqq.: „Mos erat Hesperio in Latio, quum prima movent in proelia Martem. Sunt geminae Belli portae — —. Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae, — reserat Consul." i. e. quum gesturi sunt bellum, sive: priusquam proficiscuntur ad bellum. XII, 103.: „Mugitus veluti quum prima in proelia taurus — ciet, atque irasci in cornua tentat;" i. e. quum deproeliaturus est, sive: ante ipsum proelium. Non enim illud soli faciunt ii, qui primum pugnam experiri volunt, ut e Ge. III, 226. eqq. disci potest.

e) *Primus* de aevo antiquissimo: Ge. I, 144.: „Nam primi cuneis scindebant fissile lignum." Aen. I, 1.: „Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris Italiam — venit;" i. e. olim.

f) *Primus, — mum,* de initio, origine rerum: Ecl. IV, 8.: „nascenti puero, quo ferrea primum Desinet ac toto surget gens aurea mundo, — fave." Ge. I, 12.: „cui prima fre-

Digitized by Google

mentem Fudit equum tellus." ib. 136.: „Tunc alnos primum fluvii sensere." IV, 386.: „Phasimque, Lycumque, Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus." Aen. III, 8.: „Vix prima inceperat aetas." ib. 94.: „quae vos a stirpe parentum Prima tulit tellus." ib. 108.: „Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras;" i. e. e nostro genere primus ibi sedem posuit. IV, 169.: „Ille dies primus leti, primusque malorum Causa fuit." VII, 158.: „primasque in litore sedes, Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit;" loquitur poeta de Aenea Novae Troiae conditore; hinc *primae sedes;* neque cum Heynio primam litoris partem his significari putaverim; et recte ipse Heynius vs. 61.: „primas quum conderet arces," sic interpretatur: quum primum urbem Laurentum Latinus conderet. ib. 528.: „Fluctus uti primo coepit quum albescere vento." IX, 80.: „Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida Aeneas classem." Hinc in narrationis ingressu: VIII, 190.: „Iam primum saxis suspensam hanc adspice rupem." — Hinc de eo, qui incipit esse aliquo loco, ut de appellente navem: Aen. III, 209.: „Servatum ex undis Strophadum me litora primum Accipiunt." VI, 18.: „Redditus (*Daedalus*) his primum terris tibi, Phoebe, sacravit Remigium alarum." Conferri his possunt X, 516.: „in ipsis Omnia sunt oculis; mensae, quas advena primas Tunc adiit." III, 537.: „Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi Tondentes campum;" *primum omen,* i. e. quod modo in litus egresso obtigit. Quocum compara I, 442.: „Quo primum, iactati undis et turbine, Poeni Effodere loco signum." cet.

g) Hinc *primus* de causis et rerum auctoribus. Ecl. VIII, 24.: „Panaque, qui primus calamos non passus inertes." Aen. IV, 548.: „Tu, lacrimis evicta meis, tu prima furentem His, germana, malis oneras atque obiicis hosti." VIII, 134.: „Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor." ib. 319. sqq.: „Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo, Arma Iovis fugiens, et regnis exsul ademtis. Is genus indocile ac dispersum montibus altis Composuit;" ubi apparet *primus* pertinere ad haec: *Is genus — composuit.* Huc refer etiam V, 596.: „hos cursus atque haec certamina primus Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam, Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos."

h) Inde fit, ut *primus* etiam de exemplo dicatur, quod quis praeit, ac proinde de eo, qui prae ceteris aliquid facit, patitur, cet. Aen. X, 427. sqq.:

At non caede viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem

Digitized by Google

Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque;
Sternitur Arcadiae proles; sternuntur Etrusci,
Et vos, o Graiis imperdita corpora, Teucri.

Quo refer etiam V, 497. supra §. 3. a) laud. et XII, 460. sq.: „cadit ipse Tolumnius augur, Primus in adversos telum qui torserat hostes.“ — II, 40.: „Primus ibi ante omnes — Laocoon ardens summa decurrit ab arce.“ ib. 146.: „(His lacrimis — *Sinonis* — vitam damus, et miserescimus ultro.) Ipse viro primus — arta levari Vincla iubet Priamus.“ III, 437.: „Iunonis magnae primum prece numen adora.“ IV, 342.: „Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis: Urbem Troianam primum dulcesque meorum Reliquias colerem.“ V, 540.: „Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.“ ib. 746.: „Extemplo socios primumque arcessit Acesten.“ Sic intelligo etiam VII, 136.: „primamque deorum Tellurem — invocat.“ VI, 183.: „Nec non Aeneas opera inter talia primus Hortatur socios, paribusque adcingitur armis.“ XI, 786.: „Summe Deum, — Apollo, Quem primi colimus.“ XII, 33.: „qui me casus, quae, Turne, sequantur Bella, vides; quantos primus patiare labores.“ — His addere licet Ge. I, 178.: „Area cum primis ingenti aequanda cylindro.“ II, 134.: „Flos ad prima tenax.“

4. Poetae saepe satis habent, intulisse in versum aliquam notionem, licet id vocabulum, quod eam exprimat, non ei iunctum sit vel Verbo, vel Nomini, cui erat iungendum. Cuius rei exempla qui quaerit, bene multa in hoc ipso Excursu inveniet; quoties enim *quum primus* et similia reperies in versibus, quos supra attuli, pro *quum primum*, Adiectivum pro Adverbio? Ut ea tantum afferam, quae §. 3. b) laudavi, vide ibi Aen. V, 857. VII, 354. I, 723, VIII, 561. IV, 118. VIII, 407. Ge. III, 130. Aen. XI, 573. VIII, 59. Ge. III, 187. Alii autem, quam debebat, Nomini iungitur *primus* Aen. VI, 255., ubi proprie dicendum erat: „primo sub lumine solis;“ cfr. §. 3. a) Ge. I, 12. *primum*, ad voc. *equum* relatum, potius exspectes; cfr. §. 3. f). De Aen. XI, 786., ubi pro *primi* fortasse *primum* exspectes, cfr. §. 2, b. 3, h. VI, 811. revocavi librorum tantum non omnium lectionem: „*primam* qui legibus urbem Fundabit.“ Sic explica etiam Aen. V, 375.: „Talis prima Dares caput altum in proelia tollit;“ dicendum erat: Dares primus; *primus* autem hic fere nostrum *sofort*. Similiter locutus est Virgilius X, 242.: „Surge age, et Aurora socios veniente vocari Primus in arma iube; et clipeum cape;“ cet. i. e. *protinus;* et XI, 266. sq.: „Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum Coniugis infandae prima intra limina dextra Oppetiit;“ i. e. statim in aedium

Digitized by Google

ingressu. Adde VII, 118.: „Ea vox audita laborum Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore Eripuit pater;" i. e. continuo.

5. Restat, ut quaedam persequar vel singularia, vel difficiliorem explicatum habentia. Aen. IV, 166.: „Prima et Tellus et pronuba Iuno Dant signum: fulsere ignes et conscius aether Connubiis; summoque ulularunt vertice Nymphae." Si haec vera est lectio, quod dubitari potest, *prima* ita hic ponitur, ut sit enumerantis: *primum* Tellus et Iuno signum dedere, *tum* fulsere ignes, *tum* Nymphae ulularunt. — Aen. VII, 361.: „Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet Perfidus, alta petens, abducta virgine, praedo:" id quod nos dicimus: *mit dem ersten besten Winde*, quum primum ventus secundus erit. — Ecl. I, 45.: „Hic mihi responsum primus dedit ille petenti: Pascite, ut ante, boves, pueri, submittite tauros." Quorum verborum difficultatem nemo interpretum sensisse videtur, praeter Vossium, *primus* per *princeps* explicantem. Quam quidem interpretationem possis quodammodo firmare tum eo, quod *primus* substantive positum est Ge. I, 144.; tum eo, quod ita ad personas principes refertur Aen. VIII, 105. IX, 453. Verum horum locorum longe alia est ratio. Nam recte Pluralis *primi* de principibus, non aeque Singularis, nisi quid adiectum aut omnis oratio ita comparata fuerit, ut inde appareat, quae sit vis eius vocabuli, ut si dixero: *primus gentis suae*, et si quid est huic simile. Quae quum ita sint, malim *primus* h. l. ita accipere, ut haec illa verba fundant sententiam: Hic primum, i. e. demum, tandem, cura ac maerore levatus sum propitio responso; sive: Hîc ille, Octavianus, primus, sive tandem, i. e. spe prope omni iam abiecta, me istac cura liberavit, respondens: „Pascite, ut ante, boves." Ac *primum* i. q. *demum* Aen. II, 375. et *primum tandem* iungitur III, 205.; cfr. §. 3. b). adde VII, 118.: „Ea vox audita laborum Prima tulit finem;" i. e. hinc demum laborum finis sperari coeptus. — Aen. II, 259. sqq.: „Illos patefactus ad auras Reddit equus, laetique cavo se robore promunt Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes, Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque, Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon, Et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos." Molestum h. l. *primus*; interim amplector Heynii explicationem: qui primus, inter primos, egressus est; quamquam fateor, ita nescio quid exile inferri orationi.

6. *Primo* satis infrequens apud Virgilium: Ge. IV, 310.: „(animalia) Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis." Aen. V, 654.: „At matres primo ancipites — — Tum vero" cet. IX, 576.: „Hunc primo levis hasta Temillae Strinxe-

rat.“ Ubi praeterea legitur, Adiectivum est, ut Ge. III, 187. cfr. §. 3. b). Aen. VII, 528. cfr. §. 3. f), quibus adde Aen. IV, 176.: „Parva metu primo; mox sese adtollit in auras.“ Eodemque modo dictum puto, quod legitur Aen. I, 613.: „Obstupuit primo adspectu — — Casu deinde viri.“

QUAESTIO XXVIIII.

De Participiis.

1. Participium Praesentis pro Participio Perfecti.

Participium Praesentis pro Participio Perfecti positum non memini me legere in Virgilii operibus. Nam Aen. I, 305—9.: „At pius Aeneas, per noctem plurima volvens, — Quaerere constituit,“ *volvens* rem indicat durantem, *qui volvebat*, non *qui volverat*. Quod autem Aen. I, 492. exstat: „Aurea subnectens exsertae cingula mammae;“ rectius interpretaberis: subnexa habens, gerens. Et si Aen. II, 14.: „tot iam labentibus annis,“ *labentibus* pro *lapsis* dictum putes, vereor, ut penitus perspectam habeas vim huius sententiae: adhuc enim in eodem opere Achivis tempus labebatur.

2. Participium Praesentis pro Participio Futuri.

a) Rarus hic Participii Praesentis quum omnino, vid. Bach. ad Tibull. I, 3, 29., tum apud Virgilium usus, nec nisi in Participio Verbi *eo* a me observatus. Nam quod Aen. VIII, 551. legitur: „Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva,“ non est necesse *petentibus* pro *petituris* accipi; nempe petebant iam mente atque animo. Sed manifesto Futuri vis deprehendi videtur Aen. II, 111.: „Saepe illos (*Danaos*) aspera ponti Interclusit hiems, et terruit Auster euntes;“ ubi non de ipsa profectione, sed de consilio proficiscendi loquitur poeta. IX, 243.: „nec nos via fallit euntes;“ ubi *fallet* unius, ut videtur, Medicei lectio, receptae non praeferenda; *non fallit nos*, i. e. non ignota est nobis; *euntes* adiicit poeta, quia profecturis vel maxime necesse est, notitiam viae sibi ante parare. XII, 73.:

neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno

Digitized by Google

Haud placitura refer: Quum primum crastina coelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit:
Non Teucros agat in Rutulos.

euntem, i. e. ire volentem. Neque aliter accipienda existimo, quae exstant Aen. VI, 392.: „Nec vero Alciden me sum laetatus (*Charon*) euntem Accepisse lacu;“ i. e. iturum, cui iungendum *lacu*; unde haec sententia existit: non sum laetatus, Alciden lacu iturum, i. e. ut transveheretur poscentem, accepisse, sc., id quod sponte intelligitur, cymba; aut, si hoc mavis, bis intellige *lacu: iturum lacu* et *accepisse lacu*. — Videri potest hic usus cum ipso Participio e Graeco sermone translatus esse; constat enim per Participium *ἰών* et praesens et futurum tempus denotari. *Iturus* bis omnino legitur apud Virgilium, VI, 680. et 758.; utroque loco *animas ituras* ita explicare licet: quas ire fata iubent; cfr. quae paulo inferius dicam de Participio *moriturus*.

b) *Moriens* quoque erunt fortasse qui vim Futuri habere existiment; vid. Cort. ad Sallust. Iug. XIV, 1. Nec potest negari, hoc Participium Graece modo *ἀποθνήσκων*, modo *μέλλων ἀποθανεῖν* reddi posse. Et *ἀποθνήσκων* valet Aen. VII, 2.: „Tu quoque litoribus nostris — Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti.“ IX, 350.: „cum sanguine vina Mixta refert moriens.“ ib. 754.: „Conlapsos artus — Sternit humi moriens.“ X, 489.: „Et terram hostilem moriens petit ore cruento.“ cet.; at *μέλλων ἀποθανεῖν* Ecl. II, 38.: „Et dixit moriens;“ quocum conferas Aen. IX, 362. 443. Ecl. VIII, 18—61.: „Coniugis indigno Nisae deceptus amore Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.“ cet. Ge. III, 510.: „ea visa salus morientibus una.“ Verum non est ea propria vis Participii, sed ipsius verbi, utpote quod non solum punctum quoddam temporis, sed etiam tempus ipsam mortem proxime praecedens denotet; eodemque modo vernacule loquentes Verbo *sterben* utimur. Quod quum ita sit, haud mirum videbitur, quod, si recte memini, nusquam apud praestantissimos prosae orationis auctores Participium *moriturus* legitur*), satis illud quidem a poetis frequentatum et ab ipso Virgilio, ita tamen, ut eo differat a *moriens*, ut *moriturus* non sit simpliciter i. q. morti proximus, sed vel cui fatis destinatum est mori, vel qui decrevit, vel paratus est mori: Ge. IV, 458.: „Immanem ante pedes hydrum moritura puella Servantem ripas alta non vidit in herba.“ Aen. II, 511.: „densos fertur moriturus in hostes.“ IV, 519.: „Testatur moritura deos.“ X, 811.: „Quo moriture ruis,

*) nec *nasciturus*, neque *oriturus*.

Digitized by Google

maioraque viribus audes?“ ib. 881.: „Iam venio moriturus.“ Cfr. praeterea Ge. III, 262. Aen. IV, 308. 415. 604. IX, 400. 554. XI, 741. XII, 55. 602. Adde Ge. III, 501.: „et ille quidem morituris frigidus;“ bene, non morientibus, i. e. iam exspirantibus, sed iis, quorum de salute desperandum, qui certo morientur; cfr. quae sequuntur usque ad vs. 510. — His libet addere, *moribundus* apud Virgilium tria significare, et morientem, i. e. *ἀποθνήσκοντα*, Ge. III, 488.: „hostia — cecidit moribunda;“ sic etiam Aen. V, 374. X, 341. 590.; et moriturum Aen. IV, 323.: „cui me moribundam deseris, hospes?“ et mortalem Aen. VI, 730. sqq.:

Igneus est illis vigor et caelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

c) Sed quum Aen. II, 114.: „Mittimus Eurypylum scitatum oracula Phoebi,“ *scitantem* e vestigiis codd. revocandum fuerit, hoc certe Participium pro Futuro positum videbitur. Sed hoc quoque propriam tuetur Praesentis potestatem; nam *mittimus scitantem* ita intelligi poterit, ac si dictum sit: mittimus Eurypylum, isque scitatur oracula Phoebi; prorsus ut est apud Xenoph. Cyrop. l. V. c. IV, 24.: „*κήρυκα ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν, λέγοντα, ὅτι*“ *κ. τ. λ.* Adde Sophocl. Ai. vs. 768. (781.): „*ὃ δὲ — πέμπει με σοὶ φέροντα τάσδ' ἐπιστολὰς Τεῦκρος φυλάσσειν.*“ ib. 813. (826.): „*πέμψον τιν' ἡμῖν ἄγγελον, κακὴν φάτιν Τεύκρῳ φέροντα.*“ Similiter Catull. XI, 9. sqq.: „Sive trans altas gradietur Alpes, Caesaris visens monumenta magni, Gallicum Rhenum, horribilesque et ultimosque Britannos.“ Vid. etiam §. 5. et Burm. ad Phaedr. I, 2, 22. Liv. XXI, 6.

3. Participium Perfecti pro Participio Praesentis.

Participium Perfecti constat haud ita raro Participii Praesentis loco poni. Quum enim Passivum Participio Praesentis careat, indulserunt hoc sibi Latini, ut Participium Perfecti pro illo usurparent. Qua libertate quum parcius cautiusque uterentur prosarii scriptores, licentius in ea re versati sunt poetae. Idque quum in consuetudinem abiisset, deinceps, rei rationem iam non attendentes, etiam tum Perfectis usi sunt poetae, in Deponentibus duntaxat, ubi nulla, nisi metri necessitas, hoc eos facere cogeret. Illius generis exempla haec in promtu habeo: Ge. I, 204. sqq.:

Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.

Digitized by Google

vectis, i. e. iis, qui vehuntur. Eodem modo intellexerim Aen. VI, 335. II, 277. *tonsae valles*, i. e. quae tondentur. Aen. I, 480. sq.: „peplumque ferebant Suppliciter tristes, et tunsae pectora palmis.“ IV, 589. sq.: „Terque quaterque manu pectus percussa decorum, Flaventesque abscissa comas, Pro Iupiter! ibit Hic, ait.“ i. e. percutiens, abscindens. V, 113.: „Et tuba commissos medio canit aggere ludos;“ i. e. ἀρχομένους. — Addo Deponentium exempla: Ge. I, 293.: „Interea longum cantu solata laborem Arguto coniux percurrit pectine telas.“ ib. 339.: „annua magnae Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis.“ IV, 72.: „et vox Auditur fractos sonitus imitata tubarum.“ Aen. V, 708.: „Isque his Aenean solatus vocibus infit.“ Non est necesse huc trahere Aen. II, 514.: „Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus, Incumbens arae atque umbra complexa Penates;“ *complexa*, i. e. ita, ut numquam umbra inde abscederet; cfr. etiam III, 607.: „et genua amplexus, genibusque volutans Haerebat.“ — In Adiectivorum vim ac potestatem abeunt Participia Aen. III, 275.: „Et formidatus nautis aperitur Apollo;“ i. e. formidabilis, sive, qui formidari solet. IV, 534.: „rursusne procos irrisa priores Experiar?“ i. e. irrisibilis, ut hac voce utar. VIII, 588.: „Pallas—pictis conspectus in armis;“ i. e. conspicuus.

4. Participium Futuri Passivi ut Participium Praesentis Passivi. Aen. I, 269.: „Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit.“ Quocum confer eod. l. vs. 234.: „Romanos olim, volventibus annis, Hinc fore ductores.“ IX, 7.: „quod optanti divum promittere nemo Auderet, — volvenda dies, en, adtulit ultro.“ Sic etiam explicuerim I, 494.: „Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur;“ i. e. dum Aeneas haec videt et miratur.

5. Participia pro Verbis finitis. Aen. I, 69.: „submersas obrue puppes;“ i. e. submerge et obrue; et sic saepius Participium iungitur Imperativo. IX, 486. sqq.: „nec te tua funere mater Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi, Veste tegens;“ i. e. et veste texi. ib. 734. sq.: „Agnoscunt faciem invisam atque immania membra Turbati subito Aeneadae;“ i. e. eaque re turbantur. X, 189. sqq.: „Namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati — — Canentem molli pluma duxisse senectam; Linquentem terras, et sidera voce sequentem;“ i. e. liquisse et secutum esse. XII, 758.: „Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes.“ Hinc iungo X, 856.: „Simul hoc dicens adtollit in aegrum se femur.“ V, 357.: „Et simul his dictis faciem ostentabat.“ i. e. ἅμα εἰπών. adde XI, 827. I, 708.: „Tyrii — Convenere, toris iussi

Digitized by Google

discumbere pictis;" i. e. et iussi sunt. — Insolentior est structura his locis: Ge. II, 56.: „Nunc altae frondes et rami matris opacant, Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem;" i. e. urunt, ut fructus ferre non possit. Aen. IV, 620.: „Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena;" i. e. neque humetur, sed media arena proiectus iaceat. IX, 286.: „genetrix — Est mihi, quam tenuit non Ilia tellus Mecum excedentem, non moenia regis Acestae;" i. e. quin mecum excederet. IX, 525.: „adspirate canenti, Quas strages — ediderit;" i. e. adspirate mihi, ut possim exponere. De VII, 498. vid. ibi Not. — Nec raro in rerum descriptione Participia pro Verbis finitis posita; ut Ge. II, 133.: „Laurus erat; folia haud ullis labentia ventis; Flos ad prima tenax." III, 504. sq.: „Sin in processu coepit crudescere morbus: Tum vero ardentes oculi, atque adtractus ab alto Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo Ilia singultu tendunt." Huc refer etiam VII, 787., ubi immerito dura videtur Heynio oratio.

6. Participia Graeco more usurpata: Aen. III, 567.: „Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra." ib. 652.: „hanc primum ad litora classem Conspexi venientem." ib. 656.: „videmus Polyphemum vasta se mole moventem — et litora nota petentem." Sed haec trita. — V, 665.: „Nuntius incensas perfert naves." XII, 242.: „foedusque precantur Infectum." X, 503.: „magno quum optaverit emtum Intactum Pallanta." ib. 426.: „At non caede viri tanta perterrita Lausus — sinit agmina." VII, 350.: „fallitque furentem, Vipeream inspirans animam;" neque enim adiectus Accusativus *furentem* offendere debet; sic Aristoph. Nub. 380.: „τουτί μ' ἐλελήθη, ὁ Ζεὺς οὐκ ὤν." — Ge. II, 510.: „gaudent perfusi sanguine fratrum." Aen. X, 500.: „Quo nunc Turnus ovat spolio, gaudetque potitus." XII, 6.: „gaudetque (*leo*) comantes Excutiens cervice toros." ib. 702.: „gaudetque nivali Vertice se adtollens pater Apenninus ad auras." II, 377.: „sensit medios delapsus in hostes;" ᾔσθετο ἐμπεσών. Vid. tamen notata ad Eleg. ad Messal. pag. 43.

7. Denique quod Aen. IX, 421. legitur: „nec teli conspicit usquam Auctorem, nec quo se ardens immittere possit," sic est intelligendum: ardens, se immittere, non videt, quo se possit immittere; ἐφιέμενός περ. Pro eo autem, quod exstat XI, 244.: „Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra, Atque iter emensi casus superavimus omnes," dicendum erat, si proprie loqui volebat poeta: emensi sumus iter superatis omnibus casibus.

Digitized by Google

QUAESTIO XXX.

De Infinitivo absoluto.

1. Infinitivum historicum vulgo dicere solent, qui potius absolutus appellandus est; cfr. Ge. I, 199. §. 4. laud. Antiquissimis temporibus, Verbo nondum per Tempora Modosque digesto, solo utebantur Infinitivo; quae ratio loquendi ut est balbutientis infantiae, ita hodieque invenitur apud populos quosdam rudes et barbaros; retenta interdum illa quidem etiam a cultioribus populis, nec in concitatiore solum, sed etiam in sedata oratione. Ac nescio quid molle et ad deleniendos animos compositum inest in eiusmodi sermone: Aen. II, 775.:

Tum sic adfari, et curas his demere dictis;

quae verba repetuntur III, 153. VIII, 35. Non recte enim Wunderlich. ad II, 775. statuit, hos infinitivos pendere ex verbo praegresso *visa est*, *visi sunt*, quod his locis non valet **δοκεῖν**, sed ὀφθῆναι. Hinc ab eo Infinitivo, qui est placidae narrationis, ita saepe transitur ad Verbum finitum, ut stimuletur exspectatio, ut Aen. II, 132.:

Iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me," *cet.*

VI, 197.:

Sic effatus vestigia pressit,
Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde, ubi venere ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt se celeres" *cet.*

VIII, 213.:

Interea, quum iam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.

ib. 492.:

Ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis; *cet.*

Digitized by Google

ubi si scripsisset poeta: „*Confugit*, *ac Turni defenditur hospitis armis*," omnis periret exspectatio. Eodem refer X, 267.:

At Rutulo regi ducibusque ea mira videri.

et XII, 216.:

At vero Rutulis impar ea pugna videri
Iamdudum, et vario misceri pectora motu;" *cet.*

Denique egregie expressit poeta suspensum timorem IX, 376.:

„State, viri; quae causa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter?" Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.

2. Saepius tamen vehementior quidam motus animi proditur per Infinitivum absolutum, pavor maxime et trepidatio, ut Aen. II, 685.:

Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.

III, 666.:

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito, tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.

VI, 489.:

At Danaum proceres, — Ut videre virum —,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
— — — — pars tollere vocem.

IX, 538.:

Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam.

V, 685.:

Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas.

XI, 883.: Pars claudere portas.

Hinc in re horroris plena, ut VI, 556.:

Tisiphone Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.

VII, 15.:

Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,

Digitized by Google

Saetigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum.

VII, 78.:

Id vero horrendum visu ac mirabile ferri.

III, 140.:

Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbae;" *cet.*

3. Ex alio sunt genere, quae indicant sedulitatem quandam, assiduitatem, studium, celeritatem et instantem rei, quae agitur, fervorem, ut Aen. I, 423.:

Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa;
Pars optare locum tecto et concludere sulco.
Iura magistratusque legunt.

Sed vid. ad h. l. a Wunderlichio notata. VIII, 688.:

Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus, aequor.

IX, 509.:

Telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis.

X, 287.:

Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit; multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii.

ib. 298.:

Quae talia postquam
Effatus Tarchon: socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis.

XI, 142.:

Arcades ad portas ruere; et de more vetusto
Funereas rapuere faces.

II, 97.:

Hic mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quaerere conscius arma.

Digitized by Google

sedulo id assidueque facit Ulysses. Ge. I, 383.:

Iam variae pelagi volucres, et quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.

ubi vid. not.

4. Interdum id, quod solet fieri, per Infinitivum absolutum exprimitur, ut Ge. I, 199.:

sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

IV, 134.:

Primus vere rosam atque auctumno carpere poma,
Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet,
Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi.
Ergo apibus fetis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis.

Aen. IV, 420.:

Miserae hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri molles aditus et tempora noras.

XI, 820.:

Accam Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae;
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur.

5. tum id, quod incipit fieri: Aen. II, 169.:

Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum.

Huc refero etiam X, 457.:

Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
Ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
Viribus imparibus; magnumque ita ad aethera fatur.

6. Ge. I, 395.

Nam neque tum stellis acies obtusa videri;
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna;
Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri;
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
— alcyones.

Sic, *videri*, legitur apud Gellium; in libris mss. *videtur;* illud impense placet Heinsio; probat etiam Heynius; mihi ineptus quidam vigor orationi per istum Infinitivum inferri videtur. Gellius, ut fit, memoria lapsus ita scripsit; ac facile per Infinitivos, qui subsequuntur, decipi potuit. Esset sane aliqua eius auctoritas in hac re, si non aliud, sed hoc ipsum ageret, ut usum Infinitivi absoluti illustraret. Minus explorata res videri potest Ge. I, 483.:

Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibrae apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit, et altae
Per noctem r e s o n a r e lupis ululantibus urbes.

ubi *resonare* Infinitivum historicum esse statuit Wunderlichius, probare id studens allato exemplo, quod legitur Aen. IV, 460.:

Hinc exaudiri voces et verba precantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe q u e r i, et longas in fletum d u c e r e voces.

Qui si sunt Infinitivi historici, referendi erunt ad §. 2. Sed priore loco ipsa in quinto pede incisio suadet, ut, non interrupta per mutatam structuram oratione, Verbum *cessavit,* sublata, quae antea ibi erat, graviore interpunctione, etiam ad proximum Infinitivum trahatur. Altero loco etsi non negaverim defendi recte posse Infinitivum historicum*), tamen non repugnaverim, si quis Infinitivum *queri* e Verbo *visa* pendere existimaverit. Sic enim interdum praegressa constructio, quam dicunt, vim quandam habet ad subiectae sententiae conformationem, etsi ea ipsa sententia ab illa structura alienior fuerit. De qua re quum nuper pauca quaedam disseruissem, sed quae pro tempore sufficere mihi viderentur, labefactare ea studuit Eichstadius Programmate Ienae 1827. edito, cuius Prologus a contorta et difficili interpretandi ratione dehortatur. Sed ea re, quum aliquid otii nactus fuero, accuratius explicata, spero me effecturum, ut Ipse, quo nemo melius callet, quid sit Latinum, adsentiatur mihi. Interim vide Xenoph. Anab. II, I, 6. (7.): „*ἦν δὲ αὐτῶν Φαλῖνος εἷς Ἕλλην, ὃς ἐτύγχανε παρὰ Τισσαφέρνει ὤν, καὶ ἐντίμως ἔχων.*“ Ubi apparet, proprie si loqui Xenophon voluisset, dicendum ei fuisse: *ἐντίμως εἶχεν αὐτῷ.* Hoc si ille in tam brevi et simplici enuntiato sibi indulsit, quid mirum, si idem in amplioribus et per plura cola digestis verborum complexionibus multo

*) Quod mihi nunc secus videtur; neque enim solet Infinitivus historicus ita per copulam praegressae orationi annecti.

crebrius factum fuerit? Sed ne hoc quidem exemplum vereor ne tantum valeat, ut Virum Ill. in meam sententiam traducat. Itaque videat, quibus argumentis Livii expugnet auctoritatem, l. IX, 13. ita scribentis: „Omnia ab Arpis Romanis suppeditabantur; ceterum adeo exigue, ut militi, occupato stationibus vigiliisque et opere, eques folliculis in castra ab Arpis frumentum veheret; interdum obcursu hostium cogeretur abiecto ex equo frumento pugnare." Adde, quae scripsi in Iahnii Annalibus philol. et paedagog. Vol. XIII. fasc. I. p. 83. 1830. Sed redeamus in viam, unde paululum deflexímus. — Aen. I, 124.:

Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus.

pontus malit Heinsius, ut sit Infinitivus absolutus. At non tum demum miscebatur pontus. — Aen. VI, 48.:

sed pectus anhelum;
Et rabie fera corda tument; maiorque videri,
Nec mortale sonans; adflata est numine quando
Iam propiore dei.

Locum hic esse Infinitivo absoluto non nego; sed rectius hoc ita dictum acceperis, ut *niveus videri*, θαῦμα ἰδέσθαι, cet. — Aen. II, 400.:

pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.

„*Scandere* Moret., bene, nisi *conduntur* sequeretur. vid. Burm." Sic Heynius. „*Scandere* eleganter et probe." Heinsius. *Scandere* non est continuo propterea reiiciendum, quod sequitur *conduntur*. Sic enim etiam alibi Infinitivum absolutum Verbum finitum excipit; cf. Aen. III, 666. §. 2. X, 457. §. 5. et XI, 142. §. 3. laud.; adde I, 423. ex §. 3. Verum hoc non fit, nisi hac ratione, ut maior quaedam inter utrumque Verbum intercedat interpunctio; male enim XI, 142. commate interpungebatur. Unde apparet ab Aen. II, 400. alienissimum esse Infinitivum. Nec, quod a m. pr. in Fragm. Vat. Aen. III, 142. legitur: „Arebant herbae, et victum seges aegra negare," pro *negabat*, videtur ferri posse. Denique Aen. II, 699.:

Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos, et sanctum sidus adorat.

„*se tollere* Gud. a m. pr., eleganter, modo *adfari* et *adorare* sequi posset." Haec Heynius. Hic quidem facile feras Infinitivum, modo plenius in fine versus interpungatur; sed parum firma nititur haec lectio auctoritate. — Ceterum Ge. II, 431.:

Digitized by Google

Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt;

quod ibi in Gud. pro div. lect. exstat *fundi*, non miraberis Heinsio (vid. eius not. ad Ge. I, 383.) placere potuisse, harum et similium dicendi Venerum aucupi.

QUAESTIO XXXI.

De Interrogatione.

1. De Interrogatione si quaerimus, non vulgarem illam dicimus, qua ab alio ea edoceri cupimus, quae ipsi aut nescimus, aut non satis explorata habemus; sed eam, quae numeratur in figuris. Hoc genus quum varium sit et multiplex, dignum est, sive interpretationem spectas, sive criticum usum, quod paullo accuratius illustretur. Sed quoniam in omni hac similique disputatione id maxime agimus, ut critica inde nobis paremus subsidia, ita versabimur in ea re, ut appareat, quo in quaque interrogatione vel Modo vel Tempore verbi utendum sit.

Atque Indicativi et Coniunctivi quum ea sit natura, ut ille rem certam, hic dubiam indicet, consentaneum est, idem discrimen etiam in Interrogatione servari. Rem certam autem eam quoque dicimus, quae tanquam certa proponitur, et dubiam eam, quam cum quadam dubitatione pronuntiamus, licet per se nihil insit vel illi, quod credendi, vel huic, quod dubitandi causam praebeat. Hoc autem quum totum ex usu, qui in quaque regnat lingua, pendeat, suis haec res instruenda est praeceptis.

2. Indicativus requiritur, ubi vel gaudium, vel dolorem, vel mirationem, vel indignationem, vel exprobrationem, vel quae sunt his similia, exprimere volumus in re, quae vere fit, vel facta est.

a) gaudium. Aen. VI, 687.: „Venisti tandem tuaque exspectata parenti Vicit iter durum pietas?"

b) dolorem. Aen. XII, 882.: „Immortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum Te sine, frater, erit?" X, 846.: „Tantane me tenuit vivendi — voluptas? Tuane per vulnera servor?" XI, 42.: „Tene, — quum laeta veniret, Invidit Fortuna mihi?"

c) mirationem. Ecl. IX, 17.: „Heu, cadit in quemquam tantum scelus?" Hinc scribendum Aen. I, 48.: „Et quisquam

numen Iunonis ador*at* Praeterea, aut supplex aris impon*it* honorem?" non ador*et* — impon*at*. Sed, v. not. ad h. l.

d) indignationem. Aen. I, 39.: „Pallasne exurere classem Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto? — Ast ego" cet.

e) exprobrationem et obiurgationem. Aen. IV, 32.: „Solane perpetua maerens carpere iuventa? Nec dulcis natos — noris?" 38.: „placitone etiam pugnabis amori?" 208.: „Adspicis haec? An te, genitor, nequidquam horremus?" 265.: „Tu nunc Carthaginis altae Fundamenta locas?" 305.: „Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum Posse nefas? — — Nec te noster amor, — nec te data dextera quondam, Nec moritura tenet Dido?" 560.: „Nate Dea, potes hoc sub casu ducere somnos?" 600.: „Non potui divellere corpus et undis Spargere?" VII, 359.: „Exsulibusne datur ducenda Lavinia coniux?"

3. Porro Indicativo locus est, ubi fortiter negare volumus: Aen. IV, 368.: „Nam quid dissimulo?" i. e. non dissimulabo; vid. V. L. ad Ge. II, 434. et „quae me ad maiora reservo?" i. e. non sunt maiora, ad quae me reservem. VI, 374.: „Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum Eumenidum adspicies, ripamve iniussus adibis?" VII, 302.: „Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid dura Charybdis Profuit?"

4. Indicativus etiam admittitur, ubi certum est id, quod per verbum indicatur, sed illud tantum incertum, quomodo, vel per quem fiat aliquid, et similia. Aen. II, 678.: „Cui coniux quondam tua dicta relinquor?" III, 88.: „Quem sequimur? quove ire iubes?" III, 367.: „Fare, age, — quae prima pericula vito?"

5. item in iubendo, hortando vel dehortando. Aen. II, 596.: „Non prius adspicies, ubi fessum aetate parentem Liqueris?" IV, 565.: „Non fugis hinc praeceps?" 592.: „Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?" XI, 389.: „Imus in adversos?" XII, 39.: „Cur non potius certamina tollo?" II, 43.: „Creditis avectos hostes?" i. e. ne credite.

6. Singularem habet Indicativus in ironia usum: Aen. X, 92.: „Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?"

7. Adiuncta negatione interdum gravius affirmat: Ecl. III, 17.: „Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum Excipere insidiis?" ib. 26.: „non tu in triviis, indocte, solebas Stridenti miserum stipula disperdere carmen?"

8. Interrogatio per Futurum maxime opponendi, reiiciendi aut aversandi vim habet: Aen. IV, 534. sqq.: „rursusne procos irrisa priores *Experiar*, Nomadumque *petam* connubia supplex?

— Iliacas igitur classes — *sequar?* — Quid tum? sola fuga nautas *comitabor* ovantes? An Tyriis omnique manu stipata meorum *Inferar?* et, quos Sidonia vix urbe revelli, Rursus *agam* pelago, et ventis dare vela *iubebo?*" XII, 643.: „Exscindine domos *Perpetiar?* dextra nec Drancis dicta refellam? Terga *dabo?* et Turnum fugientem haec terra vid*ebit?*" II, 577. sqq.: „Scilicet haec Spartam — Adspiciet — — natosque videbit? Occiderit ferro Priamus, Troia arserit igni? Non ita." IX, 785.: „Unus homo tantas strages impune ediderit?" *Occiderit, arserit, ediderit*, Futura exacta.

9. item desiderium et exspectationem: Ecl. VIII, 7.: „en erit unquam Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta? En erit, ut liceat" etc.

10. Coniunctivus usurpatur primum, ubi aliquid vel sic, vel aliter fieri posse, potuisse, aut futurum esse negamus, quod nos hunc in modum exprimere solemus: ich sollte, wollte, könnte? wer, was sollte, könnte, wollte? Ecl. I, 41.: „Quid facerem? neque servitio me exire licebat, Nec tam praesentes alibi cognoscere divos." Aen. III, 182.: „Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros crederet?" V, 28.: „An sit mihi gratior ulla?" XII, 947.: „tune hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi?" VI, 842.: „Quis te, magne Cato, tacitum relinquat?"

11. Idem Modus est nescientis, aut anxie dubitantis, quid existimandum agendumve sit; ubi nos: kann ich? soll ich? was kann, soll ich? Ecl. VII, 14.: „Quid facerem? neque ego Alcippen, neque Phyllida habebam, Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos. — — Posthabui tamen illorum mea seria ludo." Aen. I, 327.: „O quam te memorem, virgo?" IV, 677.: „Quid primum deserta querar?" IX, 490.: „Quo sequar? vid. Not. ad Ecl. III, 16.

12. Ubi *quis* idem valet, quod *quis est*, *qui*, coniunctivus adiungitur. Aen. II, 390.: „dolus an virtus, quis in hoste requirat?"

13. Denique Coniunctivus legitur, ubi per interrogationem significamus, plura iis, quae vel significavimus, vel commemoravimus, adiici posse: Aen. VI, 601.: „Quid memorem Lapithas?" VIII, 485.: „Quid memorem infandas caedes?" Quare non erat, cur Ge. II, 434.: „Quid maiora sequar?" Schraderus scriptum mallet *sequor;* vid. V. L. ad h. l.

14. Non praetereundum hoc loco, quod, quum sec. §. 11. dicendum sit *Quid agam?* ubique invenitur *quid ago?* Aen. IV, 534.: „En quid ago? rursusne — Experiar" etc. X, 675.: „quid ago?" ubi *agam*, quod utroque loco in quibusdam libris

Digitized by Google

legitur, statim subsequenti *experiar* et *dehiscat* debetur. XII, 637.: „Nam quid ago?“ Non licet tamen ceteris personis, ut *quid agis*, eodem modo uti. Cuius rei causa mihi videtur in eo posita, quod Graeci hac in re coniunctivo utuntur. Habebimus igitur in hac interrogatione vestigium retentae Graeci coniunctivi formae. Haec iis opposita esse volui, quae Wunderlich. disputat ad Aen. IV, 534. Ceterum adde Ovid. Fast. I, 321. sq.: „Qui calido strictos tincturus sanguine cultros Semper „Agone?“ rogas, nec nisi iussus agis.“

15. Interrogatio per Infinitivum est vel querentis, ut Aen. I, 97.: „Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse?“ vel facere aliquid nolentis: I, 37.: „Mene incepto desistere victam? Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?“

QUAESTIO XXXII.

De Copula *Nec*, *Neque*.

Nihil frequentius a librariis permutatum, quam *nec* et *neque*. Quare operae pretium facturum me spero, si quaedam praecepta constituam, quibus in ea re critici iudicium regi oporteat. Itaque primum illud certum est, non perinde esse, utrum *nec* an *neque* scribatur. Qua in re investiganda mirifice te adiutum sentias codicum Virgilianorum bonitate, tanta illa quidem, ut paucissimi loci emendatricem adhuc manum desiderent. Ante Heinsium quidem multum in eo peccatum est ab Editoribus; sed ille praestantissimorum librorum ope, ubique fere meliora praebentium, pleraque huius generis vitia, nullo tamen suo interposito iudicio, removit. Omitto vulgares regulas, ne ab omni parte veras quidem; neque etiam id sum acturus, ut omnia exhauriam, quae de usu particularum *nec* et *neque* dici possunt; sed iis finibus hanc disputationem circumscribam, inter quos in hoc genere ubique me continui, i. e. non exspatiabor ultra Virgilii carmina, quippe satius ducens, in parte aliqua verum videre, quam errare in toto *). Ceterum, quo rectius de his, quae videbis allata, sta-

*) Haec quum iam in eo esset ut typis exscribenda traderentur, invitatus ipsa rei gravitate exquirere conatus sum, quid in eo genere secutus fuerit summus solutae orationis auctor; hinc additae §§. 14. sqq. Quod si fecissem, antequam de Virgiliano usu exponerem, non ubique eo disputassem, quo nunc factum est, vel ordine, vel modo. Facile autem senties, quantum haec sibi mutuo lucis afferant.

Digitized by Google

tuas, lector benevole, illud velim teneas, magnam me exemplorum nubem inter legendum ita collegisse, ut promiscue, quae se offerrent, in schedulas coniicerem, nulla ante concepta opinione, quae me erroribus irretire posset.

1. Primum igitur monendum est, multo saepius *neque* in *nec*, quam *nec* in *neque* mutatum esse a librariis. Quod quare ita sit, in promtu est dicere. Brevior enim forma conveniebat multorum librariorum festinantiae, nihil scilicet interesse inter has formas existimantium. Tum etiam illud, quod *neque* per compendium NEQ. scribi solebat, multis fraudi fuisse putandum est. Hinc facile vel eo internosces meliores et deteriores codices, quod in illis maiore cum religione harum formarum discrimen servatum reperies, in his secus. Iam comparet mihi aliquis Mediceum codicem et Romanum! quam saepe is in hoc breviorem formam repraesentatam inveniet, ubi ille longiorem ac genuinam servavit! Cf. Ge. II, 287. 465. III, 352. Aen. VI, 733. XI, 201. Quod quum ita sit, rarius errabis, ubi longiorem breviori, quam ubi breviorem longiori formae praetuleris. Sed antequam ad alia progrediar, quo clarius illud, quod supra dixi, appareat, duplicem adiiciam istarum permutationum indicem; qui si facile augeri potest, vel haec tamen exempla satis illud, quod institui, probare possuut. Secutus sum in his laudandis Heyn. editionem tertiam.

Nec cum *neque* permut.	*Neque* cum *nec* permut.
Ecl. V, 25., ubi antea *neque* edebatur.	Ecl. VI, 2.
IX, 35.	(VII, 14.)
Aen. II, 430.	Ge. I, 95. 426. 433.
V, 781.	II, 287. 465.
VIII, 316.	III, 216. 239. 352.
X, 679.	(IV, 198.)
XII, 135.	Aen. VI, 52. 733. 870.
	IX, 129. 180. 428.
	X, 757.
	XI, 201. 208. 228. 413. 537. 846. 801.
	XII, 207. (679. 907.)

Haec enim fere est in universum istarum permutationum ratio, ut, eas si numeres, vix semel *nec* in *neque* conversum reperias, ubi *neque* in *nec* fere quater mutatum videris. At vix etiam in censum vocari debebant Ecl. IX, 35. Aen. VIII, 316. X, 679. XII, 135., quum omnibus his locis praecedat *neque*, unde *nec*, quod sequebatur, facile in *neque* abire potuit. Et Ecl. V, 25. Aen. II, 430. V, 781. *nec* propter vocalem, quae istam particulam excipit, in *neque* mutatum. Unci, quibus quaedam inclusa sunt, indicant, *neque* ibi a me revocatum esse pro *nec*. Ut incipiam a

Digitized by Google

Ge. IV, 198. et Aen. XII, 679., altero quidem loco ipse Mediceus *neque* exhibet; priore in eodem a m. pr. exstat *dec;* quare quum semel peccatum fuerit, non tanta est ibi Medicei auctoritas; atque ut *d* in *dec* ex praegresso vocabulo *quod*, ita *c* pro *q* ex sequente *concubitu* tractum videtur. Accedit, quod hic quidem ipse Romanus exhibet *neque.* Utrique autem emendationi, ut paulo post videbimus (§. 2. et §. 4.), plurimum fidei conciliatur ex numerorum elegantia. Partim easdem, partim alias ob causas Ecl. VII, 14. (cf. §. 5.) Aen. XII, 907. (cf. §. 10. sub fin.) *neque* scribendum videtur.

2. Iam ut ad ipsum harum particularum usum veniamus, duabus is rebus maxime regitur, soni ac numerorum suavitate, et orationis vi ac gravitate. Plerumque autem et numerus et oratio eandem postulat formam; quamquam non tanto intervallo disiunctae ac separatae sunt hae particulae, ut non interdum, ubi res tulerit, aut soni suavioris causa ea forma admittatur, quae orationi, aut sententiae gratia, quae numerorum elegantiae non plane congruat.

Sed de sono et rhythmo, in quo temperando admirabilis est vel maxime Virgilius, ut primum explicemus: ea res non uno proditur signo. Qui vel aliquot paginas Virgilii, vel alius poetae paullo attentius legerit, intelliget in primis hoc poetas curasse, ut hexameter a dactylo inciperet, praesertim si in secunda sede subiectus esset spondeus. Hinc explicandum est, quod in thesi primae sedis tantum non ubique invenias *neque*, non *nec*.

Ecl. V, 82. Nam *neque* me tantum
X, 11. Nam *neque* Parnasi
Ge. I, 395. Nam *neque* tum stellis
II, 103. Sed *neque* quam multae
136. Sed *neque* Medorum
IV, 9. Quo *neque* sit ventis
Aen. II, 197. Quos *neque* Tydides
III, 242. Sed *neque* vim plumis
VII, 692. Quem *neque* fas igni
VIII, 316. Quis *neque* fas, neque cultus erat
X, 679. Quo *neque* me Rutuli
XI, 70. Cui *neque* fulgor adhuc
XII, 135. Tum *neque* nomen erat
903. Sed *neque* currentem

Contrarium non nisi duobus locis observavi; alter eorum est Ge. IV, 198., quem modo emendavimus, alter Aen. V, 783.: „Quam *nec* longa dies, pietas nec mitigat ulla.“ Hunc tamen, praesertim quum nulla lectionis varietas ibi notetur, eo magis intactum relinquendum censeo, quo magis de industria, ut infra (§. 12.) apparebit, poeta *nec* scripsisse putandus est.

Digitized by Google

3. Contra tertia sedes spondeos amat, quibus mitigetur vis rhythmi anapaestici; sedatiorem enim esse decet hexametrum epicum. Quod quum prae ceteris sensisset Virgilius, raro inveniuntur in eius carminibus versus meris dactylis decurrentes; atque ubi inveniuntur, aut animi commotio gravior numeris exprimitur, aut sapienter res ab eo ita attemperata est, ut ne delicatioris lectoris aures offendantur. Hinc in tertia sede ubique *nec* invenitur, nisi ubi vocalis sequitur. Exempla si quaeris, invenies Ecl. II, 2. 56. V, 26. VI, 11, 393. VIII, 89. IX, 16. X, 46. Ge. IV, 128. Aen. I, 219. 529. II, 197. 314. 429. 521. 534. 708. IV, 307. 501. V, 786. VI, 348. VIII, 377. IX, 138. 425. 486. 606. X, 581. 679. XII, 912. *neque* vocali sequente: Ecl. X, 12. Ge. I, 514. IV, 10. 447. Aen. X, 757. XI, 159. 413. ac saepius. Unus refragatur locus Aen. I, 260. de quo deinde (§. 7.) videbimus.

4. In secunda sede et *neque* invenitur, ut:

Ecl. I, 41. Quid facerem? *neque* servitio me exire licebat.
Aen. II, 78. fatebor Vera, inquit, *neque* me Argolica de gente negabo.
IV, 380. Sollicitat! *Neque* te teneo, neque dicta refello.
VI, 347. Ille autem: *Neque* te Phoebi cortina fefellit
VIII, 316. Quis neque mos, *neque* cultus erat
569. Nate, tuo; *neque* finitimus

et *nec*:

Aen. I, 328. haud tibi vultus Mortalis, *nec* vox hominem sonat (Mor. un. *neque*)
II, 79. Hoc primum; *nec* si miserum Fortuna Sinonem
287. Ille nihil; *nec* me quaerentem vana moratur
704. Cedo equidem; *nec*, nate, tibi comes ire recuso
740. Incertum; *nec* post oculis est reddita nostris
778. Eveniunt; *nec* te comitem portare Creusam
VII, 360. O genitor? *nec* te miseret
XI, 354. unum Adiicias; *nec* te ullius violentia vincat

Quibus inter se collatis apparet, *neque* maxime inveniri in versibus hephthemimerim habentibus; cf. Ecl. I, 41. Aen. II, 78. IV, 380.; hi enim sunt hoc loco versus ordines

— ◡ ◡ — | ◡ ◡ — ◡ ◡ — | ◡ ◡ — ◡ ◡ — —

non hi

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — | ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — —

porro VIII, 316. 569. Hinc novum accedit argumentum emendationi supra (§. 1.) factae Aen. XII, 679.: „Morte pati; *neque*

me indecorem, germana, videbis." In uno, qui superest, versu Aen. VI, 347. propter spondeos, qui tres reliquas sedes insident, *neque* scriptum. Contra Aen. II, 704. retardandi numeri causa ante hephthemimerim *nec* positum. Cur autem Aen. XI, 354. poeta *nec* scribere maluerit, mox (§. 12.) intelligetur.

5. Ut autem in quovis longiore versu invenitur una sedes ceteris debilior, sic etiam in hexametro, quartam dico. Hanc, quippe deficiente, ubi eo perventum est, spiritu, variis modis corroborare studuerunt poetae, in primis Virgilius. Hinc, ut saltem nonnulla afferam, dactylus ibi in bucolicis usitatus; hinc raro singulis vocabulis, spondei mensuram habentibus, expletur illa sedes; hinc crebrae elisiones et voces monosyllabae; cfr. Quaest. XXXV, 20. Quum autem dactylus exiliores in ea sede facere videretur numeros, hunc epici poetae rarius admiserunt, aliisque rationibus firmare versum instituerunt. Ac si qua est, quod obiter moneo, in ea re inter Graecos et Latinos poetas discrepantia, ea magnam partem ex accentus diversitate, aut aliis ex causis iudicanda est. Ex his facile iam divinare licet, usitatius in quarta sede esse *nec*, quam *neque*. *Nec* quidem ante consonam his locis annotavi:

Ecl. IX, 35. Nam neque adhuc Vario videor, *nec* dicere Cinna Digna*
X, 16. Stant et oves circum; nostri *nec* poenitet illas
62. Iam neque Hamadryades rursus, *nec* carmina nobis*
Ge. II, 103. Sed neque quam multae species, *nec* nomina quae sint*
501. Sponte tulere sua, carpsit; *nec* ferrea iura
III, 559. Nam neque erat coriis usus, *nec* viscera quisquam*
Aen. I, 601. Non opus est nostrae, Dido; *nec* quidquid ubique est*
II, 159. Si qua tegunt; teneor patriae *nec* legibus ullis
432. Testor in occasu vestro *nec* tela, nec ullas
467. Incidit. Ast alii subeunt; *nec* saxa, nec ullum
491. Instat vi patria Pyrrhus; *nec* claustra, neque ipsi
III, 192. Postquam altum tenuere rates, *nec* iam amplius ullae
214. Tristius haud illis monstrum, *nec* saevior ulla Pestis*
242. Sed neque vim plumis ullam, *nec* vulnera tergo*
484. Et Phrygiam Ascanio chlamydem; *nec* cedit honori.

Digitized by Google

Aen. IV, 338. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge fugam; *nec* coniugis unquam *
Praetendi taedas.
V, 394. Ille sub haec: „Non laudis amor, *nec* gloria cessit *
VI, 593. Contorsit; non ille faces, *nec* fumea taedis *
VII, 231. Non erimus regno indecores, *nec* vestra feretur *
VIII, 316. Quis neque mos, neque cultus erat, *nec* iungere tauros *
IX, 748. neque enim is teli, *nec* vulneris auctor *
XI, 343. Rem nulli obscuram, nostrae *nec* vocis egentem *

Multa prudens praeterii, ut Ecl. I, 33. V, 60. VIII, 45. X, 29. sq. Ge. II, 83. III, 62. IV, 129. etc., de quibus infra. Nec non versus stellulis insigniti etiam aliam sequuntur regulam.

neque his tantum:

Ge. III, 252. Ac neque eos iam frena virum, *neque* verbera saeva
277. Diffugiunt, non, Eure, tuos, *neque* Solis ad ortus
Aen. I, 326. Nulla tuarum audita mihi, *neque* visa sororum.
IV, 380. Sollicitat! Neque te teneo, *neque* dicta refello
440. Per medios, miscetque viris; *neque* cernitur ulli
V, 194. Non iam prima peto Mnestheus, *neque* vincere certo
217. Radit iter liquidum, celeres *neque* commovet alas
453. At non tardatus casu, *neque* territus heros
VIII, 143. His fretus, non legatos, *neque* prima per artem

Sed habet haec quoque res certam quandam rationem. *Neque* enim quarta sede positum aut celeritatem exprimit, ut Ge. III, 277. Aen. V, 217.; aut omnino concitatum quid indicat, ut Ge. III, 252. Aen. IV, 380.; aut praelatum *neque*, quod prior versus pars per spondeos tardius ingreditur, ut Aen. V, 453. et VIII, 143.; atque etiam Ecl. VII, 14., quod numerorum elegantia requirere videbatur, *neque* e praestantissimo fragm. Moret. et Serv. Dresd. revocavi: „Quid facerem? neque ego Alcippen, *neque* Phyllida habebam;" aut denique alio modo inservit numerorum suavitati, ut Aen. I, 326. 440. Horum enim versuum extremi ordines, si *nec* scribitur, nimis similem sonum referunt:

— ´— ⏑ ⏑ ´— | — ´— ⏑ ⏑ ´— | —.

Quod si idem in quibusdam versibus *nec* habentibus, ut Aen. IV,

339. V, 394. VI, 593. VII, 231. antea laudd., reprehendi posse videtur, ita hi atque illi versus inter se differunt, ut illorum sententia ipso versu finiatur, quod secus est in his; iam, ubi statim ad proxima pergitur, minus sentitur illud, qualecunque est, vitium. Accedit, quod in versibus hephthemimerim habentibus nimis inaequales sunt ordines, prior nimis longus, alter nimis brevis; quod non offendet aures, si, continuata per proximum versum sententia, non licuerit voci in extremo versu subsistere; poterit autem offendere, si cum versu clauditur etiam sententia. Itaque, hoc ubi fit, ipsa numerorum celeritate efficitur, ut ea res, minore pausa post hephthemimerim facta, haud ita multum obsit soni elegantiae. — Denique rectius Aen. XII, 907. ex Mediceo edideris: „Nec spatium evasit totum, *neque* pertulit ictum." Vid. de h. l. etiam §. 10. et de Aen. V, 194. §. 7.

6. *Neque* ante vocales usitatum esse satis constat; et sic ubique quamcunque in versu sedem obtinet, sequente Verbo substantivo, aut Praepositione aliave Particula, qualis est *enim, adhuc*, apud Virgilium scribi solet. Quae res quum certa et optimi cuiusque libri auctoritate comprobata ac confirmata sit, non est, quod exemplis, quae sunt innumerabilia, stabiliatur; cf. tamen, quae §. 7. attuli. Ex Mediceo aliisque libris Heinsius Aen. VI, 870. edidit *nec ultra*, quamquam in hac quoque sede, nisi alia causa intercesserit, usitatum est *neque*. Sic enim ex optimorum librorum, nec raro omnium, auctoritate editur Ge. I, 95. 347. II, 138. 293. 420. 498. III, 239. 352. IV, 37. 398. 500. Aen. VI, 733. IX, 129. X, 32. 757. XI, 228. 568. et alibi. Quare non dubitavi, l. l. *neque* retinere cum Heynio. De Aen. V, 669. vid. §. 13. Neque vero hoc mirum, in re ad labendum adeo proclivi, cf. §. 1. dicta, si interdum etiam in optimis libris a vero aberratum fuerit. Quare unum illud restat, ut, quibus conditionibus *nec* ante vocales ponatur, aperiamus. Iam vero veniendum ad ea, quae de orationis vi ac gravitate dicenda sunt, quae spero parti eorum, quae supra exposuimus, aliquantum lucis esse allatura.

7. Haec omnis res ex eo pendet, quod *nec* fortius est et gravius, *neque* mollius et lenius. Quam rem si quis diligenter examinare velit, optimi cuiusque scriptoris usu comprobatam inveniet*). Nunc, quidquid ad eam firmandam ex Virgilio peti potest, explicabo. Ac *neque* similius est nostro *und nicht*, *auch nicht*; *nec* vero magis respondet nostro *noch*. Hinc *neque* molliorem facit ad sequentia transitum. Cf. Ge. I, 514. II, 104. III, 239. 352. 559. IV, 207. 447. 500. Aen. II, 376. VII, 195. 581. VI, 52. 733. VIII, 251. IX, 704. X, 865. XII, 74. Contra duriorem quandam formam fuisse *nec*, vel inde coniicere licet,

*) vid. iam §. 15. sq.

Digitized by Google

quod admodum pauca vocabula hac consona terminantur, in his tamen tres imperativi, *dic*, *duc*, *fac;* quibus quidem cum imperativis non est comparandum *fer*, quod verbum iam in infinitivo apocopen est passum, sicuti *velle*, unde *vel* ortum, quae non dubito quin antiqua imperativi forma censenda sit. Quare quum durior ille sonus particulae *nec*, sequente vocali, gravius ad aures accideret, praelata est ante vocalem mollior forma *neque*. Hinc lenior etiam fit oratio, quum consonam *neque* praecedit; quamobrem nolim fidem codicum tentare Aen. I, 260. „*neque* me sententia vertit." cf. §. 3. Legas modo totum locum inde a vs. 254.; nihil isto mollius ac lenius. Similem affectum deprehendes Aen. V, 194.: „Non iam prima peto Mnestheus, *neque* vincere certo." Magna hic cum arte adiectum est loquentis nomen, animum remissiorem, nec iam magnarum rerum appetentem indicans; sensus enim est: non iam is sum, qui prima petam. Egregie etiam Aen. I, 718. de Didone, quam Amor sub Ascanii specie latens petit: „Haec oculis, haec pectore toto Haeret, et interdum gremio fovet; inscia *Dido,* Insideat quantus miserae deus!" *) X, 677.: „In rupes, in saxa (volens vos *Turnus* adoro) Ferte ratem!"

8. *Neque* magis transitui inservire, quam *nec*, vel eo probabile est, quod *nec* etiam pro simplici *non* legitur, ita tamen, ut neget fortius: Auctor Ciris vs. 238.: „quod *nec* sinit Adrastea;" — quae verba immerito suspecta sunt Silligio meo; — maxime in prohibendi formulis, veluti Virgil. Ecl. IX, 6.: „Hos illi (quod *nec* vertat bene!) mittimus haedos." Plinius Ep. II, 2, 3.: „Illud enim *nec* dii sinant." cf. etiam §. 12. extr. *Neque* non ita; nam quod in principiis sententiarum pro simplici *non* dici aiunt, nihil hoc ad rem. Iam vero ut l. l. ex uno cod. Moret. pro *nec* recipias *non*, quantum de sua vi his verbis detrahes! Clarius cernitur huius particulae potestas in geminata negatione; geminata enim negatio maiorem plerumque vim habet, quam simplex. Hinc fit, ut *neque* raro, *nec* saepissime geminetur. Certa, quae quidem huc faciant, repetitae particulae *neque* exempla haec in promtu habeo: Ge. IV, 9. sq. Aen. IV, 380. VIII, 316. X, 757. *Nec* geminatum Ecl. II, 56. V, 60. VIII, 45. IX, 16. Ge. I, 36. III, 62. Aen. IV, 307. 365. VII, 360. XI, 164. V, 783. VI, 88. et saepe alibi. Quid? quod *nec* ter et quater repetitur, *neque* non item. Sic Ecl. X, 29. sq.: „*Nec* lacrimis crudelis Amor, *nec* gramina rivis, *Nec* cytiso saturantur apes, *nec* fronde capellae." Ge. IV, 128.: „*nec* fertilis illa iuvencis, *nec* pecori opportuna seges, *nec* commoda Baccho." Aen. IV, 307.: „*Nec* te noster amor, *nec* te data dextera quondam, *Nec* moritura te-

---

*) Alio modo, ut hoc addam, utitur hoc appositionis genere Virgilius Aen. IV, 234.: „Ascanione *pater* Romanas invidet arces?"

net crudeli vulnere Dido?" V, 783.: „Quam *nec* longa dies, pietas *nec* mitigat ulla, *Nec* Iovis imperio fatisque infracta quiescit." XI, 164.: „*Nec* vos arguerim, Teucri, *nec* foedera, *nec* quas" etc. Ecl. X, 11. sq. autem propter vocalem tertio loco *neque* exhibitum; et Aen. VIII, 316. recte editur: „*nec* iungere tauros." Inde etiam apparet, cur, praegresso *neque*, plerumque legatur *nec;* repetita enim negatio quum plerumque fortiorem reddat orationem, et ipsa debet fortior esse*); cf. Ecl. V, 82. IX, 35. X, 62. Ge. II, 103. III, 490. ubi Medic. *nec* apud Foggin. pro *neque*. 559. Aen. III, 242. VI, 347. sq. VII, 692. IX, 748. X, 679. XII, 903. *Nec* autem ubi praecesserit, et repetita negatio vim habet Graeci οὔτε — οὔτε, vel καὶ οὔτε — οὔτε, consentaneum est, *nec* sequi, non *neque;* quae quidem regula constantissime servatur. Sic Ecl. I, 33.: „Namque, — dum me Galatea tenebat, *Nec* spes libertatis erat, *nec* cura peculi." Ge. III, 62.: „Cetera *nec* feturae habilis, *nec* fortis aratris." et saepe alibi; ut Ecl. X, 29. sq. Ge. IV, 129. modo laudd. Cfr. praeterea §. 5. Hinc *nec* ante vocales invenitur Aen. II, 432.: „Testor in occasu vestro *nec* tela, *nec ullas* Vitavisse vices." item vs. 467.: „*nec* saxa, *nec ullum* Telorum interea cessat genus." ibid. 429.: „*nec* te tua plurima, Panthu, Labentem pietas, *nec Apollinis* infula texit." ubi tres codd. *neque* praebent, propter sequentem vocalem scilicet; cf. §. 1. observata. Ge. III, 216.: „*nec* nemorum patitur meminisse, *nec herbae*." Aen. XI, 208.: „*Nec* numero, *nec* honore cremant." XII, 630.: „*Nec* numero inferior, pugnae *nec* honore recedes." Cfr. etiam §. 18.

9. Contra, ubi *non* aut alia lenior negatio praegressa est, vocali sequente, semper fere subiicitur *neque;* ut Ge. II, 138.: „*non* Bactra, *neque* Indi, (Laudibus Italiae certent)." ib. 293.: „Ergo *non* hiemes illam, *non* flabra, *neque* imbres Convellunt." Aen. IX, 129.: „*non* tela, *neque* ignes Exspectant Rutulos;" ubi male editur *nec;* reposui *neque* e Mediceo aliisque vetustis libris. Ac mira quadam arte Virgilius effecit, ut plerumque, quum nova sententia priori simpliciter iungenda esset, particulae *neque* locus esset. Sic

Ge. I, 456.: *non* illa quisquam me nocte per altum Ire, *neque* a terra moneat convellere funem.
425.: *nunquam* te crastina fallet Hora, *neque* insidiis noctis capiēre serenae.
II, 286.: Sed quia *non* aliter vires dabit omnibus aequas Terra, *neque* in vacuum poterunt se extendere rami.
420.: Contra *non* ulla est oleis cultura; *neque* illae Procurvam exspectant falcem

*) vid. §. 20. sq.

Digitized by Google

Ge. II, 461 — 65.: Si *non* ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit aedibus undam;

— — — — — — — — —

Alba *neque* Assyrio fucatur lana veneno," *cet.*

496.: *Non* res Romanae (illum flexerunt) peritura-que regna; *neque* ille Aut doluit miserans inopem.

IV, 398.: Nam sine vi *non* ulla dabit praecepta, *neque* illum Orando flectes.

Aen. VII, 756.: Sed *non* Dardaniae medicari cuspidis ictum Evaluit; *neque* eum iuvere in vulnera cantus.

IX, 179.: quo pulchrior alter *Non* fuit Aeneadum, Troiana *neque* induit arma.

XI, 567.: *Non* illum tectis ullae, non moenibus urbes Accepere, *neque* ipse manus feritate dedisset.

702.: ubi se *nullo* iam cursu evadere pugnae Posse, *neque* instantem reginam avertere cernit

845.: *Non* tamen indecorem tua te regina reliquit Extrema iam in morte, *neque* hoc sine nomine letum Per gentes erit.

Sed ubi praegressam eiusmodi negationem consonans sequitur, fere *nec* scribitur. Cfr. exempla §. 5. allata Aen. I, 601. III, 214. V, 394. VI, 593. VII, 231. X, 343.

Sed in graviore argumento, licet vocalis subiecta sit, sequitur *nec;* ut in concitatiore oratione, qualis est Aen. IV, 529.: „At *non* infelix animi Phoenissa; *nec* umquam Solvitur in somnos;" ita ibi edidi; vid. V. L. ad h. l. Aen. II, 583.: „etsi *nullum* memorabile nomen Feminea in poena est, *nec* habet victoria laudem;" imo vituperationem; hinc gravius illud *nec*. XII, 135.: „Tum *neque* nomen erat, *nec* honos, aut gloria monti;" neque enim idem significant *nomen* et *honos,* (cf. §. 10. sub fin.) sed *nomen* proprie h. l. dictum. ibid. 207.: „Numquam fronde levi fundet virgulta, *nec* umbras;" *nec* enim iurantis gravitati in primis conveniens ex Mediceo apud Fogginium aliisque codd. restitui. Quod si quis tamen sit, qui fretus quibusdam, quae hic et §. 8. excitavi, exemplis hanc esse vim literae *h* existimet, ut *nec* pro *neque* adsciscat, eius opinioni hi repugnant loci: Ecl. X, 62.: „Iam *neque Hamadryades* rursus nec carmina nobis Ipsa placent." Aen. XI, 413.: „Funditus occidimus, *neque habet* Fortuna regressum." X, 757.: „*neque his* fuga nota, neque illis." XI, 846.: *neque hoc* sine nomine letum Per gentes erit."

Digitized by Google

10. Ut complectar brevi: *non — neque*, *non — nec*, et similia, respondent Graeco οὐκ — οὐδέ, *neque — nec* οὐδέ — οὐδέ, Graecum οὔτε — οὔτε autem raro exprimitur per *neque — neque*, saepius per *neque — nec*, plerumque per *nec — nec*. Illud tamen apparet, ubi *nec — nec* ita ponitur, ut prius *nec* in enuntiati principio collocatum non tam disiungendi, quam adiungendi vim, sive potestatem Graeci οὐδέ, habeat, ibi posse pro altero *nec* etiam *neque* scribi. Hinc retinui optimorum librorum lectionem Aen. II, 491.: „Instat vi patria Pyrrhus; *nec* claustra, *neque* ipsi Custodes sufferre valent;“ i. e. ac iam irrumpentium vim non claustra, ne ipsi quidem custodes sustinere possunt, οὐ κλεῖθρα, οὐδ' αὐτοὶ φύλακες. Neque in his *neque* in *nec* mutandum puto: Ge. II, 83. sq.: „Praeterea genus haud unum *nec* fortibus ulmis, *Nec* salici lotoque, *neque* Idaeis cyparissis;“ interrupto enim per particulam *que* orationis tenore, ea, quae sequuntur, *neque Idaeis cyparissis*, novam constituunt enuntiationem, ad quam explendam repetendum ex praegressis: *genus unum est*, nos: *auch nicht*. Nec Graece dubito quin recte hic dicas: οὐκ οὔτε — οὔτε — τε, οὐδέ. Cf. Eurip. Herc. fur.: „Ἀλλ' οὔτε Σισύφειον εἰςορῶ πέτρον Πλούτωνά τ', οὐδὲ σκῆπτρα Δήμητρος κόρης.“ vid. Schaefer. ad Dionys. p. 36. et 299. Recte etiam illud Ge. II, 153. sq.: „*Nec* rapit immensos orbes per humum, *neque* tanto Spumeus in spiram tractu se colligit anguis;“ scilicet eadem est in utroque membro sententia, οὐδὲ — οὐδέ, non οὔτε — οὔτε, requirens. Eandem ob causam Aen. XII, 907. ex Medic. Menag. et Parrhas. revocandum *neque*, ubi nunc sic editur:

> Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
> Nec spatium evasit totum, *nec* pertulit ictum.

Apparet, quum vs. 907. utriusque hemistichii sententia eodem redeat, ineptam esse fortiorem negationem *nec — nec*, οὔτε — οὔτε. Quare omisso post *viri* vs. 908. commate, oratio ita constituenda, ut in tria membra dividatur, hunc in modum: 1) Tum lapis ipse — volutus, scil. *est*. 2) Nec (i. e. οὐδέ) spatium evasit totum. 3) neque pertulit ictum. Hac ratione etiam efficitur, ut, quum concitatiores sint numeri, occultetur quodammodo κακοφωνία, quae est in to*tum* — ic*tum*.

11. At vero ubi ad augendam negationis vim pleonastice praecedenti negationi altera subiicitur, ut in Graeco οὐδὲν οὔτε — οὔτε, tum sane necessario requiri videtur, ut etiam priore loco *nec*, non *neque*, scribatur. Hinc ut omittam talia, quale est Ecl. IV, 55.: „*Non* me carminibus vincet *nec* Thracius Orpheus, *Nec* Linus.“ Ge. II, 83. sq.: „Praeterea genus *haud*

unum, *nec* fortibus ulmis, *Nec* salici.") Aen. IX, 428.: „*nihil* iste *nec* ausus, *Nec* potuit." XI, 801.: „*nihil* ipsa *nec* aurae, *Nec* sonitus memor;" nam quod h. l. editur *neque*, mutavi in *nec*, a Fogginio ex Mediceo prolatum. Eandem formam idem Mediceus fortasse, si non in prima parte mutilus esset, praeberet Ecl. V, 25.: „*nulla nec* amnem Libavit quadrupes, *nec* graminis attigit herbam." Sic ibi pro vulgari *neque* edidi, et codices quosdam et rationem secutus.

12. Quae quum ita sint, non mirum videbitur, si interdum *nec* ea sede positum reperitur, ubi alibi *neque* locum habere solet. An vero non agnoscis numerorum gravitatem in hoc versu Aen. XI, 354.: „unum Adiicias; *nec* te ullius violentia vincat." cf. §. 4.; aut in hoc V, 783.: „Quam *nec* longa dies, pietas nec mitigat ulla," etc. cf. §. 2. Huc etiam referendum videtur, quod legitur Aen. V, 781.: „Iunonis gravis ira, *nec* exsaturabile pectus;" quod dictum est pro: *et inexsaturabile;* similiter *nec memorum* pro *immemorum* Aen. XII, 533.: „crebro super ungula pulsu Incita *nec* domini memorum proculcat equorum;" quale est etiam *nec opinatus* pro *inopinatus*, *nec ullus* pro *nullus*, ut Auctor Ciris vs. 269.: „Cui Parcae tribuere *nec* ullo vulnere laedi;" quod cave explices: „Et cui Parcae tribuere non laedi.

13. Superest, ut quaedam singularia afferam. Huc pertinet Aen. IX, 150.: „tenebras et inertia furta Ne timeant; *nec* equi caeca condemur in alvo." Nimirum ingrato erat sono *neque equi;* et XII, 352.: „*nec equis* adspirat Achilli." Sic fortasse etiam XII, 465. e codd. quibusdam restituendum: „Nec pede congressos, *nec equo;*" ubi nunc editur: *congressos aequo*. Soni ratio haberi potuit etiam Aen. V, 781. §. 12. laud., ut V, 669.: „*nec* *ex*animes possunt retinere magistri." vid. §. 6. Aen. XI, 381.: „dum distinet hostem Agger murorum, *nec* inundant sanguine fossae;" fortasse *nec* scriptum, quia repetenda particula *dum*, ut sit *necdum;* minus enim usitatum *neque dum*. Ecl. IX, 26.: „quae Varo *necdum* perfecta canebat."

---

14. Apparet eiusmodi quaestiones inde plurimum habere difficultatis, quod editiones, quibus utimur, veterum scriptorum e variis libris mss. conflatae esse solent, ita tamen, ut ab editoribus eiusmodi scilicet minutiae minus, quam par erat, observatae lectionisque diversitates aut non satis accurate enotatae sint, aut, ut plurimum, plane neglectae. Iam vero singulari Fogginii merito debemus, ut unius vetustissimi optimique codicis Virgiliani, Mediceum dico, tamquam oculis usurpandi copia facta sit philologis. Qui quantum adiuvet studia eiusmodi res quaerentium, ex

Digitized by Google

hac ipsa disputatione cognoscitur. Sed multi erunt, opinor, qui, quid hoc in genere pedestres scriptores secuti sint, scire cupiant. Atque horum desiderio ut, quantum liceret, satisfacerem, sumsi Ciceronis libros de Republica a Maio ex uno eoque vetustissimo codice editos, atque ita perlustravi, ut vix unum locum, qui quidem ad hanc causam spectaret, intactum reliquisse mihi videar. Nec poenitet me huius laboris; ita enim, quae supra de usu Virgiliano particularum *nec* et *neque* exposui, comprobari confirmarique intellexi, ut, quid cuique loco conveniat, exploratum fere haberi possit. Sed venio ad ipsam rem.

15. Primum igitur hoc non posse dubitari puto, quin illa ratio, qua *nec* ante consonas, *neque* ante vocales ponere iubemur, etsi eam ex parte Virgiliana consuetudo tueri videtur, vid. §. 6., Ciceronis usu, si non prorsus tollitur, certe infringatur valdeque infirmetur. Nam et *nec* saepe ante vocalem, et *neque* ante consonam collocatum reperies; cuius rei exempla satis multa ex iis peti possunt, quae infra sum in medium allaturus. Itaque omne harum particularum discrimen apud Ciceronem quidem in ipsa earum vi ac significatione ponendum existimo.

16. a) Vidimus autem supra, §. 7., *nec* fortius esse, *neque* mollius. Ab illo ut incipiam, per *nec* gravius negari, inde intelligitur, quod saepe spectat ad opposita: I, 2.: „*Nec* vero *habere* virtutem satis est, nisi *utare*.“ 8.: „*Nec* vero *nostra* quaedam est instituenda nova et a nobis inventa ratio, *sed* unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria est.“ 17.: „Quam est hic fortunatus putandus, cui soli vere liceat omnia non Quiritium, set sapientium iure pro suis vindicare, *nec* civili nexo, *sed* communi lege naturae.“ 34.: „Cum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; cum, quas ad res civis instituit et vocat, eas omnis conplexus est ipse; *nec* leges inponit populo, quibus ipse non pareat; *set* suam vitam ut legem praefert suis civibus.“ II, 15.: „non esse nos transmarinis *nec* inportatis artibus eruditos, *sed*“ cet. 16.: „intelligesque *non fortuito* populum Romanum, sed consilio et disciplina confirmatum esse, *nec* tamen *adversante fortuna*.“ 34.: „quorum auctoritas maxime florebat, quod, cum honore longe antecellerent ceteris, *voluptatibus* erant *inferiores*, *nec pecuniis* ferme *superiores*.“ III, 8.: „*Nec* vero illis aut voluntas defuit, aut ingenium; *sed*“ cet. 14.: „quum de tribus unum esset optandum, aut *facere* iniuriam, *nec accipere*.“ V, 2.: „*Nec* vero quisquam *privatus* erat disceptator aut arbiter litis, *sed* omnia conficiebantur iudiciis *regiis*.“ 4.: „*Nec* vero tam *metu poena*que terrentur, quam *verecundia*.“ — *Nec* subiecta particula adversativa *tamen:* vid. II, 16. modo laud. et II, 38.: „Laudavisse mihi videris nostram rempublicam,

Digitized by Google

cum ex te non de nostra, sed de omni republica quaesisset Laelius. *Nec tamen* didici ex oratione tua, istam ipsam rempublicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus.“ Adversativa quaedam vis inest huic particulae etiam III, 33.: „Nec vero convenit;“ locus est mutilus.

16. b) Omnino autem *nec* poni solet, ubi negatio cum aliqua vi certo cuidam vocabulo adiungitur: I, 3.: „*Nec* vero iam *meo* nomine abstinent.“ ibid.: „Hinc enim illa et apud Graecos exempla, — — — *Nec* vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos civis exempla *deficiunt*.“ 34.: „Nam divitiae, nomen, opes vacuae consilio et vivendi atque aliis imperandi modo, dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae: *nec ulla* deformior species est civitatis, quam illa, in qua opulentissimi optimi putantur.“ ibid.: „*Nec* vero *ita* disseram de re tam inlustri tamque nota, ut ad illa elementa revolvar.“ 44.: „Sic tamquam pilam rapiunt inter se reipublicae statum —: *nec diutius umquam* tenetur idem reipublicae modus.“ II, 4.: „*Nec* vero *ulla* res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando, quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navigandi et agrorum et armorum cultum reliquerant.“ ibid.: „Nam ipsa Peloponnesus fere tota in mari est: *nec* praeter Phliuntios *ulli* sunt, quorum agri non contingant mare.“ 20.: „Deinde equitatum ad hunc morem constituit, (Tarquinius Prisc.) qui usque adhuc est retentus: *nec potuit* Titiensium et Rhamnensium et Lucerum mutare, cum cuperet, nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat.“ III, 18.: „nulla est tam stulta civitas, quae non iniuste imperare malit, quam servire iuste. *Nec* vero *longius* abibo: Consul ego quaesivi“ *cet.* — Hinc ubi est litotes: I, 41.: „denique ne reges quidem appellabant, set patriae custodes, set patres et deos. *Nec sine* causa.“ Quo revocari potest etiam III, 2.: „quae res prima impulit etiam, ut suspiceremus in caelum, *nec frustra* siderum motus intueremur.“ Quamquam in simili, sed leniore ac sedatiore, oratione poterit etiam alteri particulae, *neque*, suus esse locus; ita fit, ut iam *nec vero*, *nec tamen*, *nec ullus*, *nec sine causa*, iam *neque vero*, *neque tamen*, *neque ullus*, *neque sine causa*, et quae sunt similia, inveniantur; vid. §. 17. a) b) — De I, 24. et II, 3., qui loci minime praetereundi, et de II, 37. vid. §. 17. b) — Sententia videtur *nec* postulare etiam III, 33.: „*nec* video, qui magis in multitudinis dominatu rei publicae nomen appareat;“ ubi ambiguum est in codice, utrum *nec* an *neque* scriptum fuerit.

17. a) *Neque* saepe est nostrum *wohl nicht*, etiam, quamquam his particulis in graviore quoque negatione utimur, *nicht etwa*, inservitque maxime amplificandae variis modis orationi,

Digitized by Google

ut id, quod praecesserit affirmative enuntiatum, iam negativa sententia concludatur, aut ut praegressa accuratius explicentur, illustrentur, et quae sunt huius generis alia. I, 2.: „teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque; *neque* ea signa audiamus, quae receptui canunt.“ 3.: „leve sane inpedimentum vigilanti et industrio; *neque* solum in tantis rebus, set etiam in mediocribus vel studiis, vel officiis, vel vero etiam negotiis contemnendum.“ 4.: „Quamquam nostri casus plus honoris habent, quam laboris; *neque* tantum molestiae, quantum gloriae.“ 19.: „obtrectatores Scipionis tenent senatus alteram partem —: *neque* hunc, qui unus potest, his tam periculosis rebus succurrere patiuntur.“ 34.: „aliis permisso otio suo, quibus id tuendum est, *neque* committendum, ut sua commoda populus neglegi a principibus putet.“ II, 11.: „Videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum, *neque* ut in cunabulis vagientem relictum, set adultum iam et paene puberem.“ 15.: „saepe enim hoc de maioribus natu audivimus et ita intellegimus vulgo existimari: *neque* vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus.“ ibid.: „Tum Scipio, Falsum est, Manili, inquit, id totum, *neque* solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum.“ ibid.: „Ex quo intelligi potest, anno fere CXL post mortem Numae primum Italiam Pythagoram attigisse: *neque* hoc inter eos, qui diligentissime persecuti sunt temporum annales, ulla est umquam in dubitatione versatum.“ 23.: „tamen illud excellit regium nomen; *neque* potest eiusmodi res publica non regnum esse.“ 31.: „lex sanxit, ne qui magistratus sine provocatione crearetur. *Neque* vero leges Porciae quicquam praeter sanctionem attulerunt novi.“

17. b) Hinc frequentatur *Neque enim:* I, 4.: „*Neque enim* hac nos patria lege genuit, ut“ *cet.* 7.: „*Neque enim* est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana.“ 23.: quamvis sit magna exspectatio, tamen eam vinces: *neque enim* est periculum, ne te de republica disserentem deficiat oratio.“ II, 3.: „Urbi autem locum incredibili opportunitate delegit: *neque enim* ad mare admovit.“ Contra ubi fortius negatur, *Nec enim,* I, 24.: „*nec enim* hoc suscepi, ut tamquam magister persequerer omnia:“ iam ita pergit: „*neque* hoc polliceor me effecturum, ut ne qua particula in hoc sermone praetermissa sit;“ non enim haec sententia multum differt a superiore. — Illustre est etiam exemplum particulae *neque* in remissiore, *nec* in alacriore oratione positae II, 3.: „Nam terra continens adventus hostium non modo exspectatos, sed etiam repentinos multis indiciis ante denuntiat. *Neque* vero quisquam potest hostis advolare terra, quin eum non modo esse, sed etiam quis et unde sit, scire possimus. Maritimus vero ille et navalis hostis ante adesse potest, quam quisquam venturum esse suspicari queat. *Nec* vero, cum venit, prae se fert, aut qui

sit, aut unde veniat," *cet.* Sed quum secundum ea, quae supra scripsi, II, 37. *neque* requiri videatur, *nec* ibi positum invenimus, ut gravior exsisteret oppositio. Locus is sic habet: „Tertius est annus decemviralis consecutus, cum iidem essent, *nec* alios subrogare voluissent." Denique cum I, 41., quem locum §. 16. b) laudavi, conferas ea, quae leguntur II, 31.: „*Neque* ego haec nunc *sine causa* tam vetera vobis et tam obsoleta decanto; sed illustribus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definio, ad quae reliqua oratio dirigatur mea."

18. Eodem modo *nec — nec*, vel *nec — et*, et *neque — neque*, vel *neque — que*, vel *et — neque* inter se differunt. Quod optime intelligitur ex I, 37.: „dabo tibi testes *nec* nimis antiquos, *nec* ullo modo barbaros;" at paulo inferius: „utor *neque* perantiquis, *neque* inhumanis ac feris testibus;" nimirum hoc idem fere, quod: non videor mihi uti vel perantiquis vel inhumanis ac feris testibus; ubi *neque* est illud, quod supra posuimus, *wohl nicht.* Praeterea observa graviorem oppositionem in his: I, 6.: „quod *nec* didicerint, *nec* unquam scire curaverint." ibid. „nihil *nec* didicisse umquam, *nec* docere." 17.: „qui bona *nec* putare, *nec* appellare soleat." II, 12.: „ut *nec* sine rege civitas, *nec* diuturno rege esset uno, *nec* committeretur," *cet.* 21.: „*nec* temporis unius, *nec* hominis esse constitutionem reipublicae." III, 11.: „at *nec* inconstantiam virtus recipit, *nec* varietatem natura patitur. 14.: „*nec* facere, *nec* pati." V, 5.: „*nec* bene vivi sine bona republica posset, *nec* esse quicquam civitate bene constituta beatius." II, 22.: „Ita *nec* prohibebatur quisquam iure suffragii, *et* is valebat in suffragio plurimum" *cet.*

19. Contra minus gravis est oppositio, ubi *neque* geminatur: I, 5.: „Quam ob rem *neque* sapientis esse, accipere habenas, — — *neque* liberalis, vel contumeliarum verbera subire, vel" *cet.* 10.: „*neque* enim pauci, *neque* leves sunt." 22.: „Set *neque* his contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines reliquerunt; *neque* ea, quae mihi videntur, anteferre illis audeo." ibid.: „ut me sic audiatis *neque* ut omnino expertem Graecarum rerum, *neque* ut eas nostris anteponentem; sed" *cet.* 35.: „Ecce autem maxima voce clamat populus, *neque* se uni, *neque* paucis velle parere." II, 25.: „exsultabat insolentia, *neque* suos mores regere poterat, *neque* suorum libidines." 34.: „quae *neque* Solonem fugerat, *neque* post aliquando nostrum senatum." I, 34.: „Nam aequabilitas quidem iuris *neque* servari potest: ea*que*, quae appellatur aequabilitas, iniquissima est." III, 5.: „quum *et* ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei, *neque* sit ignota consuetudo tua contrarias in partis disserendi." Adde

Digitized by Google

locum in primis memorabilem II, 1., §. 21. laud. Quod autem supra §. 8. vidimus, non solere *neque* ter repeti, id iam etiam Ciceronis usu confirmatur: II, 26.: „tyrannus, quo *neque* taetrius, *neque* foedius, *nec* dis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest.“ III, 33.: „nobis non placebat Syracusis fuisse rempublicam, *neque* Agrigenti, *neque* Athenis, quum essent tyranni, *nec* hic, quum decemviri.“

20. *Neque — nec* ita dicitur, ut alterum orationis membrum fortius sit priore: I, 26.: „*neque* reliquarum virtutum, *nec* ipsius reipublicae reperiantur ulla instituta.“ II, 22.: „Nunc rationem videtis talem, ut reliqua multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum *neque* excluderetur suffragiis, ne superbum esset, *nec* valeret nimis, ne esset periculosum.“ III, 31.: „Ergo illam rem populi, id est rem publicam, quis diceret tum, cum crudelitate unius oppressi essent universi, *neque* esset unum vinculum iuris, *nec* consensus ac societas coetus, quod est populus?“

21. Iam potest facile statui etiam de his: *Non — nec*, *Nemo — nec*, *Nihil — nec*, et de *Non — neque*, *Nihil — neque*. Insignis exstat locus II, 1.: „nostra autem respublica *non* unius esset ingenio, sed multorum, *nec* una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam *neque* ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset; *neque* cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore providere;“ ubi oppositorum ratio primum postulabat *nec*, explicativa deinde sententia *neque*. Iam vide reliqua: I, 1. init.: „liberavissent; *nec* C. Duilius, A. Attilius, L. Metellus terrore Carthaginis; *non* duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent; *nec* id excitatum maioribus copiis aut Q. Maximus enervavisset, aut“ *cet.* 25.: „*non* est enim singulare, *nec* solivagum genus hoc; *set* ita generatum.“ 41.: „*Non* heros, *nec* dominos appellabant, quibus iuste paruerunt, *set* patriae custodes,“ *cet.* III, 14.: „iustitiae *non* natura, *nec* voluntas, *sed* imbecillitas mater est.“ 3.: „Quem *nemo* ferro potuit superare *nec* auro.“ Ac praeterea si qua fortius pronuntiata voluit Cicero, particula *nec* usus est: I, 4.: „cum mihi *nihil* improviso, *nec* gravius, quam exspectavissem, pro tantis meis factis evenisset.“ II, 36.: „quorum *non* similiter fides, *nec* iustitia laudata.“ III, 8.: „Nam ab Chrysippo *nihil* magnum *nec* magnificum desideravi.“ Contra *neque* praegressa negatione posuit, ubi non multum diversa est subiecta sententia a superiore: I, 14.: „*nihil* novi vobis adferam, *neque* quod a me sit cogitatum aut inventum.“ 26.: „*non* perfectum illud quidem, *neque* mea sententia optimum.“ De II, 15. vid. §. 16. a) de I, 6. §. 18.

Digitized by Google

Poterant haec multum augeri variisque modis illustrari; sed ob causam supra §. 14. significatam non putavi mihi evagandum extra libros de Republica.

QUAESTIO XXXIII.

De Appositione et Epexegesi *).

1. Aen. I, 2. quaeritur, utrum *Lavinia venit*, quemadmodum post Heinsium et Burm. Heynius edidit, an *Lavinaque*, an *Laviniaque venit*, genuina sit lectio. Nunc omissis aliis id tantum agimus, ut patefiat, utrum copula desiderari possit, necne. Primum igitur duplicem haec verba admittere structuram videntur, aut hanc, ut *Italiam* pendeat ex voc. *profugus*, i. e. *profugus in Italiam*, aut hanc, ut iungatur *Italiam venit*, et verba *Lavinia*, vel *Lavinaque litora*, explicationis uberioris causa subiiciantur. Si struitur *Italiam profugus*, necesse est, *Lavinia*, absque copula, scribatur. Sed ita haec strui vetat ipsa Latinitas. Certe non memini exstare exemplum, quod demonstret, probe dici *profugus in*. Et quare nullum exstet, idonea afferri potest ratio; nam *profugus* eo discrepat a *profugiens*, quod illud sortem tantum et condicionem eius, qui profugit, significat, non motus atque itineris notionem simul involvens, sicut *profugiens;* quod idem observare in aliis vocabulis a verbo fugiendi ductis licet, in *transfuga*, *perfuga*. Atque esto, dici posse *profugus sum in terram:* sententia ipsa h. l. *profugus in Italiam* copulari vetat. Proponit enim hoc sibi poeta, ut canat Aeneae in Italiam adventum. Hic vero non poterat Italiae nomen, quod ad caput causae pertineret, in secundariam enuntiationem detrudi. Quare non est, quod dubitemus, quin accusativus *Italiam* regatur a verbo *venit*. Iam vero si legis: *Italiam — Lavinia venit litora:* haec verba, *Lavinia litora*, ad eam figuram, si modo est figura, vid. §. 7., referenda sunt, quam recentiores Grammatici *Appositionem* appellant.

2. Appositionem dicimus eam nominis alicuius, vel rei explicationem, quae efficitur per substantivum eodem casu subiectum, veluti: *Aeneas*, *Troum ductor; Aenean*, *Troum ducto-*

---

*) Liceat mihi brevitatis causa fingere aliquod discrimen, quod proprie nullum est, inter Appositionem et Epexegesin. Quod quale statuam, perlectis §§. 1 — 4. facile apparebit.

rem; Aenea, *Troum ductore* etc. *). Primariam in talibus notionem sustinet id vocabulum, quod explicatur, ut adeo, salva ceteroquin sententia, ea, quae explicandi causa subiunguntur omitti possint. Frequens est Appositionis apud poetas usus; neque id mirum quoniam vividior inde rei vel personae commemoratae imago exsistit.

3. Est autem Appositionis ratio quadruplex. Subiecto enim substantivo aut

a) genus rei commemoratae indicatur, quod rarissime fit apud poetas quidem; veluti Ecl. II, 11.: „Allia serpyllumque *herbas* contundit *olentes*.“ Aut

b) praegresso generis nomine species afferuntur, ut Ge. II, 442.: „Dant utile lignum, Navigiis *pinos*, domibus *cedrum*que *cupressos*que. Aen. VIII, 26.: „terras animalia fessa per omnes, *Alituum pecudumque genus*, sopor altus habebat.“ Aut

c) aliae quaedam notae vel propriae ac necessariae, vel etiam fortuitae ac non necessariae, nominibus adiunguntur, quibus illud, de quo loquimur, quid vel quale sit definiatur; in quibus sunt, quae etiam in Exaggerationis eandem rem alio nomine exprimentis numero censeri possint. Sed exempla proponam: Ecl. IX, 22.: „*delicias*, Amaryllida, *nostras*.“ Ge. I, 5.: „Vos, o *clarissima mundi Lumina*, — Liber et alma Ceres.“ ib. 17.: „Pan, *ovium custos*.“ ib. 63.: „homines, *durum genus*.“ II, 146.: „et *maxima* taurus *Victima*.“ ib. III. 34.: „Stabunt et Parii lapides, *spirantia signa*.“ ib. 419.: „coluber, *Pestis acerba boum*.“ ib. IV, 168.: „*Ignavum* fucos *pecus*.“ ib. 162.: „*spem gentis*, adultos Educunt fetus.“ ib. 246.: „*dirum* tineae *genus*.“ Aen. V, 750.: „matres populumque volentem, — *animos nil magnae laudis egentes*. VI, 377.: „Sed cape dicta memor, *duri solatia casus*.“ ib. 843.: „geminos, *duo fulmina belli*, Scipiadas, *cladem Libyae*.“ IX, 132.: „tot millia *gentes* Arma ferunt *Italae*.“ X, 325.: „Dum sequeris Clytium infelix, *nova gaudia*, Cydon.“ XII, 166. sqq.: „Hinc pater Aeneas, *Romanae stirpis origo*, Et iuxta Ascanius, *magnae spes altera Romae*, Procedunt.“ Porro Ge. II, 385.: „Ausonii, *Troia gens missa*, coloni.“ ib. IV, 467.: „Taenareas fauces, *alta ostia Ditis*.“ Aen. VI, 245.: „summas carpens media inter cornua saetas, — *libamina prima*.“ VII, 691.: „Messapus, equum domitor, *Neptunia proles*.“ VIII, 667.: „Tartareas sedes, *alta ostia Ditis*.“ X, 601.: „Tum *latebras animae* pectus mucrone recludit.“ ib. 391.: „*Daucia*, Laride Thymberque, *simillima*

*) Nempe hoc est usitatissimum Appositionis genus; quam quidem multo latius patere satis constat et significatum est §. 11.

Digitized by Google

proles." XI, 213.: „Iam vero in tectis, *praedivitis urbe Latini.*" (Displicent haec; malim: *in tecto et praedivitis u. L.*; vid. tamen Ge. Iacob. Disquisition. Virgil. P. I. p. 12. sq.) ib. 252.: „O fortunatae gentes, *Saturnia regna*, *Antiqui Ausonii.*"

d) Quartum denique genus est, quod non male παρενθετικόν voces, quodque per relativum, adsumto verbo, explicandum; ut Ecl. II, 3.: „inter densas, *umbrosa cacumina*, fagos;" i. e. quae habebant umbrosa cacumina, sive: habentes umbr. cac. ib. IX, 9.: „veteres, *iam fracta cacumina*, fagos." Ge. II, 97.: „Sunt et Aminaeae vites, *firmissima vina;*" i. e. quae dant firm. vina; quare non erat, cur Burm. coniiceret scribendum esse: *Dant et A. vites f. v.* ib. III, 40.: „silvas saltusque sequamur Intactos, *tua*, Maecenas, *haud mollia iussa;*" i. e. quae tua sunt iussa. Aen. II, 503. sq.: „Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum, *Barbarico postes auro spoliisque superbi.*" VII, 717.: „Quosque secans *infaustum* interluit Allia *nomen.*" ib. 791.: „Io, iam saetis obsita, iam bos, *Argumentum ingens.*" VIII, 675.: „In medio classes aeratas, *Actia bella*, Cernere erat;" i. e. repraesentantes pugnam Actiacam. X, 161.: „iam quaerit sidera, *opacae Noctis iter;*" i. e. non ὁδός, sed ὁδηγέται ἀστέρες, iter per opacam noctem monstrantia sidera. ib. 310.: „primus turmas invasit agrestes Aeneas, *omen pugnae*, stravitque Latinos;" i. e. quod erat omen pugnae; nam haec verba apposita sunt toti sententiae.

e) Obiter moneo, etiam in descriptione locum esse Appositioni, velut Aen. VII, 565.: „Est locus — — Amsancti valles."

4. Appositio respuit copulam; copula enim iunguntur res per se disiunctae ac separatae; Appositio autem non res diversas, sed ad subiecti et praedicati speciem ac similitudinem iunctas complectitur. Epexegesis contra, strictiore sensu quam dicimus, quum, latiore si acceperis, contineat etiam Appositionem, Epexegesis, inquam, duo vel vocabula, vel enuntiata, magis minusve inter se diversa, copulae auxilio ita iungit, ut in unam notionem, vel verborum conclusionem coeant ac coalescant. Exempla rem illustrabunt. Ac primum huc revocanda est notissima illa figura, hendiadys, duo substantiva ita iungens, ut alterum per adiectivum, aut per genitivum explicandum sit. Sic Ge. II, 192.: „pateris libamus *et* auro;" i. e. pateris aureis; vid. ib. Heyn. Ecl. II, 8.: „umbras *et* frigora captant;" i. e. umbras frigidas. Ge. II, 486.: „O ubi campi Spercheos*que;*" i. e. campi Sperchei. Aen. I, 61.: „molemque *et* montes insuper altos Imposuit; i. e. molem altorum montium. III, 223.: „in partem praedam*que* vocare;" i. e. in praedae partem. VII, 751.: „fronde *et* felici comtus oliva;" i. e. felici olivae fronde. ibid. 775.:

„Nymphae Egeriae nemori*que* relegat;" i. e. in nemus Nymphae Egeriae. VIII, 436.: „squamis auro*que*;" i. e. aureis squamis. IX, 354.: „Sensit enim nimia caede *atque* cupidine ferri;" i. e. caedis cupidine. XI, 22.: „socios inhumata*que* corpora terrae Mandemus;" i. e. sociorum inhumata corpora. Ecl. VIII, 95.: „Has herbas *atque* haec Ponto mihi lecta venena;" i. e. herbas venenatas, Ponto lectas. — Haec qui comparaverit cum Georg. I, 173.: „Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque fagus Stiva*que*," intelliget facile, sana hic esse omnia, neque necessariam esse, probatam recentioribus editoribus, coniecturam Martini, *stivae* scribendum esse opinantis. *Fagus Stivaque* i. e. stiva faginea. Sed quum, praegressis his *caeditur tilia*, minus apte dici videretur, *caeditur stiva faginea*, poeta ita scribere maluit: *caeditur fagus stivaque*. Vid. etiam ibi a me notata.

Pergamus ad alia. Ge. II, 242.: „qualos Cola*que* praelorum;" i. e. qualos, quales praelis subiiciuntur. III, 198.: „segetes altae campi*que* natantes;" i. e. segetes altae, vento motae. ib. 158.: „notas *et* nomina gentis inurunt;" i. e. notas gentem indicantes. IV, 481.: „domus *atque* intima Leti Tartara;" i. e. Leti domus in imum Tartarum depressa. Aen. I, 27.: „Iudicium Paridis spretae*que* iniuria formae;" i. e. iniustum in noto illo de forma certamine iudicium Paridis. ibid. 258.: „urbem *et* promissa Lavini Moenia;" i. e. promissam Lavinii urbem. II, 722.: „Veste super fulvi*que* insternor pelle leonis;" i. e. veste ex pelle leonina confecta. III, 366.: „tristes denuntiat iras Obscenam*que* famem;" i. e. ultionem exigendam a nobis per obscenam famem. IV, 355.: „Quem regno Hesperiae fraudo *et* fatalibus arvis;" i. e. Hesperiae regno fatorum lege illi debito. V, 273.: „Vestibulum ante ipsum primis*que* in faucibus Orci;" i. e. ante ipsum Orci Vestibulum. ib. 227.: „Reliquias vino *et* bibulam lavere favillam;" i. e. favillam ex ossibus crematis reliquam. VI, 426.: „Continuo auditae voces, vagitus et ingens, Infantum*que* animae flentes;" i. e. flebiles voces et ingens vagitus infantum. VII, 94.: „Atque harum (*ovium*) effultus tergo stratis*que* iacebat Velleribus;" i. e. stratis velleribus, ovium tergo dereptis. ib. 419.: „Fit Calybe Iunonis anus templi*que* sacerdos;" i. e. templi Iunonis. ib. 659.: „Centum angues cinctam*que* gerit serpentibus hydram;" i. e. hydram centum anguibus cinctam. ib. 693.: „Iam pridem resides populos desueta*que* bello Agmina;" i. e. diuturna pace bello desuetos populos. ib. 753.: „Vipereo generi *et* graviter spirantibus hydris;" i. e. viperis graviter spirantibus. ib. 804.: „Agmen agens equitum *et* florentes aere catervas;" i. e. equites aere florentes. VIII, 177.: „Praecipuumque toro *et* villosi pelle leonis Accipit Aenean;" i. e. toro villosa leonis pelle instrato. ib. 241.: „At specus *et* Caci detecta apparuit ingens Regia;" i. e. ingens specus, in quo habitabat Ca-

Digitized by Google

cus. ib. 374.: „Dum bello Argolici vastabant Pergama reges Debita casuras*que* inimicis ignibus arces;" hic, quo sensu dicantur *debita*, explicatur verbis subiectis; scil. ex fati lege ignibus debita. ib. 226.: „ferro quod *et* arte paterna pendebat;" i. e. ferreis catenis a patre fabrefactis. ib. 713.: „Nilum — vocantem Caeruleum in gremium latebrosa*que* flumina victos;" i. e. in latebras caerulei gremii. IX, 306.: „Dat Niso Mnestheus pellem horrentes*que* leonis Exuvias;" i. e. horridam pellem leonis. ib. 569.: „saxo *atque* ingenti fragmine montis Lucetium sternit;" i. e. ingenti saxo. cf. etiam X, 698. X, 423.: „Haec arma exuvias*que* viri tua quercus habebit;" i. e. haec viri arma, vel: haec arma viro detracta. ib. 190.: „Populeas inter frondes umbram*que* sororum Dum canit;" i. e. inter populos frondosas, in quas sorores canentis versae. ib. 496.: „rapiens immania pondera baltei Impressum*que* nefas;" i. e. balteum cum emblemate, nefarium facinus repraesentante. XI, 260.: „Euboicae cautes ultor*que* Caphereus;" i. e. Caphereus in litore Euboico Graecos naufragio afficiens. ib. 112.: „nisi fata locum sedem*que* dedissent;" i. e. locum, quo considerent. ib. 15.: „haec sunt spolia *et* de rege superbo Primitiae;" i. e. spolia in prima pugna superbo regi erepta. ib. 477.: „ad templum summas*que* ad Palladis arces;" i. e. ad templum Palladis in summa arce positum. ib. 772.: „peregrina ferrugine clarus *et* ostro;" i. e. peregrino ostro, ferrugineum nimirum colorem habente. XII, 42.: „natam *et* connubia nostra petentem;" i. e. natam nostram. ib. 522.: „Arentem in silvam *et* virgulta sonantia lauro;" i. e. in silvam lauream arentem et crepantem; vid. not. ad h. l. ib. 531.: „scopulo *atque* ingentis turbine saxi Excutit;" i. e. scopulo magna cum vi librato. ib. 516.: „fratres Lycia missos *et* Apollinis agris;" intellige Pataraeos. ib. 945.: „Ille, oculis postquam saevi monumenta doloris Exuvias*que* hausit;" i. e. exuvias saevum dolorem resuscitantes. Hic observa discrimen appositionis et epexegeseos: si scripsisset poeta: „monumenta doloris, Exuvias, hausit:" hic prodiret sensus: monumenta doloris, Exuvias dico; quod quam exile sit et elumbe, suus quemque sensus docet.

5. Haec exempla si cum superioribus (§. 3.) comparaveris, facile intelliges, esse hoc proprium Appositionis, i. e. appositorum vocabulorum, ut sine sensus detrimento abesse possit, nec nisi illustrandae rei inserviat. Epexegesis autem ita est comparata, ut ipsa quidem, i. e. verba per copulam adiuncta, non possit omitti, quin ad plenam integramque sententiam aliquid deesse, imo non raro imperfectam relinqui sentias. Huc fere redeunt pleraque, ut in transitu moneam, quae de vi explicativa particulae *que* passim disputantur; cfr. Eleg. ad M. Valer. Messalam pag. 57.; quamquam etiam particulae *et*, *atque*, in hunc

censum veniunt. Ac saepe sic implicata est coniunctarum notionum vis, ut neutra sine altera satis intelligi possit; (cfr. Ge. IV, 481. Aen. VIII, 177. 374. XI, 112. XII, 522.) aut is est nexus grammaticus, ut in altera sententiae parte adiiciatur aliquid, quod prior desiderat; sic Ge. II, 242. *qualorum.* Aen. I, 258. *Lavini.* V, 273. *Orci.* IX, 306. *leonis.* X, 190. *sororum.* XI, 477. *Palladis.* XII, 42. *nostra.* Sed quum ipsa Epexegesis abesse non facile possit, quin aut sensui aliquid, aut orationis gravitati multum detrahas, possumus non raro ea voce carere, quae epexegesi exornatur. Cfr. Ge. III, 158. Aen. I, 61. VI, 831. VII, 91. 753. VIII, 241. IX, 306. 569. X, 423. XI, 15. XII, 531. etc. In quo rursus discedit Epexegesis ab Appositione, ubi illud quidem, cui ea illustrando servit, omitti non potest, Appositio, ut vidimus, potest; modo id teneas, Appositionem per rhetoricam quidem ac poeticam rationem ei rei, cui apponitur, etiam praecedere licere, quum secundum grammaticam subiungi debeat.

6. Peculiare Epexegeseos genus est hoc, quum genere posito ad singulas vel personas, vel res descenditur; veluti Ge. I, 498.: „Di patrii Indigetes, *et* Romule Vestaque mater." Aen. V, 240.: „Nereidum Phorcique chorus, Panopea*que* virgo." VI, 831.: „Aggeribus socer Alpinis *atque* arce Monoeci Descendens." VIII, 698.: „Omnigenumque deum monstra *et* latrator Anubis." Huc etiam referendum, quod supra iam posuimus, Aen. XII, 516.: „fratres Lycia missos *et* Apollinis arvis." Rarius speciali notioni generalis subiicitur, ut Aen. III, 170.: „Corythum terras*que* requirat Ausonias." Singulari cum vi, praegressa multitudinis notione, ita subiunguntur singula, ut ea prae ceteris excellere significentur. Sic Ge. IV, 14.: „aliaeque volucres *Et* Procne." Aen. I, 30.: „Troas, reliquias Danaum *atque* immitis Achilli." VII, 535.: „Corpora multa virum circa, senior*que* Galaesus." VIII, 330.: „Tum reges asper*que* immani corpore Thybris." IX, 454.: „primis tot peremtis, Serrano*que*, Numaque." ib. 811.: „ingeminant hastis *et* Troes *et* ipse Fulmineus Mnestheus." — Denique ad hoc genus epexegeseos retulerim etiam, quod VI, 495. sq. e codicum vestigiis edidi: „Atque hic Priamiden laniatum corpore toto Deiphobum *videt, et* lacerum crudeliter ora, Ora manusque ambas;" ubi antea legebatur *vidit lacerum.*

7. Epexegesis quin locum habeat in figuris orationis, quas dicunt, dubitari non potest; non ita Appositio. Figura enim appellatur quaedam sermonis vulgaris atque usitati cum virtute immutatio. Quam definitionem manifestum est in Epexegesin cadere, non in Appositionem. Iam quum figurae in primis faciant ad ornandam orationem, profecto non mirabimur, si interdum,

ubi Appositioni, ei quidem, quae §. 3, c. commemoratur, locus erat, Epexegesi uti maluit poeta, qua fortior atque illustrior redditur oratio. Sponte autem intelligitur, in eo genere quae proprias quasdam ac necessarias adiectas habeant notas, non esse copulis divellenda. Hinc Aen. V, 750. VI, 377. X, 325. supra §. 3. c. laudd. et horum similia, tum etiam, quae Exaggerationis nomine veniunt, praeter Appositionem admittunt etiam Epexegesin, cetera non item. Iam exempla proferam: Aen. I, 569.: „Seu vos Hesperiam magnam, Saturnia*que* arva — optatis." III, 336.: „Pergamaque Iliacam*que* iugis hanc addidit arcem." VIII, 288.: „ut prima novercae Monstra manu geminos*que* premens eliserit angues." XI, 207.: „Cetera (corpora) confusae*que* ingentem caedis acervum, Nec numero, nec honore cremant." Atque interdum, ut etiam gravior exsistat oratio, adiectivum, rem in maius augens, adiicitur, ut Ge. III, 473.: „Spemque gregemque simul, *totamque* ab origine gentem." ib. 541.: „maris immensi prolem *et* genus *omne* natantum." Aen. VII, 85.: „Hinc Italae gentes *omnisque* Oenotria tellus In dubiis responsa petunt." Egregie porro Aen. IV, 347.: „Si te Carthaginis arces Phoenissam, Libycae*que* adspectus detinet urbis;" nam tamquam contraria ponuntur *Phoenissa* et *Libyca urbs;* quod ut magis exstet, facit Epexegesis. Iam vide ornatum ex copula in his Ge. III, 474.:

„Tum sciat, aerias Alpes *et* Norica si quis
Castella in tumulis, *et* Iapydis arva Timavi,
Nunc quoque post tanto videat, deserta*que* regna
Pastorum, *et* longe saltus lateque vacantes."

Scilicet *aeriae Alpes*, et *Norica castella*, et *Iapys Timavus*, et *deserta pastorum regna*, et *saltus vacantes* eodem denique redeunt. Atque ut e multis unum addam, Ge. IV, 467.:

„Taenareas etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, Manes*que* adiit Regem*que* tremendum,
Nescia*que* humanis precibus mansuescere corda.

Iam vero omitte in his copulam: facile apparebit, quanto nervosior fuerit oratio ante illam detractam; quin in nonnullis omnis vis ac vigor prorsus perit, ut Ge. III, 474. sqq. Aen. I, 569. VII, 85.

8. Iam ut veniamus ad id, quod in hanc disputationem nos deduxit, vid. §. 1., facile apparere arbitror, Aen. I, 2. utrum *Lavinaque*, sive *Laviniaque*, an *Lavinia* absque copula legendum sit. Nimirum referendum hoc est ad illud Epexegeseos genus, quod §. 6. commemoravimus. Atqui si ex Epexegesi hoc expli-

Digitized by Google

candum, sequitur ex iis, quae §. 4. diximus, Lavina*que* scribendum esse. Quod si quis tamen in secundo Appositionis genere numerandum censeat, (cf. §. 3, b) is vereor ne vehementer erret. Nam genus quum unum sit, sed ex pluribus constans partibus, (speciebus) non potest una definiri specie, sed aut omnibus, aut nonnullis, certe duabus, definiendum est. Non licebat igitur ista per Appositionem sic pronuntiare: Italiam, *Lavinia litora:* neque haec: Alpinis aggeribus, *arce Monoeci;* deum monstra, *latrator Anubis;* Tum reges, *Thybris;* etc. vid. §. 6. Atque ut Aen. I, 2. copula a quibusdam librariis omissa est, sic etiam similibus locis, ut Aen. V, 240., ubi mireris soloecam nonnullorum codd. lectionem *Panopeia virgo* non displicuisse Heynio. Sic etiam Aen. I, 258. Fabricio teste a nonnullis libris copula aberat. Patet autem, in eo Epexegeseos genere, de quo §. 7. egimus, facilius etiam omitti potuisse a librariis copulam, ut factum videmus Aen. VII, 568.: „Hic specus horrendum *et* saevi spiracula Ditis Monstrantur." At vide, expulsa copula, quantum vel numeri detrimenti capiant in re scilicet tam horrida; nec negligenda elisionis vis; quod quorsum spectet, nosces ex notissimis illis: „Monstr*um* horrend*um*, infor*me*, ingens." Item male editur Aen. VI, 154.: „Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis, Adspicies;" quum quidam libri cum ipso Mediceo praebeant *lucos Stygis et regna;* probe sane. Sententia enim est: Sic demum tibi licebit, vivum ad Stygios lucos descendere; sic demum vivo tibi via pandetur ad inferos. Eadem verba per Appositionem adiecta frigent et otiosa sunt. Tum Epexegesis vel ob ingratum sonum duorum homoeoteleutorum *lucos* et *Stygios* hic tuenda erat. Vitiosa enim in Virgilio putanda sunt, pariter cadentia substantiva et epitheta iuxta posita, si eorum ultimae syllabae sub ictum veniunt, nisi ubi singularis captatur ex ea re gravitas, ut Aen. I, 569.: „*Hesperiám magnám.*" IV, 345.: „*Italiám magnám.*" Ge. III, 219.: „*in magná Silá;*" Aen. II, 251.: „Involvens *umbrá magná* terramque polumque." VI, 179.: „Itur in *antiquám silvám.*" V, 376.: „Ostenditque *humerós latós.*" adde IX, 725. Similiter „Causa, *vel*, Fama *mali tanti* VI, 93. X, 510. XI, 480. Neque oppones talia, quale est VI, 469.: „Illa solo *fixós oculós* aversa tenebat;" ubi illud *solo fixos* appositionis quadam lege adiectum est, ut ipsa pronuntiatione haec *solo fixos*, velut interspirans, dirimas ab illis *oculos aversa tenebat.* Quamquam sunt fortasse quaedam in Aeneide, quae, si licuisset, mutaturus fuisse Virgilius videtur. Ceterum alius est in alia oratione color, ut VI, 638. sq.: „Devenere *locós laetós* et amoena vireta *Fortunatorúm nemorúm* sedesque beatas." Vehementiam affectus notant illa Aen. VIII, 389.: „Accepit *solitám flammám.*" Hinc etiam Ge. III, 17.: „Illi victor ego *et* Tyrio conspectus in ostro;" quum scribere poeta posset: „Illi victor eg*o*, Tyri*o* con-

spectus in ostro;" per Epexegesin loqui maluit, quo ne durior exsisteret sonus; quamquam, ne quid dissimulasse videar, Virgilius ultimam pronominis *ego* semper aut corripuit, aut elisit.

9. Denique in Epexegesi illud quoque numerandum, quum pro copula alia particula ex praecedentibus repetitur; veluti Aen. II, 183.: „Hanc pro Palladio, moniti, *pro* numine laeso Effigiem statuere."

10. Sed ne angustiores Epexegesi fines statuamus, non solum in Substantivis, sed etiam in duabus, vel pluribus enuntiationibus, quarum suum quaeque habet verbum, iungendis eius vis ac potestas cernitur. Quod ubi fit, Epexegeseos lege necesse est copulari verba. Ecl. III, 33. sq.: „Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca, Bis*que* die numerant ambo pecus;" vid. V. L. ad eum locum, qui duplici interpunctionis vitio laborabat. Hinc etiam Ge. II, 527. semicolon, quod erat post *festos*, in comma mutavi. Recte editur Aen. IV, 573.: „Praecipites vigilate viri *et* considite transtris;" nam quid a vigilantibus praecipiter fieri velit Aeneas, adiectis verbis *et c. transtris* declaratur. Hic quoque, si alterum omittere velis, prius verbum, non posterius omittendum foret; cfr. §. 5.; recte enim dicitur: *praecipites considite*, non aeque: *praecipites vigilate.* VI, 643.: „Pars in gramineis exercent membra palaestris; Contendunt ludo, *et* fulva luctantur arena;" quorum in altero versu et Appositionis rationem et Epexegeseos observa; nam verba: „*Contendunt ludo:* apposita sunt praegresso versui; haec autem: *et fulva luctantur arena:* per Epexegesin ita sunt explicanda, ut totius versus haec sit sententia: Contendunt lucta. VII, 467.: „Ergo iter ad regem polluta pace Latinum Indicit primis iuvenum *et* iubet arma parari;" scilicet haec ut simul facta proponuntur, iter indicere et imperare, ut parentur arma. Recte Aen. III, 39. sq.: „gemitus lacrimabilis imo Auditur tumulo, *et* vox reddita fertur ad auras;" i. e. gemitus cum voce auditur; absque copula Appositionis ratio intercederet inter utramque notionem. Sic ibid. 53.: „ut opes fractae Teucrum *et* Fortuna recessit." Et quae plurima afferri possunt. Hinc Aen. V, 101. qui totum locum attentius perlegerit, haud dubito, quin scriptum malit: „Dona ferunt, onerant*que* aras mactantque iuvencos." Aen. III, 554.: „Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna, *Et* gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa Audimus longe;" offensionis aliquid habet h. l. copula *Et;* et quaeri potest, cur noluerit poeta ita scribere: *Ingentem gemitum pelagi?* Scilicet vs. 554. cum proximo ita cohaeret, ut ex utroque, ex Aetnae vicinia marisque strepitu, coniiciatur, propinquam Charybdin esse.

11. In comparationibus, longioribus quidem, Appositionis ratio usitatior est, quandoquidem in his, summa rei proposita,

per singulas iri partes, sive, ut dicam audacius, genus speciebus definiri solet; quod comparationum genus analyticum vocare licuerit. Contra ubi singula quaeque enuntiata amplificandae inserviunt comparationi et in unam omnia coeunt ac concluduntur imaginem, Epexegeseos modo copulis ea sunt connectenda; quam comparandi rationem syntheticam appellare possis. Quare aegre tulerim omissas copulas in his Aen. VIII, 243.: „Non secus ac si qua vi terra dehiscens Infernas reseret sedes *et* regna recludat Pallida, dis invisa; super*que* immane barathrum Cernatur; trepident*que* immisso lumine Manes;“ ubi Brunckius quidem prius *que* rescidit, alterum rescissum malit Heynius, hic quidem similibus, sed tamen diversis, deceptus locis; modo memineris, inflexam esse paulum in extremis orationem, quae ad vulgarem consuetudinem sic constituenda erat: barathrum cernatur et immissum per illud in Orcum lumen, sive: barathrum, per quod lumen immittatur in Orci tenebras. Verum de comparationibus longum est disputare; quare ad has fortasse alio tempore ac loco redibimus.

Sed iam contraho vela. Et si qua sunt in his, quae magis ostensa et quasi tantum digitis monstrata videantur, indicasse viam, quam alii, quibus plus otii contigerit, persequantur, satius fuerit, quam ne tantasse quidem.

QUAESTIO XXXIIII.

Quum autem semel in hanc de copularum usu disputationem delati simus, age experiamur, an etiam alia quaedam, illuc spectantia, quantum quidem patiuntur termini, quibus omnem hanc dissertationem saeptam esse volui, expedire possimus. Quod si mihi contigerit, spero fore ut nonnihil lucis affundam rei minus, quam par erat, hucusque explicatae. Ac primum agemus

De copulis *Et*, *Ac*, *Que*, *Atque*, inaequalia orationis membra iungentibus.

1. Copularum usus in eo versatur, ut varias res, natura quidem sua inter se discrepantes, grammatica tamen ratione non abhorrentes coniungant. Hinc Nomina cum Nominibus, Verba cum Verbis, Adverbia cum Adverbiis iuncta vulgo videmus. Sed ubi Substantivo Adiectivum vel Participium, Adiectivo Adverbium, alius alii casus, et quae sunt huiusmodi, per copulas sub-

iunguntur, deserta usitata via copulantur membra inaequalia. In quo quum sermo poeticus non raro deflectat a soluta oratione, non nititur ea res, quod opinetur quispiam, mera quadam licentia poetica, vitiosa fortasse et vituperanda, sed habet quandam vim ac virtutem. Ea enim, quae copulis connectuntur, inter se quidem sunt diversa, ita tamen, ut ad unam revocari possint cogitationem. Velut *hortus* et *ager* res notant specie diversas; tamen sub unam venire possunt cogitationem, si dixero: *hortos et agros amare.* Magis hoc exstat in contrariis, ut in *mons* et *vallis;* iungere tamen haec licet, si dixero: *montes vallesque peragrare.* Sed disiungendi vis copularum cum aliunde cognosci potest, tum in eo maxime cernitur, quod copulae interdum pro iterato Pronomine *alius* dictae inveniuntur. Ecl. I, 65.: „At nos hinc *alii* sitientes ibimus Afros; *Pars* Scythiam, *et* rapidum Cretae veniemus Oaxem, *Et* penitus toto divisos orbe Britannos.“ Aen. I, 701.: „Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris Expediunt, tonsis*que* ferunt mantelia villis;“ i. e. alii Cererem expediunt, alii mantelia ferunt. X, 130.: „*Hi* iaculis, *illi* certant defendere saxis, Moliri*que* ignem nervo*que* aptare sagittas;“ i. e. alii moliri ignem, alii nervo aptare sagittas certant. Quamobrem non dubito, quin genuina sit VI, 616. omnium librorum lectio, etiam a Serv. ad Aen. II, 37. agnita: „Saxum ingens volvunt *alii,* radiis*que* rotarum Districti pendent;“ ubi Heynius ex coni. scripsit *radiisve.* Hinc Copula id, quod *aut, vel:* vid. Iahn. ad Ge. I, 441.; sic Ge. II, 351.: „Iamque reperti, Qui saxo super *atque* ingenti pondere testae Urgerent.“ Aen. V, 52.: „Argolicove mari deprensus *et* urbe Mycenae.“ VII, 163. sqq.: „Exercentur equis, domitantque in pulvere currus; Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis Spicula contorquent, cursu*que* ictu*que* lacessunt.“ Aen. III, 459.: „Et quo quemque modo fugias*que* feras*que* laborem;“ i. e. vel fugias, vel feras. Idem versus VI, 892. nisi quod *fugiatque feratque.* Memorabilis locus est Aen. II, 36.: „Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona Praecipitare iubent, subiectis*que* urere flammis; Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.“ Sic libri scripti cum Servio, copulativam pro disiunctiva positam monente; nam quod in Servianis ab aliis assuitur, in antiquis exemplaribus etiam *ve* inveniri, est admodum dubiae fidei. Heynius in textu *ve* exhibuit. Verumtamen salva mihi videtur sententia, retenta copulativa; duplex enim quum consilium proponatur, ut aut deleatur, aut terebretur equus iste ligneus, prior quidem sententia in duas solvitur, ut hic exsistat sensus: aut abolendam machinam, aliis quidem in mare praecipitari, aliis comburi iubentibus, aut terebrandam censent.

Simillimus huic exstat locus Aen. V, 67.: „Quique pedum cursu valet, et qui *Aut* iaculo incedit melior levibus*que* sagittis,

Seu fidit duro pugnam committere cestu." Recte secundum praestantiores codd. *que* editur; coeunt enim haec in unam eminus feriendi notionem; nec duo, sed unum certamen ex eo genere institutum infra legimus. Atque *aut* et *seu* sibi h. l. respondere, facilius feres, ubi legeris, quae de particula *ve* scripsimus, Quaest. XXXVI, 2. Intricatiora sunt, quae leguntur X, 708.: „aper, multos Vesulus quem pinifer annos Defendit, multos*que* palus Laurentia;" Servius ibi: „*Multosque* pro *multosve;*" in Medic. exstat, quod non est plane praetereundum, *multoque*. Heyn. edidit *multosve;* ego intactum reliqui locum.

2. Iam vero si res natura sua non disiunctas inter se copula iunxeris, propones illas tamquam diversas, eoque efficies, ut altera, non tam iuncta priori, quam ab ea seiuncta, plus nanciscatur roboris et gravitatis. Exempla rem illustrabunt. Ecl. VIII, 101.: „*rivoque fluenti* Trans*que* caput iace." Ge. II, 428.: „Poma quoque — *Vi propria* nituntur, opis*que* haud indiga nostrae." III, 238.: „*Longius* ex alto*que* sinum trahit fluctus." II, 290.: „*Altior ac* penitus terrae defigitur arbos." Aen. II, 86.: „Illi me *comitem et* consanguinitate propinquum Misit in arma pater." IV, 102.: „*Communem* hunc ergo populum paribus*que* regamus Auspiciis." VI, 640.: „*Largior* hic campos aether *et* lumine vestit purpureo." VII, 357.: „*Mollius et* solito matrum de more locuta est." VIII, 444.: „*Ocius* incubuere omnes pariter*que* laborem Sortiti;" quae quidem multo languidiora reddas, si ad participium *Sortiti* supplere velis *sunt*. X, 734.: „*Obvius* adverso*que* occurrit." Eodem modo dictum illud Aen. VII, 707.: „*magnum* Agmen agens Clausus, magni*que* ipse agminis instar." III, 329.: „Me *famulo* famulam*que* Heleno transmisit habendam." Quocum confer V, 447.: „Entellus vires in ventum effudit, et ultro Ipse *gravis* graviter*que* ad terram pondere vasto Concidit." et ibid. 498.: „*Extremus* galea*que* ima subsedit Acestes." et Ge. I, 142.: „Alta petens pelago*que;*" quod male interpretatus fueram. Aen. XI, 673.: „*Praecipites* pariter*que* ruunt." XII, 305.: „Alsum *Pastorem* prima*que* acie per tela ruentem." ib. 502.: „quos aequore toto In*que* vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros." Sic etiam interpretari malim XI, 569.: („Non illum tectis ullae, non moenibus urbes Accepere; neque ipse manus feritate dedisset:) *Pastorum et* solis exegit montibus aevum." Posset illud *et* etiam pro *sed* dictum accipi; verum si ita voluisset Virgilius, scripsisset potius: *Pastorum solis* etc. omissa copula. Neque vero iunges: *Pastorum montes;* sed *Pastorum aevum*. Hinc ita interpretor: pastoralem et solitariam egit vitam, utramque sane eius ingenio accommodatam; ceterum vid. V. L. ad h. l. Addo quaedam alia. Aen. V, 850.: „Aenean credam quid enim fallacibus austris, *Et* caeli toties deceptus fraude sereni." Ac sic quidem probatissimos

Digitized by Google

scriptores etiam in pedestri oratione loqui satis constat; qui usus maxime obtinuit in *isque*. IX, 783.: ,,*Unus* homo, *et* vestris undique saeptus Aggeribus." Aen. II, 179. legitur: „Quod pelago *et* curvis secum avexere carinis;" ubi si omitteretur copula, nescio quid ingratum habitura haec erant: pelago curvis secum avexere carinis: quum *pelago avehere*, et *carinis avehere* idem significent.

3. Inaequalia orationis membra appellaverim etiam ea, in quibus Verbum finitum, per Copulam vel praegresso vel subiecto Verbo iunctum, pro Participio ponitur. Sic Ge. II, 55.: „Nunc altae frondes et rami matris opacant Crescentique adimunt fetus uruntque ferentem;" i. e. adimunt fetus, ferentem urentes. III, 417.: „Saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu Vipera delituit, caelum*que* exterrita fugit;" i. e. lucem exosa. Ecl. VI, 20.: „Addit se sociam timidis*que* supervenit Aegle;" i. e. superveniens. Aen. V, 611.: „Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat Desertos*que* videt portus;" i. e. et litora lustrans videt. Quare non erat, cur Heynius *et* mutatum vellet. X, 883.: „Inde aliud super atque aliud figit*que* volat*que* Ingenti gyro;" i. e. figit volans, vel: figens volat. ib. 907.: „Haec loquitur iugulo*que* haud inscius accipit ensem;" i. e. haec loquens. Recte editur VIII, 618.: „Ille — Expleri nequit, *atque* oculos per singula volvit;" i. e. expleri nequit oculos per singula volvens, sive, volvendo. XII, 196.: „Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus Suspiciens caelum, tendit*que* ad sidera palmas;" ubi proprie dicendum erat *tendensque*. ib. 844.: „His actis aliud Genitor secum ipse volutat, Iuturnam*que* parat fratris dimittere ab armis;" i. e. parans; et comma, non semicolon, in fine prioris versus ponendum. Hinc Aen. III, 484.: „Ascanio Phrygiam chlamydem; *nec* cedit honori;" sic explico: nihil cedentem pulchris vestibus modo commemoratis. Iam alia videamus. Ecl. VIII, 97.: „His ego saepe lupum fieri *et* se condere silvis Moerim — vidi;" i. e. lupum factum se condere etc. Ge. II, 207.: „Aut unde iratus silvam devexit arator, *Et* nemora evertit multos ignava per annos, Antiquasque domos avium — Eruit;" i. e. evertens et eruens. III, 354.: „Sed iacet aggeribus niveis informis et alto Terra gelu late, septem*que* adsurgit in ulnas;" i. e. adsurgente in altitudinem septem ulnarum. ib. 381.: „Talis Hyperboreo septem subiecta trioni Gens effrena virum Rhipaeo tunditur Euro, *Et* pecudum fulvis velatur corpora saetis;" i. e. velata habens corpora. Sic explicanda etiam Ge. IV, 16.: „Omnia nam late vastant ipsas*que* volantes Ore ferunt nidis immitibus escam;" i.e. vastant ferentes etc. Aen. VIII, 604.: „celsoque omnis de colle videri Iam poterat legio, *et* latis tendebat in arvis;" i. e. tendens. Ita erit fortasse qui etiam Ecl. III, 65. explicet: „Malo me Ga-

Digitized by Google

latea petit, lasciva puella, *Et* fugit ad salices;" ut ea sit sententia: *malo me petens*, i. e. βαλοῦσα, *fugit;* sed nolim hic Verbum finitum pro Participio positum putare; nam in utraque re cernitur lascivia, et in petendo et in fugiendo. Ceterum in his omnibus interpunctionem rectius omittes.

4. Alio modo Copula, praegresso Relativo, inaequalia membra iungit; ut Ge. III, 282.: „Hippomenes, *quod* saepe malae legere novercae, Miscuerunt*que* herbas et non innoxia verba;" i. e. miscentes. IV, 8.: „*Quo* neque sit ventis aditus, — — *neque* oves haedique petulci Floribus insultent;" i. e. e t u b i non insultent. Aen. III, 381.: „Principio Italiam, *quam* tu iam rere propinquam Vicinos*que*, ignare, paras invadere portus;" i. e. quam tu iam propinquam reris, cuiusque portus, tanquam vicinos, invadere paras. V, 288.: „campum, *quem* cingebant silvae; media*que* in valle Circus erat;" i. e. qui silvis cinctus medium habebat circum. ib. 402.: „cestus —, *quibus* acer Eryx in proelia suetus Ferre manum, duro*que* intendere brachia tergo;" i. e. duro intendens eorum corio. VI, 283.: „*quam* sedem Somnia vulgo Vana tenere ferunt, foliis*que* sub omnibus haerent;" i. e. haerentia. ib. 550.: „*Quae* rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon, torquet*que* sonantia saxa;" i. e. torquens. VIII, 566.: „*cui* tum tamen omnes Abstulit haec animas dextra, *et* totidem exuit armis;" i. e. quemque tum exuit. IX, 488.: „Veste tegens; tibi *quam* noctes festina diesque Urgebam, *et* tela curas solabar aniles;" i. e. quam urgens solabar. ib. 592.: „Numanum, — *Cui* Remulo cognomen erat, Turni*que* — Germanam thalamo sociatus habebat;" i. e. quique habebat. X, 242.: „clipeum cape, *quem* dedit ipse Invictum Ignipotens, *atque* oras ambiit auro;" i. e. quem Ignipotens sua manu factum dedit. ib. 519.: „Viventes rapit, inferias *quos* immolet umbris, Captivo*que* rogi perfundat sanguine flammas;" i. e. quorum sanguine perfundat, sive: perfusurus flammas. ib. 811.: „*Quo* moriture ruis, maiora*que* viribus audes?" i. e. audens. XI, 74.: „*quas* ipsa — Dido Fecerat *et* tenui telas discreverat auro;" i. e. discernens. XII, 261.: „*quos* improbus advena bello Territat —; *et* litora vestra Vi populat;" i. e. populans. ib. 674.: „turrim, *quam* eduxerat ipse, Subderat*que* rotas, pontesque instraverat altos;" i. e. subdens et insternens. ib. 943.: „victum *quem* vulnere Turnus Straverat, *atque* humeris inimicum insigne gerebat;" i. e. cuius strati insigne gerebat. Adde X, 703. sq.: „u n a *quem* nocte Theano In lucem genitori Amyco dedit, *et* face praegnans Cisseis regina Parim;" i. e. una, s. eadem, qua. Ecl. VIII, 3.: „*quorum* stupefactae carmine lynces, *Et* mutata suos requierunt flumina cursus;" i. e. ad quod (*carmen*) flumina requierunt; sed vide ad eum locum notata. Multa ex his, ut lenior fieret iunctura, non

sine arte ita temperavit Virgilius, ut in altera sententiae parte aliquod, nominis praegressi vice fungens, adiiceret vocabulum, quod copulae iunctum vim fere repetiti Relativi haberet. Sic Aen. V, 402.: *tergo*. 288.: *valle*. IX, 488.: *tela*. X, 242.: *oras*. 519.: *captivo*. XI, 74.: *telas*. XII, 261.: *vestra*. 943.: *inimicum*.

QUAESTIO XXXV.

De varia significatione varioque usu copularum *et*, *que*, *ac*, et *atque* brevis Expositio.

De Particulis *et*, *que*, *ac* et *atque* qui subtiliter et accurate scribere velit, magna huic profecto habenda sit gratia. Et quantum hinc utilitatis ad penitus cognoscendam linguam Latinam redundaturum sit, quivis facile intelligit. Sed res est immensi laboris, acerrimi studii, summi denique iudicii. Et mihi quum studium non desit, deest otium et ea mentis acies, quae in maxima rerum et diversissimarum et maxime implicitarum copia statim perspiciat, quae similia sint, quae dissimilia, quae et quot sint genera, et quid cuique generi tribuendum. Hinc ea notasse nunc sufficiat, quae se mihi sponte obtulerunt, et unde aliquid ad usum criticum referre liceat*).

1. Primum igitur constat, poetis interdum leniorem per copulas iungendi rationem placuisse, ubi graviores particulae requiri videbantur; quamquam nullum novi, in Virgilio quidem, exemplum, quod copulas *ac* et *atque* ita usurpatas esse doceat. Copulae autem *que* atque *et* non raro cum particulis *sed*, *at*, *autem*, *rursus*, *nam*, commutari possunt.

2. Praegressa negatione copula vim habet particulae *sed*. Aen. VII, 50.: „prolesque virilis *Nulla* fuit, prima*que* oriens erepta iuventa est;" i. e. sed (quae fuit,) erepta est. X, 343.: „Sed *non* et figere (Aenean) contra Est licitum, magni*que* femur perstrinxit Achatae." II, 94.: „*Nec* tacui demens; *et* me — Promisi ultorem;" i. q. sed, vel potius: quin etiam. Eandem significationem habet, quum contra ac fieri solet aut volumus, aliquid fieri dici-

*) Omisi quaedam vulgaria, quale est, quod *et* interdum valet i. q. *quoque*; cfr. Ecl. IX, 32. X, 15. 18. — Ceterum vide, quae iam sub finem huius Quaestionis scripsi.

mus, ut Aen. IV, 76.: „Incipit effari media*que* in voce resistit.“ Item, quum missum aliquid facientes ad aliam rem progredimur, ut Aen. II, 148.: „Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios; Noster eris; mihi*que* haec edissere vera roganti.“

3. Quum adsurgit oratio, *que* vice fungitur particulae *at.* Sic Ge. III, 199.: „segetes altae campique natantes Lenibus horrescunt flabris, summae*que* sonorem Dant silvae.“ Lenia flabra non sunt graviter strepentis Aquilonis, sed lenis ipsorum culmorum vento agitatorum susurrus; contra silvae dant sonorem, i. e. gravem et acutum sonum.

4. In enumeratione similium rerum valet copula i. q. *autem*, ut Ge. II, 26.: („hic stirpes obruit arvo, Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos.) Silvarum*que* aliae pressos propaginis arcus Exspectant.“ Aen. V, 121.: („Gyas agit Chimaeram — —) Sergestus*que* — Centauro invehitur magna.“ ib. 322.: „Tertius Euryalus —: Euryalum*que* Helymus sequitur.“ ib. 339.: „Post Helymus subit, *et* nunc tertia palma Diores;“ i. e. post hunc autem. — Ad praegressum *principio* refertur *et* Aen. V, 113.; vid. etiam infra §. 9.

5. In uberiore expositione copula interdum venit pro particula *nam*, ut Aen. X, 618.: „Ille tamen nostra deducit origine nomen, Pilumnus*que* illi quartus pater.“ XI, 271.: „Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur, *Et* socii amissi petierunt aethera pennis.“

6. Inprimis etiam frequens est copulae usus, quum properatur ad sequentia aut celeriter aliquid fieri indicatur. Utrumque licet observare Aen. V, 502. ubi, quum inde a vs. 485. de instituendo sagittandi certamine exposuisset poeta, sic tandem pergit:

Primaque per caelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae iuvenis volucres diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.

Aen. I, 82. de Aeolo: „Impulit in latus; *ac* venti, velut agmine facto, Qua data porta, ruunt.“ Hinc praecedentibus particulis *vix* et *una* interdum subiicitur copula: Aen. II, 692.: „*Vix* ea fatus erat senior: subito*que* fragore Intonuit laevum.“ V, 857.: „*Vix* primos necopina quies laxaverat artus: *Et* superincumbens cum puppis parte revulsa, Cumque gubernaclo, liquidas proiecit in undas Praecipitem.“ VIII, 520.: „*Vix* ea fatus erat: defixi*que* ora tenebant Aeneas et Achates.“ XI, 296.: „*Vix* ea legati: varius*que* per ora cucurrit Ausonidum turbata fremor.“ ib. 864.: „Audiit *una* Arruns, haesit*que* in corpore ferrum.“ Ex his, atque ex iis, quae statim subiicientur, explica etiam XII, 81.,

Digitized by Google

ubi ita scribendum: „Haec ubi dicta dedit: rapidus*que* in tecta recessit. Poscit equos“ cet. cfr. etiam, quae de Praesente et Perfecto disputavi Quaest. VII, 6. Hinc, ubi dicta factum sequitur, orationem copula excipere solet: Aen. VI, 547.: „Tantum effatus, *et* in verbo vestigia torsit.“ X, 877.: „Tantum effatus, *et* infesta subit obvius hasta.“ IX, 22.: „*Et* sic effatus ad undam Processit.“ X, 495.: „*Et* laevo pressit pede talia fatus.“ VIII, 123.: „„Egredere, ac nostris succede penatibus hospes.““ Excepit*que* manu dextramque amplexus inhaesit.“ X, 444. de Turno pugnam cum Pallante sibi deposcente: „Haec ait; *et* socii cesserunt aequore iusso.“ adde IX, 52. *) (Contra recte omissa copula in his: Ge. IV, 450.: „Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa Ardentes oculos intorsit.“ Aen. XII, 885.: „Tantum effata, caput glauco contexit amictu, Multa gemens; et se fluvio dea condidit alto.“) Hinc etiam aliorum locorum vim atque elegantiam facilius perspicies: Ge. II, 80.: „nec longum tempus, *et* ingens Exiit ad caelum ramis felicibus arbos.“ Aen. XI, 520.: „Sic ait, et paribus Messapum — dictis Hortatur sociosque duces, *et* pergit in hostem.“ IV, 238.: „Dixerat. Ille patris parere parabat Imperio; *et* primum pedibus talaria nectit.“

7. Copulas ad affectus quosdam animi exprimendos esse efficacissimas, omnes sciunt, qui vel paucas alicuius poetae pagellas legerunt. Ex hoc quoque genere nonnulla attingere placuit.

a) Non raro adhibentur copulae ad indicandam mentis intentam ad aliquid exspectationem, ubi nostrum *da* locum habet, Graecum *καὶ τότε*. Aen. III, 263.: („At sociis — sanguis Deriguit; cecidere animi; nec iam *cet.*) *Et* pater Anchises passis de littore palmis Numina magna vocat.“ ib. 537.: „Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi Tondentes campum —. *Et* pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas.“ ib. 557.: „Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae. *Et* pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis.“ V, 666.: navibus incensis: „Respiciunt atram in nimbo volitare favillam. Primus *et* Ascanius, cursus ut laetus equestres Ducebat, sic acer equo turbata petivit Castra.“ IX, 695.: „Turnus Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos. *Et* primum Antiphaten sternit.“ ib. 780.: „Teucri — Palantesque vident socios hostemque receptum. *Et* Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.“ II, 760.: „Procedo, et Priami sedes arcemque reviso. *Et* iam porticibus vacuis — Custodes lecti — Praedam adserva-

*) Alio modo consequentia indicat *et*, ut Ecl. III, 5. sq.: „Hic alienus oves custos bis mulget in hora, *Et* sucus pecori, et lac subducitur agnis.“

bant:" i. e. *καὶ τότε δή;* item vs. 725.: „Pone subit coniux. Ferimur per opaca locorum. *Et* me, quem dudum non ulla iniecta movebant Tela — Nunc omnes terrent aurae."

b) Porro *et* interdum est indignantis. Aen. IV, 215.: „*Et* nunc ille Paris, cum semiviro comitatu, — rapto potitur." cum interrogatione, mirationem exprimente: I, 48.: „*Et* quisquam numen Iunonis adorat Praeterea, aut aris supplex imponet honorem?" Hinc recte XII, 645.: „Terga dabo? *et* Turnum fugientem haec terra videbit? ubi Heyn. deletum malit *et*.

c) *Et* minantis: Ecl. II, 43. sq.: „Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat; *Et* faciet, quoniam sordent tibi munera nostra." Vid. quae dixi in Diar. Literar. Halens. a. 1827. Nr. 59. pag. 467.

d) Item hortantis est *et*. Aen. XI, 372.: „Nos, animae viles, — Sternamur campis. *Et* iam tu, si qua tibi vis, — illum adspice contra, Qui vocat." cum interrogatione: Ge. II, 433.: „*Et* dubitant homines serere, atque impendere curam?" Aen. VI, 807.: „*Et* dubitamus adhuc virtutem extendere factis?" Vide Beier. ad Cic. Oratt. Fragmm. p. 56.

e) *Et* adiectum in sollicito metu: Aen. I, 670.: „Hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur Vocibus; *et* vereor, quo se Iunonia vertant Hospitia." XII, 405.: Iapide circa Aeneae vulnus trepidante: „Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo Subvenit; *et* saevus campis magis ac magis horror Crebrescit propiusque malum est." Hic quoque Heyn. malit *at*.

f) *Et* in ironia: Aen. X, 881.: „Iam venio moriturus, *et* haec tibi porto Dona prius."

g) *Et* curiosius interrogantis: Ecl. I, 27.: „*Et* quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?"

h) Multum gravitatis habet *et* Aen. IV, 654.: „Vixi, et, quem dederat cursum Fortuna, peregi. *Et* nunc magna mei sub terras ibit imago." Ecl. III, 56.: „*Et* nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos." Contra alacritatem et vigorem *et* affert rei Ecl. III, 64.: „Malo me Galatea petit, lasciva puella, Et fugit ad salices, *et* se cupit ante videri;" ubi alii non recte *sed* substituere volunt.

8. Venimus iam ad alias quasdam observationes. Ac primum probe notanda est ea copulae in principio duarum enuntiationum collocatae potestas, qua mutua quaedam vel temporis, vel alius cuiuscumque rei ratio inter duas illas enuntiationes intercedens indicatur. Pleraque huius generis exempla prava inter-

Digitized by Google

punctione obliterata sunt; quorum ego quaedam rectius distincta apponam:

Aen. II, 801.:

Iam*que* iugis summae surgebat Lucifer Idae
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum, nec spes opis ulla dabatur:
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

III, 356.:

Iam*que* dies alterque dies processit; et aurae
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro:
His vatem adgredior dictis etc.

Et sic saepius praegresso *Iamque*, vel *Et iam*, vel *Et nunc*. Sed videamus alia.

Aen. II, 780.:

Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris:
Illic res laetae, regnumque et regia coniux
Parta tibi.

V, 721. sq.:

Et nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc caelo facies delapsa parentis.

X, 256.:

Tantum effatus. *Et* interea revoluta ruebat
Matura iam luce dies, noctemque fugarat:
Principio sociis edicit etc.

Apparet haec omnia per coniunctiones in formam protaseos cum apodosi posse redigi. Unde iam facilius intelliges, quare versum Aen. IV, 586. languere in nota ei subiecta dixerim.

9. Per copulam interdum post plura interposita continuatur oratio.

Aen. V, 109.:

Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talenta;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Digitized by Google

Aen. V, 839.:

Quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans,
Insonti; puppi*que* deus consedit in alta.

IX, 176.:

Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Aeneae quem miserat Ida
Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis;
Et iuxta comes Euryalus, etc.

V, 704. sqq.:

Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira
Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo.
Is*que* his Aenean solatus vocibus infit.

Insignis est locus Ge. II, 434. sqq.: „Quid maiora sequar? — salices humilesque genestae, Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbras Sufficiunt, saepemque satis et pabula melli — *Et* iuvat undantem buxo spectare Cytorum, Naryciaeque picis lucos; — — Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae, — — Dant alios aliae fetus; dant utile lignum Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.“ Vid. ibi notata.

Hinc interdum copula excipit parenthesin, ut

Aen. X, 187.:

Cuius olorinae surgunt de vertice pennae,
(*Crimen amor vestrum*) formae*que* insigne paternae.

ib. 874.: „Aeneas (*agnovit enim*) laetus*que* precatur.“ Hunc in modum constituenda etiam ea, quae Ge. IV, 67. sqq. leguntur. Ubi qui abruptam orationem versu 77. continuari putant, disrumpunt aptissime connexa: *magnisque vocant clamoribus hostem. Ergo, ubi ver nactae sudum camposque patentes, Erumpunt portis: concurritur*“ etc. Itaque parenthesin, versu 68. finiendam, excipit *que* vs. 69. Utram autem sequeris rationem, ἀνακόλουθος est oratio. — Eandem frequenter incipit. Ecl. IX, 11.: „Audieras; (*et* fama fuit) sed“ etc. Ge. II, 125.: „*Et* gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.“ Aen. III, 615.: „mansisset*que* utinam fortuna.“ XI, 901.: „Ille furens (*et* saeva Iovis sic numina poscunt) Deserit obsessos colles.“ III, 365.: „Sola novum (dictu*que* nefas) Harpyia Celaeno Prodigium canit.“ ubi vid.

Digitized by Google

V. L. Huc pertinet etiam interpositum pastoris iudicium Ecl. I, 49.: „ergo tua rura manebunt! *Et* tibi magna satis“ etc.

10. In mediam rem ducit copula. Aen. V, 500.:

Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque — — sagitta Hyrtacidae volucres diverberat auras.

Hinc frequens illud *Et primum*.

11. De respondente usurpatur copula Aen. I, 325.: „Sic Venus; *et* Veneris contra sic filius orsus:“ X, 628.: „*Et* Iuno adlacrimans.“ Utroque loco particula *at* ineptam proderet gravitatem. Eodem modo Aen. XII, 623.: „*Atque* huic — Talibus occurrit dictis.“ Item de alloquente: Ge. IV, 380.: „*Et* mater: Cape“ cet. Vid. Creuz. ad Cic. Rep. I, 36.

12. Denique post Imperativum collocata copula Futuro sequente significat id, quod actionem per imperativum expressam sequitur. Ecl. III, 106.: „*Dic*, quibus in terris, *et eris* mihi magnus Apollo,“ etc. Aen. VI, 676.: „Hoc *superate* iugum; *et* facili iam tramite *sistam*.“

13. Superest, ut de particulis *ac* et *atque* quaedam proferantur. *Ac* semper in principiis enuntiatorum legitur, nunquam uni vocabulo postponitur, quam quidem veniam in longiore forma *atque* Virgilius, sed admodum raro, ut Ecl. VI, 38., sibi indulsit. Neque ante consonas *c*, *g*, *q*, (*x*) unquam invenitur *ac*; idem semel ante consonam *b* me legere memini, Aen. VI, 287. Contra amat *ac* prae ceteris consonas *t* et *v*. *Atque* ante vocales, paulo rarius ante consonas, collocatur. Vim harum particularum si spectas, quamquam *Ac* ab *Et* ipsa significatione differre constat, tamen poetas in usu harum copularum sono aliquid tribuisse concedendum est, quum *ac* et *atque* plenius quid et gravius sonet, quam *que* atque *et*. Hinc exsulat fere *ac* a levioris argumenti carmine, quale est bucolicum. Ac bis tantum in Bucolicis legitur, Ecl. III, 4. et IV, 9.; priore loco servit evitando nimis exili sono: „Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur;“ altero vel rei gravitati convenit, vel etiam sonum reddit suaviorem: „quo ferrea primum Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.“

14. Nostrum *und* quum careat accentu, Latinum *et* atque *ac* acutiore sono pronuntiatum esse, inde colligas, quod utraque copula frequentius in arsi, quam in thesi collocata apud Virgilium reperitur. In principio versus *ac* positum sequentibus particulis, ut *velut*, sive *veluti*, Ge. IV, 170. Aen. I, 148. II, 626. IV, 402. 441. VI, 707. IX, 59. X, 405. 707. 803. XI, 809. XII, 365. 521. 684. 715. 908.; *dum* Ge. II, 362. Aen. VII, 354.;

primum Ge. III, 166. Aen. I, 174.; *iam* Ge. II, 403; *neque* Ge. III, 252.; *vix* Ge. III, 492.; *sic* Aen. V, 622.; *simul* Aen. XI, 908.; rarissime nomine subiecto, *prior* Aen. I, 321.; *lucus* Aen. V, 761. Priore quidem loco nomen adverbii vice fungitur, altero quandam rei magnificentiam prodit; quod idem licet observare in uno, quem in toto Virgilii opere notavi, loco, ubi *ac* in thesi primae sedis legitur, Ge. III, 29. cf. §. 22.

15. a) *Ac* in arsi secundi pedis his locis (alios §. 15. c. indicabo) legitur: Ecl. III, 4. IV, 9. Ge. I, 52. II, 290. III, 194. Aen. I, 409. II, 511. 532. 553. IV, 144. 214. 231. V, 41. VII, 398. VIII, 70. IX, 343. 396. 589. X, 227. XI, 103. 470. 672. 740. XII, 683. His locis omnibus *ac* dactylum ante se habet; spondeum, eumque cum elisione, ter: Aen. II, 632. VII, 18. 77. Haec quoque exempla confirmant id, quod supra indicavi, *ac* gravius esse copula *et*. De Ecl. III, 4. IV, 9. supra dictum §. 13. Maxime autem *ac* alacritatem quandam et fervorem exprimit: Aen. II, 553.: „dextraque coruscum Extulit a c lateri capulo tenus abdidit ensem.“ XII, 683.: „Perque hostes, per tela ruit; maestamque sororem Deserit, a c rapido cursu media agmina rumpit.“ Ge. II, 194.: „tum cursibus auras, Tum vocet, a c per aperta volans, ceu liber habenis, Aequora, vix summa vestigia ponat arena.“ Adde Aen. V, 860. VII, 398. IX, 343. 396. Eodem fortasse referendum, quod legitur XI, 672.: „Dum subit, a c dextram labenti tendit inermem.“ — Porro *ac* in re doloris vel indignationis plena: Aen. I, 409.: „cur dextrae iungere dextram Non datur, a c veras audire et reddere voces?“ IV, 214.: „connubia nostra Repulit, a c dominum Aenean in regna recepit.“ Adde XI, 470. 740. Illuc retulerim etiam vs. de caede Politae II, 532.: „Concidit, *ac* multo vitam cum sanguine fudit.“ — Singulari cum vi *ac* ponitur Ge. II, 290.: „Altior a c penitus terrae defigitur arbos.“ — Graviter per *ac* plurium sententiarum comprehensio clauditur: Aen. IV, 231.: „Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri Proderet, a c totum sub legibus mitteret orbem.“ IX, 413.: „Hasta volans noctis diverberat umbras, Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique Frangitur, a c fixo transit praecordia ligno.“ Adde V, 41. VII, 18. 77. IX, 589.; similiter II, 632. — Tum vero haud infrequens *ac* in sedata et cum dignitate quadam coniuncta oratione, maxime autem in trita illa formula *a c talia fatur*, cfr. §. 27.; hinc etiam in secunda arsi Aen. VIII, 70.: „rite cavis undam de flumine palmis Sustulit, a c tales effundit ad aethera voces;“ quapropter multis idoneisque libris auctoribus edidi Aen. IX, 17.: „Sustulit, a c tali fugientem est voce secutus.“ De I, 93. 197. XI, 685. vid. §. 15. b. — Soni etiam ratio haberi potuit Ecl. III, 4. IV, 9. Aen. IV, 231. XI, 740. supra laudd.,

Digitized by Google

praeterea XI, 103.: „corpora Redderet, ac tumulo sineret succedere terrae;“ quamquam hic quoque copulae *ac* gravitas legatorum orationi conveniens videri potest. — Ge. I, 52.: „At prius, ignotum ferro quam scindimus aequor, Ventos et varium caeli praediscere morem Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum, Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset;“ duo proponuntur, ventorum locorumque cognitio; iam primariae sententiae per *ac* h. l. iunguntur, *et* autem secundarias illis adnectit. — Sed Aen. X, 227.: „Cymodocea Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso Eminet, ac laeva tacitis subremigat undis,“ etsi *ac* defendi potest, malim tamen *at* scripsisse Virgilium, quod inprimis huic loco aptum manus prima Medicei cod. exhibet; cfr. Aen. VI, 542. et Q. V. XXXVII, 1. a. Nam quod quis opinari possit, soni elegantiae hoc dedisse Virgilium, si quaedam modo laudata excipis, ut verbis in *it* vel *et* desinentibus *ac* quam *et* subiicere maluerit, id omnium est falsissimum.

15. b) Hic illud de huius copulae, *et*, usu adiungere haud abs re fuerit: (ponam autem nulla nisi talia exempla, ubi verbum in *it* vel *et* terminatum praecedit:) *et* duas sententias ita iungit, ut nulla inter eas necessaria ratio intercedat: Ecl. IX, 42.: „hic candida populus antro Imminet, et lentae texunt umbracula vites.“ Ge. IV, 136.: „quum — hiems frigore saxa Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum.“ Aen. X, 810.: „nubem belli omnem Sustinet, et Lausum increpitat, Lausoque minatur.“ Adde V, 619. VII, 87. 450. 800. VIII, 343. 373. IX, 113. 553. X, 782. cet. Hinc *et* maxime in enumerando locum habet, quam rem omnium frequentissimam non est quod comprobem exemplis. — Porro *et* ita adiungit aliam sententiam superiori, ut haec per illam aliquo modo vel explicetur, vel amplificetur: Aen. III, 627.: „quum membra fluentia tabo Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.“ VI, 524.: „coniux arma omnia tectis Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem.“ II, 231.: „sacrum qui cuspide robur laeserit, et tergo intorserit hastam.“ 269.: „quo prima quies mortalibus Incipit, et dono divum gratissima serpit.“ Hinc I, 93.: „Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas, Talia voce refert;“ quare hic non est, cur *ac* desideres coll. §. 15. a. Adde praeterea II, 590. 743. III, 449. IV, 591. V, 225. 598. 727. VI, 101. 619. VII, 211. 481. 542. VIII, 87. 369. IX, 718. cet. — Deinde *et* nectit res usitato quodam more atque ordine sese excipientes, vel communi quodam vinculo coniunctas: Aen. XII, 726.: „Iupiter ipse duas — lances Sustinet, et fata imponit diversa duorum.“ I, 197.: „vina Dividit, et dictis maerentia pectora mulcet.“ XI, 685.:

Digitized by Google

„Hunc — Traiicit, et super haec inimico pectore fatur.“ Adde I, 459. II, 688. VIII, 2. IX, 389. 630. X, 149. XI, 794. — Hinc ponitur *et*, ubi causa et effectus iungitur, et quae huic rei similia censeri possunt: Aen. V, 374.: „Percutit, et fulva moribundum extendit arena.“ 748.: „cari praecepta parentis Edocet, et quae nunc animo sententia constet.“ IX, 106.: „Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.“ Adde I, 721. III, 155. V, 171. VIII, 218. X, 115. 191. XI, 824. — Eiusmodi autem causae effectusque coniunctio saepe etiam cernitur, ubi dicta factum sequitur; inde crebrum illud *Haec ait, et; Sic ait, et; Dixit, et; Dixerat, et;* vid. Aen. I, 297. II, 296. 621. III, 189. 607. IV, 630. 704. V, 365. IX, 749. X, 285. 379. XI, 520. cet. Vid. omnino supra §. 6. — Ceterum si cui haec tenuiora videbuntur, is velim meminerit, quos terminos huic disputationi in ipso eius ingressu posuerim.

15. c) Sed ut tandem in viam redeam: *Ac* in secunda arsi crebro etiam post *Haud secus*, *Haud minus*, *simul:* Ge. III, 346. Aen. III, 236. 561. IV, 90. VIII, 243. X, 272. XII, 856. — In thesi secundae sedis bis inveni, sequente caesura ἑφθημιμερεῖ, Aen. IV, 135. VIII, 117.

16. Non rara est apud Virgilium caesura in fine secundi pedis, quam plerumque *et*, vel *ac*, vel *aut*, vel alia excipit particula, facta quidem ante illam ut plurimum elisione. Exempla, ubi *ac* sic legitur, haec sunt: Ge. I, 200.: „In peius ruere, *ac* retro.“ II, 62.: „Cogendae in sulcum *ac* multa.“ III, 70.: „Semper enim refice, *ac*, ne post.“ ib. 558.: „Donec humo tegere, *ac* foveis.“ IV, 154.: „Hic vero subitum *ac* dictu.“ Aen. I, 58.: „Ni faciat, maria *ac* terras.“ 151.: „Tum pietate gravem *ac* meritis.“ 301.: „Remigio alarum, *ac* Libyae.“ II, 169.: „Ex illo fluere *ac* retro.“ VI, 724.: „Principio caelum *ac* terras.“ VII, 78.: „Id vero horrendum *ac* visu.“ VIII, 689.: „Una omnes ruere *ac* totum.“ IX, 34.: „Prospiciunt Teucri *ac* nubem.“ 510.: „Omne genus Teucri *ac* duris.“ 677.: „Ipsi intus dextra *ac* laeva.“ 790.: „Et fluvium petere, *ac* partem.“ Exempla, quae carent elisione, haec notasse sufficiat: Ge. II, 130.: „Auxilium venit, *ac* membris.“ Aen. I, 54.: „Imperio premit *ac* vinclis.“ ib. 82.: „Impulit in latus: *ac* venti.“ 171.: „Ex numero subit; *ac* magno.“ 285.: „Servitio premet, *ac* victis.“ IV, 613.: „Infandum caput, *ac* terris.“ Ubi illud velim notes, ubique versum nova in quarti pedis principio incisione adiutum esse. Est tamen etiam, ubi hoc fulcro destitutos numeros deprehendas. Sic Aen. IV, 674.: „Per medios ruit, *ac morientem* nomine clamat.“ VII, 119.: „Eripuit pater, *ac stupefactus* numine pressit.“ VIII, 321.: „Is genus indocile *ac dispersum* montibus altis.“

Digitized by Google

17. Rarius *ac* in thesi tertii pedis reperitur, saepius tamen, quam in thesi primi et secundi; quae res inde explicanda, quod in hac quidem huius pedis sede, praegressa usitatissima ac fere legitima hexametri caesura, nova saepe inchoatur sententia. Notavi autem haec exempla: Ge. II, 281. III, 497. Aen. V, 715. 776. IX, 233. 817. XII, 284.

18. Quum autem *ac* frequentissime arsin primi, secundi ac tertii pedis occupet, non mirabere tamen, si idem in quarto admodum raro factum animadverteris. Hoc enim ubi fit, versus in duas aequales partes dividitur, quod merito inelegans habetur. Huius rei haec collegi exempla: Ge. III, 429. IV, 225. Aen. IV, 330. 477. V, 454. 661. Scite tamen hoc ita instituit Virgilius, ut aut duarum brevium syllabarum vocabulum praecederet, aut elisione sustentarentur numeri.

19. Sed priusquam ad thesin pedis quarti progrediar, illud adiicio, quod facile patet quare ita sit, raro *ac* aliasque voces monosyllabas in arsi quinti pedis legi. *Ac* his locis observavi: Ge. I, 29. Aen. IX, 441. XII, 406.

20. Significatum est supra, Quaest. XXXII, 5., ceteris hexametri pedibus debiliorem esse quartum, variisque rationibus quum ab aliis, tum a Virgilio firmari eum et corroborari. Quod vere me contendisse vel maxime eo comprobatur, quod particula *ac*, alias in arsi quasi habitans, tamen, propter singulare, quod habet, sive sonum spectas, sive potestatem, pondus, frequentissime in thesi quartae sedis collocata est. Cfr. Ge. II, 471. Aen. II, 216. 545. III, 172. 206. 358. 485. 632. IV, 222. 260. 295. V, 16. 79. 464. 532. VI, 276. 287. VII, 20. 237. 330. VIII, 98. 326. 559. IX, 506. 621. 661. XI, 854. 893. XII, 228.

21. *Ac* interdum cum *at*, saepius cum *et* in libris permutatur. Quod quum in thesi sedis quartae frequentius, quam ceteris in pedibus acciderit, non immerito suspiceris, aliquoties ibi expulsum esse *ac* per *et*. Sic Aen. II, 445. optimi libri praebent „turres *ac* tecta domorum;" XII, 132. eadem verba exstant, nisi quod *et*, non *ac* legitur; quamquam hoc offert Rom. cum aliis quibusdam. Eodem modo fluctuatur VII, 160., ubi „turris *et* tecta" prior est Medicei lectio, altera *ac t.* III, 172. editur: „visis *ac* voce deorum;" Mediceus tamen cum paucis aliis praebet *et voce*. ib. 300.: „classes *et* litora linquens;" Hamb. pr. *ac*. ib. 632. editum est: „saniem eructans *ac* frusta cruento;" potioribus libris *et* commendantibus. VI, 498. legitur: „*et* dira tegentem," nulla varietate indicata; Foggin. tamen praebet *ac dira;* sic IX, 621.: „*ac dira* canentem;" et X, 572. quum legatur: „*et dira* frementem" Foggin. in Med. *ac* a m. pr. scriptum invenit. VII, 237.: „vittas *ac* verba precantia;" nonnulli *et ver-*

Digitized by Google

ba. ib. 552. sunt qui edant: „terrorum *ac* fraudis abunde est;" sed libri Heinsiani tuentur receptam lectionem *et fraudis*. Contra VIII, 98. vetustiores suppeditant „*ac* rara domorum Tecta vident;" non *et*, quod in aliis. IX, 661. omnes, praeter unum Med. apud Fogg. praebent: „dictis *ac* numine Phoebi." X, 644.: „*et* voce lacessit;" duo libri *ac*. Ge. II, 432.: „*et* lumina fundunt;" pauci *ac*. Sed quum difficile sit, praecepta dare in re adeo dubia, illud tutissimum ratus sum, optimorum codicum auctoritati ubique me dedere. Hoc tamen non abs re erit monere, in enumerando fere tantum *que* atque *et*, raro *ac* locum habere, ut Aen. VI, 276. 287.

22. *Atque* minus crebro ante consonas legi, quam ante vocales, iam supra dictum est. Legitur tamen sic non raro; cf. Ecl. II, 15. III, 11. V, 30. VI, 38. 63. VIII, 99. Ge. I, 85. 505. II, 46. 491. III, 185. 265. 427. 463. 475. Aen. I, 147. 254. 543. etc. Singularem autem huic particulae esse gravitatem, quum alia mihi indicare videntur, tum haec: Ecl. X, 35.: „*Atque* utinam ex vobis unus — fuissem." Aen. I, 575.: „*Atque* utinam rex ipse — Adforet Aeneas." Ge. I, 338.: „In primis venerare deos, *atque* annua magnae Sacra refer Cereri." III, 26. sqq.: „In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini; *Atque* hic undantem bello magnumque fluentem Nilum, *ac* navali surgentes aere columnas." ubi cfr. §. 14. extr. Aen. IV, 285. et VIII, 20.: „*Atque* animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc." VI, 185.: „*Atque* haec ipse suo tristi cum corde volutat;" commendabilis hic versus etiam antiquae atque Ennianae formulae pondere *suo tristi cum corde*. ib. 672.: „*Atque* huic responsum paucis ita reddidit heros." XI, 239.: „sedet — Latinus. *Atque* hic legatos — fari iubet." Hinc in re non exspectata, necopinata, repente oculis subiecta, vel mira ac memorabili frequens est *atque*. Cfr. Ecl. VII, 7.: „Huc mihi namque caper deerraverat; *atque* ego Daphnim Adspicio." Aen. IV, 261.: „Aenean Conspicit; *atque* illi stellatus iaspide fulva Ensis erat, Tyrioque ardebat murice lana;" scilicet miratus et indignatus haec dona a Didone accepta in Aenea conspicit Mercurius. ib. 663.: „Dixerat. *Atque* illam media inter talia ferro Collapsam adspiciunt;" Didonem adspiciunt terrore perculsae famulae. VI, 160.: „Multa inter sese vario sermone ferebant, Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum Diceret. *Atque* illi Misenum in litore sicco, Ut venere, vident indigna morte peremtum." ib. 494.: „*Atque* hic Priamiden, laniatum corpore toto Deiphobum videt." VII, 29.: „*Atque* hic Aeneas lucum (et fluvium) Prospicit;" de re non exspectata. X, 219.: „*Atque* illi medio in spatio chorus ecce suarum Occurrit comitum." *Atque* excitat exspectationem Aen. II,

Digitized by Google

634. sqq., ubi in aliis *ast:* „*Atque* ubi iam patriae perventum ad limina sedis —, genitor, quem tollere in altos Optabam primum montes, — Abnegat excisa vitam producere Troia.“ Neque, ubi ad nova transitur, rarum *atque*. Ex multis cf. Ge. I, 351.: „*Atque* haec ut certis possimus discere signis.“ Aen. II, 386.: „*Atque* hic successu exsultans animisque Coroebus — inquit.“ III, 373.: „*Atque haec* deinde canit divino ex ore sacerdos.“ Aen. VII, 540.: „*Atque* ea per campos vario dum Marte geruntur“ etc. IX, 1.: „*Atque* ea diversa penitus dum parte geruntur.“ XII, 383.: „*Atque* ea dum campis victor dat funera Turnus.“ Adde Ge. IV, 116. Aen. I, 619. II, 796. VI, 861. VII, 205. X, 873. Sed iam *ἔπεχε!*

23. *que* — *atque* i. q. *τέ* — *καί*. Ge. I, 182.: „mus sub terris posuit*que* domos, *atque* horrea fecit.“ III, 434.: „anguis Saevit agris, asper*que* siti *atque* exterritus aestu.“ Aen. VIII, 486.: „Componens manibus*que* manus, *atque* oribus ora.“ *Atque* — *atque* ita poni, recte negat Wunderlich. in Praefat. Edit. min. pag. XI. Alio modo geminatur *atque* in enumeratione praegressis pluribus Ge. IV, 343.: „*Atque* Ephyre, *atque* Opis et Asia D.“ IV, 463.: „flerunt — *Atque* Getae, *atque* Hebrus et Actias O.“ vid. Not. ad Ecl. V, 23. et quae infra docentur.

24. Conspicua particulae *atque* maior quaedam vis atque gravitas inprimis in iungendis iisdem vocabulis; cf. Ecl. IV, 56.: „*huic* mater quamvis *atque huic* pater adsit.“ VIII, 95.: „*Has* herbas *atque haec* Ponto mihi lecta venena.“ Ge. IV, 86.: „*Hi* motus animorum, *atque haec* certamina tanta.“ ib. 219.: „*His* quidam signis, *atque haec* exempla secuti.“ Aen. V, 596.: „*Hunc* morem, *hos* cursus *atque haec* certamina.“ Aen. I, 162.: „*Hinc atque hinc* vastae rupes.“ 500.: „*Hinc atque hinc* glomerantur Oreades.“ IV, 447.: „assiduis *hinc atque hinc* vocibus heros Tunditur.“ VIII, 387.: „niveis *hinc atque hinc* diva lacertis — fovet.“ IX, 380.: „*Hinc atque hinc* aditum custode coronant.“ ib. 440.: „*hinc* comminus *atque hinc*.“ ib. 550.: „*Hinc* acies *atque hinc* acies adstare Latinas.“ IX, 57.: „*Huc* turbidus *atque huc* Lustrat muros.“ Ge. III, 185.: „Tum *magis atque magis*.“ Aen. II, 299.: „Et *magis atque magis*.“ XII, 239.: „Iam *magis atque magis*.“ Aen. II, 243.: „*quater* ipso in limine portae Substitit, *atque* utero sonitum *quater* arma dedere.“ VIII, 527.: „*iterum atque iterum* fragor increpat ingens.“ IX, 127.: „*Ultro* animos tollit dictis *atque* increpat *ultro*.“ item X, 278. Ecl. V, 35.: „*Ipsa* Pales agros, *atque ipse* reliquit Apollo.“ Aen. III, 504.: „quibus *idem* auctor *Atque idem* casus.“ IV, 679.: „*Idem* ambas ferro dolor *atque eadem* hora tulisset.“ VI, 113.: „maria *omnia* mecum *Atque omnes* pelagique minas caelique ferebat.“ X, 842.: „*ingentem atque ingenti* vul-

Digitized by Google

nere victum." ib. 883.: „Inde *aliud* super *atque aliud* figit." Huc pertinet etiam X, 741.: „te fata Prospectant *paria*, *atque eadem* mox arva tenebis." et Ecl. IV, 36.: „erunt etiam *altera* bella *Atque iterum* ad Troiam magnus mittetur Achilles;" quibus simillima sunt, quae leguntur Aen. X, 26. sqq.: „muris *iterum* imminet hostis Nascentis Troiae; nec non exercitus *alter; Atque iterum* in Teucros Aetolis surgit ab Arpis Tydides."

25. Eadem vis cernitur in copulandis contrariis, ut Ge. I, 505.: „Quippe ubi *fas* versum *atque nefas.*" IV, 475.: „*matres atque viri.*" Aen. I, 543.: „At sperate deos, memores *fandi atque nefandi.*" IV, 190.: „pariter *facta atque infecta* canebat." VI, 127.: „*Noctes atque dies.*" 306.: „*Matres atque viri.*" IX, 595.: „*digna atque indigna* relatu." ib. 755.: „*Huc* caput *atque* illuc — pependit." In his scilicet primariam deprehendas huius particulae notionem, hoc fere significantis: *aeque — ac.*

26. Porro non raro duo imperativi per *atque* iunguntur; cfr. Ecl. VIII, 12. Ge. I, 40. 100. III, 65. IV, 330. Aen. II, 691. III, 89. 250. 639. IV, 424. IX, 90. X, 624. XI, 370.

27. Notanda est etiam frequens formula *divom pater atque hominum rex*, atque huic similia. Aen. I, 65. 254. II, 648. X, 2. 743. XI, 727.; tum sollennis illa formula, qua quis loquens introducitur, *atque ita fatur*, et quae sunt eiusmodi; cf. Ge. IV, 320. 444. Aen. II, 372. V, 382. VI, 854. VII, 194. IX, 640. 652. X, 104. 480. XI, 382. 822. XII, 10. cf. §. 15.

28. Eleganter *atque* in enumeratione plurium rerum poni, supra monitum est. cf. §. 23. Sic Ecl. II, 49. VIII, 99. Ge. II, 162. IV, 484. Aen. VIII, 655. IX, 702. Ge. I, 139. sqq.:

> Tum laqueis captare feras, et fallere visco
> Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
> *Atque* alius latum funda iam verberat amnem,
> Alta petens —;
> Tum ferri rigor *atque* argutae lamina serrae.

ib. 261. sqq.:

> — durum procudit arator
> Vomeris obtusi dentem; cavat arbore lintres;
> Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.
> Exacuunt alii vallos furcasque bicornes,
> *Atque* Amerina parant lentae retinacula viti.
> Nunc — texatur fiscina *cet.*

Digitized by Google

Ge. IV, 134.: Primus vere rosam *atque* auctumno carpere poma, —
139.: Ergo apibus fetis idem *atque* examine multo
Primus abundare — —;
141.: — illi tiliae *atque* uberrima pinus.

29. *Atque* frequentissime in arsi primi, secundi tertiique, et in thesi quarti pedis (cf. §. 14. sqq.) collocatum reperies; nec raro in arsi quarti, ac thesi tertii; rarius in arsi quinti ac thesi secundi; rarissime in thesi primi atque in sexto pede. Ante consonas crebrius legitur in prima, secunda quintaque, raro in tertia sede, nunquam in quarta; hic enim, si consona sequeretur, aut duriores, aut debiliores existerent numeri. Denique quum in arsi tertii quartique pedis ponitur, praecedens vocabulum plerumque in syllabam exit elidendam; multo rarius idem animadvertere licet in thesi tertiae quartaeque sedis. Quarum rerum rationes si quis exquirere velit, is iam haud difficilem laborem susceperit. Mihi interea liceat ad alia pergere.

Ceterum haec dudum congesta, quum saepe in Variis Lectionibus Notisque ad ea remisissem Lectores, ita, uti in chartulas primum conieceram, servanda fuerunt; quamquam, si iam liceret, accuratius explicato harum particularum significatu ac discrimine, multo haec ederem castigatiora, meliusque disposita et tractata. Nec plane subterfugiendus fuisset is labor, nisi otium mihi fecisset in praesens thesaurus ille amplissimus Tursellianus, nuper a viro longe acutissimo doctissimoque constructus.

QUAESTIO XXXVI.

De Particula *Ve*.

1. Particulam *ve* ex *vel* ortam esse, tum forma prodit, tum ipsa significatio. Hinc fit interdum, ut *vel* excipiat particulam *ve*. Aen. VI, 318.: „quid vult concursus ad amnem? quid*ve* petunt animae? *vel* quo discrimine ripas Hae linquunt, illae“ etc. Pro *vel* positum *ve* Aen. VIII, 402.: „Quod fieri ferro liquido*ve* potest electro.“ Item geminatur *ve* a poetis, ubi a prosariis scriptoribus, iis quidem, qui scribunt elegantius, *vel* — *vel* exhibetur. Aen. VIII, 205.: „ne quid inausum — sceleris*ve* doli*ve* fuisset.“

Digitized by Google

IX, 211.: „Si quis in adversum rapiat casus*ve* deus*ve*.“ i. e. *vel* sceleris, *vel* doli; *vel* casus, *vel* deus. Nec raro pro *aut* legitur *ve*, ut Aen. III, 681.: „silva alta Iovis, lucus*ve* Dianae.“ V, 325.: „spatia et si plura supersint, Transeat elapsus prior, ambiguum*ve* relinquat.“ Sic ibi codd. Heins. non, ut Heynius refert, *ambiguumque*. Denique *ve* etiam particulae *sive* vice fungitur. Aen. VII, 603.: „si quando — movent in proelia Martem, *Sive* Getis inferre — bellum, Hyrcanis*ve* Arabis*ve* parant, *seu* tendere ad Indos.“ X, 108.: „Quae cuique est hodie —, quam quisque secat spem, Tros Rutulus*ve* fuat, nullo discrimine habebo;“ i. e. *sive* Tros, *sive* Rutulus; male in aliis, atque ipso Mediceo, Rutulus*ne*. Recte etiam editur XI, 591.: „Hac, quicumque sacrum violarit sanguine corpus, Tros Italus*ve*, mihi pariter det sanguine poenas;“ quamquam hic quoque Mediceus cum nonnullis aberrat in *Italusque*.

2. In universum autem hoc tenendum: maxime in comparativis, interrogativis ac negativis enuntiationibus certum a poetis inter particulas *ve, vel, sive, aut*, discrimen non observari, nisi quod *vel* a commotiore oratione excluditur. Videamus primum de comparationibus. Aen. IX, 680.: „Quales — *Sive* Padi ripis, Athesim *seu* propter amoenum Consurgunt geminae quercus.“ X, 641.: „Morte obita quales fama est volitare figuras; *Aut* quae sopitos deludunt somnia sensus.“ Adde XII, 521. sqq. II, 304. et alia. Aen. VII, 718.: „Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus, Saevus ubi Orion hibernis conditur undis; *Vel* quum sole novo densae torrentur aristae;“ etc. IX, 435.: „veluti quum flos Languescit moriens, lasso*ve* papavera collo Demisere caput.“ XI, 456.: „Haud secus, atque in luco quum forte catervae Consedere avium, piscoso*ve* amne Padusae Dant sonitum cycni.“ adde XI, 811. etc. I, 592.: „Quale manus addunt ebori decus; *aut* ubi flavo Argentum Parius*ve* lapis circumdatur auro.“

3. Pergimus ad interrogationem. Aen. VI, 374.: „Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum Eumenidum adspicies, ripam*ve* iniussus adibis?“ X, 92.: „Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter? *Aut* ego tela dedi fovi*ve* Cupidine bella?“ X, 73.: „ubi hic Iuno demissa*ve* nubibus Iris?“ quidam demissa*que*; sed proba hic etiam disiunctiva. VI, 614.: „ne quaere doceri, Quam poenam (exspectent), aut quae forma viros fortuna*ve* mersit?“ I, 369.: „Sed vos qui tandem, quibus *aut* venistis ab oris, Quo*ve* tenetis iter?“ VI, 842.: „Quis te, magne Cato, *aut* te, Cosse, relinquat? Quis Gracchi genus, *aut* Scipiadas, parvoque potentem Fabricium, *vel* te, Serrane?“ X, 285.: „et secum versat, quos ducere contra, *Vel* quibus obsessos possit concredere muros.“ cf. etiam Aen. VI, 318. supra §. 1. laud. Frequens in hoc genere *aut*, rarum *vel*, creber etiam

Digitized by Google

particulae *ve* usus, sed qui ut plurimum finibus quibusdam sit circumscriptus; de quo explicabitur §. 5.

4. Restat, ut de negationibus agamus. Aen. II, 785.: „Non ego Myrmidonum sedes Dolopum*ve* superbas Adspiciam, *aut* Graiis servitum matribus ibo.“ ib. 601.: „Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae, Culpatus*ve* Paris — Has evertit opes.“ III, 628.: „Nec talia passus Ulixes, Oblitus*ve* sui est.“ VII, 261.: „Non — Divitis uber agri Troiae*ve* opulentia deerit.“ ib. 685.: „Non illis omnibus arma, Nec clipei currus*ve* sonant.“ ib. 215.: „Nec sidus regione viae, litus*ve* fefellit.“ IV, 170.: „neque enim specie fama*ve* movetur.“ IX, 486.: „Nec te tua funere mater Produxi, pressi*ve* oculos, *aut* vulnera lavi.“ XI, 790.: „non exuvias pulsae*ve* tropaeum Virginis, *aut* spolia ulla peto.“ Ge. II, 336.: „Non alios — Illuxisse dies, alium*ve* habuisse tenorem.“ III, 371.: „Hos non immissis canibus, non cassibus ullis, Puniceae*ve* agitant formidine pennae.“ Aen. VI, 104.: „non ulla laborum — nova mi facies inopina*ve* surgit.“ XI, 280.: „nec veterum memini laetor*ve* malorum.“

5. Diximus supra (§. 3.) crebro inservire *ve* interrogationi; sed eam rem non ita late patere et plerumque terminis quibusdam esse saeptam. Usurpatur enim fere tum haec vocula in interrogatione, ubi praegresso pronomini interrogativo alterum subiicitur. Ge. IV, 445.: „*quis* te nostras Iussit adire domos? *quidve* hinc petis?“ Aen. I, 539.: „*Quod* genus hoc hominum? *quaeve* hunc“ cet. II, 74.: „*quo* sanguine cretus, *quidve* ferat?“ IV, 408.: „*Quis* tibi tum sensus —? *quosve* dabas gemitus?“ VI, 560.: „*Quae* scelerum facies? — *quibusve* Urgentur poenis?“ ib. 712.: „Inscius Aeneas, *quae* sint ea flumina, — *Quive* viri tanto complerint agmine ripas;“ ubi male in quibusdam *quique*. IX, 228.: „Consilium — habebant, *Quid* facerent, *quisve* Aeneae iam nuntius esset.“ ib. 376.: „*Quae* causa viae? *quive* estis in armis? *Quove* tenetis iter?“ X, 670.: „*quae* me fuga, *quemve* reducet?“ XI, 508.: „*quas* dicere grates, *Quasve* referre parem.“ Idem valet de adverbiis ex eo pronomine ductis. Aen. III, 88.: „*Quem* sequimur, *quove* ire iubes.“ V, 13.: „Heu *quianam* tanti cinxerunt aethera nimbi? *Quidve*, pater Neptune, paras?“ XII, 313.: „*Quo* ruitis? *quaeve* ista repens discordia surgit?“ Quod autem legitur X, 150.: „memorat nomenque genusque, Quid*ve* petat, quid*ve* ipse ferat;“ ita est explicandum: memorat, q u i s i t, quidve petat. Et Aen. V, 28.: „An sit mihi gratior ulla, Quo*ve* magis fessas optem deducere naves?“ sic libri mss., non *que;* i. e. *quae* sit mihi gratior, *quove* etc. Ita autem constans hac in re et certus regnat usus, ut vel tum *ve* inveniatur, ubi is, qui varia quaerit, ad omnia sibi responderi cupit, non ad partem tantum; quod facile allata ex-

empla intuenti sese offert. Adscivit hunc usum Virgilius ex Homero, ubi similiter ἢ sexcenties legitur. Aen. II, 151. in Edit. Heyn. irrepsit nescio quomodo: „Quis auctor? quid*que* petunt?" quum in Codd. legatur *quidve*. Praegressum autem pronomen ubi non repetitur, nihil impedit, quominus altera interrogatio per copulam *que* priori nectatur. Sic Aen. III, 101.: „Quo Phoebus vocet errantes iubeat*que* reverti;" i. e. quo reverti iubens Phoebus errantes vocet.

6. Praecedente coniunctione *ne*, vel *si*, sequentia non ita raro per *ve* adiungi, mirabitur nemo, qui meminerit, has particulas etiam coaluisse in *neve* et *sive*. Aen. VII, 332.: „*ne* noster honos infracta*ve* cedat Fama loco; *neu* connubiis ambire Latinum Aeneadae possint, Italos*ve* obsidere fines." I, 682.: „*Ne* qua scire dolos medius*ve* occurrere possit." ib. 413.: „*neu* quis contingere possit Moliri*ve* moram." Aen. V, 51.: „Gaetulis agerem *si* Syrtibus exsul, Argolico*ve* mari deprensus" etc. IX, 407.: „Si qua dona tulit —, *si* qua ipse meis venatibus auxi Suspendi*ve* tholo, aut" etc. Hinc etiam quum interrogat particula *si*: Aen. IV, 110.: „Incerta feror, *si* Iuppiter unam Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis; Misceri*ve* probet populos, aut" etc. Item *sive* legitur in tali oratione: Aen. I, 218.: „dubii, *seu* vivere credant, *Sive* extrema pati." II, 738.: „fatone erepta Creusa Substitit, erravitne via, *seu* lassa resedit, Incertum."

7. Venio nunc ad permutationes particularum *ve* et *que*. Qua in re quum etiam optimi libri interdum a vero aberrare videantur, fateor me non ubique plane expeditam habere sententiam. Sed age experiamur, quid in eo genere praestari possit. Scilicet constat inter omnes, voculae *ve* disiungendi, particulae *que* coniungendi esse potestatem. Quare non erat, cur Heynius Aen. V, 595.: „Delphinum similes, qui per maria humida nando Carpathium Libycum*que* secant," *Libycumve* scriptum mallet. Illud enim ipsum ultro citroque cursitare (quod spectatores in ludo Troiae delectabat) desiderat copulam coniunctivam, non disiunctivam. Neque est, quod cum Heynio *que* in *ve* mutatum malis IX, 96.: „Mortaline manu factae immortale carinae fas habeant? certus*que* incerta pericula lustret Aeneas?" Alterum enim quum ex altero sequatur, non disiungenda haec sunt, sed coniungenda. Et consultius etiam feceris, si post verbum *habeant* interrogandi signum in comma mutaveris. Inprimis autem frequens est harum vocularum permutatio praegressa negatione. Hic primum illud teneri volo, ubi, quae subiecta sunt, quodammodo comprehenduntur superioribus ita, ut epexegesis ratio intercedat, ibi proprium tueri locum *que*, vel *et*. Exempla rem illustrabunt. Ge. II, 85.: „*Nec* pingues unam in faciem nascuntur Olivae, Orchades *et* radii, *et* amara pausia bacca: Pomaque *et* Alcinoi silvae."

Digitized by Google

III, 253.: „*Non* scopuli rupes*que* cavae.“ Aen. XI, 736.: „At *non* in Venerem segnes nocturna*que* bella.“ V, 378.: „*nec* quisquam Audet adire virum manibus*que* inducere cestus;“ hoc est enim illud: *virum adire*. Ge. II, 501.: „*nec* ferrea iura Insanum*que* forum, aut populi tabularia vidit;“ ubi Rom. *ve*. Aen. V, 671.: „*non* hostem inimica*que* castra Uritis.“ IV, 431.: „Non iam coniugium — oro, *Nec* pulchro ut Latio careat regnum*que* relinquat.“ IX, 479.: „*non* illa pericli Telorum*que* memor.“ Ge. II, 220.: „*Nec* scabie *et* falsa laedit robigine ferrum.“ Aen. IV, 236.: „*Nec* prolem Ausoniam *et* Lavinia respicit arva.“ Hinc intelligitur, Ge. II, 495.: „Illum non populi fasces, *non* purpura regum Flexit *et* infidos agitans discordia fratres, *aut*“ etc. extrema parte explicari mediam, nec de civilibus Romanorum bellis agi, sed de fratre fratri imperium extorquere conante. Itaque, si *ve* ibi ponitur, ubi discriminis aliquid intercedit inter duas res, *que* autem, ubi alterum altero illustratur atque ornatur, Aen. II, 741.: „*Nec* prius amissam respexi animum*ve* reflexi:“ quamquam Mediceus *que* praebet, non tentabimus. Item IV, 86.: „*Non* coeptae adsurgunt turres; *non* arma iuventus Exercet; portus*ve* aut propugnacula bello Tuta parant;“ ubi Montalb. et a m. pr. *portusque*. ib. 425.: „*Non* ego cum Danais Troianam exscindere gentem Aulide iuravi classem*ve* ad Pergama misi;“ sic omnes Heinsiani; apparet tamen, rem si per se spectes, legi etiam posse, inflexo tamen paululum sensu, *classemque;* sed in talibus sola codicum auctoritas sequenda. VII, 523.: „non iam Stipitibus duris agitur sudibus*ve* praeustis;“ ubi Montalb. et Ment. pr. sudibus*que;* sed melius haec disiunguntur. Contra X, 712. malis a poeta scriptum: „*Nec* cuiquam irasci propius*que* accedere virtus;“ uti nonnulli codices, in quibus Gud. Aen. VII, 231.: „*nec* vestra feretur Fama levis, tanti*ve* abolescet gratia facti;“ quamquam in Gud. aliisque tanti*que*, quod ipse exhibet Fogginius, legitur, *tantive* reliqui, quia utrumque commode dici poterat; *tantique* si malis, subiectis verbis significabitur, Troianos potissimum consulturos esse famae Latinorum, quippe perpetuo istius facti memores futuros. Sed Aen. VIII, 377., ubi antea legebatur: „Non ullum auxilium miseris, *non* arma rogavi Artis opis*que* tuae,“ edidi *opisve; ve* exhibent sex octove codd. Heins., eodem ducente notula, quae inter Serviana legitur: „Duo duobus reddit, *opis*, *arma:* aut certe idem valet *opis*, quod *artis:* hinc opifices.“ Quae quidem cur notaret grammaticus, non habebat, nisi particula *ve* offensioni ei erat. Sentiebat is, qui haec scripsit, requirere voc. *auxilium* vel pronomen possessivum *tuum*, vel genitivum; unde ita scripsisse putandus est: „Duo duobus reddit: *auxilium — opis, — arma — artis.*“ Nisi igitur *opisve* legeris, ad a r m a, non ad a u x i l i u m hoc referetur. Porro Aen. IV, 540. edidi: „Quis me autem, fac velle, sinet,

Digitized by Google

ratibus*que* superbis Accipiet?" Nimis enim vagum illud *sinet* postulat aliquam interpretationem copulae ope adnectendam; *ve* tuentur Medic. Gud. et pr. Ment. Aen. VII, 388.: „Quo thalamum eripiat Teucris taedas*que* moretur;" ubi non est necesse ex Schraderi praecepto *taedasve* legere; sic enim haec intelligenda: quo thalamum Teucris eripiat morando, sive morans, taedas; mora enim interposita sperare poterat totam rem ad nihilum redactum iri. X, 557.: „non te optima mater Condet humi, patrio*que* onerabit membra sepulcro;" sic Medic. cum aliis. XI, 537.: „neque enim novus iste Dianae Venit amor, subita*que* animum dulcedine movit;" ubi Heynius *ve* malit. Quum, quae nova sunt, non raro sint etiam subita, nihil impedit, quin per copulam haec adiungantur; si *subitave* scripsisset poeta, hic exsisteret sensus, per se quidem non minus egregius: neque aut novus, aut subitus venit iste amor.

8. Porro *que* post negationem requiritur, ubi talia iunguntur, quae natura sua ita sunt comparata, ut aut separari non possint, aut iuncta cogitari soleant. Ex priore genere sunt Aen. VI, 393.: „*nec* Thesea Pirithoum*que* — sum laetatus — Accepisse lacu;" Pirithous enim socius Theseo adiunctus venerat; non debebant igitur haec nomina disiungi per *ve*. II, 534.: „*nec* voci irae*que* pepercit." XII, 824.: „*Neu* Troas fieri iubeas Teucros*que* vocari." X, 609.: „*non* vivida bello Dextra viris animus*que* ferox." Huc etiam ea pertinent, ubi causis subiunguntur effecta. Ge. III, 127.: „*ne* nequeat (*taurus*) blando (*generandi*) superesse labori, Invalidi*que* patrum referant ieiunia nati." XII, 801.: „*Nec* te tantus edat tacitam dolor, *et* mihi curae Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent." Contra disiunctiva recte editur Ge. I, 92.: „*Ne* tenues pluviae rapidi*ve* potentia solis — adurat." et Aen. XI, 21.: „*Ne* qua mora ignaros — Impediat segnis*ve* metu sententia tardet;" quod si legeretur *ignavos*, exspectandum esset *segnisque*. Ex altero haec sunt: Ge. IV, 10.: „Principio sedes apibus — petenda, Quo neque sit ventis aditus, *neque* oves haedi*que* petulci Floribus insultent;" i. e. statio quaerenda, ubi neque ventis ab alveari prohibeantur redeuntes e volatu, neque in melle per prata colligendo turbentur; hoc quum maxime a pecudibus verendum sit, oves haedosque nominat, ovibus quidem densiore grege pasci solitis, haedis autem nimis multum ultro citroque cursitantibus. Ge. III, 56.: „*Nec* mihi displiceat maculis insignis et albo; *Aut* iuga detrectans; interdum*que* aspera cornu; *Et* faciem tauro propior; quae*que* etc. Scilicet haec omnia iuncta in eadem deprehendi possunt. Aen. IX, 786.: „*Non* infelicis patriae, veterum*que* deorum, *Et* magni Aeneae segnes miseretque pudetque?"

9. Easdem leges sequitur coniunctio *si*. Aen. VII, 264.: „*Si* iungi hospitio properat socius*que* vocari;" ubi male quidam

Digitized by Google

libri *ve;* utrumque volebat Aeneas; non igitur haec discernenda, sed in unum coniungenda erant. XII, 204.: „non *si* tellurem effundat in undas — caelum*que* in Tartara solvat;" hic quoque nonnulli *ve*, aeque inepte.

10. Transeundum iam ad aliud genus, in quo in primis saepe titubatum est ab Editoribus, maxime Heynio; illud dico, quod, quum *ve* non admittere solum, sed etiam postulare videatur, tamen ubique coniunctivam adscivit particulam. Cernitur hoc in oratione alacriore, forti ac vehementi, inprimis, ubi plures iam praecesserunt negandi particulae. Quaecunque igitur fortiter vel affirmanda, vel neganda, coniunctivam poscunt particulam, respuunt disiunctivam. Cuius rei qui cupit illustre cognoscere exemplum, haud scio an nullum inveniri possit illustrius, quam Ge. III, 120.: „Quamvis saepe fuga versos ille egerit hostes, *Et* patriam Epirum referat fortes*que* Mycenas, Neptuni*que* ipsa deducat origine gentem." Cfr. etiam Quaest. XXXIIII, 1. Aen. XII, 892.: „opta ardua pennis Astra sequi, clausum*que* cava te condere terra." Heynius *clausumve;* sed Medicei aliorumque optimorum librorum auctoritate scripsi *clausumque*, quod sic explicandum: *opta astra sequi*, (*et*) *opta te condere terra;* altera lectio sic accipienda: *opta astra sequi, vel te condere terra;* prior ratio fortior. X, 65.: „Aenean hominum quisquam divum*que* subegit —?" in nullo libro legitur *ve*.

Ge. II, 83.:

Praeterea genus haud unum *nec* fortibus ulmis,
Nec salici loto*que*, neque Idaeis cyparissis.
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae, Orchades — —,
Poma*que* et Alcinoi silvae: *nec* surculus idem
Crustumiis Syriis*que* piris, gravibus*que* volemis.

III, 252.:

Ac *neque* eos iam frena virum, *neque* verbera saeva,
Non scopuli rupesque cavae *atque* obiecta retardant Flumina.

II, 136.:

Sed *neque* Medorum silvae ditissima terra,
Nec pulcher Ganges *atque* auro turbidus Hermus
Laudibus Italiae certent; *non* Bactra, *neque* Indi,
Tota*que* turiferis Panchaia pinguis arenis.

IV, 210.:

Praeterea regem *non* sic Aegyptos *et* ingens
Lydia, *nec* populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant.

Digitized by Google

ubi Medic. a m. pr. *et Medus*. Aen. X, 319.: „*nihil* illos Herculis arma, *Nec* validae iuvere manus, genitor*que* Melampus." Ge. III, 140.: „*Non* illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris, *Non* saltu superare viam sit passus, *et* acri Carpere prata fuga, fluvios*que* innare rapaces." Aen. IV, 227.: „*Non* illum nobis genetrix pulcherrima talem Promisit, Graium*que* ideo bis vindicat armis." IX, 138.: „*nec* solos tangit Atridas Iste dolor, solis*que* licet capere arma Mycenis." Hinc V, 784. ex Medic. Rom. aliisque suam Virgilio manum restituisse mihi videor: „Quam *nec* longa dies, pietas *nec* mitigat ulla, *Nec* Iovis imperio fatis*que* infracta quiescit." XII, 917.: „*Nec* quo se eripiat, *nec* qua vi tendat in hostem, *Nec* currus usquam videt aurigam*que* sororem;" ubi Heinsium secutus Heynius ex solo Mediceo *aurigamve* exarandum curavit. Ibidem tamen vs. 903.: „Sed *neque* currentem, *nec* se cognoscit euntem, Tollentem*ve* manu saxumque immane moventem;" reliqui *ve*, ut, disiunctis his verbis a superioribus, facilius appareat, voc. *saxum* ex seqq. huc esse revocandum. Atque quum in multis exstet *tollentemque*, intelligitur, hoc *que* ex proximo *saxumque* esse repetitum; quod quam facile fieri potuerit, patet quodammodo ex Mediceo, haec inter se permutante, ac *tollentemque — saxumve* exhibente. Ge. II, 312.: „Hoc ubi, *non* a stirpe valent, caesae*que* reverti possunt;" non mireris, Heynium desiderasse caesae*ve;* quin ipsius nota Philargyrii videtur declarare, veteres iam ad ea verba offendisse, quippe fuisse referentis, qui iungere mallent: *Hoc ubi non: a stirpe valent.* Sed fortius hoc negare voluisse Virgilium, ipsa, qua utitur, breviloquentia indicat. Plus negotii facessit Aen. II, 36. et X, 709. de quibus cfr. Quaest. XXXIIII, 1.

11. Ut autem in Quaest. modo laud. XXXIIII, 1. particulas coniunctivas saepe disiunctivarum loco poni vidimus, sic interdum disiunctivae inveniuntur, ubi copulativas exspectes. Ge. IV, 198.: „nec corpora segnes In Venerem solvunt, *aut* fetus nixibus edunt;" sed de hoc versu vide, quae ad eum notavi. Aen. II, 127.: „tectusque recusat (Calchas) Prodere voce sua quemquam *aut* opponere morti." ib. 187.: „Ne recipi portis, *aut* duci in moenia possit." IV, 529.: neque umquam Solvitur in somnos, oculis*ve aut* pectore noctem Accipit;" ubi quum per metrum dicere liceret *oculisque ac pectore*, maluit poeta exquisitiorem sequi rationem. VI, 803.: „Fixerit (Hercules) aeripedem cervam licet, *aut* Erymanthi Placarit nemora et Lernam tremefecerit arcu." VII, 805.: „non illa colo calathis*ve* Minervae Femineas adsueta manus;" ubi quum et colus et calathi ad lanificium spectent, proprium habebat locum *que*. VIII, 205.: „ne quid inausum *Aut* intractatum sceleris — fuisset;" nam *inausum* atque *intractatum* hoc quidem loco eodem redeunt. Huc referen-

da sunt etiam quae leguntur Aen. I, 413.: „Cernere ne quis eos, neu quis contingere possit Molirive moram, *aut* veniendi poscere causas.“ IV, 427.: „Nec patris Anchisae cinerem Manes*ve* revelli.“ ib. 34.: „Id cinerem *aut* Manes credis curare sepultos?“ ib. 337.: „neque ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam; nec coniugis umquam Praetendi taedas, *aut* haec in foedera veni.“ Hinc intactum reliqui Aen. XII, 185.: „nec post arma — referent ferro*ve* haec regna lacessent;“ ubi Gud. et Menag. pr. *ferroque*. VIII, 377.: „nec te, carissime coniux, Incassum*ve* *tuos* volui exercere labores;“ ubi, quod Medic. praebet *incassumque*, aut incuriae, aut malae sedulitati deberi videtur; in ipso quidem codice puncta quaedam supra *que* appicta. V, 733.: „non me impia namque Tartara habent tristes*ve* umbrae; sed amoena piorum Concilia Elysiumque colo;“ sic Medic. a m. sec.; alii *tristes umbrae*, quod secutus est Heynius, alii *tristesque*. Ipsa autem orationis concinnitas videtur exigere, ut, quum duo in altera enuntiatione ponantur, idem fiat in priore; certe languet appositio. Si vero quaeritur, *tristesque* an *tristesve* praestet scribere, facilius fortasse *ve* omitti potuit, vel quod loco non suo positum videretur, vel quod proximo vocabulo ab *U* incipiente, facile absorberi poterat.

12. *Ve* excipi particula copulativa negat Markland. ad Stat. Silv. III, 3, 15., et Aen. VI, 609.: „Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat, Pulsatus*ve* parens, *et* fraus innexa clienti;“ scribendum putat *aut fraus*, tuentibus idem Nonio et codd. quibusdam. Ac fateor, fere ubique regnare hanc regulam. Sed migrari eam interdum, nemo iam, puto, mirabitur, qui legerit ea, quae in Quaest. XXXIIII, 1. disputavimus, collatis etiam iis, quae modo §. 11. docuimus. Atque en locum consimilem: Aen. VI, 842.: „Quis te, Cato, tacitum *aut* te, Cosse, relinquat? Quis Gracchi genus, *aut* Scipiadas, parvo*que* potentem Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?“ ubi, quum ex ista lege scribendum foret *parvove*, in omnibus libris exstat *parvoque*. Ac fortasse vitare voluit Virgilius duriorem sonum, quem efficerent verba *aut fraus;* et vid. Q. V. XXXIIII, 1. extr. Ac vix quisquam alius poeta tam studiose consuluit auribus, quam Virgilius. Hinc etiam, ducibus Mediceo aliisque libris praestantioribus, reposui Aen. V, 648.: „notate, qui spiritus illi, Quis voltus vocis*que* sonus, *vel* gressus eunti;“ laeduntur enim aures tot syllabis a litera *V* incipientibus *voltus vocisve — vel*. Praeterea edidi, ut ibi in Medic. Gud. aliisque ac Serv. Dresd. exstat, X, 70.: „Num (*hortati sumus*) puero summam belli, num credere muros, Tyrrhenam*que* fidem, *aut* gentes agitare quietas;“ ubi *que*, non *ve*, scribendum esse docet ipsa horum versuum sententia, quorum alter illustrat priorem: nam Ascanio Aeneas

Digitized by Google

castra tutanda reliquerat, quod ipse auxilium aliarum gentium petiturus abierat. Haec igitur iungenda erant, non, quasi inter se diversa, separanda.

13. *Ve* memoriae vitio a multis illatum in Aen. II, 414.: „Undique collecti invadunt, acerrimus Aiax, Et gemini Atridae Dolopum*que* exercitus omnis." Cf. enim ib. 7.: „quis talia fando Myrmidonum Dolopum*ve*, aut duri miles Ulixi Temperet a lacrimis;" et 785.: „Non ego Myrmidonum sedes Dolopum*ve* superbas Adspiciam." Sic ex IX, 211.: „Si quis in adversum rapiat casus*ve* deus*ve;*" ab eo, qui Mediceum exaravit, in XII, 321. *ve* adscitum: „Quis tantam Rutulis laudem casus*ve* deus*ve*, Attulerit — incertum;" quum recte ex plerisque codd. edatur: „Quis — laudem, casus*ne* deus*ne*." Quod ideo nolui praetermittere, ut ex hoc luculentissimo exemplo appareat, quam diligenter loci similes in crisi factitanda circumspiciendi sint.

14. His pauca adiungere visum est de particulis *neve* sive *neu* et *nec* interdum inter se permutatis. Ubi si praecepta §§. 7. sqq. data sequeris, facile viam invenies, qua haec etiam res expediatur. *Neve*, sive *neu*, lenius est, ac, praeterquam ubi geminatur, ut Ge. II, 298. Aen. IX, 42. 91., praegressum habet *ne* aut Imperativum, ut Aen. VII, 265.; cfr. etiam V. L. ad VIII, 582., *nec* fortius, neque ante se pati videtur negationem, nisi ubi geminatur, ut Ge. I, 36. sq., aut ubi sententia per *nec* subiuncta explicationi inservit; vid. §. 15. extr. Hinc coniunctioni *neve* inest dehortandi, dissuadendi, deprecandi cavendique notio; quare non raro explicari *neve* potest per *noli* adiuncto infinitivo. Ge. I, 80.: „arida tantum *Ne* saturare fimo pingui pudeat sola, *neve* Effetos cinerem immundum iactare per agros." ib. 180.: „*Ne* subeant herbae, *neu* pulvere victa fatiscat." II, 36. sq.: „fructusque feros mollite colendo; *Neu* segnes iaceant terrae." ib. 252.: „Ah nimium *ne* sit mihi fertilis illa, *Neu* se praevalidam primis ostendat aristis." ib. 298. sqq.: „*Neve* tibi ad solem vergant vineta cadentem; *Neve* inter vites corulum sere; *neve* flagella Summa pete; *aut* summa destringe ex arbore plantas; — *neu* ferro laede retuso Semina; *neve* olea silvestres insere truncos." III, 435.: „*Ne* mihi tum molles sub divo carpere somnos, *Neu* dorso nemoris libeat iacuisse per herbas." IV, 46. sqq.: „raras superiniice frondes. *Neu* propius tectis taxum sine, *neve* rubentes Ure foco cancros, altae *neu* crede paludi." Aen. I, 413.: „Cernere *ne* quis eos, *neu* quis contingere posset, Moliri*ve* moram, *aut* veniendi poscere causas." II, 187.: „*Ne* recipi portis, *aut* duci in moenia possit; *Neu* populum antiqua sub religione tueri." ib. 606.: „tu *ne* qua parentis Iussa time, *neu* praeceptis parere recusa." V, 833.: „*ne* tanta animis adsuescite bella, *Neu* patriae validas in viscera vertite vires." VII, 21.:

Digitized by Google

„Quae *ne* monstra pii paterentur talia Troes, Delati in portus, *neu* litora dira subirent;" cet. ib. 96.: „*Ne* pete connubiis natam sociare Latinis, — — thalamis *neu* crede paratis." ib. 202.: „*Ne* fugite hospitium, *neve* ignorate Latinos." ib. 265.: „Adveniat, vultus *neve* exhorrescat amicos." VIII, 39. sq.: „*ne* absiste, — *Neu* belli terrere minis." IX, 40. sqq.: „Namque ita discedens praeceperat optimus armis Aeneas: si qua interea fortuna fuisset, *Neu* struere auderent aciem, *neu* credere campo." ib. 234. sq.: „Audite o mentibus aequis, Aeneadae, *neve* haec nostris spectentur ab annis." XII, 72.: „*ne* me lacrimis, *neve* omine tanto Prosequere." ib. 823. sq.: „(Illud te obtestor —:) *Ne* vetus indigenas nomen mutare Latinos, *Neu* Troas fieri iubeas Teucrosque vocari."

15. *Nec* vetandi aversandique habet potestatem, aut omnino gravius commotum pectus indicat. Ecl. II, 34.: „*Nec* te poeniteat calamo trivisse labellum." VIII, 89.: „Talis amor teneat: *nec* sit mihi cura mederi." ib. 101. sq.: „Fer cineres, Amarylli, foras, — Transque caput iace, *nec* respexeris." X, 46.: „Tu procul a patria (*nec* sit mihi credere tantum!) — frigora Rheni Me sine sola vides." Ge. I, 36. sq.: „Nam te nec sperant Tartara regem, *Nec* tibi regnandi veniat tam dira cupido." III, 96.: „abde domo; *nec* turpi ignosce senectae." Aen. III, 393. sq.: „Is locus urbis erit —. *Nec* tu mensarum morsus horresce futuros." IV, 617. sq.: „videatque indigna suorum Funera; *nec* regno aut optata luce fruatur." X, 32.: „luant peccata; *neque* illos Iuveris auxilio." XI, 353. sq.: „unum Adiicias; *nec* te ullius violentia vincat;" vide etiam, quae de h. l. Quaest. XXXII, 4. et 12. disputavimus. XII, 800. sq.: „Desine iam tandem —, *Nec* te tantus edat tacitam dolor." Adde Ovid. A. A. III, 755.: „Carpe cibos digitis; — — Ora *nec* immunda tota perunge manu." Adde Ovid. Heroid. XVI, 11. Tibull. III, 4, 1. Quod autem legitur Aen. XI, 43.: „Invidit Fortuna mihi, *ne* regna videres Nostra, *neque* ad sedes victor veherere paternas;" inde explicandum, quod alterum sequitur ex priore, nec disiuncta haec esse possunt; §. 7. ab init. et §. 8. med.

Digitized by Google

QUAESTIO XXXVII.

De Particula *At**)

1. a) *At* graviter opponendi habet vim. Ecl. I, 60. sqq.: *TIT.:* „Ante leves ergo pascentur in aethere cervi, Et freta destituent nudos in litore pisces; — — Quam nostro illius labatur pectore vultus. *MEL.:* „*At* nos hinc alii sitientes ibimus Afros," *cet.* III, 64. sqq.: *DAM.:* „Malo me Galatea petit, lasciva puella, Et fugit ad salices, et se cupit ante videri." *MEN.: At* mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas." V, 85—88.: *MEN.:* „Hac te nos fragili donabimus ante cicuta. — — *MOPS.: At* tu sume pedum." cfr. Aen. IX, 287—90.: „Hanc ego nunc ignaram huius quodcumque pericli est Inque salutatam linquo. — — *At* tu, oro, solare inopem." Aen. VI, 542.: „Hac (*dextra via*) iter Elysium nobis: *at* laeva malorum Exercet poenas." Adde Ecl. VII, 35. 55. VIII, 67. Ge. I, 219. 242. 297. 370. II, 151. 184. III, 331. 394. IV, 18. 180. Aen. I, 637. II, 35. 486. 687. III, 424. V, 264. VI, 489. IX, 556. X, 120. 348. 362. 393. — Ge. I, 189. sqq.: „Si superant fetus, pariter frumenta sequentur. — — *At* si luxuria foliorum exuberat umbra," *cet.* Sic *Si — at si* ibid. vs. 430. 458. IV, 239. sqq.: „*Sin*, duram metuens hiemem, — — res miserabere fractas: *At* suffire thymo — Quis dubitet?" *Si — at* Aen. I, 543. IV, 615. VI, 406. *Si non — At — at — at* Ge. II, 461 — 69. *Sin — at saltem* Aen. I, 557. His adiunge Aen. VII, 313. sq.: „*Non dabitur* regnis, esto, prohibere Latinis, —: *At* trahere, atque moras tantis licet addere rebus; *At* licet amborum populos exscindere regum." XI, 429.: „*Non erit* auxilio nobis Aetolus et Arpi: *At* Messapus erit." — *Quamvis — at* Ge. IV, 206. sq.: „Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi Excipiat, (neque enim plus septima ducitur aestas) *At* genus immortale manet." — *Quondam — at nunc* Aen. I, 4. — *At vero* Ge. III, 322.

1. b) *At* subiecta negatione: Ecl. VI, 49.: „*At non* tam turpes pecudum tamen ulla secuta est Concubitus." Ge. I, 67.: „*At* si *non* fuerit fecunda." IV, 6.: „In tenui labor; *at* tenuis *non* gloria." Aen. II, 540.: „*At non* ille, satum quo te mentiris, Achilles Talis in hoste fuit." Adde Ge. III, 349. IV, 530. Aen. IV, 529. VII, 363. IX, 126. 144. 747. X, 16. 426. XI, 55. 148. 725. 736.

*) Vide etiam copiose docteque de hac particula disputantem Handium in Tursell. Vol. I. p. 417. sqq.

Digitized by Google

1. c) Tectior paulo opponendi ratio Ge. II, 210. sq.: „*illae* altum nidis petiere relictis; *At* rudis enituit inpulso vomere *campus*.“ Aen. X, 522.: „*Ille* astu subit; *at* tremebunda supervolat *hasta*.“ Sed haec licebit etiam ad proximam §. referre.

2. a) Hinc maxime transitioni inservit haec Particula, ubi ad aliam vel rem, vel personam, vel tempus oratio confertur: Ge. IV, 100. sqq.: „hinc anni tempore certo Dulcia mella premes. — — *At* quum incerta volant, caeloque examina ludunt,“ *cet.* ib. vs. 333.: „*At* mater (*filii dolorem et querelam*) sensit.“ Aen. I, 267.: „*At* puer Ascanius“ *cet.;* antea de Aenea dictum fuerat. ib. vs. 689. sqq.: „Paret Amor — et gressu gaudens incedit Iuli. *At* Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat.“ Adde I, 305. IV, 156. 296. 393. 642. V, 178. 188. 210. 258. VI, 9. 232. VII, 500. 511. 774. 789. VIII, 205. 714. IX, 438. 523. X, 236. 267. 474. 505. 643. 841. XI, 564. 648. 712. 753. 836. XII, 54. 277. 293. 311. 697. 753. 869. *At vero* X, 821. XII, 216. In quibus etiam est, ubi post quaedam interposita coepta narratio pertexitur, ut X, 474. 643. Nec non, ubi quaedam inter duo Subiecta ratio intercedit, interdum per *At* ad prius memoratum recurritur; cfr. ex modo laudatis Aen. V, 178. VII, 500. 774. VIII, 205. XI, 564. 712. XII, 277. 293. 753. — Inde differunt *Dixit*, *et* et *Dixit; at*, et quae his sunt similia, ita, ut, quum *Dixit, et* poni soleat, ubi idem utrobique est Subiectum, *Dixit; at* diversa Subiecta indicet; ut Aen. V, 653. sq.: „Haec effata. *At* matres primo — spectare rates.“ VI, 76. sq.: „Finem dedit (*Aeneas*) ore loquendi. *At*, Phoebi nondum patiens, — Bacchatur vates.“ X, 482.: „Dixerat; *at* clipeum — cuspis transverberat ictu.“ XI, 595.: „Dixit; *at* illa levis caeli delapsa per auras Insonuit.“ ib. vs. 709.: „Dixit; *at* illa furens — Tradit equum comiti.“ Sed eximenda hinc quaedam Quaest. XXXV, 6. prolata. Codicum motus auctoritate revocavi VIII, 443.: „Nec plura effatus; *at* illi Ocius incubuere omnes.“ Hinc de respondente: Ecl. X, 31.: „Tristis *at* ille: Tamen cantabitis Arcades, inquit, Montibus haec vestris.“ Ge. IV, 445. sq.: „Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras Iussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. *At* ille: Scis, Proteu, scis ipse.“ — Denique causa et effectus, coeptum et eventus, aut quae simili ratione sibi opponuntur, per *At* distinguuntur, ut Ge. IV, 415. sqq.: „Haec ait, et liquidum ambrosiae diffundit odorem; Quo totum nati corpus perduxit; *at* illi Dulcis compositis spiravit crinibus aura, Atque habilis membris venit vigor.“ ib. vss. 457. sqq.: „Illa quidem (*Eurydice*) hydrum, moritura puella, Servantem ripas alta non vidit in herba. *At* chorus aequalis Dryadum clamore supremos Implerunt montes.“ ib. vss. 511. sqq.: „Qualis populea maerens phi-

lomela sub umbra Amissos queritur fetus, quos durus arator Observans nido implumes detraxit: *at* illa Flet noctem" *cet.* Aen. III, 258. sqq.: „Dixit, (*Celaeno*) et in silvam pennis ablata refugit. *At* sociis subita gelidus formidine sanguis Deriguit," *cet.* ib. 672. sqq.: „Clamorem immensum tollit, (*Polyphemus*) quo pontus et omnes Intremuere undae — —. *At* genus e silvis Cyclopum et montibus altis Excitum ruit ad portus." VIII, 233—241.: „Stabat acuta silex. — — Hanc — imis Avulsam solvit radicibus — —. *At* specus et Caci detecta adparuit ingens Regia." IX, 792. sqq.: „ceu saevum turba leonem Quum telis premit infensis: *at* territus ille, Asper, acerba sonans, retro redit." Eodem pertinet etiam Ge. III, 107. sqq.: „volat vi fervidus axis; Iamque humiles, iamque elati sublime videntur Aera per vacuum ferri, atque adsurgere in auras; Nec mora, nec requies; *at* fulvae nimbus arenae Tollitur," *cet.* ib. vss. 238. sqq.: „utque volutus (*fluctus*) ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso Monte minor procumbit; *at* ima exaestuat unda Verticibus, nigramque alte subiectat arenam." IV, 359. sqq.: „simul alta iubet discedere late Flumina, qua iuvenis gressus inferret. *At* illum Curvata in montis faciem circumstetit unda." Aen. VII, 81.: „*At* rex sollicitus monstris oracula Fauni — adit."

2. b) Frequens *at* etiam in ordienda nova narratione: Aen. IV, 1.: „*At* regina gravi iamdudum saucia cura." Item vs. 504. V, 35. 545. 613. 700. 779. VI, 679. VII, 5. VIII, 370. 608. IX, 503. X, 689. XI, 597. XII, 134.

2. c) Omnino, ubi nova res aliqua, necopinata, subita aut horrida incidit, *at* locum habet. Aen. II, 225.: „*At* subitae horrifico lapsu de montibus adsunt Harpyiae." IV, 279.: „*At vero* Aeneas adspectu obmutuit amens, Adrectaeque horrore comae." VII, 446.: „*At* iuveni oranti subitus tremor occupat artus." IX, 475.: „*At* subitus miserae calor ossa reliquit." (Sed tria ultima exempla commodius fortasse ad §. 2. a. extr. referentur. Quo loco illud non praeterierim, quod semel monuisse satis fuerit, multa esse in hoc disputationum genere, quae non ad unam regulam, sed ad plures exigere liceat, ita, ut interdum in eodem exemplo iuncta plurium praeceptorum vis reperiatur. Sed in viam redeo.) — Hinc *at*, ubi insolita rerum imago oculis obiicitur: Ge. IV, 469. sqq.: „Manesque adiit, regemque tremendum, Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. *At* cantu commotae Erebi de sedibus imis Umbrae ibant tenues, simulacraque luce carentum:" *cet.* — tum, ubi quid fit contra, quam exspectamus: Aen. V, 483.: „*At*, non tardatus casu neque territus, heros Acrior ad pugnam redit." — porro in frustrata exspectatione: Aen. XII, 728. sqq.: „Emicat hic, — et corpore toto Alte sublatum consurgit Turnus in ensem, Et ferit. Exclamant

Digitized by Google

Troes trepidique Latini, Adrectaeque amborum acies. *At* perfidus ensis Frangitur." — Denique *at* excitat exspectationem: Aen. X, 760. sqq.: „Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno. Pallida Tisiphone media inter millia saevit. *At vero* ingentem quatiens Mezentius hastam Turbidus ingreditur campo."

3. Iam vero, quum *at* transitioni inserviat, inde etiam illud explicandum, quod haec Particula invenitur in enumeratione: Ge. I, 395. sqq.: „Nam neque tum stellis acies obtusa videtur, Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna, Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri; Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt Dilectae Thetidi alcyones; non ore solutos Immundi meminere sues iactare maniplos. *At* nebulae magis ima petunt." II, 442. sqq.: „Dant alios aliae (*silvae*) fetus: dant utile lignum Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque; Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris Agricolae, et pandas ratibus posuere carinas: Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi; *At* myrtus validis hastilibus, et bona bello Cornus." III, 83. sqq.: „Tum, si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus, —. Densa iuba, et dextro iactata recumbit in armo; *At* duplex agitur per lumbos spina," *cet.* Quo refero etiam Aen. VII, 691., ubi in recensendis Turni auxiliis ita pergit poeta: „*At* Messapus, equum domitor, — Iam pridem resides populos — in arma vocat." — Huic simile est, quod *at* quendam rerum progressum indicat: Ecl. IV, 18—26.: „*At* tibi prima, puer, nullo munuscula cultu — tellus fundet. — *At* simul herorum laudes et facta parentis Iam legere — poteris." Ge. III, 187. sqq.: „Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius aevi. *At* tribus exactis ubi quarta accesserit aestas, Carpere mox gyrum incipiat." Aen. IX, 603. sqq.: „Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum Deferimus, saevoque gelu duramus et undis; Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant. *At* patiens operum parvoque adsueta iuventus Aut rastris terram domat," *cet.* — Inde non multum abhorrent, quae Ge. II, 259—265. leguntur: „His animadversis, terram multo ante memento Excoquere, et magnos scrobibus concidere montes, — — *At* si quos haud ulla viros vigilantia fugit, Ante locum similem exquirunt," *cet.*

4. Ad §. 2. a. refero etiam usum huius Particulae in conversione ad preces gravitatis plena Aen. VIII, 572.: „*At* vos, o superi, et divum tu maxime rector Iupiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis."

5. Interdum ponitur *at*, ut id, quo ea Particula referatur, suppressum sit, ut Aen. II, 559.: „*At* me tum primum saevus

Digitized by Google

circumstetit horror: Obstupui; subiit cari genitoris imago —; subiit deserta Creusa;" antea nulladum eiusmodi cura subierat animum. ib. vs. 535.: „*At* tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis Di — persolvant grates dignas;" i. e. non debebas natum coram patre ac signis deorum obtruncare; at te poena huius sceleris consequetur. VIII, 642.: „Haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae Distulerant: (*at* tu dictis, Albane, maneres!)" nempe non stetit dictis; at tum mallet stetisse. Hinc talia explicanda, quale est illud apud Ovidium Amor. III, 7, 1.: „*At* non formosa est, *at* non bene culta puella." Ita etiam explicuerim Aen. VI, 592.: „*At* pater omnipotens densa inter nubila telum Contorsit;" i. e. non tulit hoc Iupiter, sed contorsit telum.

6. *At* in ironia: Aen. VII, 297.: „*At*, credo, mea numina tandem Fessa iacent."

7. Graviora autem quum ament poetae, non raro *at* legitur pro *sed*, *autem*, *vero*, ut Ge. II, 238—246.: „Salsa autem tellus, et quae perhibetur amara, — Tale dabit specimen: tu spisso vimine qualos Colaque praelorum fumosis deripe tectis. Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis Scilicet et grandes ibunt per vimina guttae; *At* sapor indicium faciet manifestus." III, 520. sqq.: „Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt Prata movere animum, non, qui per saxa volutus Purior electro campum petit, amnis; *at* ima Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes." Aen. I, 410. sq.: „Talibus incusat (*Venerem*) gressumque ad moenia tendit. *At* Venus (i. e. illa *autem*) obscuro gradientes aere saepsit." ib. vss. 718. sqq.: „interdum gremio fovet, (*Amorem*) inscia Dido, Insideat quantus miserae deus." II, 222—225.: „Clamores simul horrendos ad sidera tollit. (*Laocoon*) — *At* gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt." III, 593. sq.: „Dira illuvies, immissaque barba, Consertum tegumen spinis: *at* cetera Graius." VIII, 138. sqq.: „Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia Cyllenae gelido conceptum vertice fudit; *At* Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas — generat." ib. vss. 485—490.: „Mortua quin etiam iungebat corpora vivis, Componens manibusque manus, atque oribus ora, — —. *At* fessi tandem cives infanda furentem Armati circumsistunt." X, 444. sqq.: „Haec ait; et socii cesserunt aequore iusso. *At* Rutulum abscessu iuvenis tum iussa superba Miratus, stupet in Turno." XI, 648—655.: „*At* medias inter caedes exsultat Amazon, — pharetrata Camilla. — — *At* circum lectae comites, Larinaque virgo, Tullaque," *cet.* Ceterum sponte apparet, multa praeterea ex iis, quae supra attulimus, huc revocari posse.

Digitized by Google

QUAESTIO XXXVIII.

De forma vocabuli *natus*, *gnatus*.

1. Formam *gnatus* qui ubique in Virgilium introductam velit, is non modo codices plerisque in locis adversantes habeat, sed quandam non raro etiam insulsitatem politissimo poetae obtrudat. Et quamquam fortasse in eiusmodi re non ubique sua poetae manus restitui potest, id tamen spero nos consequi posse, ut ne ineptientem faciamus. Ac primum illud est certissimum, numquam *gnatus* dictum esse participialiter, sed semper substantive. Tum si quaeritur, quid sit discriminis inter *natus* et *gnatus*, illud, *natus*, commune est et vulgare, hoc, *gnatus*, antiquius graviusque. Hinc rarius usurpatur haec forma, quippe quae in commotiore tantum et affectus plena oratione locum habeat. Quare recte et consentiente Mediceo editur Aen. VI, 116.: *Gnati*que patrisque, Alma, precor, miserere." XI, 178.: „Turnum *gnato*que patrique Quam debere vides." Hinc ex eodem Mediceo reduxi Aen. VII, 360.: „nec te miseret *gnatae*que tuique;" et X, 525.: „Per patrios Manes et spes surgentis Iuli Te precor, hanc animam serves *gnato*que patrique." Recte etiam ex Mediceo aliisque codd. editum Aen. X, 470.: „Tot *gnati* cecidere deum;" ubi totus locus legendus; item ibid. vs. 532.: „talenta *Gnatis* parce tuis." Porro egregie Mediceus Aen. II, 663.: „*Gnatum* ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras;" tum XI, 181.: „Non vitae gaudia quaero; Nec fas; sed *gnato* Manes perferre sub imos." Et quum Vocativus non ita facile singularem habere possit vim, ubique editur *nate*, adstipulante Mediceo, praeterquam uno loco, qui inter plurima alia insigne praebet testimonium praestantiae huius codicis; egregie is enim Aen. VI, 869.: „O *gnate*, ingentem luctum ne quaere tuorum!" de Marcello expositurus haec loquitur Anchises; et observa, nusquam praeterea exclamandi particulam adiici Vocativo *nate*. Sed etiam alii quidam boni codices ibidem *gnate*. Ex eodem Mediceo reduxi Aen. XI, 167.: „Quod si immatura manebat Mors *gnatum*;" videtur enim hoc commoto Euandri animo bene convenire. Ceterum e Romano ob vim oppositorum revocandum videtur Aen. VIII, 510.: „Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus Invidet Imperium, — *Gnatum* exhortarer, ni mixtus matre Sabella Hinc partem patriae traheret. Tu, — quem numina poscunt, Ingredere." Fortasse ex eodem etiam XI, 355. scribendum: „nec te ullius violentia vincat, Quin *gnatam* egregio genero dignisque hymenaeis Des, pater;" et e septem codd. apud Burm. Aen. III, 12.: „Cum sociis *gna-*

*to*que, Penatibus et magnis Dis;" si is esset orationis vigor, qui hanc formam poscere videatur.

2. Quae quum ita sint, nemo mirabitur, si formam *gnatus* non leviori alicui carminum generi, sed graviori ac sublimiori magis congruam esse contendero. Quod quo spectet, facile intelligitur. Nego enim in Bucolicis et Georgicis admissam esse a poeta hanc formam; cuius ego rei, ne vanus videar, longe gravissimum testem auctoremque habeo ipsum Mediceum, in quo ne semel quidem in istis carminibus *gnatus* exaratum invenias. Abeat igitur, unde pedem male intulit, Ecl. V, 22.: „complexa sui corpus miserabile *gnati;*" quod etiam alio nomine vitiosum, ni fallor. Neque ex quibus codd. illa sit forma huic versui illata, proditum video; certe Serv. Dresd. cum Potterii codd. omnibus communem formam *nati* exhibet. Ecl. VIII, 47.: „Saevus Amor docuit *gnatorum* sanguine matrem Commaculare manus;" quod non e codd. invectum, sed per Editiones quasdam propagatum video. Porro Ge. III, 128.: „ieiunia *gnati*," editur a quibusdam; Ge. IV, 153.: „Solae communes *gnatos*, consortia tecta Urbis habent;" ibid. vs. 375.: „et *gnati* fletus cognovit inanes;" ibid. vs. 412.: „Tanto, *gnate*, magis;" neque haec qua auctoritate nitantur, indicatum reperio. Et ad Ge. IV, 396.: „Hic tibi, *gnate*, prius," *cet.* uti est in quibusdam Editionibus, diserte notat Heinsius, *nate* in omnibus scriptis legi. Hoc quidem exemplum, sicuti etiam Ecl. V, 22. et Ge. III, 128., alio etiam opinor premi vitio; neque enim, brevi vocali praecedente, elegans videtur habita fuisse forma *gnatus*.

3. Praegressae *c* videtur deberi, quod est in cod. Montalb. Aen. II, 704.: „*Nec*, *gnate*, recuso;" et quod in Leid. XI, 554.: „*Huic gnatam*," Parum commendatur libris, nescimus quibus, Pierii Aen. VII, 532.: „*Gnatorum* Tyrrhi." Sed tueri fortasse liceat Aen. IX, 83.: „Da, *gnate*, petenti," ut est in alt. Menag.; sed vide, quae §. 1. de Aen. VI, 869. diximus.

Digitized by Google

QUAESTIO XXXVIIII.

Virgilius heroicis quaedam temporibus tribuens, quae posterioris fuerunt aetatis.

Non raro Virgilius in Aeneide ea tribuit heroicis temporibus, quae ab iis aliena posterius inventa aut instituta sunt; omninoque sermonem Romanum saepe accommodavit personis ab illo vel maxime abhorrentibus. Multa ex his superiores Interpretes, Heynius maxime, notaverunt; adieci quaedam alia. Sed qui Aeneidem vel cursim legerit, facile haec augeri posse intelliget. Exemta tamen inde velim ea, quorum originem poeta refert ad ipsa Aeneae tempora.

Aen. I, 343.: „Huic coniux Sychaeus erat, ditissimus agri Phoenicum;" At Phoenicum divitiae non ex agri cultura proveniebant, sed e mercatura et navigatione. Hinc *auri*, non *agri*, scribendum putat Huetius. Scilicet obversabantur menti poetae latifundia illa et immensae agrorum possessionès divitum Romanorum. Cfr. Tibull. I, 1, 2. III, 3, 12.; atque ut Tibullus utroque loco, sic etiam Cic. de Rep. I, 17. agros aurumque iunxit, sed ita, ut agros primo loco poneret: „agros vero et aedificia et pecudes et immensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare, nec appellare soleat," *cet.*

I, 427.: „hic alta theatri Fundamenta locant alii." Theatra non urbes solum habebant Virgilii temporibus, sed etiam oppida. Itaque suae morem aetatis respiciens poeta, inter publica, quae, quum conderetur Carthago, fiebant ibi aedificia, recenset etiam theatrum, quamquam res scenica multo post inventa est. Nec, si *theatris*, quod praebent codices non contemnendi, scripsit Virgilius, hoc propterea, Burmannum secuti, reiiciemus, quod pro tenuitate novae coloniae (sed qualis!) unum theatrum suffecerit.

II, 503.: „Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum, Barbarico postes auro spoliisque superbi, Procubuere." Recte ibi Heynius: „Nec in eo argutandum, quod h. l. verba Troiani illa sunt; utitur enim ille sermone Romano, adeoque usum eius sermonis sequitur."

IV, 215.: „Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu, Maeonia mentum mitra crinemque madentem Subnixus," *cet.* Nempe ita solent poetae Romani Phrygum recentiorum habitum novamque mollitiem veteribus illis affingere.

IV, 457.: „Praeterea fuit in tectis (*Didonis*) de marmore templum Coniugis antiqui, miro quod honore colebat, Velleribus niveis et festa fronde revinctum." An eiusmodi sacella huic iam aetati tribuenda?

Digitized by Google

Aen. V, 113.: „Et tuba commissos medio canit aggere ludos." *Et tuba:* Servius: „Romano more."

V, 760.: „tumuloque sacerdos Ac lucus late sacer additur Anchiseo." *Sacerdos*, puta flaminem.

VI, 69.: „Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum Instituam festosque dies de nomine Phoebi." Ubi Heynius: „Ad templum in Palatio ab Augusto factum respici, ut Aeneas ex posterorum persona vota faciat, iam Servius monuit. — *festosque dies*, ludos Apollinares ab eodem institutos." Cfr. VIII, 626. sqq.

VI, 366.: „portusque require Velinos;" prolepsis, multum illa quidem frequentata; cfr. VIII, 361. XI, 262.

VI, 430.: „Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes. Quaesitor Minos urnam movet." Omnia hic Romana. Heynius inter alia: „adsident quaestori iudices selecti, qui sortitione nominum e decuriis a iudice quaestionis facta causae cuique contigerunt."

VI, 809.: „Quis procul ille autem ramis insignis olivae Sacra ferens? nosco crines incanaque menta Regis Romani;" Numae, qualis in statuis conspici poterat. Heynius: „Talis eius imago in nummis gentis Calpurniae, Marciae et Pomponiae occurrit."

VII, 183.: „Multaque praeterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus, — ereptaque rostra carinis." Haec Laurenti in templo Pici visa esse narrat poeta. Itaque illo iam tempore rostrorum usum inventum, aut Italis cognitum fuisse putabimus? Sed omnino frequens eorum mentio apud Virg.

X, 116.: „Solio tum Iupiter aureo Surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt." Heynius: „Hic Romanum agnosce: ut magistratum, ita dii deducunt Iovem."

X, 449.: „Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis." Nomen opimorum spoliorum serius inventum.

XI, 19.: „ubi primum vellere signa Adnuerint superi." Heynius: „Verba Romana; et captis auguriis id fieri solitum."

XI, 83.: „Indutosque iubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi." Heynius: „Fercula describit in triumphis gestari solita humeris: arma caesorum truncis infixa vel perticis, cum titulis, seu nominibus eorum, quorum arma fuerant."

XII, 269.: „Turbati cunei;" Heynius: „cuneos e theatro petitos ornate pro consessu et consessus ordinibus dixit."

Digitized by Google

QUAESTIO XXXX.

Virgilius dormitans aliquando.

1. Quod de Homero scripsit Horatius, idem de Virgilio dici potest: dormitat interdum. Hoc loco primum Epitheta illa a rei natura locique ac temporis ratione abhorrentia in iustam incurrunt reprehensionem; quamquam primi videntur Alexandrini poetae ex eiusmodi Epithetis, quippe doctrinae, quamvis ineptae, quandam speciem prae se ferentibus, ornatum carminibus suis quaesivisse, Romani poetae vitium illud prava imitatione consectati esse. Ecl. V, 27.: „Daphni, tuum *Poenos* etiam ingemuisse leones Interitum montesque feri silvaeque loquuntur. Daphnis et *Armenias* curru subiungere tigres Instituit.“ Vid. ibi not. *Poeni leones*, *Armeniae tigres*, Epitheta ornantia; res in Sicilia agitur, non in Africa, aut Armenia. — Ecl. X, 59.: „libet *Partho* torquere *Cydonia* cornu Spicula;“ ut Aen. 773.: „Spicula torquebat (*Chloreus Troianus*) *Lycio Gortynia* cornu.“ — Ge. I, 92.: „Ne *tenues* pluviae, rapidive potentia solis Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.“ *tenues* Epitheton ornans dixi in not. ad h. l.; sic *tenues aquae* Ge. IV, 110. Geislerus in Schol. — Ge. III, 12.: „Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas;“ mere ornans Epitheton, ac minime huic loco conveniens. — ib. 343.: „omnia secum Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque, Armaque *Amyclaeum*que canem, *Cressam*que pharetram.“ — ib. 449.: „Et spumas miscent argenti, ac sulfura viva, *Idaeas*que pices.“ Aen. IX, 49.: „maculis quem (*Turnum*) *Thracius* albis Portat equus.“ — XI, 580.: „*Strymoniam*que gruem, aut album deiecit (*Camilla*) olorem.“ — VIII, 366.: „angusti subter fastigia tecti Ingentem Aenean duxit;“ ubi nihil moror fastigia; sed vide, quomodo cum his concilies vs. 461.: „limine ab *alto* Praecedunt.“ Utrumque de domo pauperis Euandri. Nimirum ita adsueti erant Romani poetae limen dicere altum, ut regiae.

2. Sed quum hoc vitium cum Alexandrinis poetis commune fuisse videatur, sunt alia quaedam Virgilii propria. Et ex eo, quod superiore §. extremum posui, qualia ea sint, divinare iam poteris.

Ge. III, 248.: „tum saevus aper;“ loquitur poeta de bestiis coitum appetentibus. Sed, quasi oblitus horum verborum, paulo post exemplo ab ipsis apris repetito haec illustrat vs. 255. sqq.: „Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit *sus*, Et pede prosubigit terram;“ *cet.* Cui simile est, quod legitur Aen. II, 339.: „Addunt se socios Rhipeus et maximus armis Epytus, oblati *per lunam*, Hypanisque Dymasque, Et lateri adglomerant nostro;“

at paulo post vs. 359. sq.: „Vadimus haud dubiam in mortem, — — *nox atra* cava circumvolat umbra.“ cf. etiam vs. 370. sqq.

Aen. II, 567. sqq. Ibi quae de Helena narrantur, detracta illa quidem huic libro per Tuccam et Varium, vide quomodo conveniant cum VI, 523. sqq.: „Egregia interea coniux (*Helena Deiphobi*) arma omnia tectis Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem. Intra tecta vocat Menelaum et limina pandit.“ Nec tuentur poetae causam, quae ad eum locum scribit Heynius: potuisse Helenam scelere in maritum commisso tamen latebras quaerere, quas altero loco commemorarit poeta; neque enim est verisimile, Helenam semel a Graecis receptam rursus ab his discessuram fuisse. Est etiam eodem loco vs. 519., quod adversari videatur iis, quae leguntur II, 310. sq.

IV, 236.: „Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva.“ Silvium hic significari apertum est. At paulo post vs. 274. sq., horum verborum oblitus, ita loquentem introducit poeta Mercurium: „Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli Respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus Debentur.“ Ubi tamen si velis tollere repugnantiam, *Ausoniam prolem* ipsam Laviniam dici putabis, coll. X, 429.: „Sternitur A r c a d i a e proles.“ Sed ea est illius loci ratio, ut vel ita fatendum sit, nimis ambigue locutum poetam.

V, 252.: „Intextusque puer frondosa regius Ida Veloces iaculo cervos cursuque fatigat, Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis. Longaevi palmas nequidquam ad sidera tendunt Custodes, saevitque canum latratus ad auras.“ Ubi non exputo, quomodo una in tabula repraesentatus fuerit Ganymedes et venationi intentus, ita ut ipsum currentem videas, et idem sublatus in aerem. Vid. etiam Not. ad VIII, 650.

VII, 123. Hic Anchisae tribuitur vaticinium, de mensis consumendis, quod tamen III, 255. Celaeno ediderat. Nec ullis interpretandi argutiis effici potest, ut poeta constare sibi eo loco videatur. Cf. cum his Aen. II, 567. supra laud., et infra VIII, 597.

VIII, 13.: „multasque viro se adiungere gentes Dardanio.“ At nullamdum societatem inierat Aeneas in Italia. Quare etiam propterea vituperandus poeta, quod eo potissimum loco mentionem de legatione ad Diomedem missa iniicit; neque enim tum necesse videri Latinis poterat auxilia quaerere adversus hostem non ita validum. At omnis haec res a poeta inventa, ut materies inde splendidae orationis l. XI. suppeditaretur.

ib. 597.: „Est ingens *gelidum* lucus prope Caeritis amnem;“ at paulo post de eodem flumine, vs. 610.: „Ut procul *egelido* secretum flumine vidit;“ sed ibi scribendum videtur *et gelido*.

Digitized by Google

IX, 589.: „multa porrectum extendit arena.“ Ubi Heynius: „poeta non satis adtendit, se in oppugnatione murorum versari. Nam *arenam* vix bene, saltem parum proprie, de homine in muris aut vallo stante posuit.“

X, 6.: „Caelicolae magni, quianam sententia vobis Versa retro?“ Hic Heynius: „Nusquam, si bene meminimus, poeta commemoravit in superioribus, Iovem interdixisse, ne dii bellum inter Troianos et Latinos foverent. Nec praeter Venerem et Iunonem alii dii eam rem curasse videntur. Quin potius Iovis verba parum caute praemissa videri possunt lib. I, 263.: *Bellum ingens geret Italia* etc. Nec Servius ad h. l. rem expedit. Refero hunc, et fere omnia loca, in quibus deorum interventus exponitur, (cfr. Excurs. I. ad libr. IX.) inter ea, quae Aeneidem nondum absolutam arguunt.“ *cet.*

ib. 156.: „Aeneia puppis Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones; Imminet Ida super,“ *cet.* Phrygii leones atque Ida manifesto indicant navem in Phrygia factam. Sed quomodo ea navis classi Tarchontis iungi potuit? Rem ita solvere conatur Heynius: „Dicendum Caeretanos Aeneae navem festinanter ornasse. Forte tamen nec hoc necesse est praetexere. Nam Aeneas Tiberi evectus erat ad Euandrum binis navibus supra VIII, 79. sq., ipse terrestri itinere ad Tarchontem profectus erat; intelligemus, *κατὰ τὸ σιωπώμενον*, naves, Tiberi retro delatas, litus praetervectas Caere esse adductas.“ At recte idem haec addit: „Poetam tamen minus cautum in his fuisse arbitror, ut et infra vs. 205. in Ocni Mantuani nave Mincium pro insigni habente.“ Vellem perstitisset in sententia Vir eximius; sed, iusto ad defendendum poetam propensior, ad ipsum illum locum haec scribit: „Ceterum, quod iam supra ad 156—158. extr. innuebam, in animum revocandum non est, Mantuanos, nimium a Tiberi et ora maris Etrusci remotos, non potuisse suis navibus Aeneam comitari, neque ergo navem insignia gentis et urbis habere. Verum in poeta, dum detinet nos grato rerum tamquam adspectu, avocandus est animus ad alia, quae extra narrata sunt, nec nisi subtiliter inquirenti occurrunt*). Statuendum est, classem sub Aeneae adventum ad litus Caeretanum iam paratam stetisse, sociis undique accitis, etiam ex interiore Italia, instructam.“

ib. 238.: „Iam loca iussa tenent forti permixtus Etrusco Arcas eques.“ Similiter hic poetam tuetur Heynius, ipse tamen deinde culpam poetae confessus; en eius verba: „Refert et hoc Servius ad ea, in quibus *κατὰ τὸ σιωπώμενον* aliquid intelligendum sit, „„nam intelligimus eum equites misisse per terras.““

*) His similia disputat Ruhkopfius.

Digitized by Google

Sane quidem supra VIII, 548. sqq. cum in Etruriam pergit Aeneas, parte sociorum in comitatum assumta, ceteros iubet Tiberi vectos reverti ad castra et nuntiare Ascanio, quae facta sint. Sed in his vix equites esse potuerunt, (nam CCCC equites Euander et Pallas dederant VIII, 518. sq.) multo minus Etrusci, quos nondum adierat. Ad artificium itaque narrationis et suavitatem ex brevitatis studio haec referamus, quod nunc illud innuit, quod facile intelligi potest: conscendisse Aeneam naves in portu Caeretano, equitatu in litore praemisso, qui ne castra intrare posset, Turnus obiecta copiarum parte cavebat. Nec tamen memoratur, cum his equitibus Tiberis traiiciendus esset, qua parte aut quo paratu id factum sit: ne Turnus ab escensione in alterum litus eos prohiberet."

ib. 550.: „Tarquitus — Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat;" paullo post de eodem, vs. 558.: „Non te optima mater Condet humi patrioque onerabit membra sepulcro." Verum Faunus erat deus; quid igitur sibi vult *patrium sepulcrum?* Frustra Iul. Sabinus, animadversa repugnantia, emendat *Dauno*, refutatus ab Heynio. Sed, dixerit aliquis, nesciebat illud Aeneas, qui eum interficit. At sciebat Virgilius. Frequens est videlicet terrae patriae mentio apud poetas, ubi quis in alieno solo moritur. Verum licebit, ut fecit Iahnius, ita interpretari *patrio:* „non quod patris, sed quod in patria est." Miserandum hoc vel maxime videbatur veteribus, si quis non in patria, sed in peregrina terra humatus esset, ob eam quidem causam, quod dulce est, ne morte quidem ab eorum, quos carissimos habuimus, parentum, avorum, consortio quodam avelli. Itaque patrium sepulcrum non aliud significari putabimus, quam quo compositi sunt ii, quibus vitam debemus; aliter Tarquiti nihil interesse poterat, qua terra ossa sua conderentur.

XI, init. Haud fefellit Interpretes non commode attexta iis, quae sub finem lib. X. leguntur, oratio. Satis erit, extremam huius et primam illius partem apposuisse; sunt autem haec verba Mezentii ab Aenea victi:

Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulcro.
Haec loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

lib. XI.:

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae, turbataque funere mens est,
Vota deum primo victor solvebat Eoo.

XI, 29.: „Sic ait illacrimans recipitque ad limina gressum, Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes Servabat." Ad quae limina? nempe ad sua, suam domum, ut intelligitur e vs. 36. sq.: „Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis, — immugit regia luctu." Pergit poeta: „Ipse caput nivei fultum Pallantis et ora Ut vidit" *cet.* Quid igitur? tum demum vidit interemtum Pallantem? at intercesserat nox; ubi igitur transegit noctem Aeneas? Non licet dubitare, quin confecta pugna domum suam Novamque Troiam, a qua per aliquod tempus abfuerat, suosque, qui interea summo versati fuerant in discrimine, reviserit. Nempe hic quoque locus est inter eos, quos „Emendaturus, si licuisset, erat."

3. Apertum poetae errorem aliis locis deprehendisse mihi videor. Sic ad alios transfert, quae moris Romani fuerunt propria, Ecl. VIII, 30.: „Sparge, marite, nuces; tibi deserit Hesperus Oetam." Vid. not. ad h. l. Res, quae ibi canitur, in Graecia agi putanda est, quod indicant vel ipsorum pastorum nomina, vel illud: *tibi deserit Hesperus Oetam.* Itaque, si quid video, nulla est in his ipsis, *tibi deserit H. Oetam,* difficultas. Sed illud novum, quod nucum sparsio, in Romanis nuptiis sollemnis, Graecis hominibus tribuitur. Similiter erratum puto Ecl. X, 65.: „Nec, si frigoribus mediis Hebrumque bibamus, Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae." Nives conveniunt hiemi Sithoniae; aquosa est contra Italiae hiems; quare hoc apud Latinos poetas ornans est hiemis Epitheton. Vid. quae de hoc Epithetorum genere §. 1. dicta.

Ex alio genere sunt, quae Ecl. VI, 74. leguntur: „Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida subcinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates." Error, neque ille infrequens, ex confusione nominum ortus; Phorci haec fuit, non Nisi, filia.

Ge. I, 222.: „Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae." Quod ibi praecipitur, non sub occasum, sed sub ortum Coronae faciendum erat; at decedendi verbo occasus significatur. Quid ergo? — dormitat bonus poeta.

Ge. III, 435. sqq.: „Nec mihi tum molles sub divo carpere somnos, Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas: Quum positus novus exuviis nitidusque iuventa Volvitur, aut catulos tectis, aut ova relinquens, Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis." Indicatur a poeta tempus, quo inprimis asperi esse serpentes soleant, quum pellem exuerint, et quum pepererint. Quod altero loco posuit poeta, transtulit a quadrupedibus bestiis,

Digitized by Google

quas constat esse maxime efferas, quum pepererunt. Sed serpentum longe alia ratio; hi enim non servant nidos ac lustra, sicuti illae, nec ulla catulorum caritate ad iram stimulantur.

Ge. IV, 211.: „Medus Hydaspes," qui non fuit Mediae fluvius, sed Indiae. Erratum hic a poeta existimo, ut inanem mihi consumere videantur operam, qui interpretatione huic loco subveniri posse arbitrantur. Fortasse idem dicendum de Oaxe, Cretae fluvio, qui Ecl. I, 66. largam praebuit Interpretibus disputandi materiam.

ib. 408.: „Fiet (*Proteus*) fulva cervice leaena." Ubi primum illud molestum, quod Proteum in leaenam conversum refert poeta, non in leonem. Prudentius Homerus Odyss. IV, 456.: „Ἀλλ' ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος." Tum quod fulvam cervicem memorat, hoc ex poetarum loquendi more de iuba accipiendum erit; at iuba leonis est, non leaenae. Ac si forte exstat aliquod leaenarum genus, quod habeat aliquam iubam, debent tamen ac solent poetae in his sequi communia, non ea, quae in aliquo genere sunt singularia. Ceterum idem, quod hic Virgilio, accidit Valerio Flacco III, 740. Alia est Graecorum poetarum causa; vid. Spanhem. ad Callimach. H. in Dian. vs. 102. Quod autem Homerus Iliad. XVII, 133. leoni tribuit, quod leaenae tribuendum erat, inde factum est, quod forma λέαινα serius in linguam Graecam illata est; vid. F. A. Wolfii Epist. ad C. A. G. Schellenb. pag. 122.

QUAESTIO XXXXI.

Ge. III, 527.: „non illis (*tauris peste absumtis*) epulae nocuere repostae."

Quaeritur h. l., quid sint *epulae repostae*. Heynius *repostae* pro simplici *positae* dictum esse ait; quod mirifice languet; nec licet promiscue verba composita pro simplicibus ponere; ac nimis saepe Heynius ad hoc interpretandi artificium confugere solet; aliud est *Caecubum repostum* apud Horat. Epod. IX, 1. Desideratur h. l. copiae nimiique usus aut similis rei significatio. Verbum *reponere* rem denuo factam indicat. Ac propius inspicienti usum verbi *reponere* apud Virgilium facile apparebit, inprimis frequentari de libationibus inter epulas fieri solitis. Ge. IV, 378.:

Digitized by Google

Pars epulis onerant mensas et plena *reponunt*
Pocula; Panchaeis adolescunt ignibus arae;
Et mater, (*Cyrene Aristaei*) Cape Maeonii carchesia Bacchi;
Oceano *libemus*, ait.

De Aen. VII, 133. mox dicetur. Aen. VIII, 175. sqq.:

Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata *reponi*
Pocula. — — — — — —
— — — — — — — —
Tum lecti iuvenes certatim *araeque sacerdos*
Viscera tosta ferunt taurorum.

Eodem modo Verbum *instaurare* de sollemnibus dapibus instituendis dicitur. Aen. IV, 60.:

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccae media inter cornua fundit;
Aut ante ora Deum pingues spatiatur ad aras
*Instaurat*que diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Aen. V, 94.:

Hoc magis inceptos genitori *instaurat* honores;
— — caedit binas de more bidentes.

Aen. VIII, 283.:

Instaurant epulas et mensae grata secundae
Dona ferunt.

Inprimis autem memorabilia, quae exstant Aen. VII, 109 — 147., ubi haec, *vina reponere* et *instaurare epulas* iunguntur:

109. Instituuntque dapes et odorea liba per herbam
Subiiciunt epulis, — — — —
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
116. Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater; — — — — —
Continuo, Salve fatis mihi debita tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates.
133. Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina *reponite* mensis.

Digitized by Google

146. Certatim *instaurant* epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.

Neque aliter accipienda, quae leguntur Aen. III, 62.:

Ergo instauramus Polydoro funus.

coll. vs. 67.: „*Sanguinis* et sacri pateras — — Inferimus.“ et V, 94. supra laud. Proprie dici *instaurare*, intelligitur tum ex Aen. VII, 109—147. modo laud., tum ex VIII, 283. supra laud.; epulati enim iam prius fuerant. Et Stat. Theb. I, 512.: „adolere focos, epulasque recentes Instaurare iubet.“ *Reponere* etiam propriam locis laudd. servare significationem et valere i. q. repetita vice ponere, cognoscitur ex VIII, 175.: „iubet *sublata reponi* pocula.“ (Male igitur Wakefield. ad Lucret. VI, 1278. interpretatur Ge. IV, 378. supra laud.: „multa ponunt pocula.“) Factum hoc esse apposita mensa secunda, probat VIII, 283. et I, 723. sqq. Et Schol. Horat. ad Od. IV, 5.: „Antiquorum consuetudo fuit, ut, sublata prima mensa, poneretur secunda, atque in ea positis pomis infusoque in pateras mero Diis libaretur.“ Sed tritum hoc. Certum est igitur, verba *instaurare* et *reponere* ad rem sacram epulasque sacrificales referri a Virgilio; isque horum verborum usus, quod de instaurandi quidem verbo satis notum est, sollemnis videtur fuisse in re sacra, idem tamen ex recondita antiquitate petitus, posteriore autem aetate paulatim abolitus; nam post Virgilium vix quisquam praeter Livium, Silium et Statium verbo *instaurare* ita utitur, altero autem, *reponere*, praeter Stat. Theb. II, 88.: „Instaurare diem *festasque reponere mensas*,“ nemo, quod sciam. Iam vero quum epulas sacrificales inprimis lautas fuisse constet, adeo ut in proverbium abierint Pontificum coenae, Horat. Od. II, 14, 28., dapes Capitolinae, Mart. XII, 48, 12., Cereales, Plaut. Menaechm. I, 1, 25., cet.; vid. Interpp. ad. ll. ll.; facile adducor, ut epulis repostis Georg. III, 527., cuius loci causa haec disputavimus, lautitias, quales erant epularum sacrificalium, significari credam. *Reponi* autem sicut pocula, sic etiam dapes, bis positas, dici potuisse, quis dubitet? Et ita Aen. VIII, 175.: „dapes iubet et sublata reponi Pocula.“ Verbum *instaurandi* autem ad coenae luxum a posterioribus scriptoribus transfertur; ita Silius de Hannibale in Campanorum mores degenerante XI, 422. sqq.: „Ipse etiam, afflatus fallente Cupidine, ductor Instaurat mensas dapibus, repetitque volentum Hospitia, et patrias paulatim decolor artes Exuit.“

Restat, ne quid praeterisse videar, ut duas explicationes a duobus eruditissimis viris prolatas afferam. I. H. Vossius

Digitized by Google

intelligendas censet epulas studiose conquisitas et ad coenae luxum servatas; Heynio, ni fallor, recte refragante. Eandem sequitur rationem Wakef. ad Lucret. III, 347., qui paulo superbius: „Miseret me Heynii et aliorum ad Virg. Ge. III, 527. „„non illis *epulae* nocuere *repostae:*““ i. e. retro positae, nempe conclavibus et thalamis aedium, ἀποθήκαις, in usus exquisitiores τεθησαυρισμέναι. Nihil novi in toto Latio manifestius, aut quod interpretem minus morari debuerat. Innumera, quae sunt ad manum, pudet congerere.“ — Alteram, multo illa probabiliorem, ac, si sensum spectas, ab ea, quam ipse exhibui, non ita multum recedentem, proposuit Gesnerus in Thes. L. L. sub voc. *repostus.* „*Puto* (ait ille) *in primis significari binas eodem die epulas*, bis in die saturum fieri, *quod in Siculis Dionysii coenis displicebat Platoni;* Cic. Tusc. V, 35, 100.“

Digitized by Google

ADDENDA QUAEDAM
AD CATALECTA.

Fr. Fiedlerus in Programmate Vesaliae 1830. edito septem e Catalectis Epigrammata illustranda et emendanda sibi sumsit. Is in illo in Annium Cimbrum Epigrammate (Cat. II.) Luenemanni coniecturam ad Quintilianum propositam secutus scripsit vs. 4. *min Hisp et al;* minium autem constat ex Hispania Romam advectum esse. Itaque significari tria venena, taurinum sanguinem, minium Hispaniense et allium. At ut taceam, *Tau* non rectius, quam ipsum adiectivum *Taurinum*, pro sanguine taurino dici, id certe minime refert, utrum is sanguis Gallici, an alius cuiusvis tauri fuerit. Itaque, nisi forte in ipsa Gallia fratrem ab Annio interfectum statuas, necesse est significari per illud *Tau* aliquid, quod non alibi ita, ut in Gallia reperiatur. Iam qui codices *al* habent, in iis hoc ordine verba illa se excipiunt: *min, al;* eodem aberrationes aliorum librorum ducunt, *minae* et *min et;* quae res adversatur coniecturae illi. Praeterea idem Fiedlerus ex Werlhofii opinatione eod. vs. pro *male illisit*, quod est apud Heynium, edidit: — *male illi sit!* —

Cat. III, 4. verba *tuo stupore pressa* illustrare fortassis licebit versu Caeciliano, qui est apud Non. Marc. p. 146, 12.: „Opulentitate iniuriam factam sibi Nostra;“ ita enim haec transposuit Bothius. Recte autem, ut videtur, L. Spengel. ad e. l.: „Iuvenis dictum videtur de pauperis filia, quam compressit.“

Cat. V, 27. sq. Excitavi ad h. l. explicandum verba Pacuvii; eandem rem tangere videtur illud *edere de patella* apud Cicer. de Fin. II, 7.

Cat. VI. Ipsius esse Virgilii hoc poemation recte, puto, indicat Ge. L. Walch. ad Tacit. Agric. p. 112.

Digitized by Google

Cat. VII, 11. *limine ite vos actae* scripsit Fiedlerus, parum eleganter. — Ceterum dele, quae in Not. ad eund. vs. scripsi: „Legerim — *Dulces C.*"

Cat. XI. Illustravit hoc carmen C. G. Lenzius, *Erklärende Anmerkungen zu den auserlesenen Stücken der Elegieen-Dichter u. Lyriker*, p. 480. sqq. Is verba vs. 1. *non incognita Phoebo*, comparat cum Mosch. Epitaph. Bion. vs. 101.: „οὐ ξένος ᾠδᾶς Βουκολικᾶς." — vs. 44. vestigia cod. Helmst. secutus, in quo est *ac nato*, L. scribit *a gnato;* quod abhorret a carmine elegiaco. — Ad vs. 54. laudat Anthol. lat. T. I. p. 231. Ep. 84.: „Oceanusque tuas ultra se respicit aras. Cui finis mundo est, non erat imperio." Sunt haec dicta de Claud. Caesare Britannia potito.

Cat. XII, 9. *nutu* tertium casum esse vult, sed non persuadet, Fiedlerus.

Cat. XIII, 10. Fiedlerus coni. *Pitho*, — Πειθώ — pro *Clio*, ipse non multum tribuens huic coniecturae.

Cat. XIV, 3. Fiedlerus scribendum putat *Nobiscum culpa est leti.*

Digitized by Google

DE
CODICIBUS
ET
EDITIONIBUS
P. VIRGILII MARONIS

Digitized by Google

Digitized by Google

CODICUM ELENCHUS

AD QUOS QUIDEM VIRGILII ADHUC RECENSUM ESSE FACTUM CONSTAT.

Codicum recensum dabimus qualem ipsa res offert; in plerisque exilem, modo locupletiorem. Satis enim constat, eos, qui primi veteres scriptores typis expressos vulgarunt, nec magis superioris et huius saeculi plerosque editores, de codicum, quibus usi sunt, aetate ac bonitate aut iudicium omnino nullum, aut parum subtile, aut omnino parum ex artis diplomaticae notionibus et praeceptis constitutum, tulisse. Plerumque itaque non habes cui recte innitaris, inprimis quoties antiquitatem codicum crepant. Expeditius iudicium est de bonitate: ea enim ex ipsa lectionis exploratione et comparatione cum aliis cognosci potest; atque hoc tenere praestat. Anteit omnes codd. veneranda vetustate.

I. Codex vaticanus, Ms. 3225, in quo fragmenta nonnulla Virgilii, a Georg. III, 1 inde, servata sunt, quemque cum picturis aeri incisis exscriptum ad ipsam libri scripturam exprimi curavit *Io. Caiet. Bottarius* in volumine inscripto:

Antiquissimi Virgiliani codicis fragmenta et picturae ex bibliotheca Vaticana ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartholi incisae Romae Ex Chalcographia R. C. A. (Romanae Camerae Apostolicae) *apud Pedem Marmoreum A. S.* CIƆIƆCCCXLI. *gr. fol.*

Inscriptus liber Benedicto XIV a Io. Dominico Compiglia Chalcographiae C. A. Praef. Sed, quae praemissa est, erudita praefatio Bottario debetur. Primum exemplum picturarum Camilli Cardinalis Maximi (de Maximis) iussu Bartolus tabb. LV aere expresserat. Pauca ab hoc aere erant exempla ducta; in quibus cum prima pagina radio exarata vacuum lit-

teris recipiendis haberet spatium, titulus cum anno ab aliis aliter est suppletus. In Bibliotheca nostra academica est exemplum s. a. Aliud vidimus a. 1725, aliud anni 1677, 4 in Memorab. Biblioth. Dresd. T. II, n. 317. Quid quod iterum 1782 Venant. Monaldinus lucrum ex eo recudendo quaesivit. Tandem praeclaro consilio Bottarius totum codicem vulgare instituit.

Est autem ille codex membranaceus quadrato volumine, ad nostri fere quaternionis formam, a librario imperitissimo, quo ipso fides eius et auctoritas tanto maior est, maiusculo et quidem capitali Romano rustico charactere, continuis vocibus, sine interpunctione exaratus, quam tamen recentior et indocta manus passim supplevit, picturis exornatus, quibus ille multo etiam magis, quam scriptura inter viros doctos celebrari coepit. Scriptura deflexa est ad molliorem pronuntiationem: v. c. *impositi*, *alligat*, non *inpositi*, *adligat*. Iam quae de Codicis aetate a doctiss. Bottario et a PP. Benedictinis*) disputata sunt, hic quidem repetere non possumus. Si tamen hos, tamquam doctiores iudices, audias, et Italis, quicquid pravum ad maiorem vetustatem omnia revocandi studium comminisci iussit, condones: quantum quidem in re incerta coniectando assequi licet, non ultra saeculum V assurgere ea vetustas videtur. Nam, quod praecipuum opinionis de multo maiore antiquitate praesidium a picturae artificio ac nitore petitur, id nec magis tutum ac firmum est. Potuit enim seriore quamvis aevo bonum aliquod ingenium meliora sequi, et, si ex vetustiore libro hae ipsae picturae expressae sunt, quod certe maioris in vestibus, armis, et aliis rebus antiquitatis vestigia nonnulla suadent, antiquiorem ac meliorem rationem exprimere. Nec tamen valde vetusti moris vestigia in his picturis deprehendas, nec laudis, qua picturas illas efferunt, iustas et idoneas caussas esse videas. Nec enim subtilitate linearum nec formarum elegantia illae se commendant; ratione partium, symmetria et multo magis optices lege ac fide, peccant omnes. Inveniendi vero et ordinandi artificium omnino nullum. Sed mirationem colorum claritates et varietates facere videntur; de linearum veritate et artificio iudicium ex Bartolina opera parum tuto forte instituas, cum in ea, monente Stuarto**), multum ingenio suo indulserit bonus Bartolus. Possunt tamen vel sic nonnulla cum voluptate et cum fructu ex antiquitate rerum adspectui proponi: occur-

---

*) *Nouveau Traité de Diplomatique* Tom. III, p. 56. 57.

**) *Antiquities of Athens* p. 29 (c). Ceterum picturam viri Troiani amicti, sedentis, ex hoc codice laudari video a Pignorio Origg. Patav. c. 12, p. 68, quam in Bottarii opere non reperio.

Digitized by Google

runt templorum et aedicularum formae plures nec inelegantes, ut p. 134. arae cum sacris. Orpheus pileo, quod mireris, Phrygio caput indutus p. 21 et 177. Navis XVI remorum, alia XVIII, alia X, aliquot XXVI, XXII remorum: si modo artificis imperitia numerum curavit. Neptunus et Venus cum sceptro ad Aen. V, 779, Urna Minois ad VI, 431 miro modo expressa p. 110, tela Circes p. 129, Iuno cum Alecto p. 142, Iuno Ianum reserans p. 148.

Fuit hic liber, quod in fronte notatum legitur, primum *Ioviani Pontani*, tum *Petri Bembi* (v. inf. de Bembi codd.), mox *Fulvii Ursini*, qui eum *bibliothecae Vaticanae*, cui praeerat, cum aliis Codd. intulit. Neminem adhuc de hoc codice inspiciendo sollicitum ante se fuisse videri, docet Bottarius p. V. Vidit et laudat eundem Mabillonius Itin. Italic. T. I, p. 63. [Pottier in edit. Virgilii Parisina a. 1823. hunc codicem litera *v* insignivit.]

II. Alter Codex vaticanus antiquissimus, Bucolica, Georgica, et Aeneidem complexus, nec nisi in paucis locis truncatus *), Ms. 3867 membranaceus, charactere capitali Romano rusticiore sive incomtiore; altiore quam latiore; punctis inter verba, sed ab indocta manu illatis. Habet et is figuras nonnullas, quas Bartolus libro modo memorato **) aere expressit.

Etiam in huius libri vetustate celebranda doctorum virorum studia incaluerant. vid. Mabillon. de Re Diplom. lib. V, tab. VI, p. 352. Montfauc. Diar. Ital. p. 277, et Bibliothec. Mss. p. 3 D. Bottarius in praef. laudata, p. VI et XX. Benedictini N. Tr. de Diplom. T. III, tab. XXXV, p. 61, 62, qui quidem saeculo IV antiquiorem esse negant. [Atqui in „recensione mss. codd., qui ex universa bibl. Vatic. selecti a. 1797 procuratoribus Gallorum traditi fuere," Lps. 1803. p. 98. codex, qui in fol. quadrato pagg. 901 constat, sec. VII. exaratus esse dicitur.] Pictura deterioris notae et barbariem plus redolet, quam illa paullo ante memorata. Eum ex Gallia in Italiam pervenisse, et in B. Dionysii aliqua aede olim servatum fuisse, Montefalconius observaverat, ibid. Laudat eum Politianus Miscell. c. 71. 77. v. Bottar. p. XX. Codex hic intelligendus est, quoties Pierius *antiquum* vel *Romanum* memorat, quod characterem litterarum Romano propiorem esse autumabat, h. e. capitali, qualis in marmoribus visitur. v. Pierius Castig. in Bucol. princ. Namque Pierius codice hoc satis quidem diligenter usus est, de quo eodem dicere videtur ad Aen. IX, 20. Iterum tamen eundem codicem cum vulgari editione, Hack. L. B.

*) Ecl. VIII et IX. Ge. II. Aen. II. III et V.

**) p. 5. 29. 41. 43.

1680, sed parum docte et accurate, quod nos res et usus docuit, comparavit; lectionis varietatem enotatam exhibuit Bottarius libro supra laudato p. 187 sqq., unde nos in var. lect. transscripsimus. Neque Ambrogius aliunde petiisse videtur, quamquam is ipsum codicem excerpsisse videri vult. Quantum quidem nobis iudicare licet, a librario valde indocto et ab exemplo nullius boni critici opera emendato scriptus est; quo tamen ipso fides ei tanto maior accedit; nisi quod saepe glossematibus contaminatus est, v. c. Ge. IV, 482. 488. Expertus etiam est manum emendatricem, testante Bottario in praef. laud. p. XXI. Ad orthographiae veteris reconditiores rationes usus eius permagnus esse potest, et provocat aliquoties ad eum Aldus in libro de Orthographia. Omnino diversam a Mediceo rationem sequitur, v. c. in quarto casu per *es*, ut *montes, urbes;* adeoque etiam in hoc, sed multo magis in ipsa lectione, suam familiam ducit. Deduxitque nos sedula observatio tandem eo, ut omnino duas codicum familias, saltem in Aeneide, deprehenderemus, alteram Apronianam (de qua paullo post), Mediceo auctore; alteram ab eo diversam, in qua princeps est Romanus s. Vaticanus. [Pottier varias huius codicis lectiones s. lit. *r* attulit.]

III. Codex palatinus, Ms. 1631 biblioth. Vatic. membranaceus, scriptura continua, uncialibus, quas Bottarius vocat, seu verius, capitalibus rusticioribus litteris nitide scriptus, Bucolica, Georgica, et Aeneidem complexus, sed misere truncatus et foede arrosus. De eo v. Bottar. praef. ad fragm. Vatic. p. V et XVI, qui et specimen codicis dedit p. 3 repetitum a Benedictinis PP. T. III, p. 63, tab. XXXV. Est is merito inter antiquissimos habendus. Ad IV aut V saec. vulgo refertur. Qui proferuntur a Bottario bini versus ex Georg. III pr. binis vitiis librarii sunt contaminati. Hunc codicem Heidelberga cum Palatina bibliotheca in Vaticanam se advexisse narrat Leo Allatius in Animadverss. in Inghirami fragm. Antiqq. Etrusc. p. 58. Ad eius fidem Virgilii opera in bibliopolio Commeliniano a. 1589. 1599 et 1603 excusa sunt, sed, eodem Allatio monente, non bona fide: et, si codex tam mutilus est, ut fertur, aliunde suppleta. Varietatem ex ea editione passim ab Heinsio notari videas, et ex ipso codice ab Ambrogio in nupera editione Romana. Sed cum hic quidem rei criticae nimis imperitus homo sit, fide eius parum stari posse arbitratus sum, et, quae quidem evolvi et comparavi, cum Vaticano fere consentire vidi. Nunc in nova recensione ipsam editionem Commelin. adhibui, et inde Codicis Palatini non contemnendam esse auctoritatem deprehendi in libb. Aeneidis, inprimis posterioribus. [Apud Potterium lit. *p* notatur.]

IV. Codex mediceus. De quo multa disputata sunt a viris doctis. vid. Noris. in Cenotaph. Pis. p. 430 sq. Mabillon. de Re Diplom. p. 352. Benedictini Monachi *N. Tr. de Diplom.* T. III, p. 51. 52. Nic. Heinsius diss. de hoc codice ap. Burm. praef. T. I, p. XXXVI sqq. ex eius Epp. ad Reinesium in Sylloge Epistolar. T. V, p. 193 sqq.; ipse Burmannus Secundus, in eadem praef. pag. XXXX. *Dissertazione del Codice Aproniano, dall' Abbate Sestini. Firenze.* 1722. 4. etЪлгinius in praef. [cf. inprimis Bandini catal. codd. latin. bibl. Medic. Laurent. T. II. p. 282—99.] Namque hic doctiss. vir totum codicem litteris maiusculis excudi curavit, hoc titulo:

P. Vergilj Maronis Codex antiquiss. a Rufio Turcio Aproniano V. C. distinctus et emendatus, qui nunc Florentiae in bibliotheca Mediceo-Laurentiana adservatur, bono publico typis descriptus Florent. 1741, 4. cura P. Franc. Fogginii.

Codex ipse exaratus est in tenuissima membrana charactere capitali minore, admixtis tamen nonnullis minusculis; interstitiis verborum nonnullis, quamquam Fogginius (v. praef. p. XIV) distinctis verbis et vulgari nostro charactere quadrato eum repraesentari curavit. [Constat foliis scriptis ex utraque parte numeratis 440, et servatur plutei XXXIX. num. 1.] Plures correctores expertus est, v. Foggin. praef. p. XIII. Est et hoc inter laudes codicis, quod integer est, nec nisi ab initio ad Eclogam sextam [v. 48.]: *Proetides implerunt*, truncatus. Specimina scripturae multi exhibuere, omnium accuratissime Fogginius in praef. p. XV et ex eo PP. Benedictini T. III, tab. XXXV. II, IV, subscriptionis autem, quam statim memorabimus, Nic. Heinsius in praef. Virgilii Burm. p. XXXVI. Codicis huius vetustatem mirifice extulerunt laudibus et ornarunt viri docti. Ut breviter tota disputatione defungamur, omne de eo iudicium, post litterarum characterem, ex adscripto sub Bucolicorum finem correctoris nomine pendet. Est is Turcius Rufius Apronianus Asterius, qui anno Christi 494 Consulatum gessit, et e cuius recensione Sedulius emendatus Rhemis [et in bibl. Vaticana s. num. 1165] servatur. Vid. de hoc viro Noris. Cenotaph. Pis. pag. 446. Tillemont. *Hist. des Emp.* T. IV, cap. 18. [pag. 981.] Fontanini Hist. litt. Aquilei. pag. 234 sqq. Relandus Fast. Cons. ad a. C. 494. Wilthem. App. ad Diptych. Leod. Nic. Heins. ad h. l. et nuper iterum Ariolus ad Sedulium copiosa disputatione, prolegom. c. V, p. 71 sqq. nam praefert eiusdem Asterii nomen subscriptio antiquissimi codicis Sedulii. [Add. Bandini l. l. p. 291—99.] Diversis ab hoc Asterio fuit alius Flavius Astyrius, seu Asturius, verius Asterius, qui a C. 449 Consul fuit, quod docuere iidem viri docti: add. doctissimus Saxius in Onomastico p. 494. Subscriptio subiectum ha-

Digitized by Google

bet carmen, quo ille ludos a se editos memorat: quod iterum editum et illustratum vides in Burmanni Anthol. lat. Vol. I, p. 371. Iam cum Aproniani correctoris diversa a reliqua scriptura manus sit, et codex, quem emendandum suscipiebat, iam antehac scriptus esse debuerit, ad saec. IV et remotiores adeo saec. II annos aetatem eius reiecere viri docti Norisius l. l. et Bottarius praef. laud. p. IV. Quid tamen ii reponendum habeant, ipsi viderint, si quis cum PP. Benedictinis, non facile nisi admodum recens scriptum librum emendatori traditum fuisse, contendat; quo ipso efficitur hoc, ut non nisi circa finem saec. V exaratum eum codicem credere fas sit. Quid? quod, nisi scripturae character intercederet, ex subscriptione illa ne hoc quidem tuto pronuntiare possis. Solent enim hae emendatorum subscriptiones in ipsis sequentium librariorum exemplaribus, quae istis emendatoribus multo recentiora sunt, repeti; quo ipso omnis earum fides et auctoritas infringitur. Exempla eius rei, ne in his haereamus, petat aliquis v. c. ex Willhem. ad Diptych. Leod. App. p. 4. 10. 11. Cf. Bottarius in praef. ad Fragm. Vatic. pag. XXI. Zacharias bibliotheca Pistoriens. p. 46. De his ipsis autem subscriptionis versibus eandem suspicionem iam Muratorius conceperat ex eo, quod binis locis variae lectiones seu glossemata adiecta sunt; Nov. Thes. Inscript. T. II, p. 662. Inter haec alia difficultas obiicitur in hoc, quod manus illa Asterii, seu Turcii Rufii Aproniani, appicta non est nisi ad calcem Bucolicorum: quo satis patere videtur, nec ulterius eius operam processisse; alioqui sub finem Georgicorum et Aeneidis non minus subscriptio illa apposita esse debuerat. Aut si totum opus e recensione Aproniana tamquam apographum descriptum esse dixeris, ab incuria librarii in reliquis operis partibus subscriptionem omissam esse dicendum est. Ut hoc alterum mallem factum, moverat me Iulius Sabinus, qui ad Aeneidem passim Aproniananm lectionem laudat. Et convenit una et altera harum lectionum cum emendatione in Mediceo codice priscae scripturae substituta, v. c. Aen. I, 636. Hoc sequutus, multis in locis ad Aeneidem Aproniananm lectionem ex Iulio Sabino excitavi. Enimvero in aliis*) locis Aproniananm lectionem nullam vidi esse aliam, quam genuinam Medicei codicis lectionem, quae adeo Aproniano tribui nullo modo potest, cum is tantum correxerit, librum si modo correxit, non descripserit. Quid igitur Iulius Sabinus in iudicio suo sequutus sit, tanto difficilius est dicere, cum idem in nonnullis locis Apronianum mutasse dicat vel sustulisse ea, quae in Mediceo codice relicta videas. Sic Aen. II, 76 versum ait ab Apro-

*) V. c. Aen. II, 51 *ferit*, 657 *et ferre*. III, 336. IV, 9. 27. 314. 436. 464. 551. IX, 214.

niano esse sublatum; is tamen Mediceo accessit a manu secunda *). Nisi itaque Iulius Sabinus admodum oscitanter hac in re versatus est: dicendum est, eum aliud exemplar habuisse, quod Aproniani manu emendatum aut esset aut putaretur. Quid? quod idem ille ad Bucolica passim non modo lectiones, verum etiam etymologias et interpretationes Aproniani laudat, quas unde hauserit, nondum reperi, v. c. ad Ecl. III, 18. I, 6.

Primus, quem hunc librum possedisse constat, fuit Rudolphus Pius, Cardinalis Carpensis, sub Paullo III. P. M., qui eum Achilli Statio evolvendum permisisse videtur, cuius etiam disticha nonnulla fronti codicis praefixa leguntur; mox idem Rudolphus eum bibliothecae Vaticanae legavit, ut ex Aldi Orthographia latina docuere viri docti **); e qua furto aut alio casu surreptus in Mediceam pervenit. [Minime. Cosmus I. Magnus Etrur. Dux ingenti eum pretio ab heredibus Card. Rudolphi, mort. a. 1564., redemit. cf. Bandini l. l. p. 284 sq.]

Expressa iam dudum ex hoc codice erat editio Paulli Manutii 1583. Nuper ad eandem excusa fertur editio Ambrogiana. Heinsius diligenter eum Florentiae evolverat. *Varietatem lectionis* excerptam iam 1565 vulgaverat Brixiae Paullus Gabianus. [In iis Bucolicorum et Georgg. locis, in quibus, quae esset in Mediceo scriptura, dubium reliquerat Heinsii et Fogginii dissensio, liberalitate V. Cl. Freytagii, Dorpatiensis, qui Florentiae codicem ipsum diligenter inspexit, egregie se adiutum esse testatur Wagnerus in praef. Vol. I. p. IX., quo simul Fogginium summa fide codicem descripsisse apparet. Potterius in edit. sua hunc codicem lit. *m* insignivit.]

Alterum volumen Fogginius promiserat priori illi subiiciendum, in quo historiam codicis ulterius persequuturus esset; in quo quae modo disputata sunt, accuratius forte et copiosius tradita fuissent.

Io. Pierii Valeriani codd.

V. Praeter *Vaticanum* codicem supra memoratum, quem *Romanum* appellat, a Pierio excussi sunt:

*) Alia exempla v. IV, 273 Var. Lect. et 298. 528. Una est lectio lib. IV, 663 *mediam*, quam tamquam Apronianam laudat, quae in Fogginiano exemplari non occurrit. Item alia lib. XI, 696.

**) Ea ratione haec exposuisse videmur, qua dubitationi PP. Benedictinor. l. l. p. 52 (a) occurratur; etsi vulgo Achilles Statius inter possessores codicis refertur. Ceterum male haec narrata sunt, si Galluzzium audiamus (in *Storia del Gran Ducato di Toscana sul governo de' Medici*) lib. I, c. 12 et Ariolum prolegom. Sedulii p. 78. s. 147. Codex erat in cimeliis domus de Monte (de quo dubitare licet; a Rudolpho Carpensi ad eam gentem perlatum eum esse probabilius fit); Iulius III ex ea gente oriundus codicem dono dederat Cardinali Innocentio de Monte, a quo 1568 muneris loco pervenit ad Cosmum.

Codex Oblongus, quo quidem nomine a forma voluminis ducto ab ipso Pierio designatur, minoribus literis exaratus et ipse admodum vetus, Pierio iudice. *Pomponii Laeti* delicias eum olim fuisse, idem Pierius memorat ad Aen. V, 143. X, 186. 345. Georg. IV, 368, fitque mihi probabile, fuisse eundem, quem Episcopus Aleriensis in Ed. principe altera emendanda adhibuerat: de qua vid. inf. Adservabatur ille in bibliotheca Vaticana, in qua tamen frustra eum quaerebat Bottarius praef. ad fragm. Vatic. p. V. Mirum est de eo nil memorari a viris doctis, quoties de claris Pomponii codicibus agunt, ut Persii, Pompeii Festi; ne Apost. Zeno quidem *Diss. Vossiane* p. 243 sq. Levat tamen desiderium Pierii in eo adhibendo diligentia.

Codex Longobardicus Pierii, quem *non piget evolvisse*, ut ille de eo monet ad Bucolic. princ. A charactere nomen impositum, qui tamen qualis sit, ex nomine vix definire ausit aliquis, cum in scripturae notione definienda valde fluctuarint superiorum saeculorum critici.

Codex Mediceus Pierii: ab eo, quem Fogginius expressit, utique diversus, quod vel hinc colligas, quia in prima statim Ecloga a Pierio laudatur; Fogginianus vero ab initio mutilus est; etsi lectiones sunt quae cum illo conveniunt, inpr. Aen. XII, 221 *pubentes*, quod Mediceus a Fogginio excusus in litura habet. Eum inter emendatos esse, ad Bucol. pr. Pierius testatur. Num ille etiamnum in magno illo codd. Virgilianor. numero, qui in Medicea servantur, lateat, non dixerim.

Lectiones variantes ex iisdem libris modo memoratis, quibus Pierius usus fuerat, ad editionem Iuntinam, forte ab ipsius Pierii manu, notatas habuit Heinsius, memorante Burm. in praef. ad Virgil., Pierius tamen praeter istos nonnullos alios manu versaverat. Ita Codicem *Portium*, Codicem *Bellunensem*, ad Aen. IV, 138 memorat, *Delphium* ad Aen. IX, 651, *Palatinum* ad lib. X, 51. Etiam plures *Vaticanos* versavit manu: vid. eum ad Aen. VII, 400. IX, 102.

Codicem veterem apud *Ianum Parrhasium*, et alium, *in Vaticana bibliotheca*, quem *Franc. Petrarchae* fuisse aiunt, testem producit Pierius ad Ge. III, 348. Hic quidem an in Vaticanis supra commemoratis lateat, definire non ausim; et an alter idem sit cum eo, qui a P. Burmanno sub *Parrhasiano* nomine excitatur, non minus difficile est pronuntiare.

✽ ✽

VI. Alius Virgilius cum Servii commentariis, membranaceus, in fronte figuris pictoris non ignobilis Simonis Senensis exornatus, notis et glossis a *manu Petrarchae* valde interpola-

Digitized by Google

tus, diversorum virorum doctorum penu habitus, in bibliothecam Papiensem, eaque 1499 direpta a Gallofrancis ad Ant. Augustinum, et ab hoc ad *Fulvium Ursinum* pervenerat, unde deinceps a *Frid. Borromaeo* Purpurato in *Bibliothecam Ambrosianam* advectus fuit. Docet hoc P. Burmannus in praef. Virgilii, et praeter Montfauconium Diar. Ital. pag. 20. Bibl. Mss. T. I, pag. 530, advocat Tomasin. Petrarch. rediviv. cap. XV, pag. 87 *). Apud hunc pag. 85 Virgilius *Ant. Pirrhi*, nobilis Ticinensis, laudatur.

✲ ✲

VII. Herc. *Ciofanus* ad Ovid. Met. VI, 117 loco a Burmanno in praef. notato multa de vetustissimo memorat exemplari *Ascanii Grandaevi*, civis Sulmonensis, quem Mureto miserat.

Idem in bibliotheca Vaticana *veterem* alium *Longobardicum*, qui an idem cum Pieriano libro sit, ex nominis ratione iudicium ferre non licet, et *alium antiquum* vidisse se narrat.

Eodem loco librum valde antiquum *P. Galesii*, alium satis veterem *Ludov. Lantis*, R. antiquissimum alium *Fulvii Ursini* laudat. Fuit hic forte *Colotianus*, de quo vide paullo post.

✲ ✲

VIII. *P. Bembi* liber passim memoratur; nec tamen is unus idemque. Molestiam facit res ab iis, qui codices manibus versarunt, tam parum diserte exposita. Omnibus diligenter circumspectis, Virgilii codices *tres* diversos in eius supellectili libraria fuisse invenio: *unum*, nunc in Vaticana repositum, Aldo, Pierio, et Ursino haud visum, qui fragmenta complectitur, quae Bottarius in lucem edidit: de iis supra actum; *alterum*, qui Lusus iuveniles cum Bucolicis et Georgicorum lib. I parte continebat: e quo Culicem correxit P. Bembus. v. praefat. nostram ad Culic.; *tertium*, quem Ursinus cum altero illo domi suae habebat, et *quem*, ut ille ad Ecl. VIII, 44 monet, *ex Academia Pontani*, *grandioribus litteris exaratum*, *habuisse Bembum dicunt.* Ex dictis his accuratius constitui poterunt ea, quae in praefat. Anthol. Lat. T. I, p. LIII de Bembi codd. disputata sunt.

---

*) Ex *Ambrosiana* Codex Virgilii in papyro Aegyptiaca scriptus, cum Petrarchae annotationibus, a. 1796 Parisios translatus, nullus alius esse videtur, quam is, quem memoravi. Est alius Virgilii codex, quem nobilitavit Petrarchae manus, Laurae mortem memorans: de quo v. *Giov. Batt. Baldelli del Petrarca e delle seu Opere* (Firenze, 1797 p. 177 sq.).

Digitized by Google

Praeter tres hos codd. fuere duo alii, alter Bucolica complexus, cum notis, qui primum *Bern. Bembi*, deinde *P. Bembi* Cardinalis, fuerat, alter libros Aeneidos continens, itidem cum glossis, qui a *Modesto Polentone*, Sicconis f., ad P. Bembum Card. pervenerat; quorum uterque ad *Laur. Pignorium*, et ex eius testamento ad Dominicum *Molinum*, Senatorem Venetum, transierat. v. Tomasinum *Biblioth. Patav.* pag. 85.

✿ ✿

IX. *Codex Colotianus* Fulvii Ursini, qui olim Angeli Colotii fuerat, quemque *Ursinus* bibliothecae Vaticanae intulit, ubi nunc num. 1575 servatur. Vide de eo Vrsin. ad Ecl. VIII, 44 et Bottarii praef. ad Fragm. Vatic. p. XI. Varietatem ex eo passim notavit Ursinus in *Virgilio collat. Script. Graec. illustrato*. Consentit in multis cum Mediceo, vide v. c. Ge. III, 235. 236. Pervetustum eum appellabat Ursinus; in fine tamen saec. XII scriptum censet Bottarius.

Habebat *Ursinus* praeterea duo libros emendatissimos, de quibus ad Ecl. VIII, 44 memorat; scilicet Codicem *litteris Longobardicis exaratum*, h. e. ut suspicor, litteris minusculis passim admixtis; talem enim scripturam illo tempore ita appellare solebant; tum Codicem vetustissimum, qui fuerat *Franc. Philelphi*.

✿ ✿

X. *Codex Barthii*. Habuit vir doctissimus tres Virgilii codices, inter quos unum vetustissimum, in cuius fine subscriptum erat: *Flavius Gennadius Felix Torquatus V. C. Rc. Romae D. N. Constantio P. F. C. P. P.* (Patrono Faciendum Curavit Propria Pecunia), quibus litteris siglisque quamvis ignotis hoc tamen constare putabat, esse codicem venerandae antiquitatis. Nisi vero alia opinionis suae firmamenta habuit, hoc quidem unicum fallax et inane videri potest, quoniam in codice admodum recenti antiquiorum librorum subscriptio repeti potuit, ut supra iam alio loco animadversum est. Emendationes ex hoc codice in Eclogam X proposuit Adversar. XVIII, 16. XLI, 26.

✿ ✿

XI. Memoravimus adhuc codices Mstos primum principes, tum quorum veteres critici mentionem faciunt. Subiungemus nonnullos, ad quorum fidem auctores *editionum criticarum* et *classicarum* recensionem suam instituisse feruntur. Et primas quidem editiones ex codicibus fluxisse uti certa res est, ita dolendum est non aeque liquere, e quibus codd. illae ductae

fuerint. Principem quidem Romanam, post alios, nec tamen valde bonos, codices comparatos, ex *Pomponii Infortunati* (h. e. Iulii Pomponii Laeti) *codice* fuisse emendatam, tum a nobis monebitur, cum veterum editionum annales conficiemus; quo etiam ea differimus, quae de nonnullarum aliarum saec. XV editionum fontibus memoranda habemus. Praeclari fuere codices, ad quos *Naugerius* ed. Ald. tert. 1514 emendavit. Nec minus praeclari *Pieriani* 1521. Paullus Manutius *Mediceum* expressit, 1583, uti *Palatinum* Commelinus 1599. Recensionem *Io. Henr. Boeclerus* ad Ms. biblioth. *Argentinensis* se instituisse in edit. Ulmensi 1698 profitetur: parum tamen fructus inde ad Virgilium pervenit. Ex *Ge. Fabricii* castigatione et *Theod. Pulmanni* recensione, neutra tamen ad novos codd. facta, fluxerant fere exemplaria vulgata omnia, quae usque ad Nic. Heinsium manibus terebantur; Pulmanniana quidem lectio regnabat in Antwerpiensibus Elzevirianis et ceteris Belgicis. In his a *Dan. Heinsio* profectae edd. maiorem adeo incuriam produnt. Bonum factum! successit *Nic. Heinsius*.

Codices Heinsiani.

XII. Triginta Nic. Heinsius annos Virgilio recensendo impendisse et fere XXX codices consuluisse narratur. Ex his a Burmanno in praef. ad Virgilium sequentes commemorantur:

Mediceus, et

Vaticanus, alter ille n. 3867, quem tamen ipse haud inspexisse videtur; verum laudat eum ex Pierianis Castigationibus.

Codices *Menteliani tres*, *Io. Mentelii*, Medici quondam Parisini, iique in antiquioribus habendi. Sunt illi, inprimis prior, plerumque in partibus Medicei: v. c. Aen. II, 76. [Ao. 1670 in bibliothecam Regiam Parisiensem illati, quibus numeris nunc latitent, comperire nusquam potui.]

Codices *Rottendorphii tres*, qui erant Bernardi Rottendorphii, Medici [Monasteriensis]. Ex iis tertius plerumque cum Gudiano et Mediceo consentit. Videtur hic esse is, qui in apparatum Gudianum migravit. [Sane.] cf. inf. de apparatu Saxiano.

Leidensis Bibliothecae itidem *tres*, a Io. Fr. Gronovio suppeditati, vetustatis nomine omnes ab Heinsio laudati. Ab his diversi fuisse videntur *duo Leidenses*, quos ipse Burmannus contulit.

Codex *Montalbanius*, quem ab Ovidio Montalbanio, Philos. Prof. apud Bononienses, dono acceperat Heinsius, ante D abhinc annos (Saec. XIII) scriptum, quod in notis ad Aen. V, 522 eum indicasse Burmannus ipse observavit. [Sic ubique

simpliciter; praeterquam quod Aen. VIII, 409 primus Montalb. ab Heinsio, haud dubie imprudente, citatur. *Wr.*]

Codices *Menagiani duo*, ab Aegidio Menagio Heinsio concessi, quorum alter recentioris fuit notae: Heins. ad Aen. V, 620; prior optimae notae. [Ex Menagii testamento libri scripti atque editi omnes, qui apud ipsum erant, ad fratres societ. Iesu Parisienses in aedibus S. Ludovici pervenerunt. cf. Menagiana T. I. elog. et Tentzel monatl. Unterred. 1692. p. 748.]

Codex *Pugetianus*, qui Aeneidem complectebatur, ex bibliotheca Gul. Pugetii, in Senatu Tolosano quondam Consiliarii Regii. Cuius variantes lectiones a Bern. Medonio ad Heinsium missae Burmannianis notis insertae sunt, monente Burmanno iun.

Codd. *Balth. Moreti quatuor:* inter quos primus ex optimis habendus: cf. Aen. X, 861, etiam secundus melioris notae. [Balth. Moreti, Cp. Plantini ex filia nepotis, bibliotheca Antverpiae in eius aedibus integra asservatur. cf. Hänel catal. libr. mss. p. 750.]

Codd. *duo Vossiani* [quos mortuo Is. Vossio in bibliothecam Leidensem devenisse satis notum est; an vero cum duobus Leidensibus et Vossiano codice apud Burmannum conveniant, non liquet.]

Codd. *duo Ecclesiae Hamburgensis:* admodum praeclari, et alter quidem ad Mediceum fere exemplar descriptus.

Codex *Sprotianus*.

Codex *Schefferianus*. [Num idem sit, qui nunc inter codd. bibl. Senator. Lips. servatur, et ab clariss. Wagnero oblongus dicitur, pro certo affirmare nolo, quamvis in libraria I. Schefferi Lips. suppellectili, quae circa a. 1677 in biblioth. Senatoriam illata est scriptis philologicis refertissima, eum fuisse probabile sit. cf. Goetz. de bibl. Senat. Lips. p. 16.]

Fragmentum *Moretanum*.

Fragmentum *Vossianum*.

Codex *Venetus*, quem Venetiis redemerat, recentior quidem, sed qui optimas suggereret lectiones.

Codex *Bigotianus* [membran. sec. XII. formis quaternis scriptus Aeneida continet. cf. Biblioth. Bigot. T. II. P. V. p. 25. n. 320. nunc biblioth. Reg. Paris. n. 7931. apud Potterium 9.]

et *Hugenianus* [*Zulichemius* Burmanni, qu. vid.]

inspecti tantum ab Heinsio fuere. Idem etiam Pieriana excerpta ad manus habuit, ut supra observatum est.

Tandem inter praestantiores Heinsii codd. fuit

XIII. *Codex Gudianus*, forma, quam nos in folio minore quadrato appellamus, membranaceus. [Sec. IX. duabus columnis exaratus inter codd. Gudianos num. 70 asservatur. cfr. V. Ill. Ebert. bibl. Guelferbyt. codd. gr. et lat. class. p. 171.] Foliis LXXXVIII

constat, multasque habet inter lineas, a variis quidem manibus, glossas allitas, inter praestantissimos tamen a Nic. Heinsio merito est habitus, quia ex optimo exemplari fuit transscriptus; quod aut Mediceum fuit, aut ex eodem fonte ductum, e quo Medicea lectio fluxerat; tam mirifice utraque inter se consentit: Ita ut, quemadmodum Romanum codicem suam familiam ducere diximus, sic ab eadem stirpe procedant Mediceus, Gudianus, Rottendorph. tert., Mentelianus, Moret. pr. et sec. et Hamburg. pr. Nobis tamen in hoc codice diversae manus occurrere visae sunt. Tractavimus enim et inspeximus codicem e bibliotheca Guelpherbytana, in qua nunc inter Gudiana asservatur, ad Collegam amicissimum Kulenkampum missum; quando illud etiam aliquot foliorum comparatione cognovimus, summa diligentia ab Heinsio librum hunc excussum et excerptum esse, quem ille a Marqu. Gudio acceperat, quum is eum Lugduni in Galliis redemisset. Illud forte monere non vanum et inutile fuerit, in Ge. I post v. 52 non esse hiatum, ut in margine adscriptum est, sed transpositionem versuum. Sequuntur enim versus 53—104 paullo post versus 105—130 male hic insertos. Porro Ge. II post v. 52. lacuna in oculos incurrit ad v. 260, quam explere voluit alia sed indoctior manus, nec tamen folii spatium plus quam a v. 52 ad 211 capiebat. At ab antiqua manu iam olim idem damnum sartum esse deprehendimus in folio, quod male ad calcem, inversa quidem facie, dum compingebatur liber, adsutum est; quamquam nec hoc ulterius quam ad vers. 234 procedit; sed frons eius altera abrasa nugas ab recente manu recipere coacta fuit. Videtur Heinsius hoc sub fragmenti Gudiani nomine laudare ad Ge. II, 82; nam, quod ibidem pro Gudiani libri lectione venditatur, *mirata est que*, in recentiore illo folio, quod ante memorabamus, legitur.

Ceterum infinitis in locis turbatum est in his variant. lectionibus, quod eae ad diversas editiones enotatae et adscriptae erant; id quod per totum hoc variae lectionis genus, in aliis quoque scriptoribus, molestias facit innumeras, inprimisque fidem et diligentiam exscribentis haud raro in suspicionem adducit. Valde molestum et illud est, quod Heinsius non notavit, quam editionem, ad suam criticen emendatam, operis librariis excudendam tradiderit, aut quam ante oculos habuerit, dum *vulgatam* memorat. Unam ex Elzevirianis fuisse non dubito; probabile fit, patris Danielis fuisse. Interdum tamen Pierianam lectionem, quae erat Aldinae primae vel secundae, notae suae praefixit.

Codices Burmanni

XIV. *Codices*, quibus *P. Burmannus* usus est, omnes fere sunt recentes nec magni momenti; omninoque ille sordes ab

Heinsio spretas inani opera cum pulvisculo converrisse dicendus est.

Codex *Regius*, e bibliotheca Regia Parisiensi, Heinsio concessus, qui post eius mortem in *Rykiana* supellectili, mox apud *Masvicium*, qui editionem suam ad eum recensuisse videri volebat, hinc apud *Hulsium*, Consulem Haganum, fuit, unde sub *Codicis Hulsiani* nomine laudatur, ut apud Masvicium sub *Parisiensis*, et tandem *Bibliothecae Leidensi* illatus est. Antiquus valde et egregius, et Servii commentario instructus est. v. post Masvic. praefat. Burmannum in praef. ad Virgil. et patrui Admonitionem de Edit. Masvic. *).

Codex *Parrhasianus* a possessore, quem olim habuit, Iano Parrhasio, qui tum variantes et notas margini adscripserat, tum multa alia in Virgilium commentatus erat, quae a Burmanno praef. (p. 13.) enarrantur. [Ex eius testamento transiit in bibliothecam Ant. Seripandi, nobilis Neapolitani. cf. Toppi biblioth. Napolet. p. 32.] Hic codex in bibliothecam Henr. Adriani Markii pervenerat, unde a Masvicio *Markianus* appellatur, ex hac [a. 1712 pretio 125 floren.] in Hulsianam et tandem [a. 1730] in bibliothecam Leidensem transiit. conf. P. Burmanni Admonit. de Edit. Masvic. Interpolationes ex eo memorari vidi plurimas. [Codex membran. „elegantibus supra fidem characteribus" scriptus esse dicitur. cf. Bibl. Markiana p. 159. et Bibl. Huls. T. I. p. 323.]

Codex *Francianus*. P. Francius *tres* Virgilii Codices possederat. [vid. catal. selectiss. librorum P. Francii. Amst. 1705. p. 149.] Ex *uno vetustiore* membranaceo varietatem lectionis a Iano Broukhusio excerptam et editioni Commelin. 1646, 4, adscriptam cum Burmanno communicaverat D' Orvillius, penes quem etiam *alterius* Codicis membranacei Franciani fragmentum a medio Aen. I ad medium libri VI fuit. *Tertius* satis vetustus, qui Aeneidem complectitur, utrum idem sit, qui nunc in Amstelaedamensi bibliotheca asservatur, dubitatur a Burmanno Secundo. Omnino ad infimi ordinis codd. videntur Franciani esse ablegandi; quae enim ex iis laudantur, sunt mera plerumque vitia, aberrationes et indoctae interpolationes.

Codex *Tollianus*. Sub hoc nomine laudantur var. lect. in Georgica a Iac. Tollio ex Cod. papyraceo bibliothecae Teutoburgensis collectae et editioni Commelin. 1646 adscriptae, quam D' Orvillius Burmanno excerpendam commiserat. Nunc descripsit codicis habitum et variam lectionem enotavit diligenter H. A. *Grimm* in Withofii *kritischen Anmerkungen* I *Stück* pag. 120.

---

*) Probabile mihi fit, hunc esse codicem, quem nuper narrabant a Gallofrancis esse vindicatum et bibliothecae Parisiensi iterum assertum.

Digitized by Google

Codices *Leidenses duo*, quos ipse P. Burmannus contulit.

Codex *Zulichemius*. [Idem, qui inter Heinsianos codd. *Hugenianus* dicitur. Gens enim inter Batavos sec. XVII. nobilissima, Huygens domini in Zuylichem eum possederunt. cf. Bayle dictionn. T. IV. p. 2938. ed. Rotterd. 1720. et all.]

Codex *Vossianus*, an unus ex iis fuerit, quibus Heinsius usus est, mihi non liquet.

Codex *Graevianus;* qui admodum recens fuisse videtur. [Ab a. 1703, quo bibliotheca Graeviana Heidelbergam delata est, inter Palatinos eum asservari probabile est.]

Codex *Oudartii*.

Codex *Vratislaviensis*, bibliothecae Elisabethanae, e quo var. lect. editioni L. B. 1652 manu Iani Gebhardi adscriptas e scriniis Heinsianis habuit Burmannus. [Sed Ianus Gebhardus, Prof. Groning. obiit a. 1632. Recte igitur Alb. Wachler in libro: Th. Rehdiger u. seine Büchersammlung p. 57 monuit, Ioannem Gebhardum potius, bibl. Rehdiger. praefectum, ex tribus, qui in hac bibliotheca asservantur, Virgilii codd. unum cum ed. Schrevel. 1652 contulisse.]

Codex *Wittianus*, e supellectili libraria Io. de Witt, Civit. Amstelaed. quondam Iudicis, cum Burmanno communicatus.

Codex *D' Orvillianus*, recentioris aetatis, e quo varietatem lectionis excerptam ad P. Burmannum miserat D' Orvillius. Fuit is ex inquinatissimis, nec dignus e quo mera librariorum vitia enotarentur.

Codex *Wallianus*, aut potius fragmentum codicis a libro Aen. II, 310 ad v. 150 libri VI, ab imperito et festinante librario perscriptum, et glossis plurimis coinquinatum, nec tamen spernendum; quod ab Hermanno van der Wall ad D' Orvillium transierat. Contulit illud Burmannus iunior cum edit. Masvic. [Uterque d' Orvill. et Wallianus codex libris mss. bibliothecae Bodlei. adscriptus est, cf. Codd. mss. et impr. cum notis mss. olim d' Orvilliani, qui in bibl. Bodl. asservantur. Oxon. 1806. 4.]

Codex *Claramontanus*, membranaceus, Claramontii Ecclesiae Gallicanae olim ministri, e quo lectiones diversas Io. Arntzenius enotaverat.

Codex *Lubecensis* ad Aen. X, 50 laudatur. Ceterum ex his codd. multi aut non fuere integri, aut certis tantum in locis inspecti.

✿ ✿

XV. In editione Edinburgensi ex recensione Alex. *Cuninghami* 1743 a Viro docto nescio quo curata varietates nonnullae e *tribus* codd. adnotatae sunt. Persuaserat sibi editor, Cuninghamum hos codd. inspectos contulisse. Enimvero *Waddelii co-*

Digitized by Google

dex est nullus, sed sunt Ge. Waddelii coniecturae in Animadverss. criticis ab eo propositae. *Duo* autem codd. *Hulsiani* nulli alii sunt quam codex *Parisiensis Regius*, et *Markianus* seu *Parrhasianus*, de quibus paullo ante dictum est, e quibus varias lectiones in edit. Masvic. excerptas ante oculos habuit Cuninghamus; quantum assequor, Codices non vidit. Neque ille edd. veteres 1472 et 1474 ipse inspexisse videri debet; prostant lectiones excerptae in edit. Martin. Scilicet

❁ ❁

XVI. *Io. Martinus* (*Martyn*) in sua Georgicorum recensione 1741 et 1746 septem codicum a se comparatorum varietates habuit. Sed viro doctissimo, cuius alioqui laudibus nihil detractum velim, acumen fere criticum, omninoque hoc accuratioris eruditionis genus, defuit; itaque nec satis accuratam in iis libris excerpendis, neque in antiquis editionibus, quas plures, admodum raro obvias, apud se habuit, excutiendis operam locasse videtur. Ita nec minus in notis, inter plurimas egregias observationes, multa valde vulgaria operose exponi videas. Sunt autem codicum Martinianorum, e quibus tamen nihil, quod insignioris notae esset, prolatum memini, nomina in praef. ad Georgica unde enumerata:

Codex *Regius*, e bibliotheca Regia Londinensi.

Codex *Cantabrigiensis*, e bibliotheca Regia Cantabrig.

Codex *Bodleianus*, e biblioth. Bodlei. Oxoniensi.

Duo *Arundeliani*.

Duo *Meadiani;* quos olim ab immortali Viro, Rich. Meadio, sibi oblatos P. Burmannus neglexerat, ut e praef. ad Virgil. apparet.

❁ ❁

XVII. Sunt quoque editiones, in quibus variae lectionis apparatus apponitur non ex novo et intacto fonte ductus, verum tamquam e diversis venis in unum alveum corrivatus. Eiusmodi silvula variae lectionis ex aliis edd. congestae subiecta est ad calcem edit. Knapton. Aliae in antiquioribus: ut in edd. Fabricianis et Basileensibus, tum in Henr. Stephani edit., porro in edd. Pulmann. Mox in Elzevir., ut 1622. 1636, subiectum video ad calcem animadversionum libellum, in quibus loca, perpauca tamen, constituuntur, maxime e Florentis Christiani, Iosephi Scaligeri, Petri Scriverii et Dan. Heinsii critica.

❁ ❁

XVIII. Praeclara aliqua et rari exempli humanitate ac benevolentia b. Iul. Car. Schlaegeri, usibus nostris oblati et ad nos missi sunt Codices e *Bibliotheca Gothana* tres:

Primus pergam. octonis cont. Bucolica, Georgica et Aeneidem. Ad calcem Calpurnii Eclogae septem; nitide scriptus, litteris initialibus auratis, recens tamen, et vix ante saec. XV scriptus, ab indocto satis librario, e bono tamen libro, bonam enim plerumque lectionem exhibet.

Alter chartaceus, fol. admodum recens, nec ex optimo exemplari, habet tamen lectiones interdum vix alibi obvias. A recentiore manu glossae inter lineas adscriptae; multa etiam, modo in meliorem modo in deteriorem lectionem, emendata. Praemissa et in primis paginis et sub principia librorum vulgaria in Virgilium carmina et argumenta, et sub calcem subiecta sunt Moretum et alia minora, quae sub Virgilii nomine feruntur, carmina, etiam nonnulla aliena, quemadmodum recentioris alicuius poemata funebria, quorum compilator adscriptus est: *Doctor hans Mellerstatt.* Tandem Servius subiungitur, sed recentiore et horrida scriptura. Ad commentarii in Georgica calcem subscribitur: *Per Casparem Philippi de dressden anno dni* MCCCCLXI°. Idem nomen, sed sine anno, sub finem Commentarii in Aeneidem adscriptum; quem *Fabii Planttae de Fulgentio* (Fabii Planciadae Fulgentii) *Expositio philosophica Aeneidos Virgilianae* excipit. Est is notus libellus de continentia Virgiliana. Hunc Codicem memoratum videas in Cypriani Catal. Codd. Bibl. Goth. p. 82, n. CCXXXVI, et alterum, qui sequitur, p. 106, n. LIV.

Tandem *tertius* octonis forma oblonga, continet Aeneidem, multis scripturae compendiis, et valde vitiose exaratus, frequentibusque lituris et indoctis emendationibus passim interpolatus. Ad XIII tamen vel XIV saeculum adsurgere eius aetas videri potest. Hos tres codd. comparavit et lectionis varietatem ad marginem edit. Gotting. excerpsit *Io. Ge. Meusel*, illo tempore (1766) iuvenis, Seminarii philologici sodalitio adscriptus, nunc in Academia Erlangensi Historiarum Professor de litteris historicis meritissimus, Principi Marchioni Brandenb. a Consil. aul.

XIX. Obtulerat mihi exemplo humanitatis haud vulgari, nec appellatus, *Saxius*, conterraneus meus (nam in iisdem Chemniciensis soli apud Misenos finibus, in quibus Ge. Fabricius natus erat, lucem uterque adspeximus), Virgilium varietate lectionis instructum, quam ex autographo Cortiano olim vir doctissimus adscripserat. Erat illa ex XV codicibus congesta, quos tamen *Cortius* non omnes inspexisse videri debet, praeter Guelpherbytanos, quos ad se missos eum habuisse probabile fit. Cortium Virgilio recensendo animum appulisse, ex Thesauro La

Croziano noram Tom. I, pag. 88. Codices autem, quorum variantem lectionem conscripserat, hi erant:

1) Vetus *Gudianus* (de quo sup. p. 614 sq.).

2) Alius *Gudianus* eiusdem aetatis et formae, nisi quod litterae vetustae attritae passim evanuerunt. Incipit Georg. IV, 70 et deficit Aen. X, 121. Notatur inter Gudianos No. 107 (66). [Cf. Ebert. l. l. p. 171 sq. n. 904. qui sec. X. eum exaratum esse docet.]

3) Etiam *Gudianus* No. 131 (164) olim Rottendorfii (adeoque inter eos, quos Heinsius comparavit) in membrana scriptus manu satis vetusta, ita ut aetatem annorum quingentorum ferre videatur: habet omnia Virgilii. [Sec. XIII. a duobus aut tribus librariis hunc codicem exaratum esse auctorem habemus Ebertum l. l. p. 172. n. 905.]

4) Quartus *Gudianus* No. 109 (238) membranaceus, quaternionibus, continet tantum Georgic. libros [et sec. XV. exeunte in Italia scriptus est. add. Ebert. l. l. p. 174. n. 915.]

Sequuntur e bibliotheca *Guelpherbytana* sex:

1) No. 82, 10 membran. 12., [octonis min. potius] qui Bucolica tantum habet, sed vetustus. [Sec. XIII. cf. Ebert. l. l. p. 173. n. 912.]

2) No. 63, 5 duodenis oblongis. Bucolica et Georgica eiusdem aetatis. [Minime. Sec. XV. medio in Italia a Clemente Salernitano exaratum esse demonstrat Ebert l. l. p. 173 sq. n. 914.]

3) No. 9, 11 membranac. in 4. sed recentior. [Bucolica, Georgica et Aeneis sec. XV. Quatuor folia (Aen. lib. I. et X.) in charta a manu sec. XVII. suppleta sunt. cf. Ebert l. l. p. 172 sq. n. 908.]

4) No. 11, 3 membr. in 4. recentior, antecedente tamen antiquior, [et seculo quidem XIV. scriptus teste Eberto l. l. p. 172. n. 906.]

5) No. 8, 14 membr. in 4. recentior. [Sec. XV. in Italia exaratus. cf. Ebert l. l. p. 172. n. 907.]

6) No. 7 fol. chartaceus; in fine adscriptum, esse eum exaratum a. 1457. [vid. Ebert l. l. p. 173. n. 911.]

Porro *duo* codd. *Petri Danielis*, qui nunc *Bernae* inter *Bongarsianos* adservantur. Alter vetustior Georgica, tum Eclogas, tandem Aeneidem exhibet, sed in libro V deficit, alter recentior est. Sunt adeo ii, quos Io. Rud. Sinner in Catalogo

Digitized by Google

Codd. Mss. biblioth. Bernens. memorat pag. 631, n. 184, pag. 633, n. 411, etsi diversa ab istis narrari hic videntur. Idem Vir Cl. p. 626 — 635 codices Virgilii alios ex eadem bibliotheca commemorat; de codicum tamen bonitate iudicium inde facere vix licet, nisi quod satis recentes esse videntur.

Etiam *duorum Hamburgensium*, quos cum vulgata lectione Heinsius contulerat, varietatem adscripserat Cortius; tandem *Basileenses* veterrimas membranas in Eclogis, Georg. I et Aen. XII, 7 inspexerat. Diu haerebam animi dubius, quid his copiis facerem, cum iam in altero volumine Virgilii versarer, quando illae ad me pervenere, neque consultum videretur, in instituto aliquid mutare; mox vero, excusso illo opiparo apparatu, intellexi, si meo consilio in recensendo Virgilio obtemperare vellem, ne quidem apponi a me posse hanc variantis lectionis silvam; meliores enim ex iis membranis iam Heinsius diligenter comparaverat; ceterae fere recentiores sunt, et varietas hinc decerpta ad lapsus fere librariorum et errores sollennes redit, quorum enotatione Virgilium iam sic nimium oneratum videbam, nec fructum exspectare poteram, quem inde percipere liceret, si, inprimis in lectione iam dudum recte constituta, nec dubia aut obscura, vulgares librariorum allucinationes sexcenties recoquerem. Ita saepius taedio ac poenitentia victum me memini, quod lectionem librorum Gothanorum apponere institueram. Per totum enim Virgilium vix unum locum novi melius ex iis constitutum. Persequendum tamen erat religiose, quod semel receperam. Inspexi itaque Cortianum apparatum tantum in locis salebrosis, atque adeo sic quoque humanitatis et gratiae meritum viri Praestantissimi in me esse summum profiteor. De Cortii conatu v. Harles Notitia litt. Rom. p. 248.

XX. Bibliotheca *Academiae Iuliae* apud Helmstadienses duo servat Virgilii exemplaria calamo scripta, sed et haec recentia, nec ullo aut studio librariorum aut doctrina insignia. Liquido haec cognoscere licuit, quandoquidem I. C. Wernsdorfius, Professor de ea Academia praeclare meritus, Principi Duci Brunsuic. a Consil. aul., utriusque codicis accuratam notitiam cum specimine perhumaniter ac benevole ad me misit. Alter chartaceus est, pulcre exaratus, sed parum docte, Bucolica, Georgica, et Aeneidem complexus, subiectis inter Georg. et Aen. variis poematibus minoribus et catalectis: ad haec itaque lectionem ex eo notatam videas. Sub Georgicorum finem subnotatum: *laus deo henricus Hopf* 1454 et ad calcem Aeneidis: *h. h. ich wart der Zeit* 1454, ad finem autem Catalectorum 1450. [cf. Ebert l. l. p. 173 sq. n. 909. et 917.] Alter

membranaceus est in forma oblonga, Aeneidem tantum continens, spatio inter lineas et margine scholiis, sed vulgaribus et ieiunis, occupato. Membranas multo usu attritas esse et sordidas narrabat vir doctissimus, ita ut etiam suspicaretur, ludi magistri alicuius usibus id exemplar inserviisse. Praemissa est Pseudopindari Thebani Epitome Homeri. [Codex ms. sec. XII., olim Flavii Illyrici. vid. Ebert l. l. p. 174. n. 916.]

XXI. Pervenere ab illo inde tempore, quod in prima editione paranda consumseram, ad me nonnullorum codicum notitiae, virorum doctorum res nostras iuvandi studio. Fuit in his codex bibliothecae Fridericianae apud *Erlangenses* chartaceus, alius membranaceus academiae *Giessensis*, qui olim inter Uffenbachianos fuit (v. Biblioth. Uffenbach. P. IV, p. 222), prolusione academica descriptus ab Andr. Boehmio, Prof. et Biblioth. Acad. Giess., alius membranaceus Onoldi, in bibliotheca Marchionis Sereniss. De Codice *Koehleriano*, quem aliquoties memoravimus, nuper in bibliothecam Georgiae Augustae illato, narrationem habemus a viro doctiss. I. G. Guil. Koehler, Adiuncto Philos. Ord. in Univers. Ienens. (nunc sacri coetus Curatore in Dioecesi Ansbacensi), conscriptam 1771. Est ille e recentissimis et sub ipsa typographiae initia scriptus Romae sub Paullo II cum fide quidem, sed ab indocto homine, nec ex optimo exemplo. Ex lectionibus certe excerptis paucas utilitatem criticam habere vidi (cf. *Götting. Gelehrte Anzeigen* 1771, p. 1096.)

XXII. Dudum mihi innotuerat Codex *Erfurtensis* e libraria supellectili Coenobii Portae Caeli, misso quoque ad me lectionis specimine, unde intellexi ex eodem eum cum Gothanis fonte fluxisse. Audieram mox a viro doctiss. *Io. Frid. Degen*, A. M. Gymnasii Ansbacensis Collegio adscripto, repertum codicem, cuius descriptionem ipse dederat Progr. 1785. Ab eius humanitate facile impetravi lectionis varietatem, moxque animadverti, esse hunc eundem codicem cum Erfurtensi; ex claustro itaque suo pervenerat ille ad Illmos Comites de Schönborn, servaturque nunc Gaybaci in tractu Franconiae Steigerwaldensi. Criticus usus codicis aut nullus aut exiguus est; cum indocte scriptus nec minus indocte correctus et interpolatus sit a pluribus. Varians utique lectio e meris vitiis pravae scripturae constat; et, si qua est tolerabilis lectio, aut ex errore eam profectam esse facile intelligitur, aut iam ex aliis codd. illa est enotata. Inserui tamen potiora suis locis. [Denuo hunc codicem inspexit et ab omni, quam Heynius movit, suspicione vindicare studuit Ioa. H. Iaeck in edit. Virgilii Vinariensi a. 1826; neque vero quidquam perfecit. Se-

culo XII. s. XIII. in membranis quaternis exaratus inter Gaibacenses s. n. 1796 asservatur.]

XXIII. Oblitus sum monere, etiam Brunckium tractasse codicem; *vetustas probaeque notae membranas* appellat ipse, Seminarii Episcopalis urbis Argentoratensis. Memorabiliorem aliquam lectionem ex eo proferri non memini.

✿ ✿

XXIV. Codicum Virgilianorum, qui *nondum cum vulgata scriptura comparati* in bibliothecis passim latent, incredibilis numerus e bibliothecarum catalogis virorumque doctorum commentariis excitari facile possit. Maximam tamen partem vix digni sunt, in quibus conferendis bonam horam perdas. Ad pueriles enim et scholasticos usus plerique fuere scripti, inprimis Bucolicorum codices. Itaque nullus omnino fructus inde exspectandus *). Indignum autem studiis his, quibus iudicium et sensus acui debebat, stupores barbarorum monachorum religiose enotare, et non tam variantium lectionum, quam sordium monachicarum mole rem criticam onerare **). Itaque nemini facile auctor sum, ut Virgiliani codicis varietatem enotandam sibi sumat, nisi ante omnia paucarum paginarum comparatione facta constiterit, ex bono eos exemplari transscriptos esse; etsi Virgilii lectionem nunc ita constitutam esse arbitror, ut, quae ei vitia insident, nullius codicis auxilio tolli posse sperem; ex optimis autem codd., si qui adhuc forte supersint, si consulere eos licuerit, vix multas lectiones memorabiles nondum visas enotatum iri suspicer. [Quae omnia etsi saepius ut verissima pronunciaverit Heynius, me tamen non impediunt, quominus cum Dorphio et illa F. A. Wolfii, viri immortalis memoriae, adscribam: „Multorum auctorum, ut Virgilii, sat multi extant codd. mss., quorum nullus spernendus, ne vilissimus quidem“ etc. cf. Hanhart Erinnerungen an F. A. Wolf. Bas. 1827. p. 80 sq. Add. Virg. Georgica übers. u. erkl. v. I. H. Voss. p. XXIII.]

---

*) Vide v. c. Var. Lect. e Cod Dantiscano ap. Lengnich *Nachrichten zur Bücher- und Münzkunde* II Th. 1782.

**) Praeclarus est locus Chphori Plantini praef. ad Iul. Caesarem a se editum: „Quae enim finis — quousque paginas omnes obsidebunt variae et vanae saepe lectiones? — Excutiuntur profecto scriptores ipsi e manibus, dum avida iuventus ad haec diverticula abit et *πάρεργα* ista curat velut *Ἔργα*. Quam multi iam qui libros tantum legunt, ut emendent? ut illos meliores faciant, non ut sese? Itaque toti in voculis aut syllabis aliquot examinandis sunt; et segetem illam uberem rerum sententiarumque subter habent, paleis modo lectis.“

Digitized by Google

Bottarius in supra memorata praef. ad Fragm. Vatic. recensum XLII Codicum dedit Virgilii, qui in bibliotheca *Vaticana* servantur, e quibus non nisi tres aut quatuor a viris doctis inspecti sunt. Apud Montfauc. Biblioth. MSS. p. 108. 152. 192 alii sub aliis numeris laudantur, qui an iidem sint, non constat. In bibliotheca *Medicea* ad XXXIII Codd. latere ex Montfauc. Biblioth. Mss. p. 318. 319 apparet, quorum recensum instituere et antiquiorum specimina subiicere volebat Fogginius in altero Vol. Virgilii Medicei. vid. praef. p. XIII. Sunt inter eos Codd. Franc. *Sarsetti*, Guidant. *Adincarii*, Ge. Ant. *Vespuccii;* sunt nonnulli scripti a Io. *Carpense*, Cive Ferrariensi, a P. *Pugliense*, a Fratre Iac. *de Vulterra*. [cf. Bandini l. l. Tom. II. p. 282—315.] *Ferrariae* in bibliotheca PP. Carmelitarum S. Pauli servatur Codex Mstus Virgilii Aeneidis scriptus a. 1198 ornatus picturis seu miniaturis Magistri Ioannis de Aligherio monachi: de quo v. Historiam Gymnasii Ferrariae P. 446. 447 et 430. In *Ambrosiana* XXIV volumina ad Virgilium spectantia a Montfauc. Biblioth. MSS. p. 524 B, in *Regia Parisiensi* supra XL in Catalogo MSS. Bibliothecae Reg. Paris. inprimis a n. 7925 sqq. ad 7970, in Biblioth. *Bernensi*, ut iam supra monui, a Sinnero XIV codd. memorari videas p. 626 sqq. [In bibliotheca Escorialensi XV codd. mss. Virgilii asservantur; Middlehillii apud Illustr. Th. Philipps Anglum undecim voll. vidit Hänel l. l. p. 805 sqq. Si librorum mss. aetatem spectas, habes inter eos, qui a nemine accuratius inspecti sunt, codicem sec. VII. in bibl. Seminarii eccles. Augustodunensis, alium eumque nitidissime sec. IX. (vel potius sec. VII. cf. Blume iter Ital. Vol. I. p. 234.) characteribus Longobardicis scriptum, qui nuper ex bibliotheca Canonici, abbatis Venet. (vid. Blume l. l. p. 210 sq.) Bodleianae Oxon. accessit; duos codd. sec. IX s. X., quorum alter Montispessulae in bibliotheca acad. medicae, alter Clermontii Ferrandi in bibl. oppidana servatur etc. cf. Haenel l. l. Index all.]

Apud *L. Concannon* Esq. Londini codicem Aeneidis e domo Medicea asservari audieram, nitide scriptum. E specimine tamen ab amicissimo viro, G. H. *Nöhden*, misso intellexi usum eius criticum vix magnum esse posse.

In bibliotheca *Palatino — Bavarica Monacensi* codices asservari noram. Eximia Ignatii Hardt, Presbyteri et bibliothecarii aulici, humanitate notitia eorum ad me allata est haec:

Codices, inquit, sunt numero quinque.

„Cod. LIX. membranaceus in folio: membrana mollis et candida, tituli miniati, et initialis prima colore et auro ornata, character nitidissimus Saeculi XV. Constat foliis 355. Prae-

Digitized by Google

missae sunt tres picturae triplici poetae operi adaptatae; quarum prima pascua, altera agriculturam, tertia bella exhibet.

„Cod. CCLXI. chartaceus in folio, charta candida et solida, scriptura nitida Saec. XV. cum glossis interlinearibus, et marginalibus; titulis et initialibus rubris; ex bibliotheca *Hartmanni Schedelii,* Doctoris Norimberg. qui notas marginales adiecit. Constat foliis 242.

„Cod. CCCV. membranaceus in fol. titulis et initialibus miniatis, charactere longobardico nitidissimo, usu tritus, cum glossis interl. et scholiis marginal. aetatis fere eiusdem, atramento flavescente. Constat foliis 223. Saec. XI.

„Cod. CCCXIX. membranaceus, in fol. membrana subtili, titulis et initialibus miniatis, auroque distinctis, cum notis marginalibus et interlinearibus *Hartmanni Schedelii* Norimberg. Saec. XV. scriptus a Nic. Anastasio de Bucellis de Florentia. Constat foliis 205.

„Cod. DXXIII. membranaceus, membrana vetere et mucida, in quarto oblongo, charactere minuto nitido, initialibus miniatis, scriptura abbreviata, cum nonnullis brevibus notis. Saec. XIII. Constans foliis 73 usu tritus, male conservatus, ita ut desiderentur Ecloga I. IV. V. VIII. IX.

„Omnes continent Bucolica, Georgica et Aeneidem. In CCLXI et CCCV etiam Moretum. Maecenas. Dirae. Copa. sunt adiecta."

XXV. Duo sunt Codices omnium vetustissimi ac praestantissimi, quorum tamen non nisi exigua fragmenta supersunt. Unus est celebratissimus ille *liber Sangermanensis* n. 1287, in quo antiquioris scripturae erasae et inductae, dum ei Catalogus Viror. illustr. Hieronymi saeculo VII superscriptus est, vestigia passim Commentarium Aspri in Virgilium antiquissimo ac pulcerrimo capitali plane charactere produnt. vid. PP. Benedictinos N. Tr. de Diplom. T. III. p. 152. Alterum est *fragmentum Pithoeanum*, litteris capitalibus grandioribus, quales nullos ullo in Codice videas. Eius specimen dedit Ruinartus in app. inserta Mabillonio de Re Dipl. p. 637. 635, unde repetitum in N. Tr. de Diplom. T. III, p. 41, tab. 34. In bibliotheca *San Gallensi* codicem esse audieram rescriptum, in quo veteri Virgilii scripturae deletae superscripserat alia manus Augustini nonnulla. Dederat hoc amori suo in me vir humanissimus Christophorus Girtanner, M. D., ut particulas aliquot antiquae lectionis restitueret; unde comperi scripturam esse valde antiquam capitalem Romanam; nihil tamen occurrere, quod non dudum e codd. teneamus.

Digitized by Google

[XXVI. Neque vero in hac codd. Virgilii mss. hucusque collatorum recensione praetereundi sunt quinque codd. *Hafnienses*, quorum primam notitiam debemus *I. H. Vossio* in edit. Georgicorum, Eut. et Hamb. 1789. Criticus eorum usus exiguus est; sed Heynium nostrum silentio eos transiisse haud mireris, si dissidii, quod inter ipsum et Vossium intercessit, in his certe deponendi, memineris. Primus, *Moldenhaweri* theol. Hafniensis, membran., Matriti a mercatore quodam emtus, Georgicorum libros IV continet. Ab initio mutilus, quorsum Moldenhawero mortuo devenerit, non liquet. Lectiones variae apud Vossium in annotatt. s. n. *Ms.* leguntur. — Quatuor reliquos codd. liberalitate Ill. comitis de Bernstorf cum Vossio communicatos, quum plagulae aliquot typis iam essent descriptae, Regia bibliotheca Hafn. servat, iteratisque curis nuper contulit *V. Cl. Dorphius* in edit. Hafn. 1829. Vossius l. l. p. 316—20 varias eorum lectiones exhibuit.

Codex *A.*, ap. Dorphium II., Reg. bibl. n. 429, membranaceus sec. XIII. s. XIV. summa elegantia comparatus et nitidissima manu scriptus, Bucolica, Georgica et Aeneidem comprehendit.

Cod. *B*, ap. Dorph. VI., Reg. bibl. inter codd. Thottianos 312, membran., Bucolica, Georgica et Aen. libros quinque priores usque ad versum 257 complectitur.

Cod. *C*, ap. Dorph. VII., inter Thott. 313, membr., Bucolica, Georgica Ciceronis Laelium et al. continet. In ipsa libri fronte haec leguntur: liber Stae Mariae in novo Monasterio.

Cod. *D*, ap. Dorph. V., inter Thott. 311, membr., Buc., Georgg. et Aen. complectitur teste Vossio, sed Bucolicorum non meminit recentissimus, qui codicem inspexit, Dorphius. Possedit eum a. 1563 Silvester Paganinus de Nonatola, monachus ord. Cisterciensis.

Iam vero Alburgensem et reliquos duo eiusdem bibliothecae Hafn. codd. Virgilii mss., qui Vossio latuere, diligenti cura nuper examinavit *S. N. Dorphius* in edit. supra laud.

Alburgensis, ap. Dorph. I., membran. sec. XIII. s. XIV., scholiis margg. et glossis interlinearibus instructus foliis 129 constat, et Georgica a libr. II. v. 460 usque ad finem, Aeneidem integram atque passim per totum librum ob inscitiam bibliopegi fragmenta Eclogarum 8. 9. 10. interspersa continet. Ad calcem octo primi versus Copae leguntur. Possedit hunc librum olim Henr. Ruse, familiae Rysensteinianae apud Danos auctor, qui eum e Batavia in Daniam secum pertulisse dicitur a. 1660.

Cod. bibl. Reg. Hafn. 2004, ap. Dorph. III., in charta sec. XIV. exaratus Bucolica continet.

Digitized by Google

Cod. eiusd. bibl. 2005, ap. Dorph. IV., membranaceus, quum minoris videretur pretii, in libro Aeneidis primo excerpendo substitit Dorphius.

XXVII. *Codd. Potterii.* *F. G. Pottier*, quum in nova scriptorum vett. collectione, quae Malepeyrii bibliopolae Parisiensis sumtibus prodiit, Virgilium edendum curaret, biblioth. Mediceae, Vatic. et Paris. Regiae aliquot codd. mss. lectiones varias exhibuit, quas ea, quam in re critica iure requiris, diligentia atque fide minime descriptas esse V. Cl. Wagnerus docuit in Iahnii annall. philoll. Vol. I. p. 98 sqq. et Virgil. Vol. I. praef. p. XI. De cod. Mediceo, Pott. *m*, et Vaticanis 1632, Pott. *p*, 3225, Pott. *v*, et 3865, Pott. *r*, vid. supra p. 603 sqq. Regiae bibliothecae Paris. XV codd. vetustiores inspexit, quorum indicem brevissimum dedit Vol. II. p. 258. cf. Catal. codd. mss. biblioth. Regiae T. IV. p. 411 sqq.

1. Cod. 7906., membr. sec. IX., ol. Colbert., Aeneidis libri tertii finem, quartum et quintum integros continet.

2. Cod. 7925., membr. sec. X., ol. Colbert., Bucol. Georg. et Aen. continet. Inter lineas passim glossae, et ad marginem scholia leguntur.

3. Cod. 7926., membr. sec. X., ol. Colbert., Virg. opera omnia glossis scholiisque instructa complectitur. Sub finem Aen. nonnulla desiderantur.

4. Cod. 7927., membr. sec. X., ol. Colbert., Buc. Georg. et Aen. comprehendit. Folia nonnulla manu recentiore suppleta. Praemittuntur carmina, quae Virgilii nomine vulgo circumferuntur, minora. Culicem, Copam et Moretum accuratius contulit V. Cl. Sillig, qui eum s. n. Colb. I. affert; vid. supra p. 22 etc.

5. Cod. 7928., membr. sec. X. ol. Baluzianus, quo continentur Virg. Eclogae quatuor, Georgicorum libri duo priores, Aeneidis septimus, octavus et pars noni.

6. Cod. 7929., membr. primum P. Pithoei, postea Colbert., Aeneidis libros sex posteriores continet; septimi initium et duodecimi finis desiderantur. Acc. Servii commentarius et al. Huiusce codicis pars prior sec. X., posterior XIV. videtur exaratus, cf. Catal. l. l. p. 413.

7. Cod. 7930., membr. sec. XI., Eclogas, Georg. et Aen. complectitur. Acc. Commentarius in Virg., eius vita et carmen, quod Moretum inscribitur. Reg. I. ap. Sillig. l. l. p. 308.

8. Cod. 8069., membr. sec. XI. s. potius Hasio teste, X. primum Iac. A. Thuani, postea Colbert., Virgilii opera omnia et

Digitized by Google

carmina supposititia comprehendit. Culicem, Copam et Moretum contulit Sillig, qui hunc cod. *Thuan.* I. nominat.

9. Cod. 7931., membr. sec. XII. ol. Bigotianus, de quo supra p. 614.

10. Cod. 8198., membr. sec. XII., Aeneidis libros XII complectitur.

11. Cod. 7932., membr. sec. XII. ol. Mazarinaeus, in fine Aeneidis mutilus Virgilii opera omnia continet.

12. Cod. 7933., membr. sec. XIII. olim Mazarinaeus Virg. Eclogas, Georg. et Aen. comprehendit. Eclogae et Aen. liber XII. a manu recentiori suppleti sunt.

13. Cod. 7934., membr. partim sec. XIII., partim XV. exaratus. Insunt Virg. opera omnia glossis et scholiis ad marginem dispositis instructa. Libri XII. finis desideratur.

14. Cod. 8199., membr. sec. XIV. ol. Colbert., quo Buc., Georg. et Aen. continentur.

15. Cod. 7935., membr. sec. XIV. s. XIII. primum Iac. A. Thuani, postea Colbert., Virg. Buc. Georg. et Aen. comprehendit. Passim inter lineas, uti in superioribus quibusdam annotatum est, glossae et ad marginem scholia leguntur.

XXVIII. Ad fidem novem codd. nondum adhibitorum (sic) anno h. s. 26 Vinariae Virgilium typis exprimi iussit *Ioa. H. Iaeck*, bibl. Bamberg. praefectus. Sed ex ipsa eorum recensione, quam in praef. exhibuit, septem tantummodo aut octo codd. mss. eum usum fuisse apparet, in quorum numero etiam Gaibac. I. olim Erfurtensis conspicitur, cuius variae lectiones iam multis abhinc annis innotuerant Ill. Heynio. Codd. autem, quorum vetustatem et usum criticum iusto altius extollit, hi sunt:

Gaibac. I., de quo supra p. 622 sq.

Gaibac. II. membr. octonis mai. conscriptus, catal. n. 2496, IV Georgicorum libros et Iuvenalis satyras XVI continet. Seculo XI. seu potius XII. exaratus esse videtur.

Gaibac. III. n. 2807. membr. sec. XIII., foliis quinque quaternis Virgilii carmina sex minora, Copa, Est et non, Vir bonus, de vere, Moretum, de Venere et Baccho et alia continet. Hirsching Beschreib. sehenswürd. Biblioth. T. II. p. 334. cf. Seebode Archiv. f. Philol. 1824. fasc. IV. p. 689 sqq.

Bamberg. I. chart. sec. XV., Georgicorum libros tres et versus CX priores libri quarti, atque sextum Aeneidis librum comprehendit.

Digitized by Google

Bamberg. II. chart. scr. circa a. 1467 duodecim libros Aeneidis, Bucolica et Georgica continet. Industria collegii societ. Iesu a. 1654 acquisitus in biblioth. episc. Bamb. transiit.

Viecht. duo, uterque membran. quaternis conscripti in abbatia Viecht., ord. S. Benedicti, prope urbem Schwatz ad terminos regni Bavarici asservantur. Alter seculi XII., Aeneidem, alter sec. XI. (si Iaeckio fides) Bucol., Georg., Aen. et carmina minora continet. Iaeckius liberalitate R. D. Abbatis Thomae benevole exceptus, a. 1821 eos est perscrutatus. Vidit elegantem quoque et antiquum codicem, quem sec. XI. (?) exaratum Sigm. *Cp. Iosch* Marsbaci ad fines episcop. Passaviensis nuper possedit; sed quae eius ad Virgilium emendandum sit auctoritas, non constat. Denique in carminibus minoribus varias nonnullas lectiones, „quae sine omni fere dubio Virgilio attribuenda essent," ex cod. *Stuttgard.* chart. erutas se attulisse dicit, sed quibus siglis in annotatt. criticis singuli codd. designentur, nulla usquam iniicitur mentio.

XXIX. Iam vero codd. mss., qui nondum cum edd. vulgatis collati in bibliothecis latitabant, haud exiguum numerum recentissimis temporibus in usum vocarunt *Iahnius*, *Wagnerus* inprimisque *Silligius* in edit. carminum minorum, quae Virgilii nomine vulgo circumferuntur. Et *Iahnius* quidem in editione Virgilii, Lips. 1825, duos codd., in Bucolicis *Zwiccaviensem*, in Georgicis *b. Spohnii* consuluit. Uterque recentissimae aetatis cum editis plerumque consentit neque ad Virgilium emendandum multum conferre videtur. Eorundem codicum varias quasdam lectiones ex litteraria Spohnii supellectili accepit *Wagnerus*, cuius singulari studio atque industria haec Virg. editio post Heynii mortem aucta et emendata prodit, cf. Vol. I. praef. p. XXII. Sed quum, quod libros scriptos attinet, paucis iisque antiquissimis exceptis, parum inde auxilii sperandum esse persuasum habeat, duos tantummodo *Lipsienses bibliothecae senatoriae*, qui inter meliores habentur, adhibuit. Primus eorum, quem *oblongum* dicit, membran. sec. XIII. foliis 135 Eclogas, Georgica et Aeneidem continet. Fuit olim, ut in ipsa libri fronte legitur, „monasterii S. Mauricii in Hallis," sed quo tempore quibusque ambagibus in hanc bibliothecam devenerit, non constat, vid. quae de cod. Schefferiano ap. Heins. diximus p. 614. Alter membran. sec. XIII. foliis quadratis 76 duabusque columnis exaratus, Virgilii opera omnia glossis marginalibus instructa comprehendit. Ex bibliotheca I. Cp. Wagenseilii in senatoriam transiit, et in Moreto eum consuluit Sillig. — Aliquoties etiam, ut Wagneri verbis utar, mentionem fecit codicis Servii, qui in *bibliotheca regia Dresdensi* catal. D. 136 asservatur, interdum cum optimis codd. conspirantis. Chartaceus sec.

Digitized by Google

XV forma max. in Italia exaratus, foliis 344 Servii commentarium continet usque ad Aen. libr. XII. v. 931. Reliqua desunt. Ex bibl. Amedei, canonici Bonon. in regiam Dresd. migravit. Cf. Ebert Gesch. u. Beschreib. der kön. Biblioth. zu Dresd. p. 271 et Wagner in Zimmermann allgem. Schulzeit. 1830. n. 24. Codices eiusdem bibliothecae, D. 134 (126) membr. sec. XIV., quo omnia Virgilii opera continentur, et D. 135 (81) chart. sec. XV. exeunt., qui Eclogas tantummodo exhibet, cf. Ebert. l. l. p. 271., quum nihil inde utilitatis Virgilio accessurum speraret, negligendos esse duxit, add. Vol. I. praef. p. XII.

Iam restat, ut de subsidiis criticis, quibus V. Cl. *Sillig* usus est, paucis disseram. Etenim in carminibus Virgilii minoribus, Culice, Ciri, Copa et Moreto, quae hoc ipso volumine continentur, tanta cum diligentia codices mss. undique conquisivit editor Dresdensis, ut post triumviros Heinsium, Burmannum atque Heynium, si largam respicimus, quam ipse Parisiis, Guelferbyti et al. collegit, variarum lectionum copiam, ceteris omnibus longe antecelluerit. Viginti septem codices, quibus usus est, hi sunt:

Parisienses Regiae biblioth. quindecim, *Colb. I.* catal. n. 7927 membr. sec. X., ap. Potterium 4, quem vide.

Colb. II. n. 8093. membr. sec. X.

Colb. III. n. 8205. partim chart., partim membr. sec. XV.

Colb. IV. n. 8207. membr. sec. XIV. (membranae Pithoeanae a Scaligero dictae) quibus praeter multa alia Culex, Copa et Moretum continentur.

Colb. V. n. 8462. membr. sec. XIII. qui Moretum exhibet. Optimae notae codex.

Reg. I. n. 7930. membr. sec. XI., ap. Potterium 7., qu. vide.

Reg. II. n. 7989. chart. sec. XV. opt. notae. Tibulli, Prop. et Cat. carmina continet. Adh. Virgilii Moretum.

Reg. III. n. 8224. chart. exaratus a. 1463 Horatii odas et epist. libros duos exhibet, quibus Moretum additum est.

Reg. IV. n. 8264. chart. sec. XV. Senecae Hercules furens et Virg. Moretum.

Carcav. n. 8262. chart. sec. XV. olim Petri de Carcavi, quo Senecae tragoediae, Virg. Moretum, Bucolica et all. continentur.

Thuan. I. 8069. membr. sec. X. s. XI. ap. Potterium 8, quem vide.

Thuan. II. n. 8074. membr. sec. XIV. Iuven. satyras, Virg. Copam et all. continet.

Teller. n. 7936. membr. sec. XIV. Virg. opera omnia, Statii Theb., Lucanum et Claudianum complectitur. Copam et Moretum contulit Sillig.

Baluz. I. n. 8206. chart. sec. XV. Moretum, Priapeia, Copam pluraque alia continet, et inter optimos referendus est.

Sorbon. n. 511. qui ex biblioth. Sorboniana in Regiam translatus praeter multa alia Virg. Moretum exhibet.

Helmstad. 332., nunc Guelferbyt. chart. scr. circa a. 1450. vid. supra p. 621. Carmina Virgilii quatuor minora continet.

Gud. 342. membr. sec. XV. Insunt Virgilii duo carmina Copa et Moretum. Cf. Ebert. bibl. Guelferbyt. codd. p. 175. n. 919. In Copa praestantissimas, in Moreto pessimae notae lectiones exhibet, v. supra p. 284. et 308.

Lindenbr. Exemplar Virgilii appendicis ed. Lindenbruch. LB. 1595. 8. plurimis notis et varr. lectt. auctum, quod inter libros impr. servat bibl. Guelferbytana, in Culice adhibuit Sillig, sed nullius fere pretii esse iudicavit supra p. 23. cf. Ebert l. l. p. 174. n. 918.

Viecht. de quo supra. In Culice eum adhibuit Sillig, sed variae lectiones, quae ex eo descriptae in Seebode Archiv. f. Philol. 1824. fasc. 4. p. 689 et in Iaeckii editione Virgil. leguntur, ad sollennes fere librariorum errores redeunt. Eadem valent de

Gaibac., (ap. Iaeckium Gaibac. III.) quo in Copa et Moreto usus est.

Rehdiger., catal. 153, membr. sec. XV. foliis 136 quaternis exaratus Statii silvas, Virgilii Cirin, Aetnam et alia carmina minora continet. vid. Wachler l. l. p. 54. Hunc codicem quum inter omnes qui supersunt Statii codd. optimus habeatur, in Ciri quoque aliis longe praestare demonstrat Sillig supra p. 158. qui lectionis varietatem a V. Cl. Aug. Wellauero accepit. Attulit eum sub lit. *R.* De duobus aliis eiusd. bibl. codd., quibus carmina Virg. minora continentur, vid. Wachler l. l. p. 40 et 57.

Vratislav., ap. Sillig. lit. *A*, initio sec. XVI. exaratus et ex bibliotheca monast. S. Adalberti ord. Praedicatorum in Regiam illatus, Virgilii Cirin usque ad v. 252 exhibet. In Silligii usum eum contulit Wellauer.

Basileensem, cuius variae lectiones liberalitate V. Clar. Gerlachii Prof. Basil. accepit Sillig, ex editione principe Romana descriptum esse docet supra p. 159.

Dresdenses duo, catal. D. 140 et 158. Alterum chartaceum sec. XV. scriptum in Moreto, alterum sec. XVI. itidem charta exaratum in Copa consuluit. Cf. de his codd. Ebert l. l. p. 272 sq. 277 sq.

Digitized by Google

Stuttgardiensi cod., cuius varias quasdam lectiones V. Cl. Moserus in Seebode Archiv. f. Philol. 1824. fasc. IV. p. 691 edidit, in Moreto usus est.

Lipsiensem denique codicem, de quo supra p. 630 disseruimus, in eodem Moreto adhibuit.]

Sed satis de Codicibus scriptis. Etiam de editionibus nonnulla monenda sunt. Verum antequam accedam ad eas, subiiciam Indicem eorum codd., qui in Var. Lect. passim laudantur; vocum compendiis plerumque memorati. [Complectitur nunc hic Index omnes supra recensitos codd., etiam qui non sunt in Var. Lect. laudati.]

Digitized by Google

NOTATIO CODICUM

QUI IN VARR. LECTT. ET IN ELENCHO ANTECED. LAUDANTUR.

Digitized by Google

❖ ❖

Edd. *Veneta* Maitt. et Burm. est 1472
Mediolanensis eorundem est 1474.

DE VIRGILII EDITIONIBUS

Editionum elenchos instituere res est tum omnino valde difficilis et molestiae ac taedii plena, tum multo magis in Virgilio, qui a typographicae inde artis initiis nullo non anno, et interdum ter quaterve, typis excusus fuit. Quod operae genus, quamquam non tam morosi sumus, ut cum P. Burmanno in *Admonitione de Masvic. edit.* plane aspernemur, ne tum quidem, cum nihil feceris aliud, quam ut editionum undique titulos unum in locum congesseris; habet enim haec ipsa res cum ad historiam litterariam, qua nulla facile eruditionis liberalioris pars carere potest, tum in ipsa re critica ad editionum origines et propagines indagandas utilitatis plurimum; et honestum studium quis neget poni in rei typographicae incunabulis et incrementis cognoscendis? nec tamen nos id consilium nunc quidem sequuti sumus, ut, quod nemo facile in se receperit, lectori omnes Virgilii editiones adnumeraremus. Verum, cum criticam in aliquem auctorem vix satis feliciter ac tuto exercere possis, nisi lectionis vulgatae rationes et caussas, ortum, fata ac vicissitudines non plane ignores; cumque in poetarum principe, in quo multa maiorem etiam diligentiam ac subtilitatem sive requirunt sive excusant, quam si in quovis alio auctore verseris: accuratiorem talem notitiam multo minus tamquam vanam et inutilem aspernari licet. Tum vero illud tolerandum esse non videbatur, quod contextus quidem Virgiliani, ad illud usque tempus, quo ab Nic. Heinsio integritati suae, quantum quidem per libros, quos habemus, licet, restitutus est, tota ratio, origo ac propagatio tantum non ignoratur. Quod itaque in nullo non vetere scriptore admodum utile et necessarium atque etiam cognitu iucundum esse arbitrabamur, primos vulgatae lectionis seu textus fontes, eorumque rivulos, tenere et in promtu habere, unde ea ducta, quousque progressa sit, quando cursum mutaverit aut inflexerit, quove

Digitized by Google

tempore nobilior aliqua editio successerit, quam tamquam ducem vulgares reliquae sequerentur; idem institutum in Virgilio si quis sequendum sibi esse credidisset, verendum ei non esse putabamus, ne inutilem et vanam operam locasse videretur. Iam cum consilii huius exsequendi duplex ratio iniri possit, aut ut omnes omnium temporum editiones in manibus habeas, earumque comparatione cognationes et stemmata singularum editionum intelligas, aut ut aliorum fidem sequaris, et ex iis, quae sive a criticis et editoribus, sive a viris doctis, qui veteres et rariores editiones commemorarunt, de singulis editionibus prodita sunt, ratione, iudicio seu coniectura elicias atque expisceris, ad quam tamquam stirpem unaquaeque editio referenda sit: prior illa via et ratio haud dubie tutior erat et melior; in Virgilio tamen nullo modo iniri poterat, cum neque ullam bibliothecam adhuc audierimus esse, quae vel sextam editionum Virgilianarum partem contineat; neque exspectari posse existimamus, ut maiorem saltem earum partem in unum locum congestam aliquis videat; altera autem satis quidem lubrica, difficultatibus impedita et erroribus obnoxia videri debebat. Cum tamen optimum et utilissimum consilium aliter perfici nequiret, ab alio autem ne tentari quidem posset, nisi qui in Virgilio interpretando versaretur, et publicae alicuius bibliothecae litterariis copiis instructus esset; cumque vel sic aliquotenus progressus esse tibi videri possis; modo fundum aliquem posueris, cui inaedificare, et, quod tibi contingere non potuerat, rem a te inchoatam perficere, aliis in promtu sit: neque sic operam hanc defugiendam esse arbitrati sumus. Si enim semel editionum stirpes ac familias vel pinguiore, ut aiunt, Minerva descriptas habuerimus: unicuique, qui editionem nobis aut non visam et cognitam, aut non satis accurate et explorate descriptam, sub manu habuerit, facile et expeditum erit, dispicere ac definire, ad quod editionum genus, ad quam classem, ea sit referenda, quodque adeo pretium ei sit statuendum, quaeve ex ea sive ad rem criticam sive ad interpretationem utilitas sit expectanda. Ita tandem si plures ea, quae ipsi animadverterint, diligenter et accurate tradiderint, sperare licet, alium post nos eo perventurum esse, ut accuratiorem Virgiliani carminis historiam pertexere et pleniores editionum annales condere possit. Quo itaque usque cum per ingenium nostrum, quod alias ab hac rei litterariae subtilitate et sollicitudine abhorret, tum per otii nostri rationem licuit, eo progressi sumus, et quandoquidem, ut fata et vicissitudines Virgilianae lectionis cognoscere possemus, editionum aliquis recensus nobis conficiendus fuerat, cum haec ipsa res aliquantum utilitatis habere videretur, subiunximus et hunc, quamquam eo consilio non pertextum, ut ita proponeretur. Itaque nec mirum videbitur, si *in recen-*

Digitized by Google

tioribus, *huiusque inprimis saeculi*, editionibus recensendis minus diligentes quam in antiquioribus forte visi erimus; non enim ad consilium nostrum spectabat, omnes editiones, sed eas commemorare, unde aliquid sive ad Virgilianum contextum auxilii sive ad eius contexti historiam praesidii exspectari posset*).

✣ ✣

SAEC. XV, 1467—1500.

Editio Virgilii *princeps* est *Romana, sub auspiciis Paulli II in domo Petri de Maximo per Conradum et Arnoldum Teutonicos* (Conr. Sweinsheim et Arn. Pannartz) excusa, sub annum, qui expressus tamen non est, (1467 verius 1469.

(Eadem paullo post repetita: Romae — — 1471

Ut adeo sit Romana I et II.)

DL exemplaria, scilicet prioris CCLXXV et totidem alterius, prelo exiisse, e nota illa Epistola Episcopi Aleriensis ad Sixtum IV 20 Mart. 1472 scripta constat. Memorarunt hanc editionem Orlandi *Origine e Progressi della Stampa* p. 68 et 428. Maittaire *Annal. typogr.* T. I, p. 14, sed is eam non viderat; et Fontaninus *Hist. litt. Aquilei.* pag. 40. Accurate de ea egit Card. Quirinus *de opt. script. edd. ad Paulli II Gesta* p. 191 sqq., ubi ex epistola Io. Andreae, episcopi Aleriensis, docet, duplicem ab eo editionem fuisse adornatam; P. Franc. Xav. Laire in Specim. historico Typographiae Romanae (Rom. 1778, 8.) p. 147 sqq. tres adeo editiones sibi visas esse putabat; verum errorem eius severe castigavit Io. Bapt. Audiffredi in Catalogo hist. crit. Romanarum editionum saeculi XV (Romae 1783, 4.) p. 22 sq. 79 sq. Atque in hoc iudicio acquiescimus; quod facit quoque sagacissimus iudex *Panzer*, qui de utraque egit Annal. Vol. II, p. 411, 19 et p. 425, 60. Idem vir doctus priorem anno 1469 alteram 1471 assignat. Iterum copiose de priore egit de Bure (in *Catalogue des Livres du Duc de la Vallière* T. II, P. I, p. 78 sq. e qua exemplar 4101 L. fr. venisse narratur. [Transiit in bibliothecam regiam Parisiensem. Cf. de edit. priore 1469 V. Ill. Eberti bibliograph. Lexicon Vol. II. p. 1035. n. 23632. Sex exemplaria ad nostra usque tempora pervenerunt, quorum prae-

*) Egregiis ab illo inde tempore accessionibus locupletata est historia libraria, inprimis a Denisio et Panzero viris praestantissimis. Annotavi cum ex his, tum ex aliis scriptoribus, quae quidem ad Virgilium spectare videbam. Add. quoque Harles. Notitia Scriptor. lat. p. 292. Vol. II.

Digitized by Google

stantissimum servat bibliotheca S. Genovefae Paris. Fol. 1ª dedicatio episcopi Aleriensis ad Paulum II. Papam, fol. 2ᵇ index, fol. 3ª sqq. Catalecta, fol. 15ª sqq. Eclogae, fol. 26ª Georgica, 55ᵇ sqq. Aeneis, fol. 189ª sqq. carmina minora in Virgilium, fol. 192—197 Priapeia leguntur, quae cum in tribus exemplaribus desiderentur, probabile est serius typis esse expressa. Quaevis pagina 38 lineis constat. Signatura, ut aiunt, paginarum custodes et numeri desunt, qui quum a plurimis huius seculi edd. absint, ne vocibus hisce minus usitatis saepius utar, lectorem admoneo, in iis, ubi nihil de hac re a me annotatum legitur, signa ista revera desiderari. Vid. de hac edit. Brunet manuel du librairie etc. Vol. III. p. 414. sq. Santander dictionnaire bibliograph. Vol. III. p. 438. sq. Dibdin. biblioth. Spenceriana Vol. II. p. 459—62. Tour Vol. II. p. 267. 347. Introduction to the knowledge of editt. of the greek and latins Classics. Edit. 4. Vol. II. p. 527 sq. Moss manual of classical bibliography Vol. II. p. 703—5.] Nemo tamen ex his critico acumine instructus interiorem libri aestimationem fecit aut facere potuit. Est autem epistola *Ioannis Andreae* ad *Pomponium Infortunatum* scripta alteri editioni praefixa, ita tamen, ut epistola prioris editionis ad Paullum II eidem ab initio praemissa sit. In eadem epistola, *quidquid*, inquit, *Maronis scriptorum indepti sumus*, *quantum quidem fuimus intelligendo in tanta tamque mendosa exemplariorum raritate*, *multorumque eiusmodi prope desuetudine*, *immo vero internecione*, *in corpus unum omne compegimus;* unde codices non admodum frequentes ac bonos ei ad manus fuisse apparet. Liquet etiam illud, *Culicem*, etsi valde vitiose, ut multa nec Aleriensis intelligere posset, et alia, quae Virgilii nomen mentiuntur, poematia (Sunt *Dirae*, *Copa*, *Est et Non*, *Vir bonus*, *Rosae*, *Moretum*, *Priapeia*, *Epitaphia*, et alia) in ea editione exhibita esse, praeter *Cirin*, quod ex Fontanino l. l. intelligas. Alteram editionem idem vir meritissimus, Episcopus Aleriensis, susceperat, cum ut commissos in priore operarum errores plurimos emendaret, tum ut e Pomponii Infortunati codice antiquissimo, maiusculis characteribus scripto, quo Eclogae, praeter primam, Georgica Aeneisque absoluta continebantur, poetam castigatiorem exhiberet, id quod etiam in poematiis, Aetna, Ciri et Catalectis, alio Pomponii libro adiutus, fecerat. Ceterum *Pomponius* ille *Infortunatus* nullus alius est quam *Iulius Pomponius Laetus*, etsi illud nomen apud eos, qui de eius vita scripserunt, memorari vulgo non video; praeterquam apud Angelum Zavarronium in Bibliotheca Calabra p. 59, qui eum alias *Iulium Fortunatum*, et post mortem Paulli II, P. M. Maecenatis sui, *Infortunatum*, appellatum tradit; hactenus utique perperam, quod Paullum II nominavit, cum Pium II memorare debuisset, cui carus fuit Pompo-

Digitized by Google

nius; a Paullo contra in capitis periculum adductus. Recte itaque Apostolus Zenus in *Dissertazioni Vossiane p.* 232) pro fortunae conditione Pomponium nomen subinde mutasse monuit. (Adde p. 245 s.) Primis annis nomen Iulii Pomponii Sabini sibi imposuerat.

Neutra harum editionum ad Virgilium emendandum in consilium vocata est; restatque adeo hic beneficii in Maronem locus, si quis in eas incidat, ut de lectione excerpenda cogitet. Ad poetam ipsum inde magnum fructum haud exspecto; nam repetita fuit illa editio ab editoribus insequentibus; in priore excudenda non admodum bonis codicibus editor erat instructus; in altera *Pomponii librum* adhibuerat; atqui is nullus alius fuisse videtur, quam *Oblongus Pierii.* vid. sup. de codd.*).

P. V. M. Opera fol. s. l. et a.

Memorata et descripta secundum externam formam a *de Bure* in *Catalogue des Livres du Duc de la Vallière* P. I. T. II. p. 80, proposito quoque litterarum specimine, quae neogothicae et barbarae sunt. Veniit Libris Gall. 756. 19 S. et est nunc ap. Com. de Spencer. [Dibdin. biblioth. Spencer. Vol. II. p. 462—64.] Ad annum 1471 eam refert de Bure. Esse eandem excusam opera *Ioannis Schüssler*, Augustae Vindelicorum, intra a. 1470 et 1472 (nam intra hos annos ille officinam exercuit; v. Zapff *Augspurg. Buchdrucker-Geschichte.* T. I. p. XI) deprehendisse nuper sibi visus erat, comparato Terentio sine l. et a. Dom. Maugerard (Iournal encyclop. 1787 Decembr. p. 327). Terentii exemplar servatur in bibliotheca nostra Academica. Mox tamen alius vir doctus, comparata versione latina homiliarum Io. Chrysostomi et libri IV Augustini de doctrina Christiana, librum vindicavit prelo *Mentelii* Argentoratensis (ibid. a. 1788. Apr. p. 155 sq.) atque in hoc nunc acquiescunt Denis Supplem. p. 699 et Panzer. Annal. typograph. T. I. p. 73. 74. 407. Ceterum tanto libentius hoc accepi ad liquidum perductum, cum antea de una tantum in Germania hoc seculo excusa editione Virgilii constaret, Kobergeriana scilicet; nunc est illa Argentina altera. Successit tertio loco Argentina 1502. [Rarissimam hanc Virgilii editionem ex officina Io. Mentelii Argentorati circa annum 1469 prodiisse docent Brunet manuel T. III. p. 415 et Ebert l. l. T. II. p. 1036. n. 23633. Foliis non numeratis 207, quorum singula 32 lineis

---

*) Ex binis his edd. duas editionum fluxisse familias censebat Reviczki, a priore eas, quae carent vss. XXII de Helena Aen. II, 567. ex secunda eas, quae vss. habent. Pupugit hoc animum, et inquisivi morosius; tum vero vidi, fundum idoneum invento haud subesse. A nulla enim editione antiquiore abesse vidi versus, praeterquam ab Egnatiana recensione Venetiis 1507 et inde expressa 1520. tum ab ed. Basil. Henricopetr. 1551, in quibus criticis de rationibus versus sublati sunt.

constant, Bucolica, fol. 14[b] sqq. Georgica et fol. 50[a] sqq. Aeneidem continet. Priapeia et carmina minora desunt. Fol. 1[a]: *Publij Uirgilij Maronis Liber Bucolicorum — Incipit feliciter* etc. Quatuor huius edit. supersunt exemplaria, illud, ducis de la Vallière, quod ad Com. Spencerum transiit, alterum bibl. Bodleianae, tertium ap. Standish Anglum ex bibl. Melzi, quartum bibl. Caesar. Vindobonensis. vid. Santander l. l. Vol. III. p. 442 sq. Dibdin introduct. Vol. II. p. 529. Moss l. l. Vol. II. p. 706 sq. et al.]

1470.

P. V. M. Bucolica, Georgica et Aeneis. Venetiis *per Vindelinum de Spira* fol. 1470.

Veneta prima. Versus in fine subscriptos vid. apud Orlandum p. 20. Maittairium Annal. T. I, p. 290, et in Bibliotheca Smithiana p. *D*, e qua hic liber in Bibliothecam Regis Britanniarum Aug. migravit. Exemplar alterum in Biblioth. Colbertinae supellectili, anno 1728 Parisiis vendita, ad nescio quem transiit. vid. Burius *Bibliographie instructive* n. 2659*). Nuper iterum multis de hac editione egit Crevenna (in *Catalogue raisonné de ses Livres* Tom. III, I P. p. 189 sqq., nullo cum fructu ad te, qui indolem libri et usum criticum volebas resciscere. [Nimis severe et iniuste dicta. Add. Ebert l. l. n. 23634.] Panzer. Annal. Vol. III, p. 65, 8. Si vera narrant editores Edinburgenses, Cuninghamus eam inspexit, sub principis nomine ab eo laudatam. [Differt autem haec editio a reliquis eo, quod 161 foliis 41 lin. constat. Cf. Brunet l. l. Vol. III. p. 415. Santander l. l. Vol. III. p. 439. Dibdin bibl. Spencer. T. II. p. 465 sq. Introduct. Vol. II. p. 530 sq.]

1471.

P. V. M. Opera ex *recognitione* Io. Andreae *et cum duplici huius praefatione* — per Conradum Sweynheim et Arnoldum Pannarz Romae f. s. a. sed circa 1471.

Est haec altera Romana Andreae: de qua v. sup. 1469 ubi de priore. Panzer. Annal. Vol. II, p. 425, 60. [Constat foliis 225, et priore Romana codicum ope prodiit longe emendatior. In fine undedetriginta folia, quibus Priapeia ex cod. restituta et integra, atque Aetna continentur, in exemplaribus nonnullis deficiunt. Vid. Brunet l. l. Santander l. l. p. 440. Dibdin Tour

*) Venierat illud 581 libris gallofranc. Iterum Parisiis 1779 libris 2308. et 1780 libris 2270. Fuit quoque exemplar in penu Reviczki, unde in bibliothecam Com. Spencer migravit. Adscribo haec, quia sunt qui sibi placent in notitiis his helluationis nepotum librariorum.

Digitized by Google

Vol. II. p. 269. III. p. 138. Bibl. Spencer. T. II. p. 472. V. p. 285. Introduct. l. l. p. 531 sq. inprim. Ebert l. l. n. 23635.]

P. V. M. Bucol. Georg. Aeneis cum XIII libro Maphaei Vegii s. l. (*per Adam Rot*) (Venetiis) fol. 1471.

Magnifica ac praestantissimi artificii editio, cuius auctorem *Adamum* fuisse, ex subscriptis ad finem versibus intelligas. Iam autem Adamum *Rot*, Clericum Metensem, circa hunc annum Romae typographiam condidisse satis constat. Huic itaque eam attribuerunt, adeoque Romae excusam esse tradiderunt viri docti; in his bibliologus Burius *Bibliogr. instr.* n. 2660, qui eam Parisiis vidit, nec tamen de critico eius usu sollicitus fuit; externam tantum speciem describit. Ab illo tamen Adamo Rot librum profectum esse, Laire spec. Typograph. Rom. p. 169. 170 dubitat, Audiffredi p. 91. 92 omnino negat, cum Romanus typographus deteriore multum charactere usus sit. At fuisse alium *Venetiis* Adamum Rot, cuius opera Virgilius hic exaratus sit*). Haec est *editio Romana*, quam Maittaire memorabat T. I, pag. 309, *Catal. des Livres de Mr. Boze* n. 923, p. 179. Audiffredi Catal. Rom. Edd. p. 91. Add. Panzer. Annal. T. III, p. 83, 72. [Dibdin. biblioth. Spencer. Vol. V. p. 287. Ebert l. l. n. 23636. Rarissimam hanc Virg. editionem, cuius duo tantummodo exstant exemplaria (in bibl. reg. Britann. et ap. Com. Spencer. ex bibl. Stuttgard.) Venetiis per Adamum quendam excusam esse omnes consentiunt, sed in eo, quod cognomine Rot eundem usum fuisse contendit, vehementer errat Heynius, de cuius iniusto artis bibliographicae despectu hoc et pluribus aliis in locis nimis luculento iure conqueritur Moss l. l. Vol. II. p. 707. Adamum autem eundem esse, qui hoc anno 1471 Lactantium typis descripsit, docent Brunet l. l. Vol. III. p. 640. Santander l. l. Vol. III. p. 92 et 441 atque Ebert l. l. Foliis 179 (39 lin.) et quidem 1^a sqq. Eclogae, 11^b sqq. Georgica, 41^b sqq. Aeneidis libri XII, 171^a Aen. liber XIII., qui Maphaeo Vegio auctore in hac edit. primus typis expressus est, leguntur. Add. Dibdin. introduct. Vol. II. p. 532 sq.]

P. V. M. Opera (Bucol. Georg. Aen. cum libro illo XIII et Opusculis, quae sunt: Culex, Dirae, Copa, Est et Non, de Rosis, Moretum et Priapeia) *sine loco et typographo* fol. 1471.

Maittair. T. I, p. 307. Editionem praestantem et nitidam appellat Burius, qui de ea agit sub n. 2661 eamque superiori Adami Rot simillimam ab eodem artifice, sed ex alio exemplari, de-

*) Etiam huic libro insano studio pretium Librarum 449. 19 S. fuit statutum in sectione publica Parisiis apud Gaignat 1769. Extabat liber in copiis librariis Com. Reviczki.

Digitized by Google

scriptam esse existimat, quoniam orthographiae ratio diversa est. Maluissemus eum lectiones poetae comparasse. Exemplar eius in Bibliotheca Regia Parisiensi se vidisse narrat; quod adeo aliud esse debuit, quam id, quod modo memoraturi sumus*). Add. Panzer. Annal. Vol. IV, p. 5, 18. [Ex prelis Vindel. de Spira hanc perraram edit. prodiisse docet Illustr. Ebert. l. l. n. 23637. Constat foliis 200 (39 lin.) et in fine haec leguntur:

Finis M. CCCC. LXXI.
Cur hec sculpantur quis obscoena requiris
Da veniam sunt hec scripta Marone tamen.

Vid. Brunet l. l. p. 415. Santander l. l. p. 442. Dibdin Introduct. Vol. II. p. 534. Moss l. l. p. 707 sq.]

Servium hoc anno 1471 primo in lucem prodiisse satis constat; et quidem plus simplici vice. In discernendis tamen editionibus his magna est difficultas, bibliographis parum docte de his plerumque disputantibus. Accuratius quam ceteri de iis egit Abb. Baruffaldi *Tipografia Ferrarese* pag. 14 sq. *Prima* est *Veneta Baldarferi Ratisbonensis:*

Servii Mauri Honorati *Commentarii in Virgilium per Christophorum Baldarfer Ratisponensem* (Venetiis) fol. 1471.

Vid. Maittaire T. I, p. 92, et Baruffaldi p. 17. Eadem in Biblioth. Smith. pag. CCCCXXXIX memoratur, sed admixtis erroribus, quos Baruffaldi refellit. Ex versibus sub finem subiectis intelligitur, Servium a *Bapt. Guarino* olim emendatum, a filio autem in lucem editum esse.

Eodem anno *altera* prodiit, eiusdem Baldarferi impensis, *Servii editio* Venetiis *a Ludovico Carbone emendata*, ut ex disticho adiecto intelligitur: vid. Maittaire p. 303, et Tom. I, p. 92. Orlandi p. 23, de Bure n. 2671, et qui primo loco consulendus, Baruffaldi p. 119. Sunt in Panzeri Annal. Vol. III, p. 79, 59. 60. Alterutra ex his servatur in bibliotheca Spenceria ex copiis Reviczki**). [Differunt autem hae duae Servii edd., quae e prelis Valdarferianis a. 1471 (sec. Panzer. et Brunet. 347, sec. Dibdin. 345 foliis (40 lin.) prodiere, in perpaucis quibusdam locis et in versibus sub finem adiectis, ita ut credibile sit, unam ean-

*) Veniit eius ed. exemplar 249 L. 19 S. Parisiis 1725. apud Du Fay, et 1738 e bibliotheca Comitis de Hoym 150 L. item 1761 apud de Selle 120 L.

**) Alterutra intelligenda quoque erit in Catalogo Bibl. Reg. Paris. (*Catalogue des Livres inprimés de la Bibliotheque du Roi. Belles Lettres* n. 808. 809) ubi legitur: *P. V. M. Opera Venetiis* f. 1471 *Servius in Virgilium* f. 1471. Probabile fit, Servium solum in eo volumine haberi, et temere creditum esse, comprehendi quoque eo volumine ipsum poetam.

Digitized by Google

demque editionem vulgo minus recte pro duabus haberi. Prior decem versibus:

„Si quis in Italia bene pressa volumina querit
Nulla quibus toto corpore menda sedet;
Hoc opus inspiciat“ etc.

Guarinum „cuius manu exemplaria emendata fuere“ altera octo versibus:

„In commune bonum mandasti plurima formis
Ratisponensis gloria Christophore“ etc.

Carbonem, „cuius opera ad unguem correctus est liber,“ utraque vero Valdarferi laudes praedicat. Vid. inprim. Santander Vol. III. p. 452 sq. Ebert Vol. II. p. 772. n. 21032 sq.]

Male passim, etiam a Fabricio, *Editio Servii huius anni Ratisponensis* memoratur, a Typographi patria errore orto.

Tertia est Ferrariensis:

Mauri Servii Honorati Grammatici ad Virgilii Opera diligens Interpretatio, per Andream Gallum. Ferrariae fol. 1471.

Orlandi orig. della Stampa p. 137. Soli Orlandio visa, itaque de ea dubitatur, Baruffaldi della tipografia Ferrarese p. 9. [Tiraboschi storia T. VI. P. I. p. 439.] Panzer. Annal. Vol. I. p. 393, 3. [et recte quidem. Substituenda potius in eius locum alia eaque rarissima, quam Heynius dubitanter pag. sq. et infra inter edd. sine temporis aut loci notatione excusas attulit:

Mauri Servii Honorati commentarius in bucolica, georgica et Aeneidem Virgilii fol. S. l. et a. (circa a. 1470.)

Forma typorum rotunda, quae in hac editione conspicua est, ad illam, qua I. Mentelinus Argentoratensis typographus celeb. in speculis Vincentii Bellov. usus est, si plane singularem illam literae maioris *R* figuram exceperis, (Braun notitia hist. lit. tab. VIII. n. V.) proxime accedit. Constat foliis non numeratis 180, quae duabus columnis lineas impressas 56 exhibent. Exemplar huius edit. servatur in biblioth. Reg. Dresdensi. Ceterum cf. Panzer. Vol. I. p. 76, 415. Brunet. Vol. III. s. h. l. Ebert Vol. II. p. 772. n. 21034.]

Quarta est Romana Udalrici Han.

Mauri Servii Honorati Grammatici in tria Virgilii opera expositio incipit, et primo in Bucolica. Romae per Udalricum Gallum (Panzer. Vol. II, p. 422 sq. 52.) fol. s. a.

Nulla poetae carmina adiecta sunt, quod perperam viri docti tradidere; in errorem abrepti a de Bure n. 810. Est liber in Biblioth. Reg. Par. item in Bibliotheca Spenceria. Idem de Bure n. 2970 cum Maittairio, [Santandro l. l. Vol. III. p. 451 et all.] eum librum circa annum 1470 excusum esse coniectabat; de Laire a. 1469. [Sed Ebert. Vol. II. p. 772. n. 21036 circa a. 1473

Digitized by Google

eum demum typis expressum esse docet. Constat foliis 221 (41 lin.) Add. Santander. Brunet all.] Servium solum memorat Maittaire T. I, p. 292. Etiam Masvicius, qui ea editione usus est, solum Servium habuit. Rem omnem diserte exposuit Audiffredi pag. 71. A Io. Ant. Campano an emendatum fuerit exemplar, quod Laire affirmavit, non satis constat.

Alium Servium antiquum s. a. l. et typographo laudat Maittaire, T. I. p. 752. [vid. pag. anteced.]

Restat *quinta* Servii editio Florentina; male vulgo pro editione ipsius Virgilii venditata; accurate nunc descripta ab Audiffredi p. 258 Specim. et inde repetita a Panzero Annal. IV, p. 298, 1. cum ex vulgari ratione, quam et ipse olim sequutus eram, memorata esset Vol. I, p. 404, 1.

M. Servii Honorati Commentarii in tria Virgilii Opera, Bucolica, Georgica et Aeneidem. In fine Aeneidis eiusdem Servii libellus de natura syllabarum ad Aquilinum. [Sub finem Buc. et Georgg. „Bernardus Cenninus aurifex omnium iudicio praestantissimus: et Dominicus eius F. egregiae indolis adolescens: expressis ante calibe caracteribus ac deinde fusis litteris volumen hoc — impresserunt. Petrus cenninus Bernardi eiusdem F. quanta potuit cura et diligentia emendavit. Florentinis ingeniis nil ardui est.“ Ad calcem libri: „*Absolutum opus nonis Octobribus MCCCCLXXII.*“] (Florentiae) 1471. et 1472.

Egerant de hac, tamquam poetae ipsius editione, Orlandi *Orig. et Progr. della Stampa* p. 130. 131, et 428. Maittaire T. I, p. 320. Abb. Mehus praef. ad Vitam Ambrosii Camald. p. 55. Fuit is primus liber Florentiae a Cenninis expressus, et hac ipsa de caussa satis clarus. P. Cenninus, Bernardi f., emendaverat, *cum antiquissimis multis exemplaribus contulerat;* inprimisque illi curae fuerat, *ne quid alienum Servio adscriberetur, neu quid reciderelur aut deesset, quod Honorati esse pervetusta exemplaria demonstrarent.* Initium excudendi factum VII Nov. 1471, et finis V Octob. 1472. Burius n. 2672 de hac editione Maittairii fidem sequitur; ipse Parisiis eam invenire non potuerat. Eandem P. Burmannus Sec. praef. Virg. memorat et ex Ms. Mediceo maximam partem expressam aut restitutam ait. [Foliis 185 (43 lin.) constat. vidd. Brunet. et Ebert l. l. De edit. Servii Veneta a. 1475 vid. infra ad h.a.]

1472.

P. V. M. Opera (Bucolica, Georgica, Aeneis). [In fine:
„Urbs Basilea mihi, nomen est Leonardus Achates:
Qui tua compressi carmina, dive Maro.
Anno Christih umanati M. CCCC. LXXII. Venet. Duce Nicol. Trono.“] f. 1472.

Digitized by Google

De ea Orland. p. 25. Maittaire T. I, p. 314, unde de Bure n. 2662. Idem eandem, quantum intelligo, cum anno 1473 laudat in *Catalogue de Mr. le Duc de la Vallière* P. I, Tom. II, p. 83. venditam 1784 libris Franc. 166. Varietatem lectionis ex ea exhibuit Maittaire in fronte edit. Virgilii Tonson. 1715, unde in var. lect. sub nomine parum concinne a Burmanno imposito venit *ed. Ven.* Hac eadem lectionis varietate usus Cuningham. Add. Panzer. Annal. Vol. III, p. 91, 101. [Santander Vol. III. p. 445. Brunet Vol. II. p. 640. Dibdin bibl. Spencer. Vol. II. p. 471 sq. Introduct. Vol. II. p. 537. Moss. Vol. II. p. 708 sq. Sed verissime Ebert Vol. II. p. 1037. n. 23639 (coll. p. 354. n. 16363) demonstravit, ex subscriptione ista Venetam hanc esse editionem evinci non posse, imo probabilius eam aut in castello S. Ursi prope Vicentiam (Vite de sancti padri, S. Urso, L. Achates 1474) aut Vicentiae (Fazio Ditamundi, Vicenz. L. Achates 1474 vid. Ebert Vol. I. p. 586. n. 7390) typis descriptam esse.]

P. V. M. Opera (Bucolica, Georg. et Aeneis cum reliquis opusculis et cum Priapeiis et lib. XIII Aen.) Venetiis per Bartholomaeum Cremonensem f. 1472.

De ea Orland. p. 25. Maitt. p. 314. De Bure n. 2663, qui eam in Bibliotheca Regia Paris. servari testatur, ut sit forte illa, quae in Catalogo sub n. 811 memoratur. Panzer. Annal. Vol. III, p. 91, 99. In XIX foliis, quae in fronte praefixa sunt, tabula librorum, Vita Virgilii cum versibus in eius laudem praemittitur. Quae omnia, olim sigillatim exprimi solita, nunc collecta in hac editione primum memorari meminimus. [Rarissima haec editio foliis constat 232 (40 lin.), quorum ultimum his verbis finit: „datur tibi puella, quam petis datur." Fol. 19. recto hexastichon in laudem artis typographicae, urbis Cremonae et chalcographi Bartholomaei legitur; acc. subscriptio: „MCCCCLXXII. — foeliciter impressa sunt." Cf. Santander Vol. III. p. 444. Brunet Vol. III. p. 415 sq. Dibdin bibl. Spencer. Vol. II. p. 469. Introduct. Vol. II. p. 536 sq. Moss. Vol. II. p. 709. Van Praet catal. des livres impr. sur velin T. IV. p. 78. Ebert. Vol. II. p. 1036. n. 23638.]

P. V. M. Opera (cum opusculis et Priapeiis) *sine loco et artifice impressionis*, nisi quod B. H. subnotatum sub finem est. *Benedictus Hercules* in iis latere creditur, typographus Ferrariensis. Vulgo tamen ab *Ant. Zaroto Mediolani* esse confecta creditur. Laire *Philippo Lavagnia* assignat; et convenit inscriptio alterius editionis infra a. 1474. f. 1472.

De ea Orland. p. 428. Maitt. p. 320, et Biblioth. Smith. p. D., secundum quos de ea egit de Bure n. 2664. Laire Ind. I, p. 291. Panzer. Annal. Vol. II, p. 13, 9. [add. Vol. IX, p. 339,

Digitized by Google

1277[b]. Dibdin bibl. Spencer. Vol. II. p. 467—69. Introduct. Vol. II. p. 534—36. Illud *B. H.* quod in fine praefat. fol. I. verso legitur, mirum in modum exagitavit bibliographos, sed incassum, vid. Ebert. Vol. II. p. 1037. n. 23640. Constat haec editio foliis 219 (40 lin.) et inde ab f. 182 recto carmina minora continet. Cf. Beloë anecdotes Vol. III. p. 230 — 32. Santander Vol. III. p. 443. Brunet Vol. III. p. 416. Moss Vol. II. p. 709 sq.] Hanc editionem, sed rarissimam, in primis cum vulgatis comparari vellem, quoniam *post Romanam Venetamque ab ipsis propriis Maronis exemplaribus, quae Romae in aede Divi Paulli reposita sunt, integrum, purum nitidumque opus hoc effluxisse* in subscriptione dicitur. Extat haec editio in copiis Com. de Reviczki, ad Comitem Spencer emtionis iure perlatis.

P. V. M. Opera — cum supplemento Maphaei Vegii — per Iacobum, Baptistam et Alexandrum Fivizani f. 1472.

Adduxerat hanc editionem in hominum notitiam *Laire* Ind. I, p. 292 [add. Panzer Vol. III. p. 94, 110.] tamquam Venetiis a Fivizanis curatam; sed in oppido Fivizani, ditionis Toscanae, haud longe a Lunae finibus, exaratam esse docuit *Fossi* Catal. Codd. biblioth. Magliab. Tom. II, p. 797 et inde Panzer. Vol. IV, p. 296, 1. [Foliis 170 (41 lin.) constat, et fol. ult. haec leguntur: „Sculpserunt docti manibus sed pectore firmo | Carmina virgilii vatis super aethera noti | Iacobus existens primus: baptista sacerdos | Atque allexander comites in vita benigni. | Qui fivizani vivunt super oppida digni M. CCCC. LXXII." Vidd. Santander Vol. III. p. 445. Brunet T. III. p. 416. Dibdin bibl. Spencer. Vol. V. p. 292. Introduct. Vol. II. p. 537. Moss Vol. II. p. 710 sq. Ebert Vol. II. p. 1037. n. 23642.]

Servium in Bucolica hoc anno laudat de Bure *Bibl. du Duc de la Vallière* P. I, T. II, p. 87, sed videtur esse fragmentum editionis integrioris.

[*P. V. M. Opera* et Catalecta cum Priapeiis. Mediolani per Anton. Zarotum cal. Decembris f. 1472.

Editio hactenus incognita, quae foliis 178 (40 lin.) constat et in membranis impressa servatur Romae in bibl. Corsini. Cf. Van Praet catal. Vol. II. p. 50. Dibdin Introduct. Vol. II. p. 537 sq. Ebert. Vol. II. p. 1037. n. 23641.

P. V. M. Opera et Catalecta.
s. l. et a. f. (circa a. 1472.)

Hanc eandem, ni fallor, his verbis designat Maittair. T. IV. p. 766. „Virg. opera et opuscula c. Priapeiis, cum signaturis tan-

Digitized by Google

tum," quae quidem verissima sunt. Constat foliis 233 (41 lin.) et typis, quos Romanos vulgo dicunt, iisque elegantissimis excusa est. Cf. Morelli bibl. Pinell. T. II. p. 386 sq. Brunet Vol. III. p. 417. Ebert Vol. II. p. 1037. n. 23643.]

1473.

P. V. M. Opera. Subiunguntur Aeneidi opuscula: Moretum. Priapeia. Copa — Culex. Dirae. Aetna. Ciris. Catalecton. [Fin. „*Presens hec Virgilii impressio poete clarissimi in alma urbe* Roma *facta est — non atramento plumali calamo. opus — consummatum per Udalricum Gallum et Simonem de Luca. Anno domini M. CCCC. LXXIII. Die vero IIII. mensis Novembris* etc. f. 1473.]

Haec iam paullo frequentior superioribus illis editio, nota etiam Fabricio. Memorat eam post Orlandum Maittair. T. I, pag. 326, de Bure *Bibliogr. instr.* n. 2665, apud quos subscriptam notam editoris vide; inprimis vero Audiffredi p. 137, qui eam *tertiam Romanam* appellat post primam et secundam 1469 et 1471. Praemittitur Vita Virgilii cum versibus etc., ut in Veneta 1472 factum memorabamus. V. Panzer. Vol. II, p. 440, 22. [Haec editio, quam minus recte superioribus frequentiorem dicit Heynius, foliis 170 (35 lin.) constat, ex libris vett. auctior atque emendatior prodiit teste Audiffredi l. l. Add. Santander Vol. III. p. 446 sq. Brunet Vol. III. p. 417. Dibdin bibl. Spencer. Vol. II. p. 475—77. Introduct. Vol. II. p. 539 sq. Moss Vol. II. p. 712 sq. Ebert Vol. II. p. 1037. sq. n. 23646.]

Aliam *Venetam* per *Leonardum Achaten* a. 1473 vid. ad a. 1472. nam videntur diversae esse, et altera repetitis operis esse expressa. Sic quoque statuere video virum sagacissimum, qui in hoc genere regnat Panzer. Vol. III, p. 97, 128. [Differt autem a priori a. 1472 (qu. vid.) eo, quod in subscriptione legitur: „Urbs Basilea mihi etc. Anno christi humanati M. CCCC. LXXIII. Venet. Duce Nicol. Marcel." Acc. deinde foliis 20 Catalecta Virgilii et fol. 196.: „Finis. MCCCC. LXXIII." Vidd. de Bure catal. Vol. II. p. 83. n. 2434. Santander Vol. III. p. 446. Brunet Vol. III. p. 417. Ebert Vol. II. p. 1037. n. 23644.]

P. V. M. Bucolica. Georgica. Aeneis. Fin. „Brixiae *expressa Maronis opera presbytero petro uilla iubente die vigessimo primo Aprilis MCCCCLXXIII.*" f. 1473

Erat ap. Com. Reviczki, nunc ap. Com. Spencer. v. Denis Supplem. p. 32. Harles brevior Notitia litt. Rom. p. 235. Panzer. Annal. Vol. I. pag. 243, 1. [Dibdin. bibl. Spencer. Vol.

Digitized by Google

II. p. 472—75. Introduct. Vol. II. p. 538 sq. Santander Vol. III. p. 446. Brunet Vol. III. p. 417. Boni lettere p. LXXXVI. Moss Vol. II. p. 712. Ebert Vol. II. p. 1037. n. 23645 all.] Est primus liber Brixiae prelo excusus [et foliis 173 (38 lin.) constat.]

1474.

P. V. M. Opera (cum Maphaei suppl., Copa, Moretum, Dirae, Epigrammata, Culex, Priapeia), Mediolani *impressum per Philippum de Lavagnia* [*MCDLXXIV die XIV. Iunii.*] f. 1474.

Eam memorat Orlandus p. 102. Maittaire T. I, p. 335. de Bure n. 2666. *Boninus Mombritius* eam curaverat. Fontanini *Hist. litt. Aquilei.* p. 40, qui Cirin abesse monet. Variantes lectiones ex ea excerptas praefixit editioni Lond. 1715 *Maittaire*, hinc eae translatae sunt in apparatum a Burmanno sub nomine *Edit. Mediol.* Panzer. Vol. II, p. 15, 21. [Santander Vol. III. p. 447. Brunet Vol. III. p. 417. Beloë anecdotes Vol. III. p. 234. Moss Vol. II. p. 713 sq. Ebert Vol II. p. 1038. n. 23647.]

1475.

P. V. M. Opera. Praecedunt: vita poetae variaque illi supposita opuscula [„*insignita per Nicolaum Ienson Gallicum. M. CCCC. LXXV.*“] Venetts f. 1475.

Memorat eam Orlandi p. 428 et 18, Maitt. T. I, p. 349, et ex eodem forte de Bure n. 2667. [Constat foliis 270 (34 lin.) et in membranis asservatur in bibl. Magniduc. Darmstad. Van Praet catal. Vol. II. p. 51. Add. Dibdin bibl. Spencer Vol. II. p. 480 sq. Introduct. Vol. II. p. 539 sq. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23649. Santander, Brunet, Moss l. l.] In hac edit. Cirin primum prodiisse Fontaninus *Hist. litt. Aquilei.* p. 40 memorat; non viderat adeo Romanam alteram; et ignorabat in hac Cirin iam esse vulgatam. Panzer. Vol. III, pag. 106, 182.

P. V. M. Opera cum Commentariis Servii. „Venetiis *per Iac. Rubeum natione Gallicum* [*anno Domini M. CCCC. LXXV. mense Ianuarii* etc.] f. 1475.

Maitt. T. I, p. 349, post Orlandum p. 27. Panzer. III, p. 110, 203. [Santander Vol. III. p. 455. Brunet Vol. III. p. 417 sq. Moss Vol. II. p. 716. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23651. Foliis 278 constat et] pro prima Servii editione falso olim, etiam a Fabricio, habebatur. Dicendum erat, esse primam Servii Maronis carminibus subiuncti. Est haec ea, quam nonnullis in locis excitavit Martyn ad Georgica, ut III, 25. 26. De Io. Rubeo (*de' Rossi*) vid. *Supplement à l' Histoire de l' Imprimerie de Prosper Marchand* 1775, 4. p. 185.

Digitized by Google

P. V. M. Opera — accedunt Copa. Moretum. Dirae. De est et non est. Vir bonus. de Rosis. Culex. Priapeia. Mediolani. „*diligenter impresa sunt ab Antonio Zarohto Parmensi*" 1475. octavo Kalen. Sextilibus f. 1475.

Denis Suppl. p. 700. et Panzer. Vol. II, p. 20, 45. [Constat foliis 123 (41 lin.) et inter rariores habetur. Cf. Santander Vol. III. p. 448. Brunet Vol. III. p. 417. Dibdin biblioth. Spencer. Vol. II. p. 481 sq. Moss Vol. II. p. 715 sq. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23650.]

Diversa a *Virgilii* editione Mediolanensi h. a. per Zarottum est editio *Servii* per eundem etiam *Mediolanensis* h. a.

Mauri Servii Honorati Commentarii in Bucolica, Georgica et Aeneidem Virgilii. Praecedit [sex foll.] vita Virgilii — [Fin.: „Anno a Natali christiano millesimo quadringetessimo septuagessimo quinto Kalendis decembribus Divo Galeacio maria sfortia vicecomite Mediolani duce quinto florente hoc opus non indiligenter est impressum."] [s. l.] f. 1475.

Est haec ea, de qua Maittaire memorat T. I, pag. 349. Denis Suppl. p. 57. et alii v. Panzer. Annal. Vol. II, p. 21, 48. Eadem occurrit in Biblioth. Smith. p. 439 sine nomine impressoris et in Biblioth. Harlei. Vol. I, p. 177. Nec alia est, quam Reviczki possidebat, etsi Virgilii opera cum Servio memorat p. 42. [Mediolani per Ant. Zarotum hanc edit. typis expressam esse omnes consentiunt. Constat foliis 317 et ex Valdarferiana a. 1471. descripta esse videtur. Cf. Ebert Vol. II. p. 772. n. 21037. Santander, Brunet et all. l. l.]

Hanc quoque necesse est esse eam, quam de Bure notavit in *Catalogue du Duc de la Vallière* P. I, T. II, p. 84 unde illa veniit 230 Libr. gall. a. 1784 et aliud exemplar L. 192. male prodita sub tit. Virgilii Opera cum Servii Commentariis. Adeo litteratores hi cupedinarii ne quidem primas saltem libri paginas inspicere solent.

Nuper innotuit per Morellium et per Fossium in Catal. codd. Saec. XV impress. in biblioth. Magliabech. T. II, p. 800 ed. Virgilii Mutinensis; unde repetiit notitiam Panzer. Vol. II, pag. 146, 1. et Vol. IV, p. 366, 1. cum notatione anni 1474. [sine dubio ex errore typographi.]

P. V. M. Opera — Subiiciuntur Copa. Moretum. Dirae. De est et non est. Vir bonus. de Rosis. Culex. Priapeia. „Mutine *Impressum per Magistrum Ioannem Vurster de campidona.* [Anno. D. M. cccc. lxxiiiii. die Vicesimatertia mensis Ianuarii."] f. 1475.

[Rarissima haec editio, quae foliis 221. (35. lin.) constat, servatur in biblioth. Reg. Dresdensi. Criticus eius usus exiguus

est, etsi bonae notae exemplaribus editorem usum fuisse pluribus ex locis satis apparet. Add. Tiraboschi bibliot. Modenese T. IV. p. 368. VI. p. 174 sq. Santander Vol. III. p. 449. Brunet Vol. III. p. 417. Dibdin. bibl. Spencer. Vol. II. p. 478—80. Moss Vol. II. p. 714 sq. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23648.]

P. V. M. Bucolica et Georgica per Ioannem de Paderborne in Westfalia. Louanii min. f. 1475.

Subscriptio in fine haec habetur: [*Praesens*] *Bucolicorum, Georgicorum et quorundam tractatulorum opus insigne Virgilii poetarum principis Ioannes de Paderborne in Westfalia alma in universitate Louaniensi residens suo proprio signo consignando feliciter consummavit anno incarnationis dominicae* 1475 *mensis novembris die vicesima nona.* v. ad a. sequ. (Nunc Panzer. Vol. I, p. 512, 8.)

1476.

P. V. M. Opera omnia et opuscula — diligenter emendata et accurate impressa sunt anno millesimo — XIII. Kalen. Octobres ab Antonio Zarotho Parmensi (Mediolani) s. l. f. 1476.

Maitt. T. I, pag. 366. Saxe p. 566. Est repetita anni superioris editio. Videtur et haec et illa ad exemplum Lavagnianae 1474 expressa esse. In utraque certe Ciris omissa. Fontanin. *Hist. litt. Aquilei.* pag. 40. Non diversam ab hac esse puto Mediolanensem a. 1475 cum Servio, quam de Bure notavit in *Catalogue du Duc de la Vallière* P. I, T. II, p. 84. [Add. Panzer Annal Vol. II. p. 24, 66. Brunet Vol. III. p. 418. Beloë anecd. Vol. III. p. 235. Moss Vol. II. p. 717. Ebert. Vol. II. p. 1038. n. 23653.]

P. V. M. Opera cum Catalectis et Priapeiis — Fin.: „*P. V. M. Opera foeliciter finiunt* Vincentiae *insignita per Ioannem de Vienna anno domini MCCCCLXXVI.*" f. 1476.

Maitt. ibid. post Orlandum p. 174, qui charactere nitidissimo expressam esse eam editionem testatur. Add. Panzer. Vol. III, p. 510, 19. [Faccioli p. 23. Brunet T. III. p. 418. Moss Vol. II. p. 717. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23654.]

Venetam huius anni laudat Martinus ad Georg. III, 468, quae forte eadem est cum Veneta superioris anni, aut repetita est hoc anno editio per Nic. Ienson. quod colligo e catalogo Constantiensi. Editionem eiusdem anni consuluisse fertur Cuninghamus, teste Edit. Edinburg. praef. Nec Panzero plura innotuere: Vol. III, p. 121, 263.

Virgilii Opera, (verius tantum *Aeneis* h. a.) Louanii *per Ioan. de Paderborne in Westfalia* f. 1476.

Digitized by Google

Hanc nusquam alibi laudari videram praeterquam in Biblioth. Harleiana T. I, pag. 176. Ab eo tempore notitia eius editionis plenior data est Programmate Academiae Kiloniensis 1785, unde discere licet anno superiore, 1475, prodiisse Bucolica et Georgica, (v. paullo ante) hoc anno Aeneidem per Ioannem de Paderborne in Westfalia *mensis Aprilis die octava:* fol. min. Exemplar utriusque codicis est in copiis librariis Christiani Professoris et Regi Daniae a Consil. Iustitiae. Audieram in bibliotheca Comitis de Thott Hauniae eandem editionem servari; ex eodem tamen Programmate didici haud vera mihi esse nuntiata: Vidi tamen postea in Catalogo biblioth. Thott. Tom. VII, p. 87. eam memoratam esse in recensu. Ceterum Georgicis subiecta sunt: *Copa. Est et Non est. De institutione boni viri. De rosis nascentibus. Moretum*, et in pag. extr. variantes lectiones nonnullae, de quibus editor adhuc ipse ambigebat. Similis pagina Aeneidi adiecta. In subscriptione ad calcem Aeneidis typographus narrat se inter versus spatium reliquisse glossulis inserendis — *non parva data opera ut eum* (poetam) *aliis emendatiorem et melius punctis distinctum redderem.* (Panzer Vol. I, p. 512, 10. et Vol. IV, p. 347, 10.) [Vol. I. (Buc. Georgg. et carmina quaedam V. minora cont.) foliis 65 (26 lin.) Vol. II. (Aeneis) foliis 186 constat. Cf. Santander Vol. III. p. 449—51. Brunet Vol. III. p. 418. Dibdin Introduct. Vol. II. p. 540. Moss. Vol. II. p. 716 sq. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23652.]

P. V. M. Aeneis cum Commento Italico. [In Vicencia per Hermanno Levilapide (Lichtenstein) de Colonia grande.] 4. 1476.

[Antiquissimam hanc versionis Virgilii Italicae editionem, de qua vidd. Paitoni bibliot. degli aut. ant. volgarizz. Vol. IV. p. 158—62. Ebert Vol. II. p. 1050 sq. n. 23669., minus recte hoc loco inseruit Heyn., textum latinum ea comprehendi opinatus.]

1478.

P. V. M. opera cum epistola Phil. Beroaldi. [Fin.: „*P. V. M. vatis eminentissimi volumina haec diligentissime castigata una cum vita eiusdem Parisiis impressa sunt per Magistrum Udalricum Gering anno salutis M. CCCC. LXXVIII. mense Septembris.*"] fol. min. 1478.

De Bure n. 2669 et ante eum praeter Orlandum Maittaire hanc editionem memoraverat T. I, p. 387. add. Laire Ind. I, p. 452. Panzer. Vol. II, 280, 55. [Chevillier hist. de l'orig. de l'Imprimerie p. 119 sq. Brunet Vol. III. p. 418. Dibdin Introduct. Vol. II. p. 540 sq. Moss Vol. II. p. 717 sq. Ebert Vol. II. p. 1038 sq. n. 23656.] Operam in emendando locaverat *Paullus*

Digitized by Google

Malleolus Prof. Eloqu. Paris., sed ob characteris deformitatem et immensam erratorum copiam ipse eam reprobaverat. Itaque mox a. 1498 nova editio Parisiis fuit adornata, de qua v. inf. h. a.

P. V. M. Opera. [Fin. „*Hoc P. V. M. Opus Dei auxilio et Alamanorum industria impressum est feliciter* Mediolani *impensis Magistrorum Leonardi Pachel de Engelstadt et Ulrici Scinzenzeler Anno MCCCCLXXVIII. tertio Idus Maii regnantibus*" etc.] f. 1478.

Saxe p. 569. Denis Suppl. p. 99. Panzer. Vol. II, p. 33, 124. [Brunet. Vol. III. p. 418. Ebert Vol. II. p. 1038. n. 23655.]

1479.

P. V. M. Opera — Sequuntur Copa. Moretum. Dirae. De est et non est. De Rosis. Culex. Priapeia. de Herculis laboribus. de littera y. de Fortuna. de Orpheo. *Impressum* Parmae *opera et impensis Andreae Portiliae Anno Domini* MCCCCLXXIX *Quarto Idus Maii.* f. 1479.

Orlandus p. 147. Maitt. T. I, p. 398. Affò p. 68. Panzer. Vol. II, p. 352, 13. [Brunet Vol. III. p. 418. Moss. Vol. II. p. 718. Ebert Vol. II. p. 1039. n. 23657.]

P. V. M. cum Servii commentariis. Sub finem praefat. Servii. „*Hoc opus exactissima cura et eruditione Ioannis Calphurnii viri doctissimi recognitum, Leonardus de Basilea* Vincentiae *diligentissime impressit Anno — MCCCCLXXIX.*" f. 1479.

Est ea, quam Maitt. T. I, p. 398 excitat. Certiora de ea tradere licuit, quum ea in bibliotheca praeclara Kulenkampi, Collegae servaretur, unde nunc in bibliothecam academicam est translata. Adhibita ea est a Burmanno in Catalectorum recensione. Convenit ad verbum et paginam cum ed. Ven. 1486, nisi quod minora carmina de alio exemplo sunt descripta. Praefixa est Io. Calphurnii epistola ad Hieronymum Portensem, ex qua patet, operam eius fuisse inprimis in Servio collocatam, quem *valde mendose factum, et a quodam eius temporis homine erudito ineptiis additis coinquinatum purgasse.* Videtur Venetam 1475 respicere. Erant ei duo exemplaria mirae vetustatis. Add. Panzer. Annal. Vol. III, p. 512, 33. [Brunet Vol. III. p. 419. Ebert Vol. II. p. 1039. n. 23658.]

1480.

P. V. M. cum Comment. Servii. „Venetiis *arte Petri Piasii Cremonensis Barthol. Blavii Alexandrini et Andreae Toresani de Asula* MCCCCLXXX *die prima August.*" f. 1480.

Digitized by Google

Maitt. T. I, p. 407. Orland. p. 32. Add. Panzer. Vol. III, p. 157, 453. Adhibita a Burmanno Sec. in Anthologia; ut adeo minora carmina eam complecti necesse sit.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii Mauri Honorati. Adest etiam vita poetae et l. XIII. Maphaei Vegii. [Fin. „*Omnia haec volumina — mira quadam arte ac diligentia impressa sunt* Venetiis *per Iacobum Rubeum natione Gallum Anno domini M.* CCCC. *LXXX. Mense Ianuarii.*"] f. 1480.

Denis Suppl. Vol. I. p. 125. Panzer Vol. III. p. 154, 437.

1481.

P. V. M. — volumina diligenter emendata. „*Haec impressa sunt per Antonium Zarotthum opera et impendio Iohannis Legnani. anno Domini MCCCCLXXXI. die XX. Ianuarii Finis.*" [s. l. (Mediolani)] f. 1481.

Maitt. T. I, P. II, p. 422. Panzer. Vol. II, p. 41, 182 repetita forte ex edit. 1475 aut 1476.

P. V. M. Opera et Opuscula cum Priapeiis. — „*Volumina haec summa cum cura emendata Leonardus Pachel una cum Udalricho Scinczenceller, eius socio, impressit anno Domini MCCCCLXXXI, IX Kal. Sept.*" Mediolani f. 1481.

Maitt. T. I, P. II, p. 422. Panzer. Vol. II, p. 43, 193. Venibat illa ap. Osborn. anno 1764. Martinus eam ad Georgica bis terve excitat; etiam Burmann. Sec. Anthol. Lat. T. I, pag. 99, sed anno 1480 praescripto. Est haec secunda editio; prior erat 1478 et aliae erunt inf. 1487. 1490.

1482.

P. V. M. Opera cum Servii Honorati Commentariis. Praecedit eiusdem poetae vita. „Venetiis *impressa per Magistrum Renaldum de Noviomagio theotonicum Anno Domini Millesimo* CCCC. *LXXXII. Die XXVII. Septembris.* Venetiis f. 1482.

Orland. p. 31. Maitt. T. I, P. II, p. 432, et iam Fabric. B. L. pag. 208. Servatur in bibliotheca Soc. Lat. Ienens. Subiecta habet Catalecta et Maphaei lib. XIII. Sequi eam lectionem vulgatam superiorum editionum deprehendi in iis, quae inspexi et comparavi. v. Panzer. Vol. III, p. 179, 595. [Ebert Vol. II. p. 1039. n. 23660.]

P. V. M. Opera et Opuscula — „*Volumina haec summa cum diligentia emendata* Mediolani *Antonius Zarothus imprimi curavit impendio Johannis Legnani anno Domini* M*CCCCLXXXII, octavo Kal. Maias*" f. 1482.

Digitized by Google

Maitt. ibid. p. 435. Saxe p. 577. Panzer. Vol. II, p. 44, 205. Est tertia Zarotti. Nil in ea factum videtur, quam ut editionis superioris anni exemplar exscriberetur. Vix assequi licet, quo emtorum studio in eadem urbe intra duo annos ter flagitari potuerit Virgilius.

P. V. M. — Bucolicon liber ad C. Asinium Pollionem — Ge. Aen. — Adhaerent et Opuscula. [„Impressa sunt haec M. opera] Regii *Lepidi cura et impensis Alberti de Mazalibus Regiensis* [*Anno salutis M.* CCCC. *LXXXII, X. Kale. Aprilis.*"] f. 1482.

Denis Suppl. p. 160. Reviczki Suppl. p. 11. Panzer. Vol. II, p. 393, 5. [Moss Vol. II. p. 718. Ebert Vol. II. p. 1039. n. 23659.]

P. V. M. Opera c. comment. Servii. [Fin. „*impressum anno M. CCCCLXXXII. die* 13. *novembris.*"] f. 1482.

Sine loci nota. Panzer. Vol. IV, p. 28, 206.

1483.

P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Comment. Servii, et eiusdem Opuscula cum enarrationibus Domitii Calderini; *P. V. Maronis ad Priapum, et Priapeia cum aliis:* „*impressum die XV. Decembris* Venetiis *per Baptistam de Tortis.*" f. 1483.

Maitt. ibid. p. 445. Typographum adscripsi e Catalogo Io. de Neaulme. In hac editione Domitii enarratio primo occurrit, in Opusc. min. scilicet: ad Culicem, Cirin et alia. (Panzer Annal. III, p. 197, 714.)

1484.

P. V. M. cum Servii Commentariis. „*Impressum* Venetiis *per Tomam de Alexandria MCCCCLXXXIIII. die XXIV. Dec.*" f. 1484.

Maitt. ibid. pag. 459. Servatur in Biblioth. Gotting. ex biblioth. Thomasiana. Nihil eam a vulgari ceterarum editionum cum Servio lectione recedere vidi. Subiecta sunt carmina minora. (Panzer. III, p. 206, 769. IV, p. 436, 76.)

P. V. M. Opera. Fin. „*Volumina haec una cum Servii commentariis* — Brixiae *impressa sunt per Boninum de Boninis de Raguxia Octobris die VII*" f. 1484.

[Maitt. p. 459. not. 4.] Panzer. Vol. I, p. 245 sq. 19.

1485.

P. V. M. Opera (etiam Carmina minora) *cum Commentar. Servii.* „*Impressum* Brixiae *per Iacobum Britannicum Brixianum MCCCCLXXXV. die XXII. Augusti* f. 1485.

Digitized by Google

Denis Suppl. p. 206. Panzer. Vol. I, p. 247, 31. qui me docuit duas esse huius anni Brixianas. [Minime. cf. Engel bibl. select. p. 163. de Bure catal. Vol. II. p. 84. sed alterius Brixiensis nulla usquam iniicitur mentio.] B. G. Eandem Burmannus Sec. praef. ad Virgil. laudat, ex cuius bibliotheca in nostram academicam migravit. Convenit cum ceteris, inprimis Venetis, quae Servium habent. Haec est illa, quam ex le Long. Maittairius memorabat T. I, p. 459.

An editio Florentina 1485 prodierit, v. ad a. 1487.

1486.

P. V. M. Opera (cum lib. XIII. Aen. et Opusculis, inter quae et *Ciris*) *cum Comment. Servii et Vita Virgilii, per Antonium Bartholomei, impressorum discipulum, mense Octobris.* Venetiis f. 1486.

Maitt. pag. 474. Orland. pag. 25. Fontanini *Hist. litt. Aquilei.* p. 40. Gözius in *Memorab. Bibl. Dresd.* T. II, n. 228. Museum Britannic. et Biblioth. Gotting. add. Panzer. Vol. III, p. 236, 959. Fossi p. 805. Annum 1476 Martinus ad Georg. III, 288, ubi lectionem eius auctoritate confirmat, memorat, sed vitiose, ut apparet. Descripsit eam copiose Eckhardus Gymnasii Isenacensis director (*Nachrichten von seltnen Büchern der Bibliothek des Gymnasii* p. 144). Est ea sane ex nitidissimis; verum ad verbum et ad paginam expressa est ex edit. Vicentina 1479.

Hoc a. 1486 primo prodiisse asserueram

Pomponii Sabini opus in Virgilium, editum per Dan. Gaitanum Cremonae:

Nunc video me praefationis subscriptioni temere nimium tribuisse. Vide a. sequ.

1487.

Pomponii doctissimi viri interpretatio in Aeneide Virgilii — Fin. „*Impressum* Brixe *per Boninus de Bonivis de Ragusia anno X.* M. CCCC. XLXXX. (sic) *die V. mensis Februarii.*" Acc. *Pomponii grammatici eruditissimi in Culicem Commentarium:* quod sequuntur Commentaria in alia eiusmodi poematia Virgilio tributa; cum Comment. in opus Bucolicorum, ac postremo in opus Georgicorum — Fin. „*Impressum* Brixiae *per Boninum de Boninis de Ragusiae M. CCCC. LXXX. VII. die XVIII. mensis Februarii*" f. 1487.

Audiffredi Specim. edd. Ital. p. 157. Fossi Catal. biblioth. Magliabech. T. III, p. 95. Panzer. Vol. IV, p. 257, 46.

Digitized by Google

Iidem commentarii repetiti a Iunta a. 1519. 1536, et ap. Oporinum 1544, inserti quoque editioni Basil. Henricop. 1561. Lucii 1613. Mediarum aetatum Grammaticum perperam eum esse habitum, bene docuit P. Burmannus Secundus in praefat. ad Virgil.; esse autem eum eundem cum Pomponio Laeto (de quo sup. egimus p. 638) Vossius subodoratus est de Histor. Lat. p. 191, ex praefatione Gaitani ad Petrum Mannam datam ex urbe Cremona pridie Kal. Ian. 1486. repetita in edit. Oporina; eique debent iudicium suum in hac caussa alii viri docti, Niceronius, et Auctor Obss. in Vossium (in *Giornale de' Letterati d' Italia* T. XXII, p. 366, recoctae hinc adiecto auctoris Apostoli Zeni nomine in *Dissertationi Vossiane*) etiam Fabric. in Biblioth. medii aevi. Accedit, quod Pomponius Laetus in Epistola ad Augustinum Maffeum (in eius Opp. sub fin.) conqueritur de Glossulis in Virgilium sibi suppositis; *si glossulas*, inquit, *in Virgilium legeris sub titulo meo, oro ne fidem praestes; neque temerarius sum, neque audax, neque eam expositionem unquam tentavi; ille quisquis est, qui falsum epigramma posuit, sentiet quid profuerit, me tanto mendacio provocasse.* Est itaque statuendum, has glossulas esse eadem commentaria Sabini; mirum vero, Gaitanum illum tantum audaciae habuisse, ut vivente Laeto, qui 1498 decessit, eius opus e suis schedis ederet: nisi ex Laeti praelectione illa fuere excepta. Si tamen hoc ita se habet, ex ipsa Laeti professione intelligitur, eum auctorem commentariorum horum nec fuisse nec haberi voluisse. Neque ipsum commentandi genus a Pomponio Laeto alias frequentatum vidimus. Occurrunt praeterea nonnulla, quae in eum vix cadere videntur, ut Iter in Scythiam, quod aliquoties commemoratur in Commentariis, v. c. in Ge. pag. 51 ed. Oporin. pag. 59 de fibris: *Haec*, inquit, *antiqui scribunt, et nos in Scythia animal vidimus, et Itinerario nostro descripsimus;* et in Culic. p. 582 apud Sarmatas et Scythas e viscinis fieri vinum narrat admixto melle: *quod ego in Scythia saepissime bibi;* paullo ante in Germania *se vidisse* ait *platanos aerias et opacas.* Add. p. 75. 76. 176. 184, ubi Ugros [incolas, ni fallor, illius regionis, quae nunc ab Uckera flumine marchia Uckerana dicitur] memorat, 197. 198. 236 *). Scripsisse se in Tacitum, Livium, Silium Italicum

*) [Quisquis ille fuerit commentariorum in Virg. auctor, qui Pomponii Sabini s. Laeti nomine latet, ex accurata Sarmatiae et Scythiae (Europae septentrionalis) descriptione, has regiones eum peragrasse atque in singula incolarum instituta, consuetudines vivendique rationem curiosius inquisivisse luculenter apparet. Ex Italis autem, qui seculo XV. in illas regiones iter fecerunt, tres tantummodo nobis innotuerunt, de quibus, an commentarios hosce conscripserint, iure ambigitur. Chph. Fioravanti et Nic. de Michieli, patria Veneti, quum m. Nov. 1431 ad oram septentrio-

Digitized by Google

aliosque passim memorat: Sallustii non meminit, cuius tamen recensio a Laeto facta inprimis celebritatem habuit. Ceterum tota interpretatio, in Aeneidem saltem, maximam partem ex Servio concinnata est, quem auctor interdum locupletiorem habuisse videtur, uti etiam Probum in Bucolica. Inserta quoque passim loca ex Dionysio Halic., Diodoro et Strabone, latine versa; haud raro nullo auctoris nomine apposito, uti et e Plinio multa intulit; et omnino multa doctrinae pro iis temporibus reconditae vestigia animadvertere licet. Atqui Laetum nec graeca calluisse, nec, praeter latinas, alias litteras tenuisse satis constat: ut adeo is pro commentariorum horum auctore nullo modo haberi posse videatur. Manet itaque res multis adhuc difficultatibus implicita, quas bene vidit doctiss. Saxius Onomast. litt. T. II, p. 491. Laudari in iis Commentariis lectionem Aproniam atque etiam Apronianum, supra vidimus p. 608 sq. Interea mirari licet, non saepius eos in sequioribus Virgilii editionibus esse repetitos; in iisdem quidem, qui variorum operas recoxerunt, melius suum locum tuitus esset Pomponius, quam viceni alii Commentatores.

P. V. M. Opera cum Commentariis Servii Mauri Honorati et Christophori Landini. (Adiuncta quoque sunt carmina minora, ultimo loco Moretum. In Aeneide quoque epitome Donati est inserta de qua v. mox sub 1489.) „Florentiae *impressum XV. calen. aprilis* 1487.“ f. 1487.

Maitt. p. 486. Orlandus p. 136. Bure *Bibl. du Duc de la Vallière* T. II, p. 85, 2439. omnes parum accurate. Melius Audiffredi Specim. p. 304. Fossi p. 806. Panzer. Vol. I, p. 414, 89. Fontaninus *Hist. litt. Aquilei.* p. 40, 1485 Florentiae *per Chph. Landinum* curatam Virgilii editionem memorat, cui Ciris esset inserta. Errorem numeri notati esse mihi nunc probabile fit. Huius editionis suspicor repetitionem esse editionem per Ligam Boariam s. a. de qua v. inf. inter edd. s. a. pag. 665.

P. V. M. cum Servii commentariis. Carmina minora, Venetiis *per Baptistam de Tortis MCCCCLXXXVII. die XXIII Maii* f. 1487.

(Biblioth. Acad. Gotting.) repetitio, ut probabile fit, editionis 1483, sine Domitii tamen commento. (Panzer. Vol. III, p. 242, 996.)

---

nalem Norvegiae naufragium fecissent, Norvegiam, Sueciam atque inde Rostochium transvecti Germaniam obierunt, et m. Oct. 1432. Venetias reversi itinerarium perscripserunt, quod vid. ap. Ramusio delle navigationi et viaggi T. II. f. 199—211. Megiser septentr. norantiqu. p. 178—342. Add. Forster Schiff. u. Entdeck. p. 250—275. De Ambrosio Contareno autem, qui a. 1473 legatus reipublicae Venetae ad regem Persarum missus per Germaniam, Poloniam et Russiam iter fecit pauca cognita habemus.]

P. V. M. Opera cum Servii commentario. [Fin.: „*Impressum*] Venetiis *per Bernardinum Benalium* [1487. *die XXII. Augusti.*"] f. 1487.

Ex biblioth. Roloff. p. 65. Panzer. Annal. Vol. III, p. 243, 1005.

P. V. M. Opera c. comment. Servii. [Praeit *vita Virgilii.* Fin.: „Impressum] Mediolani *per Leonardum Pachel et Uldericum Scinzenzeller MCCCCLXXXVII.*" f. 1487.

Post Sax. p. 583. Denis Supplem. p. 237. Mittarell. Biblioth. S. Michaelis p. 476. Panzer. Annal. Vol. II, p. 55, 282. Vid. ante ad 1481.

1488.

P. V. M. Bucolica: Daventriae 4. 1488.

Fabric. B. Lat. Vol. II, p. 231. [Vol. I. p. 310. Ern.] Notiores sunt edd. cum Com. Torrentini 1492. 1494. 96. 98. Videtur ad eandem officinam spectare: *Moretum. Vir bonus. De Rosa. De Vino et Venere. Daventriae* in officina Alberti Pafraet [circa ann. 1500.] f. a. 4.

Crevenna *Catalogue* Vol. III, P. I, p. 199. [Ebert l. l. Vol. II. p. 1040. n. 23754.]

Et *Bucolica cum Georgicis* per Richardum Pafraet *Daventriae* 1489 habet Bibliotheca Academica nostra. Eadem aliquoties repetita, ut a. 1496. 1498. 1500.

Virgilii opera (et Carmina minora) *cum Servii Commentariis;* ad cuius calcem legitur: „*Impressum hoc opus* Venetiis *per magistrum Andream de palthascichis Catarensem M. CCCC. LXXXVIII. Kal. Septē.*" f. 1488.

Biblioth. Acad. Gotting., item Biblioth. Regia Dresd. Est eadem, de qua Maitt. p. 781, et Indicis App. p. 560 nullo typographi nomine addito. Convenit illa cum Veneta 1487. Subiecta quoque Carmina minora. Add. Panzer. Annal. Vol. III, p. 251, 1068. [Ebert all.]

1489.

P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini; Vegii lib. XIII Aen. Catalecta, [Priapeia et carmina minora] cum Comment. Calderini, „Venetiis *a Georgio Arrivabeno Impressa. Anno — M. CCCC. LXXXIX. Quinto Kalendas Quintiles.*" f. 1489.

Maitt. ibid. p. 508. Orland. p. 47. Panzer. Vol. III, p. 274, 1215. [et Vol. IX. p. 290, 1215. Ebert Vol. II. p. 1039. n. 23662.] Credideram in hac editione Donati commentarios, inepti hominis opus, cum totus in eo sit, ut poetam ad rhetorica praecepta exigat, primum in lucem exiisse, sed, ut ex ipsius Landini professione intelligitur, in epitomen ab ipso con-

Digitized by Google

tractos; Nam et huius viri docti commentum in hac editione reperio. Nunc autem video praecessisse iam editionem Florentinam 1487. ad quam vide. Plenior Donatus prodiit 1535. et 1551. Ceterum ab hoc inde tempore *genus editionum* procedere videas *cum Landini commentariis*, adiectis mox *Mancinelli in Bucolica et Georgica commentariis*, qui 1490 *primum* prodiere, tandem etiam *annotationes Beroaldi* et copiosiores *Badii Ascensii* accessere. In his adeo semper idem fere contextum poetae repetitum est.

P. V. M. Opera; a paulo adelocen: exactissime emendat. parisiisque in vico sorbonico impress. MCCCCLXXXIX, XII Cal. Decemb. Parisiis 4. 1489.

Maitt. ibid. p. 509. Panzer. Vol. II, p. 292, 171. cf. ad 1494.

Phil. Beroaldi Bononiensis *Annotationes in Comment. Servii, Virgiliani Commentatoris,* Florentiae *impr. Ant. Mischominus* 4. 1489.

Ad an. 1488. retulit Maittaire p. 781. Sed v. Audiffredi Specimen p. 313 et Panzer. Vol. I, p. 415, 104.

1490.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini. Mediolani *per Ulderícum Scinzenzelier MCCCCXC.* f. 1490.

Orland. p. 105. Maitt. ibid. p. 521. Panzer. Vol. II, p. 62, 335. Vid. sup. ad a. 1481.

P. V. M. Bucolica et Georgica cum Commentariis Antonii Mancinelli Veliterni. — [*„Impressum est opus* Romae *summa diligentia*] *per Eucharium Silber alias Franck.* [*absolutumque die vicesima Octobris Anno domini MCCCCXC.*"] f. 1490.

Maitt. ibid. p. 524. Audiffredi Catal. Edd. Rom. p. 297. Quantopere litterarum studia apud Romanos per sequentes aetates refrixerint, discas vel ex hoc, quod, cum antea non nisi tres edd. Romae prodierint. 1469. 1471. 1473. ab hac inde editione, anni 1490. per saec. XVI et XVII vix una facta est alia Romae Virgilii editio. Panzer. Annal. II, p. 499, 459.

1491.

P. V. M. cum Servii, Donati, Landini atque Calderini commentariis. „Impensis atque diligentiori cura Lazari de Saviliano impressa Venetiis *Anno* etc." f. 1491.

Maitt. ibid. p. 533. Orland. p. 50. Biblioth. Schwarz. P. II, n. 530. Schnitzer *Neustadt an der Asch Kirchenbibl.* III, p. 45. Panzer. Vol. III, p. 307, 1430.

Digitized by Google

Alia huius anni *cum Comment. Servii et in minora poematia Domitii Calderini: praemissa est praefatio Chph. Landini, Venetiis per Bartholomeum de Zanis de Portesio:* Catal. Biblioth. Reg. Paris. p. 1. n. 817. add. Denis Supplem. p. 318. Panzer. Vol. III, p. 303, 1404. Repetita est haec editio 1493. 94. 95. 1505.

Est *tertia* a. 1491. *Vergilius cum quinque Commentis* — „Venetiis *per Philippum pintium* [*Impressi Anno*" etc.] De hac vid. laudd. a Panzer. Annal. Vol. III, p. 307, 1425. [Ebert. Vol. II. p. 1039. n. 23663.] Quinque illa Commenta, saepius hinc repetita, sunt *Servii*, *Donati*, *Landini*, *Mancinelli*, *Domitii Calderini.* Atque haec est illa, non ed. 1492 ut putabam, quae ordinem ducit editionum cum quinque Commentis. cf. ad 1489.

1492.

P. V. M. cum comment. Donati, Landini et Servii. „Venetiis *impensis Francisci de Gerardenghis de Papia, labore et industria Ant. Lambillionis MCCCCLXXXXII. Non. Nov.*" f. 1492.

Orland. p. 51. Maitt. ibid. p. 545. Panzer. III, p. 325, 1568.

Alia Veneta 1492 cum quinque Commentis extat, cuius exemplum in bibliotheca Erlangensi Academica servari narrat Harles. V. C., typographi nomine non memorato; Esse eandem cum edit. [Pintiana] 1491. probabile facit Panzer. III, p. 307, 1425 et p. 329, 1593. utraque repetita, quantum intelligo, ex Veneta 1489.

Editionem *Venetam* huius anni et alteram 1497 *in secundam Donati editionem* memorat Fabricius B. L. p. 208, sed in eo fallitur vir doctiss., dum haec ad Virgilium refert: sunt enim Commentaria, quae sub Servii nomine feruntur, in secundam Donati Artem seu editionem, quae etiam in Putschii vett. Grammaticis habentur.

P. V. M. [*Opera*] (et Carmina minora) *cum comment. Servii, Donati, Landini et Calderini.* [„Nurnberge *impressa*] *impensis Anthonii Koberger* [Anno xpi. MCCCCXCII." etc.] f. 1492.

Satis frequens Editio, de qua v. Maitt. ib. p. 546. Orland. p. 141, et Eckhard loco sup. laud. p. 158. Panzer. Annal. II, p. 210, 208 et in *Aelteste Buchdruckergeschichte Nürnbergs* p. 24. Servatur eadem in Biblioth. Acad. Gotting. [et in Reg. Dresd.] Est mera repetitio Venetae 1489. cum Landini commento.

P. V. M. cum variorum commentariis Lipsiae [per Mart. Landsberg de Herbipoli?] f. 1492.

Panzer. Annal. Vol. I. p. 478, 46.

Digitized by Google

P. V. M. Bucolica. Daventriae 4. 1492.

(Vid. sup. ad a. 1488) Orlandi p. 429. Maitt. T. I, p. 786, et Ind. App. p. 560. Panzer. I, p. 360, 64.

1493.

P. V. M. opera cum commentariis quinque — „*Impressum* Venetiis *per Bartholomeum de Zanis de Portesio.* [*Sub anno domini M. CCCC. XCIII. die Ultimo Iulii.*"] f. 1493.

V. laudd. Panzer. Annal. Vol. III, p. 339, 1670 et Fossi p. 807—9. Est repetitio a. 1491.

1494.

P. V. M. cum comment. Servii. „Venetiis *per Damianum de Mediolano MCCCCXCIV die XV. Iunii.*" f. 1494.

Maitt. T. I, p. 575. Orland. p. 54. Panzer. III, p. 361, 1843.

P. V. M. Opera cum commentariis P. Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati et Domitii, cum Catalectis. „Venetiis 1494 *die ultimo Septembris*" (s. n. typogr.) f. 1494.

Laudatur a de Bure *Biblioth. du Duc de la Vallière* P. I, T. II, p. 85, typographi nomine non apposito; alios v. in Panzer. Annal. III, p. 365, 1881.

Ab hac editione diversa est alia h. a. similis apparatus:

Virgilius cum commentariis quinque — Catalecta c. Domitii Calderini Comment. „Venetiis *per Bartolomeum de Zanis de Portesio. Sub anno domini M.* CCCC. *CXIIII.* (leg. XCIIII) *die Octavo Octobris*" f. 1494.

Panzer. Annal. Vol. III, p. 355, 1803. Extat in biblioth. Gotting. ex bibliotheca Daviana in eam illata. Est ed. rep. anni 1491 et 1492.

Parisinam in 4to editionem huius anni laudat aliquoties Martinus ad Georgica III, 256. 435. IV, 391. Est ea sine dubio *Georgicorum* tantum; uti alia 1495 octonis (s. quaternis minoris formae) laudatur a Martino ad Ge. III, 468. *Bucolica cum commento familiari* Paris. 1495 memorari video in Bibl. Harleiana T. I, p. 177. Scilicet ab hoc inde tempore saepius repetita carmina Virgiliana modo seorsum, modo coniunctim, Parisiis; nullum ad criticum usum.

P. V. M. Bucolica cum comment. per Iacobum de Breda. Daventriae f. 1494.

Orland. p. 150. Maitt. ibid. vide ad a. 1488. Commentum hoc *Herm. Torrentini* est; quod, quamvis ieiunum et ineptum, saepius ab hoc inde tempore repetitum per Arnoldum de Colonia et alios. Etiam *Georgica* c. commentario *Hermanni Torrentini*

Digitized by Google

paullo post prodiere *Daventriae* 1496. 4. Saepius repetitum utrumque opus. Nihil tamen valde fructuosum ex his edd. exspectare licet.

P. V. M. libri Georgicorum. [*Impressum* Lyptzk (Lipsiae) *per Arnoldum de Colonia Anno gratie* etc. 4. 1494.

Annal. Typogr. Lips. et iam Fabric. B. L. T. II, p. 234. [T. I. p. 314. Ern.] Panzer. Annal. I, p. 481, 75. Est *Aeneis* ibid. eod. a. (Panzer. ibid. n. 76) et *Bucolica* 1495 (Panzer. ibid. p. 484, 100.)

1495.

P. V. M. Opera cum commentariis quinque, viz. Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii: Impress. Venetiis *per Bartholomeum de Zannis de Portesio. Sub anno Domini* 1495. *die octavo Augusti* f. 1495.

Maitt. p. 595. Rossi p. 72. Panzer. Vol. III, p. 374, 1939. Bibl. Gott.

Est etiam huius anni Editio Pinciana: *Virgilius cum commentariis quinque: videlicet Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. Servii item errores suo loco castigati.* Acc. Carmina minora. „Venetiis *a Philippo Pincio Mantuano Anno domini MCCCCXCV die octava Augusti. cum privilegio ne quis audeat imprimere usque ad annos decem sub poena in eo contenta*" f. 1495.

(B. A. G.) Sane et haec et illa prior Veneta repetitiones merae sunt duarum Venetarum 1491. Pinciana autem mox aliquoties repetita: 1499. 1505. (Panzer. III, p. 376, 1952.)

[*P. V. M. Bucolica, Georgica et Aen. libri duodecim.* — Fin. „*Impressum Heydelberge per Henricū Knoblotzer. Anno gratie. M. CCCC. XCV.*" 4. 1495.

Haec editio litteris gothicis, quas dicunt, expressa nitidissima est, et paucis hucusque cognita inter rariores habetur. Cf. (Strauss) opera rariora biblioth. Rebdorf. p. 276. n. 36. Panzer. Annal. Vol. I, p. 459, 11.

Bucolica cum commento Herm. Torrentini hoc anno prodiere Lips. per Arnoldum de Colonia 4 foll. 22. Denis Suppl. p. 400. Panzer. Vol. I, p. 484, 100.]

Georgica Parisiis anno 1495 octonis [s. quat. min.] expressa; unde Panzer. II, p. 310, 364. Alia ibid. Vol. IV, p. 287, 106. v. sup. ad a. 1494, [eadem cum comm. novo Herm. Torrentini Colon. per H. Quentell 1495. 4. Panzer. Vol. I, p. 311, 251] et Daventriae [per Richard. Paffroed] 1496. Panzer. Vol. I, p. 364, 106. v. ad a. 1494. cf. Denis Suppl. p. 400.

Digitized by Google

1497.

Vergilius cum commentariis quinque, vid. Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. „*Impressum* Venetiis *per Simonem papiensem dictum Bevilaqua.* [*Anno a nativitate Dni. M. CCCC. LXXXXVII.*] *die XX. Febru.*" f. 1497.

Denis Suppl. p. 436. et iam Maitt. p. 655. [Editio ad Venetam anni 1494 accurate expressa.] Panzer. III, p. 412, 2198.

[*Bucolica Virgilii.* Fin. *Impressi per Georium poetticher Anno salutis* 97. (Lipsiae) 4. 1497.

Char. goth. cum signat. foliis 23 constat. Cf. Panzer Annal. Vol. IX, p. 237, 152b.]

De *Servii Commentariis iuxta secundam Donati editionem* Venet. ap. Simonem Papiam f. 1497 expressis, et ex Maittario T. I, p. 655 atque Fabricio B. L. p. 208 [Vol. I. p. 319 sqq. Ern.] memoratis, supra ad a. 1492 diximus.

1498.

P. V. M. Opus per Paulum Malleolum Andelacensem iterata diligentia plane recognitum; fin.: „Parisiis *per Udalricum Gering. et Bertholdum Rembolt socios in vico Sorbon. quam tersissime impressum* 1498. 9 *Calend. Iulii.* f. min. 1498.

Maitt. p. 662. Orland. p. 87. Panzer. Vol. II, p. 319, 447. Ex Paris. 1478 et 1489 expressum, sed emendatius. In Epistola praefixa P. Malleolus cum de aliis typographorum multorum fraudibus queritur, tum de nonnullis praevaricatoribus chalcographis — qui *ut numerum augerent interpretum, nec tamen plus assumerent papyri, Ant. Mancinellum in Bucolica Georgicaque adiicientes, et Servium, et Donatum, et Landinum, probatissimos interpretes, per universum opus laceros, mancos et exanimes, reddiderunt.* ap. Maitt. T. I, p. 60. 61. Haec quorsum pertineant, non facile est dicere; forte tamen ad Venetam 1495 referenda.

Georgica et Bucolica cum novo commento Hermanni Torrentini (Daventriae per Rich. Pafraet) 4. 1498. 1499.

Biblioth. Gott. Acad. v. Panzer. Annal. I, p. 365, 120. 121. IV, p. 288, 121b. vid. ad an. 1488. 1494.

P. V. M. Georgica. Lyptzk *per Baccalarium Wolfgangum Monacensem* 4. 1498.

Denis Suppl. p. 457. Panzer. Vol. I, p. 490, 166.

1499.

P. V. M. cum comment. quinque Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. Servii item errores suis locis annotati a Philippo Pincio Mantuano. Venetiis f. 1499.

Digitized by Google

Orland. pag. 50. Maitt. p. 688. Alii ap. Panzer. Vol. III, p. 457, 2500. Multi passim hanc edit. Pincianam memorant, et satis obvia ea est; ducta illa ex edit. Pincii 1495. Est eadem porro recusa 1505.

P. V. M. Opera cum Commentar. Servii, Donati, Chph. Landini [*Ant. Manzinelli et Domitii.*] Venetiis *Iacobus Zacchius* [Minime. Fin.: „*Impressum per Iacobum Zachon pedemontanum Venetiis charactere. Sub anno domini* 1499. *Die* 9. *decembris.*" (Lugduni)] f. 1499.

[Editio olim dubia.] Tantum ex Maittaire p. 688 innotuit, nec aliam norat fidem Panzer. [qui quum] Vol. I, p. 556, 224. [Lugduni potius per Iac. Zachonem eam excusam esse coniiceret, pro certo id ipsum confirmavit Vol. IX, p. 249, 224.]

P. V. M. aliquot opuscula [Vir bonus, est et non etc.] „In [sancta] Colonia [opera et impensis Henr. Quentell — anno virginei partus ante iubileum centesimum." 4.] 1499.

Denis Supplem. p. 477. Panzer. Vol. I, p. 320, 328. v. ad a. 1501.

Ibid. *Bucolica et Georgica;* [cum commento famil. Herm. Torrentini. Apud eund. „Anno virginei partus proximo ante iubileum centenarium felici metha quievit." 4. 1499.] v. laudd. [327. et Vol. IX, p. 225, 327 et 327b.]

1500.

V. cum Commentariis quinque. „Venetiis *a Lucantonio Florentino. Anno domini M. CCCCC. die XXVII. Augusti Cum privilegio* ne quis" etc. f. 1500.

(Panzer. Vol. III, p. 478, 2654. Totus liber ad verbum, et cum ipso titulo, expressus ex Pinciana 1495. Servatur exemplum in re libraria Gymnasii Arnstadiensis, unde descriptionem diligentiorem mecum communicavit Lindnerus, vir doctiss. Gymnasii Rector. [Aliud exempl. extat in bibl. Reg. Dresd.] Lucantonius debet esse Lucas Antonius Iunta, a quo editiones cum variorum commentariis 1519 et sqq. annis aliquot Venetiis sunt excusae.) [Sane; sed huius edit. non meminit celeb. Bandini de Florent. Iuntarum typographia P. I. p. 4 sqq.]

P. V. M. Bucolica et Georgica cum Comment. Servii et Iod. Badii Ascensii. Lutetiae *Iohann Petit* f. 1500.

(Hinc Panzer. Vol. II, 335, 613.)

P. V. M. Aeneis cum Servii Comment. Phil. Beroaldi annotat. — Donati enodat. Iod. Badii Ascensii elucidatione atque ordinis contextu — a Thielmanno Kerner compressa. Venundantur Parisiis *a Ioanne Parvo.* f. 1500.

Vid. Maitt. p. 713, ubi inscriptio libri verbosissima expressa est. Bucolicorum editionem non memorat, quam Aeneis se-

quuta est. Anno sequenti etiam *Culex cum reliquis Poematiis* prelo eodem exiit, atque haec est *prima Ascensiana*, quam tot aliae sequutae sunt. *Universa Virgilii carmina huius anni cum Comment. Servii apud Io. Parvum et Io. de Confluentia*, Orlandus p. 96 memorat. (Panzer. Vol. II, p. 333, 595.)

P. V. M. Opera Nic. Erythraei opera restituta additis eiusdem scholiis. 8. 1500. *per Franc. Rampazetum.* Memoratur in Cat. Biblioth. R. Paris. n. 818. Esset haec itaque *prima Erythraeana* saepius deinceps repetita, sed non nisi medio saec. XVI (1539. 1555 al.). [Atqui catalogi istius auctoritate Heynium nostrum multosque alios in tantum errorem abductos esse, iure mireris. Pro a. 1500 legendum 1560 s. 1565 vid. paullo post p. 671.] Erythraei industria, etiam Henr. Stephano in praef. damnata, fere intra subtilitates grammaticas et rhetoricas substitit. Index nullo plane consilio ac iudicio confectus est.

Hoc anno *Herm. Torrentini Commentarium Coloniae* typis excusum fuisse, apud Fabricium B. L. T. I, p. 213 memorari video. (in Bucolica et Georgica. Denis Supplem. p. 477) cf. ad 1494, et *Georgica* cum eius Commentario Daventriae v. sup. ad e. a. etiam Opuscula (Denis Supplem. ibid.)

✤ ✤

Subiiciemus nonnullas edd. huius saeculi sine temporis aut loci notatione excusas: de quibus tamen non sine cautione pronuntiare licet; quandoquidem plerumque extrema pagina et indicibus destituta exemplaria in hunc censum veniunt.

P. V. M. Opera fol. s. l. et a.

[De rarissima hac edit. vid. quae supra disputata sunt p. 639.]

In Bibliotheca Smithiana pag. D Editio *Virgilianorum Operum* memoratur, *Eclogae*, *Georgica et Aeneis*, fol. s. l. a. et typographi nomine; esse tamen perpulcram et characteris litterarum ad Vindelinianam accedentis.

P. V. M. cum comment. Servii, Donati et Landini. Ad calcem: *„Impressum Venetiis per Ligam Boariam, decimo Kalendas Iunias.“* fol. s. a.

B. G. memoratur ab Orland. 62. 428. Maitt. T. I, P. II, p. 748. Ind. App. p. 560, et in Catal. Biblioth. Barberinae p. 529. Panzer. Vol. III, p. 498, 2813. Descriptionem eius dedit vir doctiss. Sam. Beni. Reichel, Prodirector Gymnasii Altenburgensis in Progr. 1774. Extat quoque nunc eadem editio in Biblioth. Acad. Gotting. quo tanto certius mihi nunc constat, esse eam repetitionem, non tam Venetae, quam Florentinae 1483 vel 1485, adiectis quoque inde *carminibus minoribus.* Praefixum est, ex eadem utique editione, Chphori Landini Florentini prooemium ad Petrum Medicem, Magni Laurentii filium. Memoratur in eo inter alia coniuratio in Mediceam familiam et Laurentii reditus in

urbem: quo ipso patet non nisi post a. 1478 et 1479 et ante 1492 illud scriptum a Landino esse.

P. V. M. Opera una cum Servii Honorati Grammatici commentariis [Fin.: „*P. V. M. — volumina haec —*] Venetiis [*impressa.*" min. f.] s. a.

Maittaire p. 749. et Ind. App. p. 560. Biblioth. Harl. T. I, p. 176. Accurate descripsit Helmschrot *Drucke des Stiffts Fuessen*, II Th. p. 82 (181) cf. Meusel *hist. u. litter. Magazin* 7. Stück p. 154. Add. Panzer. Vol. III, p. 498, 2815. Est haec eadem quam descripsit Fossi [Tom. II.] p. 803—5. unde etiam disco subiecta esse carmina minora.

P. V. M. Opera — lib. XIII Maphei Vegii — diversa carmina. Priapeia. Copa. Est et non est. Vir bonus. Rosae. Culex. Dirae. Aetna. Ciris. Catalecton. s. l. et a. char. Rom. fol.

Maittaire p. 766. Braun Biblioth. ad SS. Udalr. et Afram T. I. p. 108. Morellus in Biblioth. Pinell. II. p. 386. et Panzer. Vol. IV. p. 208, 1277. [Vid. supra ad a. 1472 p. 645.]

P. V. M. Opera — adhaerent: Copa. Moretum. Dirae. Est et non est. Rosae. Culex. Priapeia. — char. lat. circa 1480. fol. forte Venetiis.

Gemeiner *Nachrichten v. Regensburger Stadtbiblioth.* p. 65. Rossi p. 72 et Panzer. Vol. IV, p. 208. 1278.

Mauri Servii Honorati Commentarius in Virgilii Opera. char. lat. fol.

Maittaire p. 752. de la Vallière, Helmschrot et Panzer, quem v. Vol. I. p. 76, 415. inter libros Argentoratenses. [Vid. p. 646.]

[*P. V. M. Bucolicum carmen.* (Colon. per U. Zell circa a. 1467) 4. s. l. et a.

Litteris gothicis foll. 17 impressum, quorum singula 25 versibus s. lineis constant. Cf. Panzer Annal. Vol. IX. p. 227, 374p. Brunet et all., inprimis Ebert l. l. Vol. II. p. 1048. n. 23743.

P. V. M. Bucolica (Argent. per H. Eggestein) fol. s. l. et a.

Insignis raritatis exemplar, quod primum Bruneto innotuit, foliis 16 lin. 27 (folium 10. lineis impressis 26) constat, et fol. 16b desinit in haec verba: „E xpliciunt Bucolica Virgilii." cf. Ebert n. 23744.]

P. V. M. Bucolica char. Goth. rudi s. l. et a.

Ex Pinelli [Vol. II. p. 394] et Denis [Suppl. p. 691] Panzer. Vol. IV, p. 208, 1279. [Eadem fortassis editio, quam foliis 22, lin. 20 ante ann. 1475 typis excusam accuratius descripsit Illustr. Ebert n. 23745.]

P. V. M. Eclogae. Brixiae *per Thomam Ferrandum* 4. s. a.

[Char. goth. rudi cum signat. a, b, c usque ad d 1111, foliis 64, lin. 26 constat. Cf. Boni lettere II. p. LXXIV.] Panzer. Vol. IV, p. 263, 147. [Brunet l. l. et Ebert n. 23747.]

Digitized by Google

[P. V. M. bucolicum carmen nuperrime excusum et diligentissime emendatum. Adi. Carmen de litera Y. In fine: „Impressum Brixie per Damianum et Iacobum Philippum fres“ 4. s. a.

Char. goth. et signat. *A* foliis 12, lin. 38 constat. Cf. Panzer. Annal. Vol. IX. p. 416, 38[b]. Ebert l. l. n. 23748.

Buccolica cum cōmento (Herm. Torrentini) Parisiis per felicem Baligaut (circa a. 1490.) 4. s. a.

Char. goth. et signat. *a — g* foliis 53 constat. Servatur in bibl. Reg. Dresd.

Liber Georgicorum Virgilii cum commento familiari (Herm. Torrentini. Parisiis) per Phil. Pigouchet 4. s. a.

Litteris goth. descriptus extat in bibl. Reg. Dresd.

P. V. M. Bucolica et Georgica (Parisiis per Udalr. Gering, Crantz et Friburger) (ante ann. 1478) f. s. l. et a.

Fol. ult. (49[a].) ita desinit: „Finis foelix GeorgicoR Virgilii.“ Singula folia lineas impressas 32 exhibent. cf. Ebert l. l. n. 23746.

P. V. M. Catalecta. Moretum et all. (Colon., per U. Zell intra ann. 1466—1471.) 4. s. l. et a.

Char. goth. foliis 6, lin. 24 constat. Panzer Vol. I. p. 334, 433. Ebert Vol. II. p. 1049. n. 23753. Diversam ab hac eamque antiquissimam epigrammatum Virgilii supposititiorum editionem vid. ap. Denis Lesefrüchte P. II. p. 27, 46. Panzer Vol. IX. p. 339, 1279[c]].

Veterem *Londinensem* editionem Martinus aliquoties memorat: forte respexit *Bucolica s. a. per Rich. Pynsonum*, qui intra 1493 et 1528 typographiam *Londini* exercuit. Titulum libri v. apud Amesium *Old English Printers* p. 130. At nunc video a viro doct. Lud. Guil. Brüggemann (in *View of the English Editions of the Greek and Latin Authors* p. 535 ex *Herbert's typographical antiquities* [Vol. I. p. 288]) laudari *P. V. M. Opera cum Commentar. Ferrandi* Londini *Rich. Pynson* [mai.] 8. s. a. [Sed VV. DD. unam eandemque Virgilii editionem respexerunt, cuius inscriptio haec est: „Virgiliana poesis que latinitatis norma est Et propulsatis et elimatis omnibus mendis felici gaudet exordio.“ Additum Pynsoni signum rubro et nigro colore expressum. Fin.: „Venalis extat Londoniano divi Georgii signo in vico nuncupato Fletestrede iuxta scti Dunstani.“ Bucolica cum commento familiari (Herm. Torrentini) seorsim edita prodiere Londini per Wynandum de Worde 1512. repet. per eundem 1514. 1516. 1533. cf. Herbert typograph. Antiqu. Vol. I. p. 151. 152. 154. 186. Brüggemann et all.]

Ex tanto editionum saeculo XV vulgatarum numero antea vix tres aut quatuor, nunc aliquanto plures, a viris doctis critica cum cura et subtilitate excussae sunt; unde fit, ut nec satis exploratum sit, sitne aliquid ex nonnullis earum utilitatis et fructus ad Virgilium exspectandum, utque nec accurate definiri possit, quaenam ex iis inter principes et ex membranis descriptas habendae sint, aut quae aliarum familias duxerint. Etsi, si quidem ex iis licet iudicare, quas ipse inspexi, iusta ominandi caussa subest, ut nunc habemus Virgilium ad codd. constitutum, parum aut nihil bonae frugis inde ad nos rediturum esse; quae ipsa res revocavit me, quo minus in iis, quae ad manum erant, excutiendis essem nimis sedulus. Quantum tamen adhuc curatiore opera ac studio perspicere potui, *a Venetis cum Servii commentario* exaratis primo Virgiliana lectio fuit constituta, ut per plures editiones continuaretur. Nam conveniunt fere inter se ad eandem lectionem propagandam Venetae cum Servii tum cum Landini aliorumque Commentariis vulgatae. Cum iisdem consentire visae sunt edd. *Kobergeriana* 1492, *Argentina* 1502, utraque inter meliores referenda. *Daventrienses* et *Parisienses* in scholarum usum paratae esse videntur. *Priorem Romanam* ex parum emendato codice profectam esse supra vidimus; *alteram* emendatam ex Codice Pomponii, qui, ut probabile fit, idem erat cum Oblongo Pierii. Inde quae *cum Servio* prodiere, fieri non potuit quin ex hoc ipso constituerentur aut interpolarentur. Ad *Mediceum* codicem emendavit poetam Cenninus Florentiae. Codices *Vaticanos* adhibitos esse in Mediolanensi Zarotti 1472 testatur subscriptio. Si tamen altera Mediolanensis 1474 inde fuit expressa, lectionem eius excerptam habemus in Var. Lect. apparatu. *P. Malleolus* his ad emendandum Maronem accesserat 1478 et 1498. Non tam in poeta, quam *in Servio* emaculando operam collocarant plerique, in his Io. Calphurnius in edit. Vicent. 1479. Prorsus inde a critica opera deflexum ad *interpretandi studium.* Primo video Domitium Calderinum enarrasse Opuscula 1483. Prodiit 1486 Pomponii Sabini Commentarius e Servio et Probo potissimum collectus. Inde Donati excerpta, et Landini Comment. 1487. 1489. Ant. Mancinelli 1490. Paullo post quinque Commentarii iunctim prodi coepere; inque hoc fere substitit virorum doctorum studium.

✿ ✿

Dicendum nunc est de *Aldinis editionibus*, quas in prima editione nondum ad manus habebam. *Prima Aldina* 1501 mera superioris alicuius editionis repetitio, etsi in praefatione promittitur Virgilius emendatus, atque etiam ad calcem ortho-

Digitized by Google

graphiae suae defensionem cum quinque locorum correctione subiicit Aldus (exigui profecto momenti illa correctio: *Lavinia* pro, Lavinaque Aen. I, 2. VI, 33. *protinus omnia* pro, omnem. VI, 464 *aquai* pro, aquae vis. VIII, 402 *potest electro* pro, potestur electro. IX, 9 *petit Evandri*, pro petivit E.): *Altera* est repetita ex priore. Successit *tertia* ex *A. Naugerii emendatione*, praeclara et inter praestantissimas facile editio: quam qui factum sit ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priores Aldinas redirent, non assequor. Pleraque enim, ab Heinsio e melioribus codd. constituta, leguntur iam in Ald. tertia. Habuere tamen eam in manibus viri docti, saltem Pierius, qui nihilominus priores sequitur. Heinsius et Burm. laudant Ald. et Iunt. in Var. Lect., sed spectat hoc ad priores. Repetiere quidem editionem tertiam Aldinae 1527. 1540. 1545, nec tamen satis fideliter; in multis ad priorem rediere. *Paullus* autem *Manutius*, qui adnotationibus ad marginem appositis instruxit Virgilium, ad suum iudicium ex aliis edd. multa in textu novavit in edd. 1555. 1558. 1560. Ad *P. Bembi et A. Naugerii exemplarium* fidem emendationem factam praeferunt alia exempla, Venetum 1525, Iuntinum 1552: fluxere adeo illa ex Ald. tert. Aliae praeferunt eandem professionem tantum in Culice, ut Lugd. 1537. Paris. 1538. Multo tamen maior numerus est eorum editorum, qui tertiam deseruere, et ad priores Aldinas rediere, ut Gryphianae, Rob. Stephani al.

Novam recensionem adornasse videri voluit *Io. Bapt. Egnatius* in ed. Ven. 1507. Verum substitit eius opera maxime intra *Servium*, quem ex dimidiato integrum se fecisse profitetur; adiecit et *Probi* commentariolum, seu fragmenta. E codd. quos iactat pauca vidi mutata, bonam tamen interdum lectionem repositam; versus de Helena Aen. II, 567 sq. sustulit. In ratione scribendi multa se ad veteris consuetudinis normam direxisse ait; in plerisque antiquioribus potius auctoribus, quam recentibus grammaticis, adstipulatus.

Iuntina prima, a *Philippo Iunta* expressa, est a. 1510, postquam iam Eclogas, forte et alia, separatim prelo subiecerat, repetita 1529, quam diligenter inspexi. Est in his, saltem in altera, fundus editio Aldina prior, verum emendata illa est a *Nic. Angelio:* quod tamen non ita accipiendum, ac si novos codd. adhibuerit. Praefixae sunt *Benedicti* in Virgilium annotationes, a quo codices inspecti sunt: v. inf. ad a. 1520; hanc tamen editionem cum Egnatiana a viris doctis neglectam esse video, nisi quod 1534 ex Egnatio Basileensis Io. Walderi repetita est. Diversae ab his sunt edd. Lucae Ant. Iuntae, de quibus statim dicemus, cum de Ascensianis pauca monuerimus.

Digitized by Google

Prima Ascensiana, h. e. Iod. Badii Ascensii commentariis instructa, quantum quidem constat, 1500 prodiit. Nihil equidem de re non inspecta affirmare ausim; eam tamen cum reliquis editionibus Ascensianis a Venetis supra memoratis, uti 1495. 1499, a quibus vulgatam lectionem deductam suspicor, nihil discedere vidi, ut adeo ipse Badius in textu nihil emendationis attulisse videatur. Criticae adeo opis ex iis omnibus nihil est expectandum. Sunt autem Ascensianae notabiliores Paris. f. 1505. 1507. 1512. 1514. 1515. Lugdun. f. 1517. 1528. 1529. Inter haec per familiare Commentum Herm. Torrentini, subinde repetitum, depressa est Virgilii lectio ad puerile verborum et phrasium studium.

Mature Ascensianum commentum in *Venetas* edd. migravit, interdum ad verba diversi contexti; unde nec dubito lectionis varietatem et interpolationem ab eo tempore promiscue per vulgatas esse grassatam. Post editionem a. 1500 ex Pinciana ductam *Lucas Ant. Iunta*, Ascensianarum edd. exemplo, onerare ac variorum commentariorum tamquam eluvie aliqua inducta, submergere poetam, coepit: f. 1519. 1533. 1537. 1542. Idem institutum tenuere alii librarii Veneti, et [v. c. Gregorius de Gregoriis] in edit. 1522. Harum editionum omnium nulla esse potest dignatio. Etiam Iuntinas modo dictas sequuntur aliae Venetae: ut ap. de Tortis 1541: ap. Hieron. Scotum 1544 et ap. Bonellum 1558 et ipsa Velutelli 1534.

Inter haec *Pierius* praestantissimis codicibus adhibitis (de quibus v. sup. p. 609) castigavit Virgilium, et quidem Castigationibus seorsum editis 1521: acceptae ac repositae sunt in edit. 1529 Paris. et 1532 Rob. Stephani. Usus est Pierius Aldina prima et secunda; etsi tertiam semel memorat ad Aen. III, 43. Adoptavit et breviter excerpsit Pierii castigationes sub nomine *lectionum varietatis* appositae, *Alex. Velutellus* in Ven. 1534, 8. Item Hieron. *Scotus* Ven. 1544, quam excipit alia Veneta ap. Io. Mar. *Bonellum* 1558, f. nitidissima editio, et, quod viri docti fidem faciunt, cum ipsi titulo libri forte fidem haberent, emendatissima. Sed typographica peccata ipsi animadvertimus, et indocto homini concinnandae editionis curam mandatam fuisse, ex eo suspicati sumus, quoniam varietas lectionis in margine omissa est.

Unde factum sit, ut editio *Veneta* 1583, 8. *e MS. Carpensi*, h. Mediceo Codice, expressa a posterioribus editoribus plane negligeretur, difficile est dicere. Ita nec *Commelinianae*, similiter e Cod. *Palatino* expressae 8. 1603, ulla ab editoribus ratio est habita. Sed, quod saepe et alias vidimus, casu haec potius et fortuna, quam consilio, geruntur.

Iam a. 1500 Virgilius *Nic. Erythraei*, h. e. Io. Victorii Rossii (v. Anti-Baillet T. I, c. 8) opera restitutus cum eius scholiis

Digitized by Google

et indice prodierat apud Franc. Rampazetum*); hinc iterum per Sabium recusus 8. 1539 et 1555, unde transscriptae editiones Francof. 1583. Hanov. 1603. 1608. et castigata per Io. Obsopoeum et Fr. Sylburgium 1613. 8. Indicem Erythraei Ant. Mar. Bassus aliquis ad versuum et librorum numeros instruxerat Venet. 1586. Sed tota fere Erythraeana opera nec consilium nec fructum habet. Interea nulla est Virgilii editio, quae frequentius repetita a librariis fuerit.

Similem fortunam invidere licet editionibus cum *Ioannis a Meyen* scholiis Ven. apud Aldum: 1576. 1580. 1587 etc. Nihil enim illis est ieiunius. Repetita tamen illa a Francofurtens. 1599. 1616. 1629, tum in Parisinis et in Venet. edd.

Unde *Rob. Stephanus* editionem suam 1532 duxerit, curiose inquisivimus. Satis nunc nobis constat, Aldinam priorem seu Iuntinam ab eo fuisse expressam. Robertus ipse ex Servio laudis summam aucupatus esse videtur; eum enim, antiquorum exemplarium ope, inter quae unum Fr. Sylvii memorat, integritati restituisse gloriatur; de ipso Virgilio silet. Successere editioni Rob. Stephani maiori reliquae *minores*, in quibus Aldinae tertiae praefationem praemisit; attamen poetae lectio ad alias, etiam Aldd. priores, edd. est mutata. Sunt eae 1533. 1537. 1540. 1549, iam a Maittairio in Hist. Stephanor. commemoratae; nec dubito *Henrici Stephani* tres editiones 1577. 1583 et 1599, 8. ex iisdem ductas esse.

Editio *Parisina* 1600 cum tota sua familia Genevensi, Servii commentariis a *P. Daniele* emendatis non ullis in ipsum poetam meritis commendatur.

Quae *P. H. Sussannaei* diligentia in Virgilio emendando, 1539. 1540. 1541 Parisiis fuerit, mihi non constat; nec tamen tam criticam, quam typographicam eam industriam fuisse suspicor.

---

*) [Minime. Ille enim *I. Nicius Erythraeus*, vir celeberrimus, qui Ital. nomina *Giov. Vittorio Rossi* more seculi illius in Graeca transformavit, Romae natus circa a. 1577, denatus ibid. d. 15. Nov. 1647, *pinacothecam imaginum illustrium*, *dialogos*, *epistolas* multaque alia volumina edidit (cf. Crasso elogii d' huomini letterati Vol. I. p. 388—91. Niceron mémoires T. XXXIII. p. 225 — 35. Tiraboschi l. l. T. VIII. p. 334 sq.), neque de eius commentariis in Virgilium ulla usquam mentio. *Nicolaus Erythraeus* vero, ICtus, patria Venetus, cuius scholia et index in Virgilium sec. XVI. saepius typis impressa sunt, ut ex praefatione ad Franc. Contarenum Venetiis Cal. Martiis a. 1539 scripta apparet, hoc ipso anno Virgilium primum opera I. Ant. Sabii edendum curavit, unde Franc. Rampazetus, qui sec. XVI. medio demum artem typographicam Venetiis exercuit, a. 1555, 1560 (inde illud 1500) et 1565 hunc librum denuo typis descripsit. De Nic. Erythraeo eiusque opp. vid. Frid. Sylburgii praefat. in edit. Virgilii c. scholiis Erythraei, Francof. ap. Wechel. 1583.]

Digitized by Google

De fonte editionum *Sim. Colinaei* 1526. 1531. 1540. 1542 forma minore, et *Gryphianarum* mihi hactenus liquet, quod edd. Aldinis prioribus, et Iuntinae inde ductae respondent. Iam inde ab a. 1538. 1545 Franc. Gryphius Parisiis Virgilium excudendum curaverat; tum e Franc. Goveani, clari ICti, et vel ex magni Cuiacii laude satis nobilis, castigatione, falso tamen iactata, eum vulgavit Lugduni Seb. Gryphius forma minore 1542. 1544. 1546. 1547. 1550. 1555. 1556. 1560.

Ab anno inde 1530 [Hagenoae, per I. Secerium] et hinc 1537. 1538 Virgilius *cum Phil. Melanchthonis scholiis* Parisiis vulgatus, et Lugduni 1537, deinceps autem Tiguri 1564. 1570. 1581. 1585, Basileae 1546 et al., Moguntiae 1554, Coloniae 1597 repetitus est. Habent neque hae editiones usum criticum; mirum tamen illud, qui factum sit, ut Parisiis primum Melanchthonis scholia frequentarentur. [Minime. Vid. inf. ad h. a.] Etiam Melanchthonis praelectiones in Georgica, Basileae 1544 vulgatae, statim 1548 iterum fuere recusae.

Lipsiae ab initio inde saeculi XVI modo Bucolica, modo Georgica, etiam Aeneis, fuerant excusa; ista fere cum *Herm. Torrentini* Comment. Nec tamen ex iis edd. quicquam beneficii aut fructus in Virgilium exspectari posse videtur, ne ad interpretationem quidem. Est enim huius Torrentini familiaris, ut vocat, expositio, iam sub finem saeculi XV vulgata, illis quidem temporibus condonanda, non tamen digna, quae toties Lipsiae, Argentorati, Daventriae, Londini et alibi repeteretur. Si tales edd. non plane negligimus, historiae typographicae forte prodest opera nostra, Virgilio nihil.

Postquam *Ge. Fabricius*, Chemniciensis, accuratioris doctrinae vir, quam nunc vulgo ad viri docti nomen consequendum in hoc litterarum genere requiri solet, ex Italia Neapolitanum exemplar Commentariorum *Donati* in Aeneidem reportaverat, inque iis et *Servii* Commentariis emendandis operam per multos annos adsiduam collocaverat: eius fructus in publicum produxit primum *editio Henricopetrina* f. 1551, repetita illa mox, et variorum interpretum Commentariis locupletata, seu onerata et obruta, f. 1561. 1575. 1586 et Lud. Lucii studio 1613. Quod exemplum Henricopetri operis librariis exprimendum tradiderit, nusquam memoratur. Mihi cum Iuntinis fere et aliis Venetis convenire ea editio visa est. Postquam Fabricius exemplar suum prelo paraverat, et, tametsi nullo codice usus esset, tamen illud operarum erroribus purgaverat: *Ioach. Camerarius* illud descriptum Lipsiam secum attulit. Hinc Virgilius excusus 1546. 1548. 1551. 1556. Tum Fabricius *lectionis varietatem* adiecit nescio an primum in edit. Argent. an. 1557. Hinc *ex Fabriciana recensione* saepius repetitus Virgilius 1568. 1591. 1598 et forte alias.

Digitized by Google

Interea Lipsiae prima *Greg. Bersmanni* 8. 1581 prodiit, bona editio, sed quae criticis usibus non admodum inserviat. Saepius ea sub prelum revocata est. [1586. 1596 etc.]

Taubmanniana editio Viteb. 1618, 4. Henr. Stephani editionem secundam sequitur, ut in praef. diserte memoratur.

Cerdanae editiones in textus ratione vix quidquam immutarunt, nec multum praesidii ad eam rem in iis est: Tanto maior earum utilitas est ad interpretationem; modo quis litteras, iudicium et usum afferat. Unde tamen expressae sunt, nondum assequi potui.

Antwerpienses ex officina *Plantiniana* editiones non unius sunt generis. Prima fuit e *Theod. Pulmanni* recensione et emendatione 8. 1546, repetita deinceps 1564. 1571. 1580. 1583. 1589. 1592. 1596. 1604. 1625. 1634. Doceri cuperem, de prioribus saltem, an inter se diversae sint; ipse in praefatione ed. 1564 ex collatione exemplarium cum manuscriptorum tum typis impressorum poetam se restituisse profitetur. Idem Chph. Plantinus f. 1575 Virgilium nitide exprimendum curavit cum *Germani Valentis Guellii* Commentationibus pereruditis, quarum tamen tantum in interpretatione ratio haberi potest. Tandem etiam Aldinae editiones 1558 aut 1560 cum Paulli Manutii adnotationibus admarginalibus ab eodem Plantino sub prelum a. 1566 revocatae sunt.

Vulgares editiones, quarum ingens numerus commemorari posset, hic non curamus. Inde ab a. 1622 procedunt *Elzevirianae* L. B. e doct. viror. castigatione. Acc. Animadverss. liber. Ex eodem genere est illa, cui praefatus est *Dan. Heinsius*, 1636 *P. V. M. Opera nunc emendatiora.* Non tamen apparet, quidnam operae vir doctus adhibuerit. Est enim haec cum aliis hinc repetitis inquinatissima et sine lectionis dilectu. Ad tergum praefationis appictus est numus cum Virgilii capite, quo sibi fraudem fieri passus est vir doctus.

Tandem *Nic. Heinsius*, divino quodam beneficio poetis Romanis sospitator datus, ad Virgilium constituendum accessit: cuius editiones ap. Elzevirios 1664, 12. 1671. 1676. 1688 saepius repetitae et ab sequentibus editoribus fere omnibus, etiam a Ruaeo in edit. secunda, tamquam regula acceptae sunt, ad quam Virgiliana lectio exigeretur. Postquam tamen P. Burmannus scrinia Heinsiana recuperaverat, eius diligentia nova saltem variae lectionis silva, et critica in nonnulla loca strictura subnata est.

Inter haec commentandi et illustrandi ratio et ipsa inter varias vicissitudines fluctuavit. Post *quinque Commenta*, quae sub saeculi XV exitum prodierant, saepius repetita in edd. saeculi XVI, regnavit *Ascensiana elucidatio*, grammatica fere ac

Digitized by Google

rhetorica, et ad Servii exemplum instituta. Ipse *Servius* non modo assidue legebatur, verum commentatores suos erat nactus; ipse tamen vitiis coinquinatus, donec recentioribus virorum doctorum studiis emendaretur. *Probi* commentariolus, 1507 ab Egnatio vulgatus, non magni usus esse poterat. *Donati* non nisi fragmenta habebantur inde a 1489, donec plenior Donatus prodiret Neap. 1535, repetitus a Fabricio 1551 Basileae, poetam ad rhetorica praecepta exigens. *Iulii Sabini* Commentarios 1486 editos minus frequentatos esse ex paucitate repetitorum exemplarium colligo. Servius accessit Philargyrius 1587 et 1600. In Scholis *Torrentini* familiaris expositio ingenia puerorum corrupit, singulis fere annis inde a 1496 repetita. Substituta iis inde a 1539 *Erythraei* scholia cum indice sexcenties excusa; tum *van Meyen* scholia inde a 1576. Ex his triumviris plerumque doctrina scholastica pependit, e qua adeo divinae poetices omnisque venustatis et pulcritudinis sensus et ex lectione voluptas sublata esse debuit. Ad puerilia depressa fuit *Rami* opera in *Buc. et Ge.* 1551, ad quae duo carmina omnino plus studii attulere homines, quia puerilis institutio in iis maxime occupata erat. Hinc subnatae *Philippi Melanchthonis* adnotatiunculae 1531; *Willichii* scholia 1535 et 1539; *Lucii Vivis* in Buc. interpretatio 1537, qui et allegoriis indulsit; *Camerarii* 1556, tum *Nicod. Frischlini* paraphrasis 1580. 1602. Serius ad *Aeneidem* perventum, primum in *Hartungi* Annotat. 1551, tum *Nannii* et *Hortensii* 1559 et *Nascimbaeni* 1596. Non carent illi docta subtilitate; verum iudicium et sensus elegantia ab illis abest. Cumulantur quoque partim vulgaria, partim rhetorica a genio et indole poetices aliena. Grammatica ratio intra verba et formulas subsistens, melior tamen et castigatior, fuit in nonnullis ex his, tum in *Paulli Manutii* adnotationibus marginalibus 1558, (quae etiam in Plantinianis sunt receptae 1566, mox meliores ipsis substitutae ab Henr. Stephano 1577,) et selectis virorum doctorum notis a *Ge. Fabricio* 1546. 1551. 1557, tum a *Bersmanno* 1581. Laudatur *Pontani* opera 1599. Ad *Graeca* revocaverat animum iam olim Eobanus Hessus 1529, et Theocriti Hesiodique loca comparaverat. Maiore cum apparatu hoc exsequutus est Fulvius Ursinus 1568, cuius vestigiis insistens 1575 Germanus Guellius Valens Virgilium e Graecis illustravit; nimium sane, ut natura humana fert, in invento sibi indulgens, ut tamen erigeret animos ad meliora. Inde disertissimos, eruditissimos, et luculentissimos commentarios condidit *La Cerda* Madriti, primum in singula Carmina 1608. 1612. 1617, tum vero hoc ipso anno 1617 iunctim editos. Si subtilitatem et iudicium in delectu desideres: aetatis vitium forte illud est, non viri. Quod praevideri potuit, ut ex largissimo fluvio rivulos sibi aperirent alii, evenit, et exorti sunt plures, qui selectas ex superioribus interpretibus notas Virgilianis carminibus

Digitized by Google

adderent: qui fere omnes peccarunt in hoc, quod non ipsi iudicium suum adverterunt, videruntque quae illustrationem sibi postularent, verum id unice sequuti sunt, ut ex aliorum iudiciis toti penderent, apponerentque ea, quae invenirent notata ab aliis, prouti casus, aut studium, aut stomachus offerret. Non vacat his vitiis *Taubmanni* commentarius 1618, multo minus *Farnabii* opera 1634 et *Minellii* 1674. Intellectum sane est a viris doctis, desiderari in Virgilio interpretando genus aliquod scholiorum seu commentationis perpetuae; nam, ut unum alterumve locum egregie illustratum videas, id ad perpetui carminis lectionem doctiorem non satis facit; peccatum tamen est in eo, quod excerptis ac selectis aliorum notis id effici posse putarunt. *Schrevelii* opera inde a 1657 in edd. grassata per notas selectas oscitantiam et levitatem iudicii ubique prodit; nec magis probanda *Emmenessii* opera 1680. Interea studium excudendi auctores classicos cum integris virorum doctorum commentariis per *Batavos* revixerat; quo sane sublata est molesta illa ratio indiligenter et indocte excerpendi ac mutilandi aliorum diligentiam; altera tamen ex parte non minus ignaviae editorum consultum fuit in hoc, quod sine ullo animi iudicio et acumine cumularunt ea, quae ab aliis erant prodita; itaque vulgaria quaeque bis terve enuntiata apposuere, relicta lectori molestia, ut, si quid vellet, id ipse erueret. Inter haec vulgata est *Burmanni* editio 1746, in qua vix intelligas, quodnam certum animi iudicium ille sibi proposuerit. Si Heinsiana in lucem edere et critica curare voluit: non videas, quorsum Serviana et alia interpretationi inservientia addiderit. Sin interpretationem consilii partem constituerat: tum nulla opera ieiunior et magis manca adhiberi potuit; Servius enim in paucissimis locis satis facit, admixta habet innumera aliena, falsa, indocta; quae vero ipse aut Heinsius affert, singularum interdum vocum illustrationes per congesta loca et exempla, possunt ea forte uni et alteri loco lucem afferre, ad summam lectionis et interpretationis parum inde proficias.

De summa carminis et de summa operae, quam illud postulat, acutius iudicarunt viri docti a Criticis improbati, *Ruaeus*, *Catroeus*, *Trappius*, *Martinus*. Viderunt hi, partim se in poeta versari, adeoque grammaticam operam nihil aliud quam fundum melioris interpretationis et veri e lectione fructus esse habendam, partim carmina esse opera singula, quorum cuique argumentum ingeniose descriptum et pertractatum subiectum est; non posse poetam cum voluptate legi, si tantum in criticis haeseris, aut si philologicas observationes ad singulas voces et phrases cumulaveris: itaque de sententiis, de poetica vi, de oratione poetae solliciti fuere. Latus praebuere adversariorum ictibus in hoc, quod ipsi nec critica nec grammatica subtilitate imbuta satis ingenia habuerunt.

Digitized by Google

Et haec quidem hactenus. Iuvat nunc editionum annales subiungere, ut de iis, quae universe dicta sunt, ex singulatim facta enumeratione melius constet *).

✿ ✿

1501 — 1601.

1501.

Vergilius cum commentariis quinque, videlicet Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. Fin.: Venetiis. *sub anno domini.* 1501. *Die.* 9. *Iunii.* fol. 1501.

Vid. Goezii Memorabil. Biblioth. Dresd. T. II, n. 291. [Constat foliis quinque non numeratis, quibus praef. Mancinelli et alia nonnulla continentur, numeratis autem 360; a fol. 333 verso Maph. Vegii liber Aen. XIII. et carmina minora leguntur.] Sequitur autem sine dubio edd. Venetas 1495. 1499.

[,,*Virgilio cum Servio.*" Fin.: *Impressum* Mediolani *per Angelum scinzenzeler. die. VIII. mensis Decembris Anno Dni MCCCCCI.* fol. 1501.

Foliis non numeratis octo prioribus vitam Virgil. et tabulam h. operis s. indicem, 209 sequentibus numeratis Buc., Georgg. et Aeneidem cum Servii commentt., et denique undeviginti foliis non numeratis Vegii librum Aen. XIII. et carmina minora continet. Servatur in bibl. Reg. Dresdana.]

Vergilius. Venetiis *ex aedibus Aldi. Romani Mense Aprili MDI.* Venetiis 8. 1501.

De hac iam ante dictum est. Typis minoribus, quos *italicos*, *currentes*, et *Aldinos* vocant, primus omnium librorum expressus. Adiecta est ad calcem epistola de orthographiae ratione. [Constat foliis non numeratis 228, et inter rarissimas habetur. Vidd. Renouard Annales de l' imprimerie des Alde. Edit. 2. T. I. p. 64 sq. Ebert T. II. p. 1039. n. 23664.] Est etiam huius edit. repetitio sine anno. [Duae potius huius edit. extant repetitiones s. l. et a., quae Lugduni typis ab Aldinis paululum diversis expressae, si raritatem spectes, priori illi non sunt inferiores. Differunt autem eo, quod in altera, quae vitiis typographicis quam maxime scatet, fol. 1. (Bucol. I. v. 21.) *Stulus*, in altera vero *Stultus* legitur. Cf. Ebert l. l.]

---

*) Digesserunt haec in certas editionum aetates Bipontini: I. natales. II. a. 1500 — 1546 Ascensio-Aldino-Egnatiana. III. 1546 — 1636 Pulmanno — Fabriciana. IV. 1636 — 1717. Heinsiana I. V. 1717 – 1784. Heinsiana II.

Digitized by Google

P. V. M. aliquot opusculorum cum familiarissima elucidatione pro tyrunculorum in arte poetices institutione insigni ut vides charactere in sancta Colonia *exaratorum opera atque impensis providi viri Henr. Quentell. anno post iubileum primo.* Coloniae. 4. 1501.

Vix memoratu dignum iudicassem, nisi viderem in fraudem titulum inducere posse. Continentur: Vir bonus. Est et non. De y littera Pythagorea. De rosa. Elegia de obitu Maecenatis. Habemus opusculum in manu, et idem ipsum ex ed. priore, e Bibl. Acad. Gotting., ubi post *Quentell* subiicitur: *civis eiusdem. Faustus adest finis. In eius celebritate, qui deo dicatis coniugium interdixit Anno virginei partus ante iubileum centesimum.* Unde hoc unum assequor, 1499 id esse exaratum. Idem esse videtur, quod sine anni nota expressum memoratur in Biblioth. Schwarz P. II, n. 878. Est alia editio antiqua litteris neogothicis s. a. et l. in 4to inscripta: *P. V. M. poetarum Achillis minutiora opuscula seu mavis lusus et lectione et imitatione dignissimi.*

Interea ex Harlesio disco eod. a. apud eundem *Quentell* Coloniae expressa Bucolica et Georgica c. Comm. Herm. Torrentini esse. v. Panzer. Vol. VI, p. 348, 7. et ibid. p. 351, 28 et 38. iterum 1506. ibid. p. 359, 110. item 1510. ibid. p. 369, 198.

1502.

P. V. M. opera (et Carmina minora) *cum quinque Commentariis, expolitissimisque figuris atque imaginibus per Sebast. Brant superadditis.* Fin.: *Impress. [regia in civitate Argenteñ.] ordinatione, elimatione ac relectione Sebast. Brant, operaque et impensa non mediocri Magistri Iohannis Grieninger. anno Millesimo quingentesimo secundo quinta Calendas septembres die.* Argentorati f. 1502.

Commentarii sunt iidem, qui in Venetis edd. 1495. 1499. 1501, ut non dubitem, quin ipse poeta ex iis expressus sit. Ceterum ex hac Argentina figuras, quae Ascensianas fere, Iuntinas, et alias Venetas ornant dicam an ornatui officiunt, ductas esse apparet. Est haec editio in Biblioth. Acad. Gotting. ex penu Duviano [et in bibl. Reg. Dresdana. Cf. Ebert. l. l. n. 23665.]

[*P. V. M. Bucolica c. commentario H. Torrentini.* Fin. Colonie *in offic. pie memorie H. Quentell* 4. 1502.

Panzer Annal. Vol. VI. p. 351, 28.]

P. V. M. Georgicorum liber cum novo commentario Hermanni Torrentini. Daventriae industria Iacobi de Breda 4. 1502.

De his Comment. v. ad 1494. Successere *Bucolica* 1503. [et 1504.] *Georgica* rep. 1514.

Digitized by Google

1503.

Georgicorum P. V. M. liber, cum novo commentario Herm. Torrentini. Fin.: *Impressum* Lyptzk *per Melch. Lotter. Anno* etc. 4. 1503.

Biblioth. Acad. Gotting. [et Reg. Dresd. cf. (Strauss) opp. rar. bibl. Rebdorf. p. 299. n. 73. all.]

Bucolicorum P. V. M. constructio luculentissima ac familiaris vocabulorum explanatio summe necessaria. Impr. Lyptzk per Melch. Lotter 4. 1503.

Bibl. Reg. Dresd.

P. V. M. Bucolica c. comm. H. Torrentini. Daventriae per Iac. de Breda 4. 1503.

Ex Catal. bibl. Thott. Vol. VII. p. 201. Panzer Annal. Vol. VI. p. 485, 15.

Bucolica P. V. M. cum verborum contextu in poetices tyrunculorum sublevamen per H. Torrentinum triviali stylo familiariter discussa. Colon. ap. Quentell 4. 1503.

Bibl. Reg. Dresd. Panzer Annal. Vol. IX. p. 419, 42[b].

Georgicorum P. V. M. liber c. novo comm. H. Torrentini. Fin. *Ac in offic. H. Quentell* — Colonie *impressum* 4. 1503.

Panzer Annal. Vol. VI. p. 351, 38.

P. Verg. M. Aeneis in duodecim libros discreta — Impressum Liptzick *per Baccal. Wolfgangum Monacensem* 4. 1503.

Ex bibl. Thott. Vol. VII. p. 201. Panzer l. c. Vol. VII. p. 146, 80.]

P. V. M. Bucolica. Lipsiae per Martin. Herbipol. f. 1503. Eiusdem *divina Aeneis in XII libros discreta, quibus singulis hypothesis sive argumentum a Phil. Beroaldo, Rhapsodorum principe nostra aetate, conscriptum praemittitur.* per eundem fol. 1503. *Georgica acr curai emendata, cum argumentis Beroaldi ad singulos libros appositis.* per eundem. Ge. Schiltel curante. Lipsiae f. 1503.

Annal. Typograph. Lips. pag. 80. [Panzer Annal. Vol. VII. p. 145, 74. 76. 77.] Beroaldi epistolam supra in edit. Paris. 1478 appositam esse vidimus. Per eundem Martinum Herbipolensem *Culex* separatim fuit excusus 4. s. a. vide ibid. p. 101.

[*In hoc presenti hec continentur P. V. M. quinque carmina* (minora spuria) *de viro bono* etc. (Lipsiae per Wolfg. Monacensem) 4. 1503.

Panzer l. c. Vol. VII. p. 146, 81. et 234, 947.

1504.

Mediolanensem huius anni apud *Alex. Minutianum* impressam primi in notitiam adduxere Socii Bipontini e Biblioth. Heideggeri Reip. Turicensis tribuni.

Digitized by Google

[*P. V. M. Opera* (et catalecta cum Servio). Fin.: *Impressa* Mediolani *apud Alexandrum Minutianum quam emendatissime: et de exemplari castigatissimo descripta — Impensa communi cum venerabili Sacerdote Nicolao Gorgonzola. Anno — M.D.IV. Idibus Octobris* 4. 1504.

Vidd. Panzer Annal. Vol. VII. p. 380, 22. Ebert l. l. Vol. II. p. 1039. n. 23666.

P. V. M. Opera. Cum expositoribus Servio Landino Mancinello Donato Domitio. Annotationes item in Servium suis locis positae. Fin.: Venetiis *a Phil. Pincio Mant. Anno dom. MCCCCC. IIII. die XXXI Augusti.* f. 1504.

Editio hucusque parum cognita. Vid. Panzer l. c. Vol. VIII. p. 369, 251.]

Aliamque per *Bartholomaeum de Zannis de Portesio* Venetiis repetitam nunc et 1507. 1510 ex 1495.

Eclogae Vergilii, Calphurnii, Nemesiani, Francisci Petrarchae, Io. Boccaccii, Ioan. Bapt. Mantuani, Pomponii Gaurici. Impressum hoc opus Florentiae opera et impensa Philippi de Giunta bibliopolae florentini [Anno salutis Mille. CCCCC. IIII. Decimo quinto Calendas Octobris.] 8. 1504.

[Servatur in bibl. Reg. Dresd. Vid.] apud Maitt. Annal. Ind. p. 329. [Bandini] Typograph. Iuntin. II, p. 11. [*Bucolica* c. comm. Herm. Torrentini Daventriae industria Iac. de Breda hoc anno prodiere. Vid. supra ad a. 1502.]

1505.

P. V. M. omnia opera (cum Carminibus minoribus) *cum figuris nuper additis* (ex edit. Argentina) *et expositoribus Servio, Landino, Donato, Ant. Mancinello, Domitio. Annotationes item in Servium suis locis positae* (Philipp. Beroaldi.) Venetiis a Phil. Pincio Mantuano f. 1505.

B. G. Ex Pinciana 1499 expressa, ut res ipsa testatur; habuimus enim utramque in manibus. [Panzer. Annal. Vol. VIII. p. 375, 303. Figurae ductae sunt ex edit. Argentor. 1502.]

Vergilius. Venetiis. M. D. V. Mense Decembri (ex aedibus Aldi.) 8. 1505.

Est repetitio prioris minus emendate facta. Accedunt tamen in hac edit. secunda Carmina minora. Apud Crevennam 150 flor. veniit: tam intelligentes habemus bibliophilos! [Vid. Renouard l. l. T. I. p. 119 sq. Ebert l. l. n. 23667.]

Ascensiana Editio. Parisiis f. 1505.

Secundum ed. a. 1500 haud dubie. Memorat eam Masvic. praef. ad Virgil.

P. V. M. Opera iterum Augustini Camynadi exactissima cura castigata argumentis et annotamentis paullo frequentioribus il-

Digitized by Google

lustrata, ac Magistri Io. Philippi Alemanni, diligentissimi formulatoris impendio atque industria nuperrime nitidissimis excusa characteribus Parrhisiis 8. 1505.

(B. A. G.) Inscripta est Nic. Benserado.

P. V. M. Bucolicum decem aeglogarum opus: tersum ac extrema opera castigatum ab Herm. Torrentino familiariter expositum. Lipsiae per Melch. Lotter 4. 1505.

Biblioth. Acad. Gotting. vid. inf. 1508, 1516. et iam sup. ad 1500 et 1494.

P. V. M. Aeneis. Lipsiae per Iac. Thanner 4. 1505.

1506.

P. V. M. Georgica per Iac. Thanner. Acc. Est et Non est. Lipsiae 4. 1506.

Biblioth. Acad. Gotting. Saepius repetita sunt haec exemplaria in scholarum usum per Thanner et Melchiorem Lotter.

[*Bucolica P. Verg. Maronis.* (Coloniae) in aedibus Quentell 4. 1506.

Panzer. Annal. Vol. VI. p. 359, 110.]

1507.

P. V. M. Opera cum comment. varior. [s. h. t. *Opera Vergiliana docte et familiariter exposita. docte quidem Buc. et Georgg. a Servio Donato et Mancinello cum adnott. Beroaldinis: Aeneis vero ab iisdem praeter Mancinellum et ab Augustino Datho in eius principio: Opusculorum praeterea quaedam ab Domin. Calderino: familiariter vero omnia tum opera quam opuscula ab Iodoco Badio Ascensio* etc. Fin.:] Ex offic. Ascensiana Impendio Io. Parvi [Sexto Idus Novemb. etc.] f. 1507.

Ap. Maittair. T. II, p. 184 et accuratius in Memorab. Biblioth. Dresd. T. II, p. 292. [Panzer Annal. Vol. VII. p. 523, 200.] Expressa ex edit. 1505, unde praefatio Badii praefixa.

[*P. Vergilii*] *Buc. Ge. Aeneis cum Servii Commentariis accuratissime emendatis, in quibus multa, quae deerant, sunt addita. Graecae dictiones et versus ubique restituti. Sequ. Probi, celebris Grammatici, in Buc. et Ge. Commentariolus non antea impressus. Ad hos Donati fragmenta, Chph. Landini et Ant. Mancinelli Commentarii.* Venetiis *Io. Bapt. Egnatius Venetus emendavit (cum figg.).* In fine: *Venetiis excusi M. D. VII die ultimo Iunii — Bernardinus Stagninus impensam fecit,* 4. (quaternis duplicatis) 1507.

Nimis magnifice de hac editione senseram, antequam illa mihi inspecta esset; meliora apposui p. 669. Servatur in Biblioth. Gotting. Acad. e suppellectili libraria Duvii. [cf. Freytag

adparat. litterar. Tom. II. p. 1340. Panzer Annal. Vol. VIII. p. 384, 380.] Fragmenta *Probi* hic primum prodeunt e codice vetustissimo Bobii quondam a Georgio Merula invento. Repetita est 1520. Add. 1527. Est quoque h. a. repetita editio Veneta per Bartholomaeum de Zannis fol. haud dubie ex edit. 1494 et 95.

1508.

P. V. M. Bucolica cum commentario Hermanni Torrentini. Argentinae per Io. Knoblouch. 4. 1508.

Sic quoque *Georgica* eod. a. [cf. Panzer Annal. Vol. VI. p. 41, 124. 125 et *Aeneis*, de qua vid. a. sequ.

P. V. M. Carmina (minora supposititia) *de vero bono* etc. Fin. *Impress.* franccophordie cis oderam *per me Conradum Baumgarth Anno Bisextili MCCCCCVIII* 8. 1508.

Meusel histor. litterar. Archiv Vol. III. p. 153 et inde Panzer Annal. Vol. VII. p. 54, 5.]

[*P. V. M. opera.* Argentinae ap. Schurer. 8. 1508.

Veesenmeyer bibliogr. u. biogr. Analekten p. 66.]

1509.

[*P. V. M. Aeneidos opus.* Lyptzk per Wolfgangum Monacensem 4. 1509.

Panzer Annal. Vol. IX. p. 488, 276[b].]

P. V. M. Aeneis cum familiari expositione. Ioh. Knoblouch civis Argentinensis impressit V. Kal. Aprilis anno salutis Christiane MdIX. Argentinae 4. 1509.

Io. Schottus Argentinensis praefatur, quem adeo suspicor, ad Torrentini modum, de quo v. ad 1494, 1500. simili ieiuna commentatione Aeneidem interpretari voluisse. Eodem anno 1509 *Georgica* iterata prelo sunt, [Panzer Ann. Vol. VI. p. 45, 156.] et hinc 1516. In nostro Aeneidis exemplari *Bucolica* a. 1512 et *Georgica* 1513 expressa praemissa sunt. *P. V. M. Opuscula cum familiari expositione* [*Culex*, *Dire*, *Aethna*, *Cyris* etc.] a. 1509 ab eodem Knoblouch excusa sunt. [cf. Freytag adparat. litterar. Tom. II. p. 1344.] *Aeneis* autem iterum 1515. 1525 et Opera 1520 cf. Panzer. Vol. VI, sub his annis.

[*P. V. M. Mantuani carmen Bucolicum decem aeglogarum opus.* Fin. Vides Virg. Bucolica — emendatione accurata Mag. Io. Hass de Graitz limata, Impensisque et industria Iacobi Tanners 4. 1509.]

1510.

[*Vergilius.*] Opera et Opuscula. Copa. Priapeia — praevio monito Mariani Tuccii. [*Impressum hoc opus* Florentiae] *impensa Philippi de Giunta Florentini Anno — M. D. X. Sexto Cal. Decembris* 8. 1510.

Maitt. Annal. Ind. p. 327. Eam non inspexi; esse tamen eam ex Aldina prima vel secunda expressam non dubito: cum hoc idem mihi de altera, ex ea repetita 1520, constet: vid. inf. h. a. Et hoc ita se habere, didici ex [Bandini] Iunt. Typograph. Annal. II, p. 37. [Add. Ebert l. l. n. 23668.]

P. V. M. Opera cum Comment. Servii etc. *Impressum* Venetiis *per Bartolomeum de Zannis de Portesio M. D. X. Die XX. Iunii.* f. 1510.

Maittair. Annal. Ind. p. 328. [Panzer. Vol. VIII. p. 400, 515.] Repetita sine dubio ex edit. 1495. [Vid. ad ann. 1514. Servatur in Bibl. Reg. Dresd.]

P. V. M. Opuscula cum familiari expositione. Porcae 4. 1510.

In Biblioth. Hulsiana T. II, p. 501. Vid. ad a. 1509.

[*P. V. M. Bucolica c. commentario H. Torrentini.* Argentorati per Io. Knoblouch 4. 1510.

Panzer. Annal. Vol. VI. p. 48, 102.]

Annotationes Phil. Beroaldi Bononiensis, in Commentarios Servii. Phorce [mense Aprili M. D. X.] sine typographo. 4. 1510.

Biblioth. Bunav. p. 305. [atque ex ea Reg. Dresd.] Biblioth. Acad. Gotting. Vulgatae illae erant iam 1489. ut supra vidimus h. a.

1511.

P. V. M. — et minora: cum Servio, Probo, Sulpicii Verulani annotationibus in sex priores Aeneidis libros. Tum Phil. Beroaldi Servii, ut ipse inscripsit, errores, cum Domitii Calderini in Iuvenilia huius poetae commentariis. Mediolani *per Leonardum Vegium M. D. XI. die XXV. Augusti.* f. min. 1511.

Innotuit mihi beneficio Martini, Rect. Lycei ad S. Nicol. apud Lipsienses. Est repetita ex aliqua editione Veneta. „Vegii gratia *Alexander Minutianus*, socer, Probi Grammatici in Buc. et Ge. interpretamenta eruditissima addidit, apposuit quoque suis in locis *Sulpicii Verulani annotationes in sex priores Aeneidis libros.*“ Primo itaque nunc illae editae? et „tres celeberrimos Grammaticos excussit, Priscianum, Nonium, Macrobium cum Gellio —“ [Panzer Annal. Vol. VII. p. 391, 107.]

[*Vergilius. In hoc volumine continentur opera Vergiliana inferius scripta. Bucolica. Georgica. Aeneidos libri XII una cum Maphaei Veggii libro XIII. Eiusdem Vergilii opuscula* etc. (Lugduni) s. l. et a. 8. (1511)

Rarissima haec editio ex Aldina a. 1505 et Iuntina a. 1510 descripta est. Vid. Ebert l. l. n. 23669.

P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, Aeneis cum Servii

commentariis. Phil. Beroaldi in Servium Notis, Iac. Crucii annotationibus. Mediolani exc. Io. Angelus Scinzenzeler impensis Ioa. Iac. Lignani MDXI die I. Decembris fol. 1511.
Panzer Annal. Vol. XI. p. 462, 103[b].]

P. V. M. Georgica c. Comment. Herm. Torrentini. Antwerpiae [expensis Henrici Eckert de Hombesch] 4. 1511.
E bibl. Thott. Panzer. Vol. VI, p. 5, 13.

1512.

P. V. M. Opera. Ex officina *Ascensiana* prodiere hoc anno Venetiis fol. Extat ea in Biblioth. Duc. Sax. Gothana. Memoratur in Biblioth. Schwarz. Est alia Ascensiana Parisiis: de qua olim dubitavi: nunc a viro docto, qui eam manu versavit, edoctus sum, eam prorsus convenire cum ceteris Ascensianis, esse quoque iisdem Commentariis instructam.

[*P. V. M. Opera cum expositionibus Servii, Donati, Mancinelli, Beroaldi* etc. Venetiis *per Georgium Arrivabenum MDXII. die XI. mensis Octobris* f. 1512.
Panzer Annal. Vol. VIII. p. 407, 576.]

Bucolica cum commento familiari (Herm. Torrentini) Londini per Wynandum de Worde [Die VIII. Aprilis] 4. 1512.
Ames's *Old English Printers* p. 92, qui *Wyncken* appellat, Palmer's *Hist. of Printing* p. 346. Maittair. Annal. Ind. p. 330. [Brüggemann. view p. 536.] Eadem editio repetita 1514. 1516. 1533.

Bucolica cum verborum contextu in poetices tyrunculorum sublevamen per Herm. Torrentinum triviali stilo familiariter discussa. Impr. Argentinae *per Io. Knoblouch* 4. 1512.
Vide ad a. 1509. [Panzer Annal. Vol. VI. p. 55, 246.]

[*P. V. M. Georgicorum Liber cum novo comment. H. Torrentini.* Melchior Lotterus impressit Lyptzk 4. 1512.
Panzer Annal. Vol. VII. p. 176, 381.

P. V. M. Carmina (minora supposititia) Lipsi per Melch. Lotterum. 4. 1512.
Panzer l. c. Vol. VII. p. 176, 382.]

P. V. M. Aeneis. Lipsiae *per Io. Thanner.* 4. 1512.
Recusa ed. 1505. Annales tamen Typogr. Lips. de ea tacent. Alia impensis *Melch. Lotter* 1513. 4. adest in B. G.

1513.

P. V. M. Georgicorum liber cum novo absolutissimoque comm. Herm. Torrentini multo accuratiori opera nuper recogniti. Argentine *per Io. Knoblouch quo potuit exactiori studio elaboratum. M. d. XIII.* 4. 1513.

Digitized by Google

Vide ad a. 1509. [Panzer Annal. Vol. VI. p. 60, 282]

P. V. M. Bucolicum, sine nomine typogr. Viennae 4. 1513.

Denis *Nachtrag zu seiner Buchdruckergesch. Wiens* p. 39. [Panzer. Annal. Vol. IX. p. 19, 104.]

[*P. V. M. Bucolicum decem aeglogarum opus castigatum a H. Torrentino.* Lypsi ap. Melch. Lotterum 4. 1513.

Panzer l. c. Vol. VII. p. 180, 417.

P. V. M. Aeneis novis ac elegantioribus formis expressa per Melch. Lotter civem Lipsiensem 4. 1513.

Ex bibl. Thott. T. VII. p. 201. Panzer l. c. Vol. VII. p. 180, 418.]

1514.

Virgilius. Venetiis *in aedibus Aldi et Andreae soceri anno MDXIII Mense Octobri.* 8. 1514.

[Duae extant sub hac subscriptione Virgilii edd. charta et typorum forma parum diversae, (224 foliis, quorum 4 posteriora non numerata sunt, utraque constat) quae, si textum ipsum respicis, multum inter se differunt. Altera enim, eaque prior, tot erratis typographicis scatet, ut duobus foliis ne gravissima quidem correcta sint. In altera emendatiori folia ista alba, et ult. delphinus ancoram complectens non clauso, ut in priori edit., sed aperto ore conspicitur. Quo signo quum ab a. 1519 demum usus fuerit Aldus, vid. Renouard. l. l. T. III. p. 98., hoc quidem aut proxime sequentibus annis editionem illam typis expressam esse verisimile est. Cf. inprimis Ebert l. l. T. II. p. 1040. n. 23670. Add. Renouard T. I. p. 162. sq. all.] Est haec classica editio, ut supra iam dictum p. 669, post Aldd. priores 1501 et 1505. auxilio Naugerii emendata." Huius, ut et primae Aldinae, usum benevolentiae Kulenkampi Collegae debeo; (migravit ea inde in B. G. A.) ex ea de lectione Virgiliana multo melius mihi constitit quam antea divinare licuerat. [Editione altera Heynium nostrum usum fuisse ex superioribus facile patet.] Promittit Aldus in praefat. ad Bembum, „se lusus Virgilii, quos ille (Bembus) habeat correctissimos, tum editurum esse, si eos acceperit." Quod tamen ipse non praestitit morte praeventus; perfecit tamen Franc. Asulanus socer 1517. De Andrea Naugerio eiusque in Cicerone et Ovidio collocata opera leguntur nonnulla in eius Vita a Vulpio praefixa editioni Operum 1718, de Virgilio nihil; tam ieiuna est illa narratio.

P. V. M. Opera [diligenti castigatione exculta aptissimisque] *ornata figuris, commentantibus Servio, Donato, Probo, Domitio, Landino et Ant. Mancinello* [*V. Cl.* etc. Fin.: *Impressum* Venetiis *per Bartholomeum de Zannis de Portesio M. D. XIIII. Die. XVI. Maii.*] f. 1514.

(vid. Ven. 1507) [1510 potius, ex qua haec editio ad singula verba descripta est. Differunt autem eo, quod in altera (1510) folia numeris arabicis, quos vulgo dicunt, in altera (1514) vero romanis insignita sunt.]

Bucolica cum Comm. familiari. (Hermanni Torrentini) Londini per Wynandum de Worde 4. 1514.

Herbert's *typograph. Antiqu.* et ex iis Bruggemann View of the English Edd. of G. and R. Auth. p. 536. (vide supra a. 1512.)

Georgica cum Comm. Herm. Torrentini. Daventriae, [apud Quentell] 4. 1514.

[*Georgicorum P. V. M. liber cum novo comm. Herm. Torrentini.* Impr. Liptzk per Melch. Lotterum 4. 1514.

Bibl. Reg. Dresd. Panzer Annal. Vol. VII. p. 183, 448.]

1515.

Vergilii poetarum omnium longe principis Opera quaecunque exstant et in haec annotationes commentariaque complurium doctissimorum virorum doctissima. In Buc. et Ge. Servius, Donatus, Mancinellus, Beroaldus; In Aen. Servius, Domit. Calderinus, Aug. Dathus, Beroaldus, Ascensius. (Venetiis) Fin. Impressum in Aedibus Alex. Paganini Inclyto Laurentano principe. Duodecimo kalen. Dece. MDXV. f. 1515.

Biblioth. Bunav. T. I, p. 500. [nunc Reg. Dresd.] Ascensianis in auxilium vocatis, nunc Venetis anterioribus 1507 et 1514 nova classis editionum succedit, tantum commentariorum ratione habita.

Opera et Opuscula Virgiliana diligenter ab Ascensio reposita et impressa. ad Kal. Novemb. MDXV. in Parrhisiorum *Academia* 8. 1515.

Maittair. Annal. Ind. p. 327. [Panzer Annal. Vol. VIII, p. 22, 788.]

Opera Vergiliana cum Comm. Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Aug. Dathi et Domitii Calderini, itemque Iodoci Badii Ascensii. Parisiis per Franc. Regnault. f. 1515.

Catal. Bibl Reg. Paris. *Poetes* n. 822. Ducta sine dubio ex edit. Ascens. 1507.

Georgicorum libri quatuor et Rosae. Argent. ex aedibus Schurerianis. 8. 1515.

Ex iisdem aedibus *Aeneis* eod. a. prodiit, [*summis certe vigiliis laboreque praemagno castigata*, ut in inscriptione legitur] v. Panzer. Vol. VI, p. 74, 398. ubi et de altero, p. 75, 406. Repetita *Aeneis* 1520.

[*P. Verg. Mar.*] *Aeneis* [*politioribus exactioribusque formulis iam excusa. — Ioannes Knoblouch civis Argentinensis impressit XIIII. die mensis Iunii Anno dni. MDXV.*] 4. 1515.

Maittair. T. II, p. 270. et disertius Panzer. Vol. VI, p. 70, 363.

1516.

Bucolica. repetita edit. Londin. per Wynandum de Worde 4. 1516.

Ex edit. 1512. 1514.

P. V. M. Mantuani Bucolicum decem aeglogarum opus tersum ac extrema opera castigatum: ab Herm. Torrentino familiariter expositum. Venundatur Lypsi. apud Melchiorem Lotherum in regione foeni 4. 1516.

Biblioth. Acad. Gotting. repetitum ex edit. 1505.

[*Bucolica P. V. M. cum verborum contextu in poetices tyrunculorum sublevationem per H. Torrentinum* etc. Impr. Argentine per Io. Knoblouch 4. 1516.

Panzer Annal. T. XI. p. 363, 435[b]. *Bucolica* c. comm. Torrentini eodem a. etiam Coloniae *in domo Quentell*, Panzer l. l. p. 397, 260[c], et Lipsiae *impensisque et industria Iac. Thanners* expressa sunt, Panzer l. l. p. 437, 566[d]. *Bucolica et Georgica c. comm. Servii, Probi, Mancinelli et Iod. Badii* Parisiis 1516. 4. commemorantur in catal. bibl. Thott. Vol. VII, p. 201.]

Georgica cum Comm. H. Torrentini. Argent. 4. 1516.

v. ad 1508. [*Georgica* cum comm. H. Torrentini eodem a. Lipsiae *ex offic. Melch. Lottheri* prodiisse docet Panzer Annal. Vol. XI. p. 437, 543. coll. Vol. VII. p. 192, 543.

P. V. M. Aeneis cum aliis carminibus. Daventriae [in aedibus Theodorici de Borne] 4. 1516.

Beroaldi epistola praefixa. Esse tamen Aeneidos libros ex Aldino exemplari castigatos et recognitos, Carmina autem minora ex antiquissimo exemplari multorum saeculorum recognita, ipsa praefatio docet inserta Maittair. Annal. T. II, p. 288. (Nec plura compererat Panzer. Vol. VI, p. 487, 33.) Iac. Faber aliquis recognitioni horum carminum praefuisse memoratur ibid. in Epistola ad Murmellium.

1517.

Opera Vergiliana a Servio, Donato, Mancinello et Probo; cum adnotatt. Beroaldi, Aug. Dathi, Calderini, Badii. Opuscula ante Aeneidem — Excussit Lugduni *et in officina sua literatoria Iacobus Sacon: impensas autem protulit Bibliopolarum optimus Ciriacus Hochperg.* Lugduni, 2 Voll. f. 1517.

Digitized by Google

Duobus Tomis — cum expolitissimis figuris et imaginibus: ait Maittair. T. II, p. 303, quae nullae aliae sunt, quam a Sebastiano Brant profectae ed. 1502. Est autem repetitio Ascensianae: id quod comparatione facta intellexi (Biblioth. Acad. Gotting.). Solet et Aeneis separatim circumferri. [ut est in biblioth. Reg. Dresd. Cf. Panzer Annal. Vol. VII. p. 316, 337. Notit. literar. edit. Bipont. T. II. p. 294—96.]

Hoc anno 1517 *Venetam cum Commentariis fol.* memorari vidi, sed suspecta fide.

[*Publ. Verg. Mar. Bucolicorum libellus.* Fin. Argentorati ex aedibus Schurerii mense Nov. Anno MDXVII 4. 1517.

Panzer Annal. Vol. IX. p. 369, 495[b].]

Diversorum veterum poetarum in Priapum lusus. P. V. M. Catalecta. Copa. Rosae. Culex. Dirae. Moretum. Ciris. Aetna. Elegia in Maecenatis obitum et alia nonnulla, quae falso Virgilii creduntur. Argumenta in Virgilii libros et alia diversorum complura. Venetiis in aedib. Aldi et Andreae soceri. Mense Decembri 8. 1517.

Haec classica est editio minorum carminum, e P. Bembi codice constituta. [cf. Renouard l. l. Tom. I. p. 190 sq.] vid. praef. ad Culicem et Cirin.

[1518.

P. Vergilius Maro cum Magnete suo Servio Mario grammatico Interprete quam castigatissimo — cui etiam adduntur Iuvenalia opuscula etc. Fin. fol. CLXXXV recto: Taurini *Nicolaus Benedictus et Antonius Ranotus Chalcographi cudebant. Ioannes Bremius castigabat Anno Salutis nostrae M. D. XVIII. quarto nonas Martii* fol. 1518.

Editio plerisque incognita servatur in bibl. Reg. Dresdana.]

1519.

Opera, cum Comm. Badii Ascensii, Iulii Pomponii Sabini, Domitii Calderini. Venetiis apud Luc. Anton. Iuntam f. 1519.

Coepit nunc Iunta, Paganini exemplo 1515, Ascensianarum edd. commentarios e Parisinis inferre: cf. sup. p. 670. [Atqui haec editio, cuius non meminit celeb. Bandini in Annalibus Iuntarum typograph., ea ipsa de caussa suspecta esse videtur; neque unde Heynius eius notitiam aliquam habuerit, assequi potui. Extant autem Biblia cum Concordantiis V. et N. Test. eodem a. et loco expressa (cf. Masch bibl. sacr. Vol. III. p. 175. Panzer Annal. Vol. VIII. p. 456, 980) quae non Venetiis, sed Lugduni per Iac. Sacon typis descripta esse probabile est. Itaque si forte editio ista Virgilii usquam inveniretur, annon spuria sit et Lug-

Digitized by Google

duni aut alio loco impressa, diligentius inquirendum esse apparet.] De Pomponio Sabino vid. sup. p. 608 et 638.

[*P. Verg. M. Bucolicum decem aeglogarum opus — ab H. Torrentino familiariter expositum. — Venundantur* Lipsiae *ap. Melch. Lottherum* 4. 1519.

Panzer Annal. Vol. XI. p. 439, 698[d].

P. Virg. M. Bucolica. Lipsiae *ex aedibus Valentini Schumann* 4. 1519.

Catal. bibl. Thott. Vol. VII. p. 201. Panzer l. c. Vol. VII. p. 210, 723.]

Vulgata quoque hoc anno sunt minora carmina, ut ex Breitkopf. Catal. p. 388 intellexi. [s. h. tit. *P. V. M. Poetarum Achillis minutiora opuscula seu mavis lusus et lectione et imitatione dignissimi* (studio M. Hier. Adami Budissensis.) Lipsiae ex aedibus Iac. Thanner 4. 1519.]

1520.

Virgilius. (cum minoribus Opusculis) Florentiae per *heredes Philippi Iuntae Nono Kal. Aug.* 8. 1520.

Curavit eam *Antonius Francinus Varchicensis* (est is *Antonio Francini il Vecchio.* v. Negri *Istoria — de' Florentini Scritrori* p. 60), usus iudicio *Nicolai Angelii Bucinensis* (de hoc v. ibid. p. 420 et Iuntin. Typogr. I pag. 50 sq.). Comparatione instituta intellexi, cum Aldina prima et secunda eam convenire; cum autem expressa sit ex edit. Iuntae Florent. 1510, (de qua v. supra h. a.) videtur exemplum huius ab Angelio emendatum, nec tamen in multis locis, esse librariis operis traditum. Praefixae porro sunt: *Benedicti philologi* (*Benedetto il filologo* v. Negri ibid. p. 92 et Iunt. Typogr. p. 60.) *viri peritissimi, in Virgilium annotationes.* Sunt eae paucae numero, grammaticae fere subtilitatis, sed pro illis temporibus non contemnendae, et a me singulis locis memoratae in Var. Lect. Respiciunt eas aliquoties viri docti, et receptas ex iis lectiones impugnant, ut Ecl. VIII, 77 *Necte, Amarylli, nodos.* Pervenit haec editio ad Biblioth. Acad. ex auct. Askewiana. [Vid. Ebert. l. l. n. 23671.] De Francino et Benedicto adde socios Bipontin. p. 356. [Bandini] Iunt. typogr. Annal. II, p. 154. [Panzer Annal. Vol. VII. p. 33, 172. Renouard l. l. Tom. III. p. 382.]

Pub. Vergilii Buc., Georgg., Aeneis cum Servii Comment. accuratissime emendatis — Sequitur Probi commentariolus etc. — Venetiis *in aedibus Ge. de Rusconibus et suis impensis excussi, et per Bapt. Egnatium Venetum emendati* 4. 1520.

Ex editione Venet. 1507, iisdem typis litterarum et eodem foliorum numero. Memoratur etiam Maittairio T. II, p. 600

Digitized by Google

[Panzer Annal. Vol. VIII. p. 461, 1021.] (Biblioth. Acad. Gotting.) [et Reg. Dresd.]

Virgilius. typis Michaelis Leschanger. Parisiis 4. 1520.

Maitt. Annal. Typ. T. II, p. 599. [Panzer Annal. Vol. VIII. p. 68, 1213.]

P. V. M. Opera, Opuscula et Priapeia. Argentinae in aedibus Io. Knoblouchii, aere communi Paulli Goez. mense Octobri MDXX 8. 1520.

Maitt. in Indice p. 327. Conf. a. 1509.

[*P. V. M. Mant. Bucolicum decem Aeglogarum opus. I. S.* (Ioan. Singrenius.) Fin. *Vienne. M. D. XX.* 4. 1520.

Denis Buchdruckergesch. Wiens p. 205. Panzer Annal. Vol. IX. p. 42, 230.]

P. V. M. Aeneidos libri duodecim — Ex aedibus Schurerianis. mense Iulio etc. (Argentorati) 4. 1520.

(Biblioth. Acad. Gotting. e copiis Duvianis) vide supra 1515 Argentin. [Panzer Annal. Vol. XI. p. 365, 577. add. Vol. VII. p. 94, 577.]

1521.

Virgilius. [*Vergiliana poëmata nuperrime impressa atque ad amussim castigata*] Lugduni *in chalcographia Guilelmi Huyon Impressoris seduli* [*M. D. XXI. Mensis Iulii.*] 8. 1521.

Maitt. Ann. T. II, p. 617. [Biblioth. de Lamoignon T. I. p. 260. n. 2348. Panzer Ann. Vol. VII. p. 332, 455. Ex Aldina a. 1514 descripta esse videtur. Ebert l. l. n. 23672.]

P. V. M. Andini bucolicum decem aeglogarum Opus nulli non utile ab Herm. Torrentino scholiis illustratum, cui et Index vocum in fine accessit. Exc. Lipsiae in off. Melchioris Lottheri, 4. 1521. [Bibl. Reg. Dresd. Panzer Annal. Vol. VII. p. 218, 792.] *Georgicorum liber cum Comment. Herm. Torrentini.* Lipsiae ap. eund. 4. 1521.

Biblioth. Acad. Gotting. [Panzer l. c. Vol. VII. p. 218, 793.]

[*Bucolica P. V. M. c. verborum contextu — per H. Torrentinum — familiariter discussa.* Fin. *Impressum* Viennae Pannoniae *per Io. Singrenium expensis Luce alantse* 4. 1521.

Denis Buchdruckergesch. Wiens p. 219. Panzer Annal. Vol. IX. p. 45, 248.

P. V. M. poetae vere divinum Aeneidos librorum opus nuper vigilanti labore elaboratum. Lipsiae, ap. Melch. Lottherum 4. 1521.

Veesenmeyer bibliogr. u. biogr. Analekten p. 66 sq.]

Castigationes et Varietates Virgilianae lectionis per Io. Pierium Valerianum. Fin.: *Impressit* Romae *Ant. Blades Asulanus M. D. XXI. Mense Iunio* f. 1521.

(B. A. G.) [et Reg. Dresd.] De Io. Pierio, praeclare de Virgilio merito, cf. Burmann. praef. Virgil. sub f. Habuit ante

oculos lectionem Aldinae, et quidem secundae ex prima expressae: vid. ad Ecl. VIII, 34. cf. Aen. VI, 233. XI, 607. cf. sup. p. 669 et 670. Receptae hae castigationes in edd. inde a Paris. 1529.

1522.

Virgilius cum Comment. var. et figuris. Adiecta sunt Priapeia — Venetiis. Gregorius de Gregoriis f. 1522.

In Catal. Bibl. Reg. Paris. n. 823 memoratur; referenda sine dubio inter Venetas ex Ascensianis ductas.

Virgilius — ad exemplar Aldinum denuo recognitus a P. Vidouaeo [Parisiis, ap. Viart] 12. 1522.

Memoratur ab Harles p. 238. [Biblioth. de Lamoignon. T. I. p. 260. n. 2349.] cf. mox 1529.

1523.

Virgilius. Basileae apud Io. Bebelium 8. 1523.

E biblioth. Thott. Panzer. Vol. VI, p. 241, 510. Iterum 1528. ibid. p. 265, 607.

[*Virgilius.* Fin. Argentorati *Ioh. Cnoblochus excudebat* etc. 8. 1523.

Panzer Annal. Vol. IX. p. 372, 653[b].

P. Verg. Maronis Georgica. Apud sanctam Ubiorum Agrippinam *in aedibus Euch. Cervicorni* 4. 1523.

Bibl. Reg. Dresd.]

Caesaris Delphini, civis Parmensis, in carmina sexti Aeneidos libri digressio. Venetiis. Bernandinus de Vianis de Laxona 4. 1523.

Foscarilegia, in quibus multa Virgilii loca emendantur a Nic. Scelsio Michaele Baroltano. Venetiis. Paullus Danza. 4. 1523.

Catal. Biblioth. Reg. Paris. *Poetes* n. 909.

1525.

P. V. M. Opera ad veterum P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata. Venetiis f. 1525.

Ex Aldina 1514. Eodem a. [Aeneis] repetita Argent. apud Knoblouch.

[*Pub. Verg. Maronis poetarum optimi Aeneidos libri duodecim.* Argentorati *ap. Io. Cnoblouchum* 4. 1525.

Bibl. Reg. Dresd. Goetz memorabb. Tom. II. p. 270. Panzer Ann. Vol. VI. p. 108, 706.] v. sup. 1508. [Sed haec editio a superioribus istis longe est diversa. Nulla enim in ea legitur familiaris expositio, et Nic. Gerbelii praefatio V. Id. Aug. 1525 scripta est.

Digitized by Google

P. V. M. opera (*Vergilius.*) Lugduni per Laurentium Hylaire 8. 1525.

Ex catal. bibl. Thott. T. VII. p. 259. Panzer l. c. Vol. VII. p. 338, 512.]

1526.

P. Virgilii [*Mar. Opera et Opuscula.* Parisiis apud] Sim. Colinaeum [*MDXXVI Octavo Calendas Maii.*] 8. 1526.

[Maittaire Annal. Vol. II. p. 676. Panzer Vol. VIII. p. 96, 1516. Ebert l. l. n. 23673.] Prima, si bene memini, Colinaeana, ex Aldina aliqua priore expressa.

Virgiliana Quaestio per Franciscum Campanum Collemem. Bononiae in aedibus Io. Baptistae et Benedicti Hectoris de Faellis 4. 1526.

Ex *Clement* VI, p. 176. Panzer Vol. VI, p. 335, 140. Dubito tamen an 1536 legendum sit. v. inf. ad a. 1540.

1527.

Virgilius. Venetiis *in aedibus Aldi et Andreae soceri anno MDXXVII Mense Iunio* 8. 1527.

Vide a. 1501. 1505. 1517. Est ex Aldd. pr. et tert. conflata lectio. [Renouard l. l. T. I. p. 246 sq. Ebert l. l. n. 23674.]

Virgilius per Bernardum Stagninum Venetiis 12. 1527.

In bibliotheca Huberi Basil. Expressa sine dubio ex 1507.

Bucolica cum Commento Paris. 4. 1527.

Memoratur in Biblioth. Harlei. T. I, p. 177.

[*P. V. M. opera.* Argentorati, Ioa. Cnoblochus excud. 8. 1527.

Veesenmeyer l. l. p. 67. vid. ad a. 1523.]

1528.

Opera Virgiliana cum decem Commentis docte et familiariter exposita. In fine: *diligenti emendatione per Iacobum Mareschal al. Roland. excusa* Lugduni *MDXXVII. d. XIX Aug.* c. figg. f. 1528.

Alter annus in fronte expressus. Nonnulla exemplaria annum 1529 prae se ferunt. Editio ad Ascensianas instructa, proxime tamen ad Lugdun. 1517. Minora carmina Vol. priore Georgicis adiecta sunt (Biblioth. Acad. Gotting.). Decem illa Commenta sunt Servius, Donatus, Mancinellus, Probus, Beroaldus, Augustinus Dathus, Domitius Calderinus, Iodocus Badius Ascensius, Pierius Valerianus. Acc. Landini Enarrationes. [Panzer Annal. Vol. VII. p. 342, 545.]

Eodem a. rep. Bebeliana edit. Vide ad 1523.

1529.

P. V. M. Opera cum decem Commentis (Servii, Donati et aliorum) *docte et familiariter exposita* — *Addit.* (post Geor-

gica) *praeter. opuscul. aliud, in priapi lusum, quod in antea impressis minime reperitur.* Lugduni in typographaria officina Io. Crespini, cum figg. f. 1529.

Apud Maitt. Annal. Ind. p. 329. [Panzer Vol. VII. p. 346, 595. Extat in bibl. Reg. Dresd.] Dubito an prior illa superioris anni ab hac diversa sit.

Pub. Verg. Maro. Buc. Ge. Aeneis cum Servii Comment. Add. Probi et Mancinelli Comment. et Donati — cum Pierii Castigat. et Iod. Badii Ascensii expositione — Opuscula Vergilii (post Georgica) — Parisiis per Petrum Vidouaeum (*Gaudoul*) cum figg. [ab istis edd. Argentor. et Lugdun. longe diversis] f. 1529.

Biblioth. Bunav. T. I, p. 300 [Panzer Annal. Vol. VIII. p. 126, 1836.] descripta ex Ascensiana 1515. (Bibl. Acad. Gotting.) [et Reg. Dresd.] cf. modo 1522.

In P. V. M. Bucolica et Georgica adnotationes, ac loci omnes maxime Theocriti, tum etiam Hesiodi quidam, quibus usus est Virgilius, latine redditi per Eobanum Hessum. E schola Norica. Haganoae, per Io. Secerium 8. 1529.

Eobani adnotationes, saepe deinceps recusae, hic primum vulgatae esse videntur. Praefixa eius epistola ad Fridericum Norimb. apud D. Aegidii Abbatem data est Norimbergae mense Augusto 1528. (Biblioth. Acad. Gotting.) [Panzer Annal. Vol. VII. p. 104, 297.]

[*Castigationes et varietates Virgilianae lectionis per Io. Pierium Valerianum.* Parisiis ex offic. Rob. Stephani f. 1529.

Bibl. Reg. Dresd. vid. ad ann. 1531.]

[1530.

Virgilius cum Phil. Melanchthonis scholiis. Haganoae per Ioh. Secerium MDXXX mense Martio 8. 1530.

Prima haec est scholiorum Phil. Melanthonis editio, ex eadem officina et eodem loco in lucem emissa, quo et plura alia Melanthonis opuscula primum prodierunt. Corrigendus igitur Heynius supra p. 672 et in proxime sqq. Add. Panzer Annal. Vol. VII. p. 105, 311.]

1531.

P. V. M. Opera cum Philipp. Melanchthonis adnotatiunculis. Et Virgilii alia opuscula cum Priapeiis. Parisiis [*sub lilio — MDXXXI. Mense Augusto.*] 8. 1531.

Vid. Maittair. T. II, p. 759. [Panzer Annal. Vol. VIII. p. 151, 2099.] Primo hic exarata esse video Philippi scholia [minime, vid. ad a. anteced.], idque Parisiis factum miror. Cui otii tantum superest, caussam facile expedire poterit, si ea, quae

Digitized by Google

de eo viro scripta sunt, evolverit. Saepissime hinc scholia illa in edd. repetita.

P. V. M. Opera. apud Sim. Colinaeum. Paris. 12. 1531.
Vid. ad 1526.

— Venetiis in aedibus Bern. Stagnini 12. 1531.

Non dubito, ductam eam esse ex altera 1507. [Vid. Harless notit. scriptt. lat. P. II. p. 302.]

1532.

P. V. M. Opera. Mauri Servii Honorati grammatici in eadem Commentarii ex ant. exemplaribus suae integritati restituti. Castigationes et Varietates Virgilianae lectionis per Io. Pierium Valerianum. Ex off. Roberti Stephani. Parisiis f. 1532.

De ea supra dictum p. 670 (Bibl. Acad. Gotting.) [et Reg. Dresd.] Castigationes Pierianae (de quibus v. ad 1521) iam 1529 sunt excusae et alterum Tomum constituunt, quo exemplaria nonnulla destituuntur. [Maittaire Annal. Vol. II. p. 775. Panzer Vol. VIII. p. 156, 2141. Ex Ald. s. Iunt. prima Virgilium ipsum descriptum, Servium vero codd. mss. auctoritate emendatum esse docet Ill. Ebert l. l. n. 23675.]

[*Lucubrationes Poeticae seu P. Virg. M. opera.* Lugduni ex offic. Melch. et Casp. Trechsel MDXXXII. 8. 1532.
Panzer Annal. Vol. VII. p. 354, 667.]

Iuntina huius anni 1532 est eadem cum ea, quae anno sequenti commemorabitur.

1533.

P. V. M. Opera (cum carminibus minoribus), *accuratissime castigata, et in pristinam formam restituta, cum acerrimi iudicii virorum commentariis, Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Domitii Calderini. Quibus add. adnotationes Chph. Landini, Aug. Dathi, Phil. Beroaldi. Acc. Castigationes — per Io. Pierium — nunc iterum ab eodem recognitae — Graeca in veram lectionem reformata.* In fine: Venetiis in aedibus Luceantonii Iuntae Florentini. A. D. MDXXXII. mense Septembri (At in fronte 1533 mense Ianuario) cum figg. f. 1533.

Vide ad a. 1519. (Biblioth. Acad. Gotting.) [Editio Bandinio incognita.]

Virgilius cum Comment. Servii et expositionibus multorum virorum doctorum. Impress. Mediolani *per Vincentium da Meda ad instantiam D. Nicolai de Gorgonzola anno MCCCCCXXXIII. vigesimo Idus Junii. Quint. XXXIII. Car. IIII.* f. 1533.

Memoratur a Maittaire Annal. Ind. p. 329. [Panzer Vol. VII. p. 403, 214.] Ducta videtur ex Venetis. [Vid. ad a. 1504.]

P. V. M. Opera (cum minor. Opusc. ex 1517). Ex off. Rob. Stephani. Parisiis 8. 1533.

Praefixam habet ex edit. Ald. tert. praefationem. Poetae tamen verba passim ad alias edd., v. c. Ecl. X, 19 *bubulci*, mutata. (B. A. G.) [Ebert l. l. n. 23676.]

P. V. M. Bucolica cum Commento familiari. (Herm. Torrentini) Londini in aedibus Winandi de Worde 4. 1533.

Apud Maittair. T. II, p. 790. vide supra 1512. 1516.

Scholia ex Graecis et Latinis auctoribus in Bucolica — Lycobatis Anemoecii (Wolfgang Windheim?) [imo Winthauser] Aug. Vind. [apud Henr. Steiner] 8. 1533.

Laudantur ab Heusing. ad Offic. Cic. praef. p. 34. Nec plura docere potuit Panzer. Vol. VI. [p. 169, 257. Vol. IX. p. 384, 257. Winthauserus ille, I. U. D., cuius scholia saepius postea recusa sunt, primum Monachii ad D. Petri, deinde Ulmae et ab a. 1533 Augustae graecam, lat. et hebraeam linguam edocuit. Vid. Veith biblioth. August. Alphab. I. p. 5—10.]

1534.

P. V. M. Opera cum Servii Probique Comment. ac omnibus lectionum variationibus in ant. codd. repertis, cura et studio Alex. Vellutelli emendata et propriis expensis in aedibus Petri de Nicolinis de Sabbio impressa, sub principe Andrea Gritti MDXXXIIII mense Septembri [Venetiis] 8. 1534.

Memorant hanc parum frequentem editionem Fabric. B. L. T. I, pag. 209. Maitt. Annal. Ind. p. 328. Bure *Bibliogr. instruct.* n. 2676. [Panzer. Annal. Vol. VIII. p. 539, 1751. Ebert l. l. n. 23677.] B. A. G. [et Reg. Dresd.] Ea inspecta patuit, spem me olim de ea suscepisse vanam; nam sequitur ea Iuntinas; lectionum autem varietas est e Pierian. Castigat. excerpta.

P. V. M. Opera ex recensione I. B. Egnatii cum Servii Comment. Basileae per Io. Walder. P. I. II 4. 1534.

Maittair. T. II. p. 810 et ante eum Fabric. B. L. T. I, p. 208, ubi subiicitur: *qui* (Walder) *vetusto exemplari se usum esse ait.* Quod verebar, ne de Egnatio verba ista accipienda essent, ipsa res me docuit: est enim mera repetitio Egnatianae a. 1507. Add. Panzer. Vol. VI, p. 303, 991.

[*Contenta. P. Virgilii M. opera. Mauri Servii Hon. Gr. in eadem commentarii — cum Probi adnotationibus. Castigationes et variationes Virgilianae lectionis per Io. Pierium Valer.* — Veneliis *MDXXXIIII. In aedibus Aurelii Pincii Veneti* fol. 1534.

Panzer Annal. Vol. VIII. p. 536, 1725.

Virgilius: Phil. Melanchthonis scholiis ut brevissimis ita doctissimis ubique exacte adnotatus. Acc. nova scholia Christoph. Hegendor. in libros Georg. Io. Gymnicus excudebat Coloniae *Anno M. D. XXXIIII.* 8. 1534.

Panzer. Annal. Vol. VI. p. 428, 744.]

Repetita quoque *hoc anno* Catalectorum editio apud Aldum ex editione 1517. (Biblioth. Gotting. Acad.) cf. Burmann. Sec. praef. Anthol. Lat. p. 58. [Renouard l. l. Tom. I. p. 263 sq.]

1535.

Virgilius. Phil. Melanchthonis adnotatiunculis illustratus. Parisiis apud Io. Parvum 12. 1535.

(Vid. 1531.) [Panzer Annal. Vol. VIII. p. 183, 2421.]

Virgilius cum Scholiis Phil. Melanchthonis. Acc. *diversorum lusus in Priapum.* Basileae 8. 1535.

Biblioth. Huberi Basil. et B. Gott.

P. V. M. Bucolica. Tiguri. apud Chph. Froschhoverum 8. 1535.

Maittair. T. II, p. 829. [Panzer Vol. VIII. p. 315, 75.] cf. infra 1547. 1561.

[*In P. Virg. M. Bucolica. Annotationes H. Eob. Hessi. Scholia item Leon. Kulmanni* — Coloniae ap. Io. Gymnicum Anno MDXXXV. 8. 1535.

Panzer l. c. Vol. VI. p. 433, 785.

P. V. M. Bucolica cum scholiis Wolphangi Anemoecii ex Gr. et Lat. authoribus. Viennae in offic. Io. Singrenii 8. 1535.

Denis Buchdruckergesch. Wiens p. 373. Panzer Annal. Vol. IX. p. 55, 314. De Anemoecio vid. ad a. 1533.]

Donati *in libros XII. Aeneidos, quae antea desiderabatur, absoluta interpretatio.* Impr. Neapoli per Io. Sulzbachium et Matthiam Cancer, quarto Idus Novembres f. 1535.

Scipionis Capycii, ICti, ad quem e Bibliotheca Ioviani Pontani pervenerant, studio, Paullo Flavio curante, primum hoc anno Commentarii, *Donati* nomine insigniti, excusi sunt; quorum antea tantum excerpta in edd. erant prolata. v. sup. ad 1487 et 1489. Utriusque praefationes v. in Leonardi Nicodemi *Addiz. alla Biblioteca Neapolit. da Nic. Toppi* p. 127. 128. Donatum emendatiorem quatuordecim annis post in Germania vulgavit Ge. Fabricius.

Erudita Scholia in Bucolica Vergilii — per *Iodocum Willichium.* Argentinae apud Io. Albertum. In fine: M. Sept. MDXXXV. *primum* nunc prodiere; saepe hinc aliis commentariis inserta. (B. A. G.)

Digitized by Google

1536.

P. V. M. Opera. cum Comment. Servii et Pierii. Impressum apud Ludovicum Britannicum Brixiae f. 1536.

Maittair. Annal. Ind. pag. 329. [Panzer Annal. Vol. VI. p. 342, 34.] Videtur Stephanianam a. 1532 aut Venetas ex iis interpolatas sequi. cf. inf. a. 1546.

P. V. M. Opera cum undecim Commentariis; Chph. Landini, Ant. Mancinelli, Io. Badii Ascensii, Servii, Donati, Probi, Dathi, Iuli Pomponii Sabini, Beroaldi, Domitii Calderini. Venetiis apud Luc. Ant. Iuntam. II Vol. c. figg. f. 1536 et 1537.

Maittair. T. III, p. 273. [Panzer Annal. Vol. VIII. p. 553, 1884. Bandini] Iunt. Typogr. Annal. p. 16. Vid. 1519. 1533. Recusae hoc anno Eobani Hessi annotationes ex 1529. Coloniae. (B. A. G.) et a. 1525. ap. Panzer. Vol. VI, p. 433. 785.

1537.

P. V. M. apud Rob. Stephanum 12. 1537.
Vid. 1533.

P. V. M. cum scholiis Melanchthonis et Culice ex P. Bembi recognitione. Lugduni 8. 1537.

Fabric. B. L. T. I, p. 212. Recognitionem, Culicis puta, ad P. Bembi librum petiit ex Aldd. Diversor. vet. poetar. lus. 1517 vel ex Dialogo Bembi de Culice 1530.

Lud. Vivis in Bucolica Virgilii interpretatio. Basil. 8. 1537.

1538.

Buc. Ge. et Aeneis. Parisiis apud Franc. Gryphium 4. 1538.

Bucolica quidem 1538, at Georgica 1535, et Aeneis 1537. vid. Maittair. Annal. Ind. p. 326. Videtur operis proposita fuisse editio Lugdunensis superioris anni. Est autem haec prima, quae Gryphianum nomen prae se fert. Quae quidem inspexi Gryphiana exemplaria, conveniunt cum Ald. pr.

P. V. M. Opera, Phil. Melanchthonis illustrata scholiis. Eiusdem Opuscula, Culex insuper, a P. Bembo recognita. Parisiis excudebat Io. Lodoicus 8. 1538.

Maittair. Annal. Ind. p. 329. Vide modo Lugd. 1537.

Paraphrasis in XVI. orationes Vergilii, quae quidem primo Aeneidos libro continentur. Per Gasparem Heldelinum, Ludimagistrum Lindaviensem. Argentorati ap. Cratonem Mylium 8. 1538.
(B. A. G.)

[*Virgilius.* Per Sim. Colinaeum. Paris. 12. 1538.]

Digitized by Google

1539.

P. V. M. Buc. Georgg. et Aen. nunc demum Nic. Erythraei opera in pristinam lectionem restituta — additis eiusdem scholiis. Acc. diligens observatio cum licentiae omnis, tum diligentiae Maronianae in metris. Venetiis informabat Io. Ant. Sabius, II Voll. 8. 1538. 1539.

Inani iactatione, quam Henr. Stephanus quoque subsannat in praefat. suae edit., in lucem edit Sabius ineptam Erythraei opellam; de qua iam vidimus a. 1500. Memorant eam Maittaire T. III, p. 306. Catal. Bibl. R. Paris. n. 226. Bure n. 2678. [Vol. secundo Erythraei index in Virg. continetur, ut ex subscriptione patet, *Anno MDXXXVIII mense Maio* excusus. Vol. primum mense Septembri anni sequ. finitum. Add. Ebert. l. l. n. 23678. B. R. Dr.]

P. V. M. Opera omnia diligentia P. H. Sussannaei quam emendatissime excusa. Parisiis ap. Io. Macaeum 4. 1539. 1540.

Maittaire T. III, p. 306. Catal. B. R. Paris. n. 829.

P. V. M. Bucolica, cum Io. Vivis Valentini in eadem allegoriis. Mediolani. per Minicium Calvum 8. 1539.

Maittaire T. III, p. 306. vid. modo a. 1537; hinc saepe et alias Bucolica cum Vivis inutili commentario sunt repetita, ut Antwerpiae 1544, 8. et al.

P. V. M. Eclogae decem, Calphurnii septem, Nemesiani quatuor, Sannasarii quinque. Francof. apud Christ. Egenolfum 8. 1539.

Maitt. T. III, p. 306. cf. supra a. 1504.

Repetita quoque Georgica c. Iod. Willichii illustratione Basil. [ap. Barth. Westhemerum] 8.

1540.

P. V. Maro. Ex off. Rob. Stephani. Paris. 8. 1540.
Vide sup. 1533. 1537.
— per Sim. Colinaeum. Paris. 12. 1540.
Vide 1526. 1531. [1538.]

P. V. Maro. apud Franc. Gryphium. Excudebat Io. Lodoicus Filetanus. Paris. 4. 1540.

Maitt. Annal. Ind. p. 326. 330. Bucolica quidem annum exhibent 1542, Georgica et Aeneis 1541, sex tamen posteriores Aeneidos libri 1543.

Virgilius. apud Aldi filios. Venetiis 8. 1540.

Memorab. Bibl. Dresd. T. II, n. 309. Est, puto, eadem cum edit. 1541.

Franc. Campani Quaestio Virgiliana s. Elucidationes in aliquot Virgilii loca. Mediolani. Calvus 4. 1540.

Digitized by Google

Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poet.* n. 910. Eundem libellum in manibus habemus inscriptum: *Franc. Campani Quaestio Virgiliana, per quam diligentissimus poeta negligentiae, quam Tucca et Varus ac ceteri hactenus obiecerunt, absolvitur, et sine qua multa in divina Aeneide ad hunc diem obscurissima loca, sed in secundo praesertim et sexto, intelligi non possunt* etc. Parisiis apud Io. Foucher. 1541, 8. [Repetit. ibid. ap. H. Stephanum 1567. 8.] Totus libellus versatur circa XXII illos versus, quos Tucca ac Varus Aen. II sustulisse feruntur. Praefixa Campani epistola data X Kal. Mart. 1536 satis docere videtur, iam ante Bononiae eundem libellum prodiisse. v. sup. ad 1526.

P. Virg. M. Bucolica cum Iod. Willichii experimentis. Basil. 8. 1540.

In Bucolica Helii Eobani Hessi et Leonardi Kulmanni annotationes. Argent. [ap. Iac. Iucund.] 8. 1540.

[Vid. ad ann. 1543. 1556.]

[*In P. Verg. Mar. Georgica annotationes H. Eobani Hessi.* Colon. ap. Io. Gymnicum 8. 1540.

Recusae ibid. ap. Mart. Gymnicum 1545. 8.]

1541.

Virgilius. Venetiis apud Aldi filios 1541. M. Ianuario 4. 1541.

Repetita ex superioribus Aldd. [Cf. Renouard l. l. Vol. I. p. 292. Ebert Vol. II. p. 1041. n. 23680.]

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis curis P. H. Sussannaei emendata. Parisiis apud Mich. Fezendat 8. 1541.

Maitt. T. III, p. 329. Alia exemplaria nomen *Oudini Parvi* gerunt. [Catal. bibl. Thott. T. IV. p. 125. n. 950.] Adde Burium n. 2679. [Ebert l. l. n. 23679.] Ducta ex Edit. 1539.

P. V. M. universum poema, una cum emendatissimis Comment. Servii et Donati multo quam antea castigatissimum (et Carmina minora). *Addita sunt praeterea, quae in hoc ab Ascensio, viro non illiterato, scripta sunt.* Venetiis apud Aloysium de Tortis f. 1541.

Secundum Iuntinas expressa, ut supra observatum est. (Biblioth. Acad. Gotting.)

Bucolica, Georgica, Aeneis. Venetiis in offic. Erasmiana. 16. 1541.

[*P. V. M. Georgicon liber primus* (adh. sec., tert. et quartus) *ad Mecoenatem.* Paris. ap. Fr. Gryphium 4. 1541.

Exemplar huius edit. elegantissime impress. extat in Bibl. Reg. Dresd.]

Digitized by Google

1542.

P. V. M. Opera cum Servii, Donati et Ascensii Comment. Venetiis apud Iuntas f. 1542.

Pleniora dant [Bandini] Iunt. Typogr. Annal. II, p. 271. (Vide 1519.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis. apud Seb. Colinaeum. Paris. 12. 1542.

Maitt. T. III, p. 340 (vide 1540).

Apud eundem *in Virgilii Moretum scholia* Io. Ruellii *per* Hub. Sussannaeum *collecta* Paris. 12. 1542 prodierunt, Maittairio memorante T. III, p. 340. Ind. p. 331. Catal. B. R. Paris. n. 901 et eodem auctore, in Ind. p. 330.

Virgilii Tityrus, Ecloga, allegorica interpretatione illustrata per Io. Bellofilium 8. 1543 excusus est, quo equidem aequo animo careo.

P. V. M. Buc. Ge. Aeneis. Parisiis apud Petrum Gromorsum 1542.

Bucolica quidem cum Georgicis 1542. Aeneis autem 1545. vid. Maittair. Ind. p. 326. Videntur recusa esse ex editione per P. H. Sussannaeum emendata 1540 ei 1541.

P. V. M. opera ex castigatione Ant. Goveani. Lugduni ap. Seb. Gryphium 8. 1542.

Etiam a. 1541 nonnulla exempla exhibent. [Ita bibl. Reg. (Londin.) catal. T. V. p. 352. *Georgica* ex eiusd. castigatione ibid. 1541 in catal. bibl. Thott. T. IV. p. 126. n. 965.] Habet praefixam Goveani epistolam: iactat tamen falso doctissimi viri castigationem. *Foedissimorum mendorum sentinam* appellat eam Henr. Stephanus in praef. suae edit.

Ad Virgilii opera Loci aliquot — a Ge. Leonberger. Ingolstadt 8. 1542.

Opera pro illo tempore non indocta, et cuius adhuc usus esse potest. Enotata sunt loca, cum veterum, Gellii, Macrobii, et Grammaticorum, tum philologorum, in quibus aliquid in Virgilium est observatum (B. A. G.)

1543.

P. Verg. M. [opera utilissimis argumentis et adnotationibus illustrata et accurate castigata.] Florentiae per Iuntas 8. 1543.

v. Bandini Iunt. Typogr. Annal. p. 236.

Bucolica cum scholiis Phil. Melanchthonis, Willichii, Eobani Hessi, Leon. Kulmanni. Antwerpiae ap. Io. Loe 8. 1543.

Maitt. Ind. p. 330. Etiam a Martino eam laudari memini Eobani Hessi et Kulmanni annotat. [vid. catal. bibl. Thott. T. IV. p. 334. n. 2090.] Vide a. 1540.

Digitized by Google

1544.

P. V. M. universum poema, exactissime castigatum. Servii integra expositio: Probi, Ioannisque Vivis in Eclogas Allegoriae, Iodoci Willichii super Ge. expl. etc. — omnes praeterea varietates lectionum cum a Io. Pierio tum ab aliis doctissimis viris hactenus observatae. Venetiis apud Hieron. Scotum f. 1544.

Expressa iuxta Ven. 1541 et 1542. In nostro exemplari Aeneis non desideratur. Subiecta sunt Carmina minora. [Bibl. Reg. Dresd.] Repetita 1558. 1562. 1585.

P. V. M. Opera cum opusculis. — omnia accuratius emendata. Lugduni. Seb. Gryphius 16. 1544.

Editionem *Basileensem* a. 1544 cum Servii et alior. Commentariis Io. Bapt. Egnatii cura recensitis memorat Burmannus Sec. in praef. ad Virgil. Similem esse video editioni 1534. Basileae per Hieronym. Curionem exaratam e Sociis Bipontinis didici.

[*P. V. M. opera nunc recens accuratissime castigata. Cum XI acerrimi iudicii virorum commentariis.* Venetiis apud Iuntas (c. figg.) f. 1544.

Bibl. Reg. Dresd. Bandini in annall. Iunt. typogr. huius edit. non meminit. Add. catal. bibl. Thott. T. IV. p. 47. n. 809. Bibl. Reg. Londin. T. V. p. 352.

Eod. a. *Bucolica* cum I. Vivis Valentini allegoriis prodiere Antverp. in oct. vid. ad a. 1539.]

Scholia in Georgicorum P. Verg. M. lib. IIII. doctissima, D. Phil. Melanchthone autore nunc primum in lucem edita. Adi. Eobani Hessi Annotationes; adhaec brevis explicatio vocabulorum de agricolarum instrumentis per Iodoc. Willichium Resellianum. Basileae apud Barphtolom. Westhemerum. anno MDXLIIII. mense Augusto 8. 1544.

(B. A. G.) [et Reg. Dresd. v. Goetz Memorabb. bibl. Dresd. Vol. II. p. 309.] Harles notitia Script. Lat. T. II, pag. 282. 3. Non sunt haec confundenda cum Scholiis Philippi in edd. Paris. Io. Gastius Brisacensis, qui praefatur, esse ea ex Melanchthonis ore ab auditore quodam excepta, diserte narrat. De Willichio v. 1535.

Iulii Pomponii Sabini Grammatici eruditiss. in omnia quae quidem extant P. M. opera commentarii. Basileae. (Io. Oporin.) 8. (1544.)

Vid. sup. ad a. 1486. [Bibl. Reg. Dresd.]

Adriani Barlandi Annotationes in IV priores Aeneidos libros. Antwerp. 1544.

[*Deuterologiae sive spicilegia Petri Nannii Alcmariani in quartum librum Aeneidos Virgilii.* Lovanii, ex offic. Rutgeri Rescii 4. 1544.]

1545.

P. V. M. Poemata. Parisiis apud Fr. Gryphium 8. 1545.
Vide 1538.

Virgilius. Venet. apud Aldi filios 8. 1545.
Vide 1540. [Add. Renouard l. l. Vol. I. p. 316.]

Virgilius Philippi Melanchthonis scholiis illustratus. Coloniae 8. 1545.
De his v. 1531.

[*Virgilius.* Lugd. ap. Godefr. et Marcellum Beringos 8. 1545.
H. Eobani Hessi annotatt. in *Bucolica* h. a. Coloniae ap. Mart. Gymnicum prodiere. vid. ad a. 1540.]

1546.

P. V. M. Opera cum Maphei Suppl. et Phil. Melanchthonis annotat. Basileae per Nic. Brylinger 12. 1546.
Alia exemplaria a. 1545 prae se ferre videntur.

P. V. M. Opera cum comment. Servii et annotat. ex Doleti Comment. LL. apud Lodovicum Britannicum. Brixiae f. 1546.
Maittair. Annal. Ind. p. 329. Similem editionem vid. sup. a. 1536.

P. Verg. M. Partheniae Mantuani Opera, post omnes omnium edd. nunc demum revisa et emaculatiora reddita. Aelii Antonii Nebrissensis — in eadem ecphrases admodum familiares — Apud Inclytam Granatam 4. 1546.
Vide specimen Biblioth. Maians. p. 37. [Ebert l. l. n. 23681.] De fonte editionis mihi non liquet. [„Maximam in codicis castigatione adhibitam esse diligentiam" Xantus Nebrissensis, Ael. Ant. fil., in praef. ad rudem tirunculorum pubem testatur. Extat exempl. in bibl. Reg. Dresd.]

P. V. M. Opera Theod. Pulmanni Annotat. illustrata. Antwerpiae per Plantinum 16. 1546.
Memoratur tum aliis, tum Burio biblioth. instr. n. 2680. Probabile tamen mihi est, per errorem eam laudari: anno male exarato pro 1564, ad quem a. vide.

P. V. M. Opera cum Opusculis [et Maph. Vegii lib. XIII. Aen.] — Lugd. per Seb. Gryphium 16. 1546.
Biblioth. Smith. p. D. Repetitio edit. 1542.

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis cum adnotationibus. Lipsiae per Valentinum Papam 8. 1546.
A *Phil. Becchio*, tum adolescente, posthaec Professore Basileensi, conscriptae sunt adnotationes hae, quae fere *sub Ge. Fabricii nomine* venire solent. vid. Gesneri Biblioth. per Frisium p. 689. Easdem commendat Ioach. Camerarius in Epistola ad Ge. Fabricium, VII Kal. Octobr. sed nullo anno ad-

Digitized by Google

scripto data, et huic ipsi, si recte auguramur, editioni primum, deinceps et aliis, praefixa. In eadem epistola Camerarius profitetur, se descriptum ex Fabricii Mspto Virgilium Lipsiam asportasse et excudendum curasse. Quod Msptum nullum aliud potuit esse, quam exemplar, quod Fabricius prelo subiiciendum paraverat; nam scriptos codices Fabricius habuit nullos. Haec ad nubem Schrebero in Vita Ge. Fabricii p. 205 obiectam dispellendam valebunt.

[*P. V. M. Opera cum commentariis Herm. Buschii in Aeneida.* Basil. apud Barthol. Westhemerum 8. 1546.]

1547.

P. V. M. Phil. Melanchthonis adnotationibus illustratus. Tiguri per Froschhover 4. 1547.

Vide 1531.

P. V. M. Opera cum Opusculis. Lugduni. Seb. Gryphius 12. 1547.

Erant nonnulla, quibus olim adducebar, ut *Basileensem primam* et ad hunc annum a nonnullis referri solitam hoc anno excusam (vide 1551) putarem. Sed suspicionem hanc idoneis argumentis destitui nunc video.

1548.

P. V. M. Opera novis argumentis et scholiis illustrata. Lugduni apud Seb. Gryphium 8. 1548.

Crevenna Tom. III, pag. 193.

Huius anni editionem laudari vidimus Lipsiensem 8. 1548 inscriptam: *P. V. Opera indubitata cum reliquis et dubiis,* quo titulo edd. fere e Ge. Fabricii recensione insignitae sunt. Forte tamen annus male laudatur, pro a. 1568.

A P. Burmanno in Admonit. de Edit. Masvic. editio Brixiensis 1548 cum Pierii castigationibus narratur: quae adeo ex edit. 1546 repetita est.

P. V. M. Georgicorum libri IIII. Phil. Melanchthonis scholiis illustrati. Parisiis per Th. Richardum 4. 1548.

Maittaire T. III, p. 410. Exscriptus liber ex ed. Bas. 1544. Hoc eodem anno 1548 et 1549 Richardus *Aeneidem* et a. 1550 Bucolica excudenda curaverat. Unde fit, ut edd. Virgilii Parisinas horum annorum passim laudari videas. vid. Maitt. Annal. Ind. p. 330.

Repetita hoc anno *Bucolica cum Torrentini Commento* Antwerp. 8. *Willichii scholia posteriora in P. V.* Basileae 12. Etiam *Io. Lud. Vivis in Virgilii Bucolica interpretationem potissimum allegoricam* 4. 1548 Parisiis Richardus vulgaverat.

Digitized by Google

1549.

P. V. M. Ex off. Rob. Stephani 12. 1549.
(B. A. G.) Vide 1533. 1537. 1540.
Etiam Basileensis h. a.

1550.

P. V. M. Opera cum Opusculis — Lugduni apud Seb. Gryphium 8. 1550.

(B. A. G.) Vide 1547.

De editione Paris. apud Th. Richardum 4. 1550. vide ad a. 1548.

[*Experimenta P. M. Maronis explicata per Iod. Willichium.* Frcof. ad V. Io. Eichorn excud. 8. 1550.]

1551.

P. Verg. Mar. Buc. Ge. et Aeneis (et Carmina minora cum Commentariis). *nunc cum veris Commentariis Tib. Donati et Servii Honorati summa cura editis et diligenter emendatis* (per Ge. Fabricium). *Acc. his Io. Hartungi Annotationes in libros Maronis Aeneidos diligenti cura ab ipso auctore collectae; item Bonfinis super locum Aeneid. IV* etc. Basileae per Henrichum Petri f. 1551.

Si *Donatum* et *Servium* curae habueris,. hactenus inter classicas editiones erit referenda. *Donatum* Neapoli secum attulerat Ge. Fabricius, h. e. editionem ibi vulgatam a. 1535. In ipso poeta nihil operae tum quidem collocasse videtur, certe nullos MSS. consuluisse. Epistola ad Valent. Gravium praefixa iam a. 1547 data est, ut adeo per quatuor annos sub prelo sudasse Virgilium necesse sit. (B. A. G.) [et Reg. Dresd.]

Alia est *Editio Lipsiensis* huius anni per Valentinum Papam curata 8. 1551 (cum Carmin. minor.), sed ex ed. Lips. 1546 expressa. vid. Gesneri Biblioth. per Frisium p. 268[b], unde intelligere mihi videor, Virgilio a Ge. Fabricio emendato tum primum lectionis varietatem eiusdem viri accurate docti industria accessisse. Quod etiam Ge. Fabricii Epistola ad Ioach. Camerarium VIII Cal. Februar. 1551 scripta confirmat, quae in edd. Lips. ante Culicem praefigi solet.

P. V. M. Bucolica cum Comm. Herm. Torrentini. Antwerpiae. Exc. Io. Verwithhagen 8. 1551.

Vide apud Maittaire T. III, pag. 605.

Dialysis quatuor librorum in Ge. Virgilii: auct. D. Iodoco Will. (Willichio) *Ruselliano. Signorum prognosticorum de tempestatibus aeris physica explicatio eod. aut.* — Francofurti ad

Viadr. in off. Io. Eichorn 8. 1551. *De consilio et scopo Aeneidos* — eod. aut. ibid. 8. 1551.

De Willichio vide ad 1535. (B. A. G.)

[*Chronologia in Aeneida Virgilii.* Aut. Iod. Willichio. Frcof. ad V. in offic. Io. Eichorn. 8. 1551.]

1552.

P. V. M. Opera ad vet. P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata, cum Servii, Donati, et aliorum Comment. [et figuris.] Venetiis. Iuntae f. 1552.

Vide ed. 1525. Catal. B. R. Paris. *Poet.* n. 837. [Bibl. Reg. Cat. Lond. 1829. T. V. p. 352.

1554.

P. V. M. Opera c. n. Melanchthonis et Hegedorphini. Moguntiae 8. 1554.

Vide Paris. 1531 et al. Tigur. 1547 etc.

P. V. M. Bucolica cum Commentario Rich. Gorraei Parisiensis. Lugduni apud Gul. Rovillium 8. 1554.

Maitt. T. III, p. 648. Museum Britannic.

P. V. M. Opera (una cum opusculis) *novis argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem exemplarium quam diligentissime restituta.* cum figg. Lugduni apud Seb. Gryphium. 8. 1554.

(B. A. G.) Vide 1550. 1552. Praedicat in praefat. (nescio an ea iam superioribus edd. praefixa sit) Gryphius castigandi interpungendique diligentiam; nova argumenta apposita et scholia, quibus loca, inprimis ex Graecis poetis, adscripsit, quae Virgilius imitatus est.

1555.

P. V. M. Opera cum Nic. Erythraei scholiis et indice. Venetiis apud Io. Ant. Sabium 8. 1555.

Repetita editio Ven. 1539. 1540. Alia per Hieronymum *Scotum* repetita hoc anno. Biblioth. Schwarz. n. 1009.

[*P. V. M opera, cum Maph. Vegii Aen. lib. XIII. et Nicolai Erythraei scholiis et indice.* Duo voll. Venet. apud Fr. Rampazetum 8. 1555. 1556.

Bibl. Reg. Catal. Lond. 1829. T. V. p. 352.

P. Verg. Mar. opera una cum opusculis, quae eius nomine circumferuntur, omnibus. Lugduni apud Sebast. Gryphium 12. 1555.

Bibl. Reg. Dresd.]

Digitized by Google

P. V. M. Bucolica, P. Rami praelectionibus exposita. Paris. per And. Wechelum 8. 1555 et *Georgica* 1556 [cf. Freytag adparat. litterar. T. II. p. 1342 sq.], saepius deinde recusa; ut 1564, tertium 1572, 8., quintum Francof. 1590. Sed ne pueris quidem in manus daremus has praelectiones.

P. V. Maro. Aldus. Corrigente Paulo Manutio Aldi filio. Venetiis 8. 1555.

Virgilii poema emendatum a se etiam in praefatiuncula pronuntiat. Ita v. c. XII, 221 primus induxit *tabentesque genas.* Annotationes nondum in hac edit. apparent. confer a. 1558. (B. A. G.) [Vid. Renouard l. l. Vol. I. p. 398. Ebert l. l. n. 23683.]

[*In P. Verg. Mar. Bucolica Ioach. Camerarii Pabeperg. — explicatio. H. Eob. Hessi indicationes et interprett. locorum Theocriti. Io. Sturmii in priores tres Eclogas commentariolus.* Argentorati excud. Blasius Fabricius Chemnic. 8. s. a. (1555.)

Bibl. Reg. Dresd. vid. a. sq.]

Seb. Corradi Commentarius, in quo P. V. M. liber primus Aeneidos explicatur. Florentiae excudebat Laurent. Torrentinus 8. 1555.

Apud Maitt. T. II, p. 669. (B. A. G.)

1556.

P. V. M. Opera, cum supplem. Maphei et Opusculis, novis et argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatiss. exemplarium quam diligentissime restituta. Lugduni per Seb. Gryphium 8. 1556.

Maittair. Annal. T. III, pag. 684. Vide modo de edit. Gryph. 1555.

P. V. M. Opera una cum Opusculis, quae eius nomine circumferuntur, omnibus. Antwerpiae. Exc. Mart. Nutius 12. 1556.

(Biblioth. Acad. Gotting.) Hoc etiam anno *Editionem Fabricianam* Lipsiensem post 1546 et 1551 *Lipsiae* esse repetitam invenio, qui tradant.

P. V. M. Bucolicorum textus — Lugduni apud Theobaldum Paganum 8. 1556.

Vide apud Maittaire Tom. III, pag. 685.

P. V. Bucolicorum explicatio perscripta de commentatione Camerarii: cum indicatione et interpretatione locorum Theocriti Eobani Hessi; Io. Sturmii in priores tres eclogas commentariolus. Argentorati per Blasium Fabricium 8. 1556.

(B. A. G.)

[*In P. Verg. Mar. Bucolica Annotationes H. Eob. Hessi. Scholia item Leon. Kulmanni, quibus artificium rhetoricum explicatur.* Coloniae (ap. Mart. Gymnicum) 8. 1556.

Digitized by Google

P. V. M. Georgica P. Rami praelectionibus illustrata. Parisiis ap. Andr. Wechel. 8. 1556.]

Martini Crusii scholia in I. II. et III. Virgilii eclogam. Argentor. per Bl. Fabricium 1556.

1557.

P. V. M. Operum maiorum Tomus I. minorum: Culex etc. *Tomus II. ex recognitione Ge. Fabricii, cuius Observationes Virgilianae lectionis accessere.* Argent. apud Rihelium 8. 1557.

Vide paullo ante ad a. 1546. 1551. 1556. Haec est illa editio, de qua Ge. Fabricii epistola in Vita per Schreberum conscripta p. 206 est accipienda, Fabricianarum quodammodo princeps.

P. V. M. Opera una cum Opusculis — Lugduni ap. Theob. Paganum 8. 1557.

Conf. a. 1556.

1558.

P. V. M. universum poema (et Carmina minora) *cum Servii et Iod. Badii Ascensii interpretatione; Probi et Ioannis Vivis in Ecl. allegoriis, Iod. Willichii super Georgg. commentariis.* — Venetiis apud Io. Mariam Bonellum f. 1558.

Ad edit. Ven. 1544 excusa, ut supra diximus, et vulgo pro accuratissima habita. (B. A. G.) [et Reg. Dresd.]

P. V. Maro Pauli Manutii adnotationibus in libri margine adscriptis illustratus. Venetiis apud P. Manutium, Aldi F. 8. 1558.

Pleraque e Servio hausta. Alia admixta non magni momenti, etiam a seqq. editoribus. Sugillat haec scholia Henr. Stephanus in praef. suae edit. [Cf. Freytag adparat. litt. Tom. II. p. 1341 sq. Renouard. l. l. Vol. I. p. 421 sq. Ebert l. l. n. 23684.]

P. V. M. Opera cum scholiis Phil. Melanchthonis. Parisiis ap. Richardum 4. 1558.

Vide supra a. 1548.

[*P. V. M. Bucolica P. Rami praelectionibus exposita.* Parisiis apud Andr. Wechel. 8. 1558.]

1559.

P. V. M. Opera c. scholiis Ph. Melanchthonis. Francof. 8. 1559.

[*P. V. M. Bucolica P. Rami praelectionibus exposita.* Paris. ap. Andr. Wechel. 8. 1559.]

P. Nannii Alcmariani, in P. V. [*M. Bucolica*] *commentaria, — nunc primum edita.* Basileae ex offic. Io. Oporini 12. 1559.

(Biblioth. Acad. Gotting.) [et Reg. Dresd.]

Lamb. Hortensii Montfortii Enarrationes in sex priores libros Aeneidos [*Vergilianae. His acc.*] *annotationes in sex*

[*eiusdem poetae*] *posteriores cum textu.* Basil. [per Henr. Petrum et Io. Oporinum.] f. 1559.

(Conf. 1570. 1577. 1596.) B. A. G. [et Reg. Dresd.] Sunt utique satis copiosae; verum pro more istorum temporum congesta sunt plurima ad singulas voces, sententias et loca, quae ad poetam nihil faciunt; quae monitu opus erat, frustra quaeras; v. c. statim I Aen. 8. *quo numine laeso;* interpres ne odoratur quidem difficultatem in verbis.

1560.

P. V. M. Opera. P. Manutii Annotationes, et Homeri loca magis insignia, quae Virgilius imitatus est, in margine notata. Venetiis apud P. Manut. Aldi f. 8. 1560.

Vide modo a. 1558. [cf. Renouard T. II. p. 10.]

P. V. M. Opera una cum Opusculis — Lugduni apud haer. Seb. Gryphii 12. 1560.

Vide paullo ante 1556. Verum, quod Bipontini Socii docuere, nova haec est recensio Ant. Gryphii, filii, qui, *undique conquirendis multis exemplaribus, quae calamo et stylo exarata ipsa vetustate probarentur ipsi,* neque sumtibus neque labori pepercisse se profitetur. Inprimis praedicat D. L. Fabricium I. V. C. Mediolanensem, qui e codice suo vetustissimo suppleverit versum Aen. VI, 775 *Laude pudicitiae;* sed in hoc pro thesauro carbones. vid. ad e. l.

[Ad hunc annum fortassis referenda est *Erythraeana*, quae supra p. 670 sq. Venetiis per Franc. Rampazetum a. 1500 excusa, pro prima habita est; vid. ad a. 1555 et 1565.]

1561.

P. Verg. M. Opera — cum veris in Buc. Ge. et Aen. Commentariis [*Tib. Donati et Servii Honor. summa cura et fide*] *a Ge. Fabricio emendatis. — Quibus access. etiam Probi Gramm., Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, I. Hartungi, Iod. Willichii, Ge. Fabricii, Bonfinis* (Vivis, Caelii Rhodigini, Barlandi, Scopae, Constantii Campani, Crucii) *et al. Annotationes.* Basileae per Henricum Petri f. 1561.

Eius fundus editio 1551. [Bibl. Reg. Dresd.]

Editionem *Venetam cum Comment. Servii et Variorum* a. 1561 f. memorari vidi: quam nullam aliam esse arbitror, quam mox memorandam Ven. 1562.

P. V. M. poemata, quae extant omnia, Phil. Melanchthonis annotatiunculis illustrata, adiectis figuris ligno incisis et doctiss. virorum scholiis et annotationibus. Tiguri, Chph. Froschover 8. 1561.

Cat. B. R. Paris. n. 841. Sequitur sine dubio edd. 1547. cf. 1564. 1567. 1570. Edita curante *Io. Frisio* Tigurino, qui contextum ipsum collatis optimarum editionum exemplaribus quam diligentissime correctum et emendatum in Epistola ad Chr. Froschhoverum affirmat. Idem annotationes breves in Buc. et Ge. ex variis interpretibus, inprimis P. Rami praelectt., item difficilium vocabulorum interpretationem Germanicam adiecit [p. 655—809.]. Acc. *Chph. Hegedorphini* in Aen. annotatiunculae ex Steph. Doleti de LL. Commentariis decerptae [p. 809—818.]. Repetita a. 1567.

P. V. M. Opera Theod. Pulmanni studio correcta, cum Maphei Vegii Aeneid. libro XIII. Antwerp. 8. 1561.

Dubito an annus recte adscriptus sit. Vide a. 1564.

1562.

P. V. M. universum poema cum Comment. Servii et Variorum. Venetiis apud Io. Mariam Bonellum f. 1562.

Nitida editio: c. figg. Est repet. 1558. Accesserunt Lud. Coelii Rhodigini, Io. Scoppae, Iac. Constantii Fanensis, Franc. Campani, Iac. Crucei — lucubrationes [et annotatt. in loca difficiliora.] Subi. Maphaei Aen. XIII et Carmina minora. (B. A. G.) [Vid. Ebert l. l. n. 23685.]

P. V. M. Bucolica cum verborum contextu, per Herm. Torrentinum triviali stylo familiariter discussa. Antwerpiae per Io. Latium 8. 1562.

1563.

Repetita *Manutiana* anni 1560, 8. Crevenna T. III, p. 194 [Renouard T. II. p. 32.] (B. A. G.) Basileensis ap. Nic. Bryling. 8. ad Gryphianam 1554 exacta, ut docent Bipont. Sodales. *Reguli* explicationes vide ad a. 1565.

1564.

P. V. M. Opera cum Phil. Melanchthonis et aliorum virorum doctiss. scholiis. Tiguri 8. 1564.

Vide paullo ante 1561.

P. V. M. Opera, Theod. Pulmanni studio correcta [*et brevissimis adnotationibus illustrata.*] *Paulli Manutii adnotationes. Homeri loca, quae Virgilius imitatus est. Ge. Fabricii observationes.* Antwerp. [ap. Chr. Plantin.] 12. 1564.

Typis nitidis eleganter expressus liber. Princeps, quantum assequor, edd. Pulmanniarum. [Crevenna T. III. p. 128. n. 3813. Ebert l. l. T. II. p. 1042. n. 23686.] Pulmannus in epistola ad Casp. Schetum Corvinum V. Id. Octobr. 1563 data

exemplaria, cum manuscripta, tum typis impressa, se comparasse profitetur. conf. sup. pag. 673. Nam in illa memorat „ea, quae ex collatione exemplarium cum manuscriptorum, tum typis impressorum restituta emittit.“ Repetita ea editio singulis fere annis.

[*P. V. M. Georgica Petri Rami praelectionibus illustrata.* Lutet. ap. Andr. Wechelum 8. 1564.]

P. Bembi de Virgilii Culice et Terentii fabulis libellum Florent. 4. 1564 prodiisse legi; nec tamen tum primum vulgatus. vid. Ald. 1517.

1565.

P. V. M. Opera ad Nic. Erythraei recensionem Venetiis apud Franc. Rampazetum, expensis Melch. Sessae 1565.

Memoratur a Sylburg. praefat. edit. Francofurt. 1583. f. 1582.

[*P. V. M. Opera. P. Manutii Adnotationes* etc. Venetiis ap. P. Manutium A. fil. 8. 1565.

Repet. ex edd. 1558 et 1560. Renouard T. II. p. 53.

Argumenta s. dispositiones rhetor. in Eclogas Virgilii aut. Ph. Melanth. Acc. paraphrases et succinctae quaestiones in easdem Ecl. aut. Steph. Riccio. Leucopetr. exc. Geo. Hantzsch 8. 1565.

Repet. Gorlicii, exc. Ambr. Fritsch, impensis Iac. Apelii bibliop. Lips. 1568. 8. Witebergae, typ. M. Sim. Gronenbergii, sumt. impendente Iac. Apel. 1593. 8. Bibl. Reg. Dresd.]

P. V. M. Georgica brevibus P. Manutii et aliorum annotationibus illustrata. Antwerpiae per Chph. Plantinum 8. 1565.

Eodem modo *Bucolica* [et *Aeneis*] separatim esse excusa, nec non *Opuscula minora*, ex praefat. edit. 1566 intelligitur.

Varia Lectio in Virgilium a P. Gabiano collecta. Brixiae 1565.

E Cod. Mediceo, ut supra monuimus p. 609.

Seb. Reguli in I. Aen. librum ex Aristotelis de Arte poet. et rhet. praeceptis explicationes. Partes duae. Bononiae per Io. Rubeum 4. 1563 et 1565.

(Biblioth. Acad. Gotting.) Ad Aristotelis praecepta, quo quidem modo illa tum accipi solebant, Aeneis exigitur; propositum esse poetae, tolerantissimi et fortissimi principis et perfecti viri simulacrum effictum ostendere, et sic alia a rerum veritate aliena. Reliqua ad subtilitates rhetoricas sunt exacta a poetices indole alienas.

Digitized by Google

1566.

P. V. M. Buc. Georgg. et Aen. Nunc demum Nic. Erythraei opera in pristinam lectionem restituta etc. Venetiis ex offic. Franc. Laurentini [de Turino 8.] 1566.

Memorantur a Fr. Sylburgio in praefat. edit. Francofurt. 1583. [Cf. Catal. Salthen. p. 475. n. 2387. Bibl. Thott. T. IV. p. 332. n. 2040. 41. et servatur in bibl. Reg. Dresd.]

P. V. M. Opera (cum Opusc. minor.). *Paulli Manutii annotationes in margine adscriptae: Homeri loca insignia, quae Virgilius imitatus est; Ge. Fabricii Chemn. Observationes Virgilianae lectionis.* Excudebat Antwerpiae Chph. Plantinus 8. 1566.

[Bucol. Ge. et Aen. anno 1565 impressa, qu. vid.; volumen quartum, opuscula minora cont. „anno CIↃIↃLXVI XIX Kal. Februarii" finitum est.] Nihil aliud egit Plantinus, quam ut Manutianas editiones 1555. 1558. 1560 repeteret. Ipse in praef. se exemplar Venetum, et, quod ex Veneto deinde editum sit, Lugdunense (Gryphianum?) rectitudine et veritate superasse profitetur. (B. A. G.) [et Reg. Dresd.]

Bucolicorum Virgilii simplex et dilucida metaphrasis — Autore M. Mentone Gogrevio. Witebergae excudebant haeredes Ge. Raw. 12. 1566.

1567.

P. V. M. e Nic. Erythraei recensione. Lugduni, Vol. II. 8. 1567.

Nec dubito, iam aliam similem Lugdunensem superioribus annis praecessisse.

P. V. M. poemata quae extant omnia. adiectis figg. — et doctiss. virorum scholiis ac annotatt. Francofurt. ad Moen. apud Ge. Corvinum Feyerabend et her. Wigandi Galli 8. 1567.

B. G. A. Est repetitio Tigurinae 1561 [quae ibid. typ. Cph. Froschover. a. 1567 recusa est. Vid. Catal. bibl. Thott. T. IV. p. 332. n. 2043. Eod. a. *Manutiana* editio Venetiis ex edd. 1558. 1560 et 1563 repetita, cf. Renouard. T. II. p. 66. De Fulvii Ursini edit. Virgilii vid. ad a. sq.]

1568.

P. V. M. e Ge. Fabricii recensione. Lipsiae per heredes Valentini Papae 8. 1568.

Repetita etiam est hoc anno *Antwerpiensis Plantini* anni 1566.

Virgilius collatione scriptorum graecorum illustratus, opera Fulvii Ursini. Antwerp. Chph. Plantinus 8. 1568.

Digitized by Google

[Extat in Bibl. Reg. Dresd., unde ad a. praeced. eum referendum esse cognovi.] Est hic libellus Leovardiae 1747 recusus cum nonnullis Valkenari opusculis. Doctrinam facile agnoscas; iudicii subtilitatem in multis, quae comparata sunt, desideres.

[*In P. Verg. M. Bucolica Annotationes H. Eob. Hessi. Scholia item Leon. Kulmanni* etc. Coloniae ad intersignium Monocerotis 8. 1568.]

1569.

Eclogae cum argumentis sive rhetoricis dispositionibus Phil. Melanchthonis, et Paraphrasi ac scholiis Steph. Riccii. Gorlichii Exc. Abr. Fritsch 8. 1569.

[Bibl. Reg. Dresd. Sed a. 1568 hunc librum in lucem prodiisse subscriptio docet. Vid. ad a. 1565.]

1570.

Virgilius. Londini, per Henr. Bynneman 8. 1570.

Apud Ames. Old English Printings et Herbert's typogr. Antiqu. unde Brüggemann l. c. p. 536.

P. V. M. c. n. Melanchthonis et alior. Tiguri 8. 1570. 1573.

(Vide 1564.)

P. V. M. — c. n. Paulli Manutii et Ge. Fabricii h. a. quae rep. Londini 1617. 8.

In P. Virgilii Bucolica Commentarii Mich. Barth. Lipsiae apud Io. Rhamba. 8. 1570.

(B. A. G.) An 1575 repetiti sint, non dicam.

1571.

P. V. M. Opera indubitata — Magdeburgi per Matthaeum Giseken. 8. 1571.

(B. A. G.)

Adiecta tamen minora carmina c. praef. Camerarii 1551 ex edd. Lips. Tum Varietas lectionis, et Annotationes in Buc. Ge. Aen.

Antwerpiensem a. 1571 et *Theod. Pulmanni Virgilianas Lectiones* a Fogginio praef. ad Virgilium Mediceum p. IV memorari video. Certe *Antwerpiensem* a. 1572 ex 1566 repetitam in manibus habeo. (B. A. G.) Etiam Ascensiana Veneta, et editio Parisina h. a. memoratur apud Sodales Bipont., verum incerta fide.

[1572.

P. V. M. Opera. Pauli Manutii annotationes in margine. Homeri loca magis insignia. Georgii Fabricii observationes Virgilianae lectionis. Lugd. typ. Lud. Cloquemin et Steph. Michael. 8. 1572.

Crevenna T. III. p. 128. n. 3814.

P. Verg. M. poemata quae extant omnia. Adiectis figuris egregie depictis et doctiss. virorum scholiis ac annotatt. Francofurt. ad Moen. apud Ge. Corvinum et haer. Wigandi Galli 8. 1572.

Bibl. Reg. Dresd. De Stephaniana prima vid. ad a. 1577.

P. V. M. Bucolica P. Rami praelectionibus exposita. Edit. tert. Lutet. apud Andr. Wechel 8. 1572.

Bibl. Reg. Dresd.]

1573.

[*Virg. Maro Pauli Manutii notationibus in Libri margine ob studiosorum commodum adscriptis. Illustratus Index rerum et verborum. variae lectiones ex Virg. Carpensi.* Venetiis (in aedibus Manutianis) 8. 1573.

Rarissima haec editio descripta ex illa a. 1567 indicem et varias lectiones prima exhibet. Vid. Renouard l. l. T. II. p. 98.

P. V. M. opera indubitata — cum brevibus quidem sed non contemnendis annotationibus et indicatione diversae scripturae de admodum vetusto libro. Emendata — studio et industria Ge. Fabricii Chemn. Lipsiae imprim. Andr. Schneider typis Voegelinianis 8. 1573.

Bibl. Reg. Dresd.]

P. V. appendix — Acc. Ios. Scaligeri in eandem commentarii et castigationes. Lugduni per Gul. Rouillium 8. 1572 et 1573.

[Catal. bibl. Reg. Paris. T. II. p. 293. n. 903. 904. Poet.] Vide inf. 1575. 1595. 1617. Catalecta Virgilii iam prodierant Vincent. 1479, Venet. 1480 et 1484, s. Brix. 1485, Ald. 1517 et 1534 hinc ad calcem Edd. Iunt. et aliar.

Tigurina rep. h. a. vid. 1570. 1564. 1561.

1574.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii et Var. Venetiis f. 1574.

(Conf. 1562.) Forte eadem quam 1571 ab aliis memorari vidimus.

Commentarii docti, breves ac succincti in P. V. M. quatuor libros Georgicorum, clariss. viri et poetae celeberrimi Io. Stige-

Digitized by Google

lii studiosae iuventutis gratia in lucem editi 1574 (per Henr. Thilonem Mag. Ecclesiae Schmollensis Pastorem vulgati) Mulhusii. Exc. Ge. Hantzsch. 8. 1574.
(B. A. G.) [et Reg. Dresd.]

1575.

Editio *Henricopetrina* (repetita post 1551. 1561) ex offic. Henricpetrina f. 1575.
(B. A. G.) [et Reg. Dresd.]

P. Virgilius Maro et in eum Commentationes et Paralipomena Germani Valentis Guellii. Eiusd. Virgilii Appendix cum Ios. Scaligeri Commentariis et castigatt. Antverp. ex offic. Chph. Plantini f. 1575.
Commentarii Valentis, non infimae notae, novum editionum genus constituunt, at in textu poetae nihil operae posuit. (B. A. G.) [et Reg. Dresd. Add. Ebert. l. l. n. 23687.]

[*Virg. a calumniis vindicatus aut. Gulielmo Modicio Monteferratensi.* Perusiae ap. Petrumiacobum Petrutium et Mich. Pottum socios 8. 1575.]

1576.

Buc. Ge. Aen. P. V. M. Mantuani doctiss. virorum notationibus illustrata opera et industria Io. a Meyen Bergizomii Belgae. Venet. apud Aldum (iuniorem) 8. 1576.
Saepius repetita, quia scholarum usibus inserviit; at in criticarum editionum censum non venire potest. [Nimis severum Heynii de hac edit. iudicium ad h. l. et supra p. 671 castigat Renouard l. l. T. II. p. 114 sq.] Expressa est ex edit. Manut. 1558. (B. A. G.)

Inclyta Aeneis — in regiam Tragicomoediam, servatis ubique heroicis versibus non minori industria quam labore concinne redacta: a Io. Lucienburgio Iuris Candidato. Francofordiae Moeni 4. 1576.
In decem actus deductam vides Aeneidem. Quantumvis absurdum hominis consilium oculis tamen subiicere potest, quantopere *dramatica narratio* regnet in carmine epico; quam multa ex dramatis natura ei insint, et quam facile primi tragici in id incidere debuerint, ut in Iliade plurium tragoediarum argumenta inesse intelligerent.

1577.

P. V. M. Opera. Londini per I. Kingston 1577.
Apud Ames. l. l. Herbert. Bruggemann l. c.

P. V. M. Poemata (Buc. Ge. Aen.) novis scholiis illustrata,

quae Henr. Stephanus partim domi nata, partim e virorum doctiss. libris excerpta dedit; Eiusdem H. Stephani schediasma de dilectu in diversis apud Virgilium lectionibus adhibendo. typis Henr. Stephan. 8. (1577.) [sive potius 1572?]

Est prima Stephaniana scholiis marginalibus instructa post Manutium, maxime ex Servio. Plura in Maronem meditabatur vir doctus; vid. praef. Multa bona complectitur schediasma, nec tamen nova. [Bibl. Reg. Dresd. Ebert l. l. n. 23688.]

Virgilius. Frf. ex offic. hered. Chr. Egenolphi 8. 1577.

Schreberi Vita Ge. Fabricii pag. 203. 204.

Lamb. Hortensii Montfortii Enarrationes doctiss. atque utiliss. in XII libros P. V. M. Aeneidos. His acc. Nascimbaeni Nascimbaenii in priorem P. V. M. Epopoeiae partem — explanatio etc. Basileae ex offic. Henricpetrina f. 1577.

(Vid. 1559.) [Bibl. Reg. Dresd.]

1579.

P. Verg. M. Poemata, quae extant, omnia. Adiectis figuris egregie depictis et doctiss. viror. scholiis ac annotatt., partim antehac, partim nunc primum publicatis. Francof. apud Ge. Corvinum, impensis Io. Feyerabendii 8. 1579.

Vide Memorabb. Biblioth. Dresd. T. II, n. 319. [p. 242. Sed Heynius errore typographico deceptus hanc edit. ad a. 1578 retulit.]

1580.

P. V. M. Opera, Theod. Pulmanni studio correcta. Acc. Paulli Manutii etc. (ut in ed. 1566) Antverp. Chr. Plantinus 8. 1580.

Buc. Geor. Aeneis P. V. M. doctiss. virorum notationibus illustrata opera et industria Io. a Meyen. Venet. ap. Aldum Paulli fil. 8. 1580.

Vide a. 1576. (B. A. G.) [Renouard T. II. p. 124 sq.]

P. V. M. Bucolica et Georgica paraphrasi exposita. Auctore Nicod. Frischlino Alemanno. Tubingae apud Alex. Hockium 8. 1580.

(B. A. G.) Quam rationem sequi voluerit in interpretando, expositum ab eo est in Epistola ad Ge. Burckhardum in *Philolog. Epistol. Centuria e bibliotheca Goldasti* (Frf. 1600. 8.) p. 279 sq.

1581.

P. V. M. Opera cum schol. Phil. Melanchthonis et aliorum. Tiguri 8. 1581.

(Vide 1564. 1570.)

Digitized by Google

P. V. M. cum notis Gr. Bersmanni (etiam Catalecta). Lipsiae [ap. H. Steinman] 8. 1581.

Saepius deinceps repetita editio, etiam cum varietate lectionis ex Fabricianis. Sunt scholia in margine apposita, ex aliorum annotatt. collecta. [„Diligenter quandoque etiam superstitiose“ veteri MS. usum se esse ait a Ludovico, Ioach. Camerarii fil. accepto. Repet. haec editio a. 1596.]

P. V. M. cum notis marginalibus. Lugduni 12. 1581.

[*L' Eneide di Virgilio Mant. commentata in lingua volgare Toscana da Giov. Fabrini et Fil. Venuti.* Venet. appr. Giov. B. Sessa et fratelli f. 1581.

Quem librum h. l. inserendum esse duximus, quia textum lat., versionem ital., quae ad singula vocabula accuratissime expressa est, et commentarium ex Servio, Landino aliisque Virg. commentatoribus congestum exhibet. Eodem anno *L' Eneide di Virgilio del commentatore Annibal Caro* Venet. da Bern. Giunti 4. prodiit. Catal. bibl. Reg. Paris. T. II. p. 297. n. 963. Recus. ead. 1592.]

1582.

P. V. M. ad N. Erythraei recensionem. Venet. ap. Rampazeti et Sessae heredes (repetita secundum superiores 1565. 1566.) 1582.

Vide Sylburgii praef. ad edit. Frf. 1583.

[*P. Verg. M. poemata quae extant omnia. Adiectis figuris* etc. Frcof. ad M. ap. Ge. Corvinum et haeredes Wigandi Galli. 8. 1582.

Repet. ex edd. 1567. 1572 1579.

P. V. M. Bucolica c. comm. P. Rami. Frcof. ad M. typ. Wechel. 8. 1582.]

1583.

P. V. M. poemata novis scholiis illustrata. Secunda Editio. [S. l. ap. Stephanum] 8. 1583.

Conf. Maitt. T. III, p. 787. (v. 1577) [Bibl. Reg. Dresd.]

P. V. M. e Ms. Carpensi (cod. Mediceo v. sup. inter Codd.) *c. n. Paulli Manutii* (vide 1566). Venetiis 8. 1583.

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. Nic. Erythraei opera in pristinam lectionem restituta, additis eiusdem scholiis et indice — cum duplici epistola Fr. Sylburgii. Francof. ap. haered. A. Wecheli 8. 1583.

Sylburgius in praef. se cum Io. Opsopoeo Erythraei Virgilium cum Indice ab innumeris naevis librariorum seu typographorum negligentia illatis repurgasse ait, quae inprimis edd. Venetas 1565. 1566. 1582 foedaverant. Igitur ad edit. 1539 omnia recensuisse videtur. Mirari tamen licet, virum doctum operam

Erythraei nugatoriam curis suis dignam habuisse. (B. A. G.) [et Reg. Dresd. Vid. Ebert l. l. n. 23689.]

[*P. Rami praelectt. in P. V. M. Georgicorum libros IIII.* Francof. ap. her. Andr. Wecheli 8. 1583.

Bibl. Reg. Dresd.]

P. V. M. Pollio Ecloga quarta graecis versibus expressa ab Eusebio Pamph. — Lutetiae ap. Fed. Morellum 4. 1583.

Biblioth. Acad. Gotting. Vide Argum. Eclogae quartae.

[1584.

P. V. M. opera cum annotatt. Pauli Manutii. Lugduni 12. 1584.

Georgica Rami praelectt. illustrata eodem anno Paris. apud haer. Andr. Wecheli prodierunt. Vid. Cat. bibl. Reg. Paris. T. II. p. 292. n. 883. Poet.]

1585.

P. V. M. — Venetiis apud Io. Gryphium f. 1585.

Novissima, quantum assequor, editionum Venetarum huius generis; repetitio enim est ed. Ven. apud Scotum 1544. et apud Bonellum 1558.

P. V. M. cum figg. notis varior. et praefat. Phil. Melanchthonis. Coloniae 8. 1585.

Conf. 1578. Alia Lugdunensis memoratur c. annotatt. Paulli Manutii et Ge. Fabricii. Similes alias iam ante vidimus.

[*P. V. M. opera novis argumentis et scholiis illustrata* etc. Mantuae, ap. Osana 8. 1585.

Biblioth. Firmian. T. V. p. 220.

P. V. M. opera cum P. Manutii notationibus et figuris. Venetiis ap. Aldum P. f. 8. 1585.

Renouard l. l. T. II. p. 144.]

P. V. M. Georgicorum libri IV — germanice redditi et editi a M. Stephano Riccio seniore. Erphordiae 8. 1585.

1586.

P. Verg. M. Opera — cum Comment. Tib. Donati et Servii a Ge. Fabricio collectis et c. n. Var. Basil. per Sebast. Henricpetri f. 1586.

[Bibl. Reg. Dresd.] (Vide 1561. 1575.)

P. V. M. e Theod. Pulmanni recensione 16. 1586.

P. Verg. Buc. Ge. et Aen. vocum omnium et sylvae rerum index (N. Erythraeo auct.) *ab Ant. Maria Basso Cremonensi* [*ita accommodatus, ut Vergil. libris cuiuscunque impressionis facile serviat: annotationes praeterea, quae passim in aliorum librorum*

margg. adscriptae erant, in hoc ab eodem in unum collectae.] Venetiis per Damianum Zenarium 8. 1586.

Titulum integrum v. in Catal. B. R. Paris. n. 845.

P. V. M. Georgicorum post omnes omnium Commentationes non contemnenda enarratio — edita studio Gr. Bersmanni Annuebergensis. Servestae. Exc. Bonav. Faber [II Partes] 8. 1586. [et 1588.]

Est ea enarratio poetae in Academia Lipsiensi publicis lectionibus facta. Bersmannus tum Gymnasio Servestano illustri praeerat, cum hanc ederet partem primam in lib. Ge. I et II. (B. A. G.) [et R. Dr.]

1587.

P. V. M. Opera cum scholiis Io. a Meyen. apud Aldum 8. 1587.

Vide 1580. [Renouard T. II. p. 154.]

Iunius Philargyrius in Buc. et Georgica Virgilii, primum prodiit adiunctus *Fulvii Ursini notis ad Catonem, Varronem et Columellam.* Romae 8. 1587.

Notat in praef. ipse Ursinus, id quod res docet, non esse integrum Iunii Philargyrii commentarium, sed excerpta tantum quaedam ex eo, quae cum legisset ille inserta fragmento vetustissimo Serviano (quod olim ipsi litteris Longobardicis exaratum dono dederat Paulus Manutius favente Aldo filio), nullius autem interposito auctoris nomine discreta, sed a Servianis expositionibus tantum his notis seiuncta, *Et aliter*, reperit deinde in margine codicis Virgiliani exscripta manu Angeli Politiani, et quidem diserte sub Iunii Philargyrii nomine; eodemque nomine ab Angelo in Miscellaneis laudata. Adiunctae pag. 281 eiusdem Ursini Notae ad Servium in Buc. et Ge. secundum Socios Bipontin. p. 356 iam 1543 a Busdrago Lugdun. excusae esse debent. Diversae sunt notae Ursini in Collat. Gr. scriptor. c. Virgil. 1568. Ex utrisque excerpta inseruit Commentariis suis Burmannus.

1588.

P. V. M. e Th. Pulmanni emendatione — (repetita 1580) Antwerp. Plant. 8. 1588.

Eiusd. a Bersmann. rep. ex 1581. [Sed vid. ad a. 1586.]

1589.

P. V. M. Opera olim a Pierio Valeriano MSS. codd. ope restituta, nunc denuo vetustissimo cum exemplari collata. Acc. antiquarum lectionum liber, Fabii Planciadis Fulgentii liber de allegoria Virg. librorum et alia nonnulla. (Iulius Philar-

gyrius. Ursini notae ad Servium. Velius Longus de Orthographia et Cassiodorus de Orthographia) in Officin. Sanctandreana 8. 1589.

Catal. Bibl. R. Paris. *Poetes* n. 847. Burmann. de Edit. Virgilii Masvic. p. XLIX. Ursini notas modo vidimus cum Philargyrio a. 1587. De Pierio vide 1521. 1532.

Eodem anno, nisi forte iam 1587, Commelinus ex codice Palatino Virgilium ediderat, repetitum mox 1599, ad quem a. vide; cui adiunxit *Fulgentii Expositiones Virgilianae continentiae, Philargyrii Commentariolum, Fulvii Ursini Notas in Servium, Velium Longum de Orthographia, Cassiodorum de Orthographia*, Heidelbergae, 8. In titulo subiicit: „Ex his Fulgentius nunc primum editus est," et in praef. duobus exemplaribus se usum esse ait, quorum alterum Petrus Veckmanus, alterum F. Modius ex bibliotheca Fuldensi descriptum communicaverat. Videtur adeo eodem anno Commelinianam operam repetiisse officina Sanctandreana.

P. V. M. Opera a Th. Pulmanno emendata. Antw. ex off. Plant. 8. 1589.

Paullo ante 1588.

Bucolica et Georgica cum paraphrasi Nicodemi Frischlini Francof. 1589, 8. (B. A. G.) [et R. Dr.] *Nathanaelis Chytraei in Virgilium Prolegomena. Et in eiusdem Eclogam primam Collectanea.* Rostochii. Exc. Steph. Myliander, 1589, 8. (B. A. G.)

1590.

[*P. V. M. Bucolica P. Rami praelectt. exposita.* Edit. V. Francof. ap. her. Andr. Wecheli 8. 1590.

B. R. Dr. Catal. bibl. R. Paris. T. II. p. 292. n. 883.]

Ciris et Elegia ad Messalam. Parisiis 8. 1590.

1591.

P. V. M. e castigatione Ge. Fabricii. Lipsiae 8. 1591.

Fabric. B. L. T. I, p. 214 repetita ex superioribus 1546. 1551 et al.

P. V. M. Opera omnia (etiam Carmina minora) *adiectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis, annotationibus ac novis argumentis ex variis interpretibus congestis* — Coloniae ap. P. Horst 8. 1591.

(B. G. A.) In marg. sunt breves annotationes et Var. Lect. Adi. Annot. Io. Frisii et ex Doleto in Aeneidem. Videtur Tigurina aliqua expressa esse. v. 1561.

P. V. M. Londini per Francis Coldock 4. 1591.

Vide Ames. p. 315.

Digitized by Google

P. V. M. Bucolica serio emendata cum scholiis Franc. Sanctii Brocensis — Salmanticae apud Didacum a Cussio 8. 1591.

Vide Specimen Biblioth. Maians. p. 96. Repetita in Sanctii Opp. Tom. II, pag. 151.

Nic. Grimoaldi viri doctiss. in P. V. Maronis quatuor libros Georgicorum in oratione soluta Paraphrasis elegantissima. Oxonii in aede Christi, anno Sereniss. regis Edouardi sexti secundo confecta. Londini. Excud. Ge. Bishop et Radulph. Newbery 8. 1591.

(B. A. G.) Est profecto elegantissima Paraphrasis. Libelli neminem adhuc praeter Martinum mentionem facere vidi. De *Grimoaldo* v. Wood Athenae Oxon. Vol. I, p. 178. Add. nunc Brüggeman View of English Edd. of Gr. and Lat. Auth. p. 536.

1592.

P. V. M. Opera a Theod. Pulmanno emendata. Lugd. Bat. ex offic. Plant. 12. vel 8. 1592.

Vide 1589 et 1566.

Est quoque Gryphiana h. a. rep. e Manutio 1555. [s. h. t.: *P. V. M. Opera. P. Manutii annotatt. breviss. in margine adscriptae — Ge. Fabricii obss. Virgil. lectionis.* Lugd. apud Ant. Gryphium 12. 1592.]

Insunt carmina minora. (B. A. G.) [et Reg. Dr.]

[*P. V. M. Opera, cum P. Manutii annotatt. in margine — Homeri locis magis insignibus — Geo. Fabricii observatt. Virg. lectionis.* Excud. Iac. Stoer 12. 1592.]

1595.

P. Virgilii appendix — Acc. Ios. Scaligeri castigationes et commentarii aucti, curante Frid. Lindenbruch, cuius et notae additae. L. B. ap. Rapheleng. 8. 1595.

P. V. M. Opera e Theod. Pulmanni emend. L. B. ex offic. Plantin. apud Rapheleng. 8. 1595.

Cum Appendice a. 1596 (vid. edit. 1592). Plures Raphelengianae hinc prodiere.

1596.

P. V. M. Opera [argumentis et scholiis virorum doctiss. illustrata, cum indicatione diversae scripturae partim ex castigatiss. quibusque exemplaribus, partim ex libro vet. ms. — studio et opera Greg.] Bersmanni. Lips. [imprim. Mich. Lantzenberger impensis Henningi Grosii et Val. Voegelini] 8. 1596.

Sed talium editionum repetitas evulgationes plures recensere piget. [vid. ad a. 1581. Eodem anno et ex eadem officina prodierunt]

Digitized by Google

P. V. M. Opera indubitata (inest tamen Culex et alia) *e recens. Ge. Fabricii Chemn.* (repetita ex superioribus) Lipsiae impensis V. Voegelini. Imprimebat Mich. Lantzenberger 8. 1596. (B. A. G.)

Wecheliana 1583 repetita Frf. Wechel 8. 1596. (B. A. G)

[*P. V. M. Opera a Theod. Pulmanno emendata.* Lugd. Bat. ex offic. Chr. Plantini 8. 1596.]

— *Hortensii enarrationes in Aeneidem* repetita editio ex 1577 per Seb. Henricp. f. 1596.

et *Nascimbaenii explanationes in Aeneidis libros V priores.* Basileae fol. 1596.

1597.

P. V. M. cum figg. not. var. et praef. Phil. Melanchthonis (suppresso eius nomine) Coloniae per Groswinum Culenium (ex 1585.) 8. 1597.

— *Opera Chr. Seganolphi* [potius *Egenolphi.*] Francof. [ap. I. Saurium] 8. 1597.

1598.

P. V. Georgicorum libri IV enarrationibus, quae commentarii loco esse possunt, illustrati a Federico Ceruto Veronensi. Veronae per Ang. Tamum 8. 1598.

[Catal. bibl. R. Paris. T. I. p. 292. n. 889. Poet.]

Rob. Titii ad Georgica Virgil. praelectiones quatuor. Bononiae per heredes Io. Rossii 4. 1598.

1599.

P. V. M. Opera ex vetustissimo eoque accuratissimo Bibliothecae Palat. MS. exemplari nitori pristino restituta; cum Indice Erythraei — Addita Fulgentii Planciadis Virgiliana continentia cum aliis nonnullis ad huius poetae intelligentiam necessariis. E bibliopolio Commeliniano 8. 1599.

Repetita est editio ex alia, quae praecesserat, 1589 et curata a Iuda Bonutio Hier. Commelini sororio et inscripta Paullo Melisso. De cod. Palatino vide sup. inter codd. Verum Fulgentius et reliqua vix iterum recusa sunt, sed exemplaria prioris editionis subiuncta. Saltem in nostro exemplari (B. A. G.) Fulgentius a. 1589 praefert [ad quem vid.]. Repetita est haec editio 1603. [Cf. Ebert l. l. n 23690.]

P. V. M. Poemata Henr. Stephani scholiis illustrata. Excudebat Paulus Stephanus 8. 1599.

Editio tertia, secundae [1583] per omnia consimilis. (B. G. A) [et Reg. Dresd.]

Digitized by Google

P. V. M. Opera omnia doctiss. viror. notationibus illustrata opera et industria Io. a Meyen. Francof. ex offic. typograph. Io. Saurii impensis Theob. Schönwetteri 8. 1599.

[Bibl. Reg. Dresd.] Alia aut eadem forte a. 1597 laudatur.

Symbolarum libri XVII. quibus P. V. M. Buc. Ge. et Aen. ex probatiss. auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur per Iac. Pontanum de Soc. I. Aug. Vind. ex offic. typogr. Io. Praetorii f. 1599.

Eas valde probari audio; est quoque adiecta paraphrasis lib. I, II, III et X, XI, XII Aeneidis. (B. A. G.) [et Reg. Dresd.] Ingens libri moles me deterruit, quo minus eo uterer. [Repet. a. 1604. Add. Ebert l. l. n. 23691.]

1600.

P. V. M. Buc. Ge. Aen. et in ea Mauri Servii Hon. Gramm. Commentarii ex antiquiss. exemplaribus longe meliores et auctiores. Ex bibliotheca P. Danielis I. C. Acc. Fabii Planciadis Fulgentii liber de continentia Virgiliana auctior e MSS. codd. Item Iunii Philargyrii Comment. in Buc. et Georgica. Paris. ap. Seb. Nivellium f. 1600.

(B. A. G.) [et Reg. Dresd.] Nobilissima editio propter Servii commentarios, quos sequentes fere edd. hinc expressere, sed alia aliis vitiosius. [Vid. Ebert l. l. n. 23692.] Historiam *Codd. P. Danielis v. in Voyage litt. de deux Benedict. Tom. I.* pag. 65.

Editiones huius saeculi s. a. sunt:

Manuale Vergilianum [seu P. V. M. bucolica, geo. et aeneis] Iodoci Badii Ascensii sententiarum dilucidatione inornata obl. 8. s. l. et a.

(B. A. G.) Totus titulus libelli expressus iam in Catal. B. R. Paris. Poet. n. 821. Praefatus Ludov. Hohenwang Elchingensis. Character litterarum est neogothicus et ingratus.

Editio Colinaeana s. a. in Biblioth. Reg. Paris. n. 828 [Bibl. Reg. Londin. T. V. p. 353.] et in Biblioth. Smith. pag. DI, quam a Maittairio in Hist. Typograph. Paris. notatam non video; at in Annal. T. III, p. 318. T. II, p. 401 de ea agit.

Editio Henr. Stephani prima s. a. sed ad 1577 referenda.

P. V. M. Bucolica et Georgica cum Commento familiari. (Herm. Torrentini) Paris. impress. per Felicem Balligault s. a. 4.

Biblioth. Bunav. T. I, pag. 302. Etiam in Biblioth. Hulsiana laudari videas. [Vid. supra p. 667.]

Editionem s. l. et a. cum Aldi Manutii epistola, Italico charactere, viderat Maittairius Annal. Typograph. T. II, p. 149,

Digitized by Google

quam a Barth. Trot, Lugdunensi typographo, excusam esse putabat. Habui eam posthaec in manibus, vidique ex Ald. pr. expressam ac repetitam esse nec pro eadem habendam: ita v. c. p. I, lin. extr. *Mulus ego* exaratum. (B. A. G.)

Aeneidos libri VI sine titulo, 4. memorantur Maittairio in Indice Annal. p. 331.

[*P. V. M. liber secundus de excidio troiano* Daventriae ineunte sec. XVI. duodeviginti foliis in 4. excusus est. Quae editio Panzero ignota servatur in bibl. Reg. Dresd.]

Culex cum aliis s. a. 8 mai.

Georgii Merulae Alexandrini Emendationes in Plinium et Virgilium: subiectae eius *in Librum de Homine Galeoti Oper.* 4. s. a. in Goezii Bibliotheca Dresd. T. II, p. 207. [Add. Panzer Annal. Vol. III, p. 483, 2710. Denis Suppl. Vol. II. p. 616. Zeno dissertat. Vossiane Vol. II. p. 83. Sed Venetiis per Vindel. de Spira circa a. 1474 hoc Merulae opus prodiisse docet Ebert l. l. Vol. II. p. 111. n. 13907.]

P. V. M. Opera cum Erythraei indice. Commelin. 8. 1601.

(ex Venetis, omissis tamen Erythraei Obss.) Est etiam h. a. Genevensis c. n. Paulli Manutii et Ge. Fabricii.

Operum Cl. V. Nicodemi Frischlini — Pars paraphrastica qua cont. P. V. M. Bucolica ex Plauto et Terentio, Georgica ex Catone, Varrone, Columella et Plinio, Aeneidos libri duo priores ex Liuio, Caesare et Cicerone etc. Frf. ad M. typis et sumpt. Io. Spiessii et heredum Rom. Beati 8. 1602.

Idem libellus iam 1580 expressus, praeter paraphrasin in lib. I et II Aeneidis, quae nunc primum accessit.

P. V. M. Opera ex Cod. Palat. antiquissimo. Commelin. 8. 1603.

De ea vide ad 1589. 1599. [Edd. Commelin. optima.]

Alberici Gentilis, I. C. Professoris regii, Lectionis Virgilianae variae liber ad Robertum filium. Nunc primum in lucem editus. Hannoviae apud Guil. Antonium 8. 1603.

(B. A. G.) Sunt scriptae ad filium octennem, criticae tamen ac philologicae cum multa exspatiatione in Ius Romanum. Nec tamen ultra Bucolica procedunt.

P. V. M. Opera cum scholiis N. Erythraei et indice. Hanov. typis Wechel. 8. 1603.

Ex ed. 1601. 1596 et al. ducta.

Hoc anno excusus quoque in Corp. Poet. Lat., Genev. [exc. Sam. Crispinus in 4.,] et iterum 1611 et 1627.

P. V. M. Opera ex offic. Plant. Rapheleng. 24. 1604.

Symbolarum libri XVII quibus Virgilii Buc. Ge. et Aen. ex probatis auctoribus declarantur, illustrantur per Iac. Pontanum. Lugduni. Io. Pillehotte f. 1604.

(Vide 1599.) Catal. Biblioth. R. Paris. n. 849 A. [Catal. bibl. Thott. T. IV. p. 47. n. 814]

Digitized by Google

Edit. *Commelin.* 1601 recusa. Commelin. 8. 1608.
et *Wecheliana* ex edit. Fr. Sylburgii 1583 recusa Lugduni.

P. V. M. cum scholiis Io. a Meyen. Francof. 8. 1608.

[*P. V. M. Opera c. scholiis N. Erythraei et eiusd. indice.* Hanov. typ. Wechel. 8. 1608. Recusa ex edit. 1603.]

P. V. M. Bucolica et Georgica argumentis, explicationibus et notis illustrata a Io. Lud. de la Cerda Toletano. Madriti f. 1608.
(Vide 1612. 1617. 1628. 1642.) Omnis viri docti opera in commentando versatur; lectionis cura nulla; saepe ea interpolata.

P. V. M. Ceiris. In eam Commentariolus Casp. Barthii. Ambergae ex typographeo Schoenfeldiano 8. 1608.

P. V. M. cum Servii commentariis. Parisiis f. 1609.
Catalogue of the Libraries of Squire 1767, p. 8.

P. V. M., [non tironis, ut videtur, sed adulti perfectique Poëtae opus] Culex; [— cum libro commentario — March. Brandeb. dedicatus] a Frid. Taubmanno. Wittebergae [ap. P. Helwich.] 8. 1609.
Utraque in B. A. G. [et R. Dr.]

P. V. M. [Buc. Geo. Aen. et in ea M. Servii Honor. commentarii —] ex bibl. P. Danielis. [Acc. Fabii Planciadis Fulg. liber de continentia Virg., it. Iun. Philargyrii comm. in Buc. et Geo.] Colon. Allobr. [excud. Steph. Gamonetus] 4. 1610.
Ex edit. 1600. [Bibl. R. Dresd.]

P. V. poemata — c. libro Suppl. Maphaei Vegii; Epigrammata etc. *cum annotationibus breuibus ex variis interpretibus collectis et difficilium vocabulorum interpretatione germanica opera Io. Frisii Tigurini.* Francof., Nic. Hofmann 8. 1610.
Catal. B. R. Paris. n. 850. Est repetitio ed. Francof. 1567.

[*P. V. M. opera cum figuris, lectt. varietatibus et doctiss. virorum scholiis* — Lips. ap. Abrah. Lambergum 8. 1611.]
Excusus Poeta in Corp. Poet. Lat. (Aureliae Allobr.) Genev. 4. 1611, Vol. I. Libr. III. p. 600 — 748. et in ceteris Corporibus Poet. vett., sed haec monere supersedemus.

[*In P. V. M. priores quatuor libros Aeneidos Ioach. Hanffii praelectiones.* Dantisci typ. Andr. Hünefelds 8. 1611.]

Commentarii Io. Lud. de la Cerda in VI priores libros Aen. Madriti f. 1612.
(Vide 1608.)

[*P. V. M. priores sex libri Aeneidos argumentis, explicationibus, notis illustrati, auct. I. Lud. de la Cerda.* Lugduni, sumpt. Horatii Cardon. f. 1612.
Posteriores sex libri Aen. eod. auct. illustrati ibid. ap. eund. prodierunt 1617, ad qu. a. vid.

P. V. M. Opera cum scholiis Henr. Stephani etc. Genevae 8. 1612.]

P. V. M. cum comment. Donati et Servii. Acc. Probi Gram-

matici, Pomp. Sabini etc. *adnotationes* (etiam Carmina minora cum Commentariis) *studio Lud. Lucii Basil. Acad. Prof.* (post Ge. Fabricii recens.) Basil. per Seb. Henricpetr. f. 1613.

Servii recensio in hac edit. admodum probatur Burmanno praef. ad Virgil. Est tamen totus liber expressus ex edit. 1551. Fabricii notae ab iis, quae in reliquis edd. sunt excusae, diversae esse feruntur; sunt scilicet pleniores. (B. A. G.)

P. V. M. Opera cum N. Erythraei schol. et ind. castigata per Io. Obsopoeum et Fr. Sylburgium. Francof. 8. 1613.

(ex 1603) post tot alias Erythraeanas.

Selecta quaedam veterum poetarum opera — cum Scholiis Franc. Sanctii. Salmanticae 8. 1613.

In his Eclogae Virgilii. (B. A. G.)

Indroductiones oeconomicae simul et politicae — sive Virgilii bucolica et georgica paraphrasi perpetua illustrata a Nicod. Frischlino. Francof. per Is. Porsium 8. 1614.

(Vide 1602.)

P. V. M. Opera clariss. virorum notationibus illustrata; ôpera Io. a Meyen. Francof. ap. Nic. Hofmannum 8. 1616.

Repetita forte ex 1610.

Est etiam huius anni Bersmanniana; et e Pulmanni correctione Paris. ap. Sanlecque 24. [Inserta *P. V. M. Opera repurgata ab Alex. Ficheto* Corp. Poet. lat. Lugd. 1616. 4.]

Catalecta Virgilii et alior. Poetar. Latinor. vet. Poematia cum Comment. Ios. Scaligeri (item, notis Frid. Lindenbruch) L. B. ap. Rapheleng. 8. 1617.

(Rec. titulo 1595.)

Io. Lud. de la Cerda Comment. in VI posteriores Aen. libros. Madriti f. 1617.

(Vide 1608. 1612.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneidos libri argumentis, explicationibus, notis illustrati a Io. Lud. de la Cerda S. I. Lugduni sumtibus Horatii Cardon. III Vol. f. 1617.

Nunc demum iunctim editi in Virgiliana carmina diligentissimi commentarii. (B. A. G.) [Repet. Colon. 1628. 1642. 1647.]

P. V. M. Opera omnia; Buc. Geo. Aen.; Ciris et Culex: cum comment. Fr. Taubmanni, curante et edente Christiano Taubmanno Frid. f. (Witteb.) ap. Zach. Schurer 4. 1618.

Editio Henr. Stephani semper fere pro regula fuit sub finem praefat. — „Ciris *textum ex Scaligeri, Barthii, et parentis lectionibus restitui.* Culicem *duorum exemplarium* (noli de Mss. cogitare) *a parente emendatorum auxilio correctiorem reddidi.*" [Vid. Ebert. l. l. Vol. II. p. 1042. n. 23694.]

P. V. M. Opera studio Th. Pulmanni correcta. Amstelod. 24. 1619.

P. V. M. cum Servio Danielis. Genev. 4. 1620.

Digitized by Google

(ex 1600) vitiosissima, iudice P. Burmanno ad Ecl. VIII, 92.

Tarqu. Gallutii Sabini e S. I. Virgilianae Vindicationes et Commentarii tres de Tragoedia, Comoedia, Elegia. Romae per Alex. Zanettum 4. 1621.

(B. A. G.) Si otio abundarem, percurrendum mihi hunc librum putarem; accessio enim, ut nunc intelligo, magna fieri posset ad Excurs. extr. libri XII, et inesse video acumen haud contemnendum in locis Virgilianis seu vindicandis seu reprehendendis; etsi iudicii subtilitatem et sensus elegantiam in iis, quae legi, desiderabam.

Est anni 1622 Elzeviriana editio Lugduni Bat. 12. (B. A. G.) [cui acc. animadversionum liber cum indice locuplet., cf. Ebert. l. l. n. 23695.]

Pauli Benii Eugubini in P. V. M. Aeneidem Commentarii. Venetiis apud Io. Guerilium f. 1623.

Operosi sed parum subtiles (B. A. G.).

P. V. M. Opera [*— argumentis et scholiis virorum doctiss. illustrata, opera*] *Greg. Bersmanni. Edit. sexta ab eod. correcta et figg. ornata.* Lipsiae, [impensis haer. Henn. Grossii (Goslariae, Ioh. Vogthius excud.] 8. 1624.

(Vide 1581.) [Cf. notit. lit. edit Bipont. Vol. 2. p. 322 sq.]

P. V. M. Opera studio Theod. Pulmanni correcta. Amstel. 8. 1625.

P. V. M. Opera indubitata omnia — ad Iac. Pontani castigationes accuratissime excusa c. indice eius locupl. Coloniae. Exc. Henr. Krafft 1625.

vid. 1599.

P. V. M. Opera [*indubitata omnia*] *ad Iac. Pontani castigationes* [*excusa.*] Sedani typis Io. Iannoni 24. S. 32. 1625.

Editio litterarum formis minoribus nobilis; quae ab ea nomen Sedanensium accepere. De Bure Bibliogr. instruct. n. 2683. [Catal. des livres de la bibl. de M' Carthy. T. I. n. 2548. Add. Ebert. l. l. n. 23696.] Alia fertur esse 1628. [Bibl. Reg. Londin. T. V. p. 353.] De Iac. Pontani opera vide ad 1599 et 1604.

[*Frid. Taubmanni commentariolus posth. in Moretum incerti auctoris. Ed. Christ. Taubmanno, Frid. f.* (Witebergae) ap. Zachar. Schurer 4. 1626.]

P. V. M. cum Cerdae Comment. Coloniae [III Voll.] f. 1628.

Vide Lugd. 1617.

[*Virgilius studio Th. Pulmanni.* Amstel. ap. Io. Iansson. 12. 1628.]

Aeneae peregrinationes, h. e. libri sex priores Aeneidos analysi simplicissima elucidati a Melch. Steinbruck. Coburgi ap. Io. Forckel 16. 1628.

P. V. M. Opera cum scholiis Io. a Meyen. Francof. 8. 1629.

Recusa ex Francofurtana 1616.

Memoratur quoque Coloniensis huius anni forte ex 1591. ducta.

P. V. M. Opera clariss. virorum annotationibus illustrata: opera Ioan. a Meyen. Paris., Io. Libert 8. 1630.

(Ex Ven. 1580.) Catal. B. R. Paris. n. 854.

P. V. M. Opera. In gratiam iuventutis poetices studiosae. Hispali apud Franciscum de Lyra 12. 1630.

(B. A. G.)

P. V. M. Aeneis c. comment. N. Abrami. Mussiponti 8. 1632.

(B. A. G.) Eadem Rothomagi 8. 1633. tum *Bucolica et Georgica* Mussiponti 1635. 8. (B. A. G.) tandem opera omnia Tolosae 1644. (B. A. G.) iterum Rothomagi 1637 et 1648.

P. V. M. Opera notis admarginalibus illustr. a Th. Farnabio. Londini. Felix Kyngston 8. 1634.

Saepius repetita. [Amst. 1642. 12. 1650. 12. etc.] Singulas notare, operae pretium non est.

P. V. M. Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. Amsterdami ap. Jansson 12. 1634.

Repetita ex 1625.

Virgilius Dan. Heinsio recensente nunc emendatior. Ad calcem animadversionum libellus e doctor. viror. observationibus (iam in edd. Fabric. obvius), L. B. ex offic. Elzevir. 12. et 16. 1636.

Cum huius editionis faciem plures aliae mentiantur subdititiae, ad pagg. 1 et 91 respiciendum esse, ubi paucae litterae characteribus miniatis expressae esse debent, non atris, de Bure Bibliogr. instruct. n. 2684 docet: Tam parvae res sunt, in quibus hi bibliographi deliciantur. Referatur sane illa, si ita placet, inter rariores Elzevirianas; interioris tamen indolis bona habet nulla. [Vid. (Bérard) essai bibliograph. sur les édit. des Elzévirs p. 70. et Ebert l. l. n. 23697.]

P. V. M. cum Comm. Servii P. Danielis. Genev. ap. Petr. et Iac. Chouet 4. 1636.

(Vide 1600. 1610. 1620.)

P. V. M. Opera. Parisiis e typogr. Regia f. 1641.

Splendidum Volumen: unum ex IV poetis Latinis excusis prelo Luparensi. (Reliqui sunt Terentius, Horatius, Iuvenalis et Persius.) (B. A. G.)

Virgilius e recens. Dan. Heinsii. (repetitus Elzevir. 1636) 1641.

P. V. M. Opera omnia argumentis, explicationibus et notis illustrata a I. Lud. de la Cerda. Colon. Agripp. ap. I. Ant. Kinchium III Voll. f. 1642 et 1647.

[Repetita ex edit. 1628. Vol. I., *Bucol. et Geo.*, a. 1647, sec. et tertium *Aen.* cont. a. 1642 excusa.]

P. V. Copa, cum commentariolo Io. Weitzii. Subiunctum est Spicilegio in Moretum Septimii Sereni. Francof. 12. 1642.

P. Virgilii Maronis cum veterum omnium Commentariis et selectis recentt. notis nova Editio. Inscripta V. Ampl. Gualtero Valkenier. Ex offic. Abr. Commelini. (Lugd. Batav.) 4. 1646.

Digitized by Google

Servius ex exemplari editionis P. Danielis (1600) a *Cl. Salmasio* multis locis emendato expressus. [vid. Crenii animadvv. philoll. P. IV. p. 2.] Usus etiam est *Commelinus exemplari Nic. Heinsii*, qui varias e Mss. lectiones annotarat. Notas viror. doctor. excerpsit *Corn. Schrevelius.* conf. praefat. (B. A. G.) [et Reg. Dresd.] Post meliores Heinsii editiones huius quidem non magnus usus est. [Ebert. l. l. n. 23699.]

[*Nic. Abrami e soc. I. comment. in P. V. M. opera omnia.* Rothomagi, ap. Rich. l'Allemand 8. 1648. B. R. Dr. vid. ad a. 1632.]

P. V. M. Opera nunc emendatiora. Amst. per Lud. Elzevirum 16. 1649.

Virgilius Dan. Heinsii 1636 repetitus ex offic. Elz. 1652.

Alia c. n. Fernabii, et varior. a Schrevelio curata; saepe hinc repetita.

P. V. M. Aeneidos liber primus. Parisiis apud Seb. et Gabr. Cramoisy 4. 1653.

P. V. M. Aeneidos liber duodecimus ibid. eod. Maitt. Annal. Ind. p. 329.

P. V. M. Opera, c. n. selectiss. variorum, opera Corn. Schrevelii. apud Franc. Hackium 8. 1657.

Curata haec ad exemplum reliquarum in Batavis cum not. Var. exaratarum; sine iudicio, delectu et diligentia. Notae adscriptae non quas res postulabat, sed quae calamo se offerebant.

Clavis anterioris Aeneidos, itinera Aeneae notis et tabulis referens, opera Ios. Seizii. Halae Suevor. per Io. Reinhard 4. 1657.

Subiicitur *Analysis libri secundi Aeneidis — Troiam — delineans. Analysis libri tertii, Exilium Aeneae ab Oriente — libri quarti, Didoni — ortam —* αυτοχειριαν *libri quinti Ludos Aeneae* — Tum tandem: *Centrum — Virgilianae Aeneidos, sive Analysis libri sexti descensum Aeneae ad inferos — delineans.* Halae 1656. Inesse possunt in ineptis his subtilitatibus grammaticis et rhetoricis nonnulla, quae ingenium forte acuant: si quis otio abundet. (B. A. G.)

P. V. M. per Io. Ogilvium edita et sculpturis aeneis adornata. Londini typis Th. Roycrofft f. 1658 et 1663.

Cum 120 tabb. et cum charta geogr. Volumen magna impensa, et quantum illa aetas ferebat, non sine arte, curatum. Delineandis et incidendis figuris operam dedere clari artifices *W. Hollar, W. Faithhorne, P. Lombard*, et alii. Idem Ogilvius (Ogilby) Anglicis versibus redditum excudi fecerat Londini 8. 1650. (B. A. G.) [cf. Ebert. l. l. n. 23700.]

P. Sebast. de Matienzo, Burgensis, S. I., commentationes selectae, ethicae et politicae in Virgilii Aeneidem. Lugduni per Horat. Boissat et Ge. Remens. 4. 1662.

Sunt argutationes fere ad Donati exemplum effusae, deterioris tamen venae. (B. A. G.)

Digitized by Google

P. V. M. accurante Nic. Heinsio. Elzev. 12. 1664.

Nobilis editio, e qua melior demum Virgilio lux affulsit. (B. A. G.)

[*P. V. M. Opera cum comment. Nic. Abrami.* Rothomagi 8. 1666.]

P. V. M. — Maceratae 8. 1668.

P. V. M. c. n. Nic. Abrami Soc. I. et Farnabii. Paris. Io. Henault 12. 1669.

Iuncta nunc primum opera duorum horum virorum.

Vide 1633 et 1634.

P. V. M. Opera (Adi. Culex et Ceiris) *accurante Nic. Heinsio.* Ex offic. Hackiana 16. 1671.

(B. A. G.) Vide 1664.

[*P. V. M. Opera cum comment. Italicis Fabrini, Malatestae et Venuti.* Venet. f. 1672.]

P. V. M. c. scholiis Io. Min-ellii. Roterod. [ap. A. Leers] 12. 1674.

Saepius abhinc recusa [Roterod. 1675. 1681.] 1694. 1697. 1700. 1704. [Hafn. 1699. 1732. 1740. Rotom. 1703. Amst. 1719. 1730. Francof. et Lips. 1708. et all.]

P. V. M. Opera interpretatione et notis illustravit Carolus Ruaeus, ad usum Delphini. Paris. [ap. Sim. Benard] 4. 1675.

Iure suo Ruaeus inter meliores Virgilii interpretes refertur, idemque inter ceteros, qui in Delphini usum commentati sunt, cum Huetio inter meliores.

P. V. M. Opera: editio noviss. summa cura recognita et multis mendis purgata. adiecta sunt Tan. Fabri et nonnullorum aliorum notulae et emendationes. Salmuri. Is. et H. Desbordes 12. 1675.

Adiectae sunt Notulae ex eius adversariis collectae; tum Animadversionum libellus, qui et in Fabricianis edd. occurrit. (B. A. G.)

P. V. M. accurante Nic. Heinsio Dan. fil. Amst. ex offic. Elzevir. 8. et 12. 1676.

Similis ed. 1671, sed acc. animadversionum libellus modo memoratus. E vulgari fama habetur pro emendatissima editione [novis curis triginta paene codd., de quibus vid. supra p. 613, auctoritate adornata. Add. Ebert. l. l. n. 23702. Rariss.] (B. A. G.)

P. V. M. Opera in tres Tomos divisa, c. notis integris Servii, Philargyrii, nec non I. Pierii Var. lectt. et selectiss. plerisque commentt. Donati, Probi, Nannii, Sabini, Germani, Cerdae, Taubmanni et alior. Quibus acc. observatt. Fac. Emmenessii cum Indice Erythraei. L. B. ap. Iac. Hackium. Amstel. ap. Abr. Wolfgang 3 Voll. [c. figg.] 8. 1680.

[Mortuo Emmenessio haec editio] absoluta est a Masvicio, in pretio et dignitate habita ab indoctis bibliographis. Expressus contextus ex Elzevir. Nic. Heinsii 1676 [Servii comment. ex edit. Genev. 1636] (B. A. G. [et R. Dr. Ebert. l. l. n. 23703.])

Digitized by Google

P. V. M. [*Opera, interpretatione et notis illustravit Car. Ruaeus. Ad usum Delphini.* Edit. sec.] Parisiis [ap. Sim. Benard] 4. 1682.

Emendata ex fide N. Heinsii [a. 1676. et eadem inscriptione eodemque signo typographico haec sec. editio recusa est Amstelod. 1690. 4.] Saepe hinc repetita Paris. Londini [et all. e. g. Lond. 1686. 4. Amst. 1692. 4. Lond. 1695. 4. Paris. 1696. 8. 3 voll. Lond. 1696. 1707. 4. Venet. 1713. 4. Paris. 1715. 12. 4 voll. ibid. 1722. 4. Hag. Com. 1723. 8. 2 voll. Paris. 1726. 4. Lond. 1727. 8. Venet. 1735. 4. 2 voll. Lond. 1740. 8. Neap. 1745. 4. 2 voll. Ingolst. 1748. 8. 1760. 8. Basil. 1782. 12. 3 voll. — Budae 1802. 8. 3 voll. Bassan. 1804. 4. 2 voll. Paris. 1807. 12. 3 voll. Vannes. 1813. 12. 3 voll. Lond. 1817. 8. Lugd. 1817. 12. 3 voll. Bassan. 1818. 4. 2 voll. Olyssib. (impr. Lugd.) 1822. 12. 3 voll. Paris. 1823. et 1826. 12. totidem voll. Lond. 1828. et saepius. Ebert. l. l. n. 23704. Brüggemann. view p. 537.]

P. V. M. Opera Nic. Heinsius Dan. F. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Lugdun. Bat. typis Iac. Hackii 12. 1684.

Est iam ex edd. Heinsii perfectioris operae. (B. A. G.) Memorantur aliae Amstel. 1685. 1688, rec. Lond. 1695.

P. Virgilii M. Opera ab ipso primum edita, scil. Epigrammata, Poematia, fragmenta — cum Comm. et Obss. cumque paraphrasi italico metro concinnata ab Octavio Scarlatino. Bononiae, P. Maria de Montibus f. 1697.

P. Virgilii M. Opera. Io. Henr. Boeclerus quondam ex Ms. Biblioth. Argent. recensuit et annott., in quibus Servii Commentarii illustrantur, suppeditavit. Ulmae, Io. Wolfg. Beuerlin 8. 1698.

Digna mihi visa erat editio, quae accuratius inspiceretur. Nunc compertum habeo, nil nisi vulgaria vitia, lapsus et variationes reperiri. Habui collationem Ecl. X. Ge. I. Aen. VI. in quibus ne una quidem lectio bona varians paullo memorabilior occurrebat: nisi quod Aen. VI, 188 *numero* legitur. Memoratam videram in Catal. B. R. Paris. *Poetes* n. 872. cf. Harles p. 241.

Supplementum ad Aeneida, seu Aeneidos liber XIII. authore C. S. Villanova. Paris. per P. Aubouyn 8. vel 12. 1698.

1700.

P. V. M. Buc. Ge. Aen. ad optimorum exemplarium fidem recensita (per H. Laughton) Cantabrigiae typis Acadd. impensis Iac. Tonson 4. mai. 1701. [Ebert. l. l. n. 23705.] Eadem 8. 1702, rep. 1707. 1711.]

Ex Emmenessiana expressa.

P. V. M. c. n. Chr. Iunckeri. Lips. 8. 1703.

Similes alias edd. praetermittimus.

[Repet. ibid. 1711. 1718. 1731. 1736 etc.]

P. V. M. Opera Nic. Heinsius e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Ultraiecti apud Guil. van de Water 12. 1704.

Ex Heinsiana 1676 religiose expressa; curante *P. Burmanno*, nisi quod lectionum nonnullarum, quas e cod. Mediceo Norisius in Cenotaph. Pis. adnotaverat ab Heinsio praetermissas, ratio habita est. (B. A. G.)

P. V. M. Opera ad meliorum codd. fidem emendata, cum argumentis lucidissimis, Vindocini (Vendome) Henr. Hyp. 12. 1706.

P. Virgilius Maro. Parisiis apud Musierium 12. 1707.

[Eodem a. *Virgilius* C. Ruaei interpretatione et notis illustratus et contextu ad edit. Nic. Heinsii Amstel. 1676 emendato impressus est Londini. Vid. ad a. 1692.]

P. V. M. Opera c. n. selectis Abrami, Farnabii, Iuvencii et aliorum, et omnium verborum indice. Rothomagi apud Lallemantium 8. 1711.

(Vide Paris. 1666.)

P. V. M. ad exemplar, quod ex antiquissimis recensuit membranis Nic. Heinsius, c. n. Th. Farnabii. Amst. apud Iansonio-Waesbergios 12. 1712.

[*P. V. M. opera ad edit. Heinsii emendata.* Venetiis 1713. Eadem repet. ibid. 1737.]

P. V. M. Operum Editio nova ceteris omnibus emendatior. Parisiis apud Io. Barbou. 4. et 12. 1714.

[Nitida editio XVII figg. aeneis ornata. Recusa est ibid. 1722. 4.]

P. V. M. Opera. Londini ex offic. Iac. Tonson et Io. Watts 12. mai. 1715.

Per *Mich. Maittaire*, a quo Var. Lect. ex edd. Ven. per Leon. Achatem 1472 et Mediol. 1474 praemissae sunt. Noli tamen putare magnam Maroni lucem ex binis his edd. affulsisse. (B. A. G.) [et R. Dr. Add. Ebert. l. l. n. 23706.]

P. V. M. per Guil. Binaldum cum accentibus. Dublin et Amst. 12. 1716.

Editio *Catroeana.* [s. h. t. *Les oeuvres de Virgile. Traduct. nouv. avec des notes crit. et histor. par P. F. Catrou* (le texte latin vis-à-vis la traduction)] Paris, I. Barbou 6 Voll. 12. 1716.

[Add. *Lettre critique au Pere Catrou sur la traduct. franç. de V.* Paris. 1721. 12. Repet. haec versio ibid. 1729. 8. 4 Voll.]

P. V. M. Opera cum integris Comm. Servii, Philargyrii, Pierii. Acc. Scaligeri et Lindenbrogii Notae ad Culicem, Cirin, Catalecta. Ad Cod. MS. Regium Parisiensem recensuit Pancratius Masvicius. Leovardiae. Exc. Franc. Halma (Tomi II.) 4. 1717.

Satis obvia editio, ad Heinsianam expressa, et *P. Burmanni*

Digitized by Google

conviciis proscissa, cuius *admonitio* editioni Virgilii est praemissa, [inserta antea observatt. miscell. T. 8. p. 81 — 96.] qua ad Emmenessii vel Schrevelii edd. excusam esse Masvicianam contendit. Variae lectiones notabiliores post Erythraei indicem ex Cod. Parisiensi (Regio) et Markiano (Parrhasiano) subiectae sunt. [Recusa haec editio Venet. 1736. II Voll. 4. Vid. Ebert. l. l. n. 23707.

Index vocabulorum omnium, quae in Eclogis, Georgg. et Aen. Virg. continentur, dispositus a Sim. Fr. de Leseau. Par. ap. I. Barbou 4. 1717.]

Benedicti Aueranii dissertationes in Virgilium XLV. in eius Opp. Florentiae 1717. fol. To. I. vulgaria intolerabili prolixitate recoquit. Subsistit ad Aen. I, 49.

P. V. M. c. n. Var. Rothomagi 8. 1723.

[*P. V. M. Opera c. G. Grierson.* Dublin. 12. 1724.

P. V. M. Opera accurante Nic. Heinsio Dan. fil. Amstel. ap. Wetsten. 24. 1725.]

Commentarii in P. V. M. nunc primum iuxta ordinem verborum, post tamen uberioribus notis locupletandi. Tomus I. II. III. Scribebat D. *Gaspar Pinto Correa* Theologus Lusitanus, Garaialensis Barcellorum Collegiata Canonicus Poenitentiarius. Ulyssipone occidentali 4. 1726.

In puerorum usum scripti. (B. A. G.)

Catroeana. Nouv. édit. revuë corr. et augm. Paris, chez les Freres Barbou. 4 Voll. c. figg. 8. 1729.

[*P. V. M. Opera ad P. Maasvicii Editionem castigata.* Amstel. ap. Wetsten. 12. 1730.]

The Works of Virgil translated into English blank Verse, with large explanatory Notes and critical Observations by Ioseph Trapp DD. 3 Voll. London. for I. Brotherton etc. 8. 1731.

Aeneis iam 1718 et 1729. II Voll. excusa fuerat. Bonus Trappius iudicii acumine et elegantia parum se commendat, peccatque forte copia rerum ac verbositate, si viris, non ephebis, scripsit. Sunt tamen in eo plura utiliter monita, quam in multis valde doctis notis.

[*P. V. M.* Edinburgi, ap. Rob. Freebarnium 18. 1732.

Bibl. M' Carthy n. 2558. Cat. Bibl. Reg. Lond. T. V. p. 353.]

P. V. M. cum annotat. Minellii a Ios. Ant. de Sylva. Ulyssipone occidentali 8. 1735.

(B. A. G.)

Masviciana repetita Venet. per Io. Bapt. Paschalium 2 Voll. 4. 1736.

[*Les oeuvres de Virgile. Traduct. nouv. le latin à côté, avec des notes histor. et geograph. par l'Abbé de la Landelle de S. Remy.* Paris., Barbou 4 Voll. 8. 1736.]

P. V. M. e recens. N. Heinsii. [*studio Vulpiorum fratrum.*

Acc. vita Virg., Fabricii notitia liter. et index] Patavii per Ios. Cominum 8. 1738.

Iuxta Heinsii Elzev., ratione tamen habita Amstelodamensis 1704. [Cf. Ebert. l. l. n. 23708.]

Antiquissimi Virgiliani Codicis fragmenta et picturae ex Bibl. Vaticana etc. Romae f. 1741.

Vide sup. inter Codd. [Ebert. l. l. n. 23709.]

P. Vergili Maronis Codex antiquissimus — qui nunc Florentiae in bibl. Mediceo-Laurentiana adservatur (editore P. Franc. Fogginio.) Florentiae 4. 1741.

Vide sup. inter Codices, [Ebert l. l. n. 23710.]

P. V. [*M. Opera interpretatione ac notis illustrata*] *studio et opera T. Cooke.* Londini, Hodges 8. 1741.

(B. A. G.) Ruaei Operam emendandam sibi sumsit. In magna aequalium existimatione librum habitum esse video. [Gentlem. Magaz. 1741. Nov. p. 614.]

P. V. M. Georgicorum libri quatuor. The Georgicks of Virgil with an English Translation and Notes by John Martyn, Prof. of Botany in the University of Cambridge. London printed for the Editor by R. Reily 4. 1741.

Splendida editio. Martinus VII codices comparasse se memorat, de quibus v. sup. Praecipua dos, qua se commendat Martini opera, est, quod rei rusticae et botanicae intelligentior ille fuit ceteris commentatoribus. Altera editio curata est 1746. 8 et tertia 1755. 8. [et saepius. Ita *P. V. M. Bucol. et Georgg. with notes by I. Martyn.* Oxon., Vincent. 1829. Germanice ab I. Iac. Dusch. Hamb. et Lips. 1759. 8.]

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. Ex recens. Alex. Cuninghami Scoti, cuius emendationes subiiciuntur. Edimburgi apud G. Hamilton et I. Balfour 12. 1743.

Ex schedis eius et iis, quae ad marginem edit. Elzev. 1676 alleverat, post eius mortem vulgata. Variantes Lectiones ab aliis e Codd. [Markianis, Waddel. Paris. all.] notatas, et edd. vett. 1470. 1472. 1474 et 1476 excusserat, e quibus pauca excerpta hic subiecta sunt una cum eius coniecturis, quae importune satis in contextum saepe receptae sunt *) (B. A. G.) [et R. Dr. Ebert l. l. n. 23711.]

P. V. M. Opera ad fidem optimorum librorum accurate recensita. Gotting. ex offic. Acad. A. van den Hoek. 12. 1743.

---

*) *An Essay on Virgil's celebrated Gates of Sleep — by Theodore De la Faye.* Lond. 8. 1743; verbosissima disputatio, qua tamen quid effectum sit non statim assequi licet: *portam eburneam* videtur referre ad somnia matutina, quo tempore mox evigilant et ad vitam quasi redeunt homines; *falsa insomnia* esse visa ludentia, etsi veriora sint alioqui venientia mane somnia; *corneam*, qua descensus fit animarum ad inferos: at quis hunc *exitum* dixerit?

Digitized by Google

[*The Works of Virgil translated into english prose — with the latin text — and crit. histor. geograph. and classical notes in english from the best Commentators both Ancient et Modern* etc. Lond., printed for Ios. Davidson II Voll. 8. 1743.

Hanc editionem, quae in magna existimatione apud Anglos olim habita est, saepius recusam esse video Lond. 1748 (B. R. Dr.) 1754. 1763. 1785. 1790. 8.

Les oeuvres de Virgile trad. en françois avec le texte latin à côté et des remarques par M. l'Abbé Guyot des Fontaines; ornées de figg. grav. par Cochin. Paris., Guillau IV Voll. 8. 1743.

Saepius repet. ib. 1751. 12. IV Voll. 1783. 8. IV Voll. etc. Add. *Remarques sur la traduction de V. de M. l'Abbé de F.* s. l. 8. *Lettre de M. de Tort à M. l' A. Guyot au sujet de la nouv. traduct. des oeuvres de V.* Paris. 1743. 4. *Lettre de M. Hardy à M. l'A. Guyot au sujet* etc. Ibid. 1743. 4. *Lettre de M. Tubeux au nouveau censeur de la nouv. trad. de V. du S. A. Guyot.* Ib. 1743. 4. *Journal de Trevoux* Oct. 1743. *Crenal l' erreur et iniustice confondues, ou réponse à l'ecrit de M. Bourgeois dans le I. de Trevoux* etc. Douai 1744. 8. et all.]

P. V. Maro ex editione Nic. Heinsii et P. Burmanni. (praefatur P. Burmannus iunior) Amst. apud Iac. Wetsten. 12. 1744.

P. V. M. Opera. Londini typis I. Brindley 12. 1744.

(B. A. G.) [et R. Dr. minutis, sed nitidis characteribus.] *alia* 1753. 2 Voll. 8. (B. A. G.) ad Masvicii editionem castigata.

P. V. M. [*cum lectt. variantibus cura Ioa.*] *Hawkey.* Dublini [e typogr. Acad.] 8. 1745.

[Ebert l. l. n. 23714.]

P. V. [*M. Opera cura et studio Steph. Andr. Philippe.*] Paris. ap. Ant. Urb. Coustelier. 3 Voll. cum figg. Cochin. 12. 1745.

[Nitida editio, quae sec. praefat. p. 6 sq. ad cod. Mediceum ed. Fogginii 1741 expressa, paucis versibus exceptis textum Masvic. refert. Repet. Paris. ap. Barbou 1754. 12. 3 Voll. Add. Ebert l. l. n. 23713.]

P. V. M. P. Burmanni [s. h. tit. *P. V. M. Opera cum integris et emendatioribus commentariis Servii, Philargyrii, Pierii. Acc. F. Ursini, G. Fabricii, Fr. Nannii, I. Musonii, Tan. Fabri et all., ac praecipue Nic. Heinsii notae nunc primum editae: quibus et suas in omne opus animadversiones et var. in Servium lectiones addidit P. Burmannus. Post cuius obitum interruptam edit. curam suscepit et adornavit P. Burmannus iun. Cum indd. absolutiss. et figg. elegantiss.*] Amstel., sumt. Iac. Wetst. IV Voll. 4. 1746.

De iis, quae in hanc editionem congesta sunt, vide praef. Burmanni Sec. [Nic. Heinsii observatt. ineditae et Servius integritati suae pluribus in locis restitutus hanc Burmanni edit. inprimis commendant. Interpretationem poetae quod attinet, parum auxilii ex ea petendum esse constat.]

Digitized by Google

Virg. collatione Scriptorum Graecorum illustratus opera et industria Fulvii Ursini. (revisa ex Plantin. 1568) cum tribus opusc. Lud. Casp. Valkenari. Leovardiae ex offic. Gul. Coulon 8. 1747.

Poterat sane fructuosior esse haec opera, si ad ipsum Ursinum emendandum vel ornandum aliquid conferre maluisset vir doctissimus.

P. V. M. Opera cum notis brevioribus. Ad usum scholarum. Parisiis. Apud Desaint et Saillant (B. A. G.) 12. mai. 1748.

P. V. M. Bucolicorum Eclogae decem. The Bucolicks of Virgil, with an English Translation and Notes by I. Martyn. Lond. printed by R. Reily for T. Osborne 4. mai. 1749.

et eod. a. Edit. sec. 8. tertia 1750. 8. [vid. ad a. 1741.] Expectabatur ab eodem viro docto Aeneis. Nec tamen vidimus praeterquam: *Dissertations and critical Remarks upon the Aeneid of V. by the late John Martyn.* Lond. 1770, 8. (B. A. G.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. illustrata, ornata, et accuratissime impressa. (cum figuris ex ant. monumentis expressis) T. I. II. Londini impensis I. et P. Knapton et Gul. Sandby 8. mai. et in 12. 1750.

(B. A. G.) [et R. Dr. Ebert l. l. n. 23716.]

The Works of Virgil in Latin and English. The original Text correctly printed. The Aeneis translated by Chp. Pitt, the Eclogues and Georgics with Notes by Jos. Warton, with several new Observations by Mr. Holdsworth, Spence and others. 4 Voll. London. Printed for R. Dodsley 8. 1753.

Elegantium hominum conatus. Ab Holdesworthо alia plura in Maronem ab amicis expectabantur. Eo autem morte erepto prodiere: *Remarks and Dissertations on Virgil, with some other classical Observations. By the late Mr. Holdsworth. Published with several Notes and additional Remarks by Mr. Spence.* London 4. 1768. Etsi pauca sunt doctrinae alicuius exquisitae; inest tamen orationi color aliquis urbani et liberalis ingenii. (B. A. G.) Recusa est haec editio 1778. [Cf. Monthly Review. 1753. March. p. 161 — 176. Brüggemann view. p. 540 sq.]

P. V. M. Opera Argumentis et chrestomathia illustravit Io. Pet. Miller. Berolini, sumt. A. Haude et I. C. Spener 8. 1753.

P. V. M. Opera ex antiquis Monumentis illustrata, cura, studio et sumtibus Henrici Iustice. 4 Voll., quibus pro *quinto* Vol. Monumentorum docta explanatio Saxii, Viri Cl., studio accessit [Hagae Com.] 8. 1753 — 1765.

Potest sane voluptas honesta quaeri e splendore et ex figuris scita ac molli manu factis. (B. A. G.) [et R. Dr. Iisdem tabb. aen. adhibitis repet. Bruxellis ap. de Boubers. Add. Ebert l. l. n. 23721. Peignot repertoire p. 208 sq. et 267 sqq.]

P. V. M. Opera. T. I — III. *curis et studio Stephani Andreae Philippe.* Lutetiae Paris. typis Iosephi Barbou 8. min. 1754.

Digitized by Google

(B. A. G.) Ex Bipontinor. Sociorum Notitiis intelligo, iam 1745 factam editionem praecessisse [qu. vid.] Codicem Mediceum sequutus esse videri vult Philippus; etiam varietatem lectionis a viris doctis notatam et editiones diversas conquisivisse. Nec tamen ultra Ruaeum, Emmenessium ac Masvicium eius studium processisse videtur. Ex hoc quidem variae lectiones, quas subiecit, plerumque descriptae sunt. Est alia typis Barbou 1767.

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. Ad optimor. exemplarium fidem recensita. Edinburgi ap. G. Hamilton et G. Balfour. 2 Voll. 8. 1755.

Nitide expressa. (B. A. G.) [In praef. edit. V. stereot. Paris. ap. St. et Firm. Didot 1798 (an 6) 18. undecim vitia typographica huius edit. notantur. Vid. Ebert. l. l. n. 23718.]

[*P. V. M. Opera tabulis aeneis incidit I. Pine.* Lond. 8. 1755.

Bucolica et Georgg. tantum prodiere. Cf. Ebert l. l. n. 23717. et inf. ad a. 1774.

P. V. M. Opera, ordine perpetuo, interpretationibus gallicis, annotationibus et dictionariis illustrata, ab Ant. Bourgeois. Senlis. et Paris. ap. I. Barbou 2 Voll. 8. 1755.

Bucolica et Georgg. libr. I. continent. Ebert l. l. n. 23719.]

P. V. M. Bucolica, Ge. et Aeneis. Birminghamiae. Typis Io. Baskerville 4. mai. 1757.

Splendidissimum opus et characterum peculiari nitore commendatissimum in charta laevigata. Fuit ea inter exempla prima luxus huius litterarii: quo ab animo et ingenio voluptas ad oculos traducta est. (B. A. G.) [et R. Dr.] Alia 1766. 8. B. A. G. [et R. Dr. In nonnullis exempl. pag. 143 male 341 numeratur. Sed priore hac edit. longe inferiorem esse alteram, quam annum 1757 mentitus curavit Baskerville a. 1771., ex Aen. libr. 2. v. 457, qui in ea ex errore typogr. deest, et ex p. 342 all. docuerunt Brunet l. l. Ebert l. l. n. 23720.]

[*P. V. M. Opera, ex edit. Petri Burmanni.* Glasguae, ap. Foulis 8. 1758.

Repet. ib. 1784. 12. Ebert l. l. n. 23722.]

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis ex Cod. Mediceo-Laurentiano descripta ab Ant. Ambrogi Florentino, S. I. italico versu reddita, adnotationibus atque var. lectt. et antiquissimi Cod. Vaticani figuris pluribusque aliis veterum monumentis aere incisis et Cl. Virorum dissertationibus illustrata III Tomis. Romae. Exc. Io. Zempel Venantii Monaldini sumtibus f. 1763 1764 et 1765.

Ambrogius Virgilii poemata italicis versibus expressa iam 1758 — 1762 Romae 4 Voll. vulgaverat, et hic forte subsistere debuerat: rei enim criticae parum peritus magnis sumtibus valde inutilem splendidae editionis molem emisit. [Ambrogii versio Virg. italica rec. Romae 1770. 8. IV Voll. Add. Ebert. l. l. n. 23723.]

Digitized by Google

[*P. V. M. Opera.* Paris. ap. Barbou. II Voll. c. figg. Cochin. 12. 1767.

Expressa ex edit. Burmanni, quae Lipsiae ap. Georgi 1774. II Voll. 8. vitiosissime (cur. I. G. F. Franz) Wirceburgi ap. Stahel 1778. 8. Glasguae typis acadd. 1784. 12. et saepius alibi repetita est.]

P. V. M. Opera varietate lectionis et perpetua adnotatione illustrata a C. G. Heyne. Lipsiae sumt. Casp. Fritschii. 4 Voll. 8. mai. 1767—1775.

Critical Observations on the sixth Book of the Aeneid. Lond. 8. 1770.

Vide Excurs. extr. ad Aen. VI.

Geographie de Virgile — Par Mr. Helliez. Paris 8. 1771.

Non absurdi ingenii consilium!

P. V. M. Opera tabulis aeneis olim a Io. Pine, sculptore regio defuncto, illustrata. Opus paternum in lucem profert Robertus Edge Pine. Londini 2 Voll. 8. mai. 1774.

Sane multa ex antiquitate ingeniose ad Virgilium accommodata; pleraque longius petita, communia omnibus poetarum locis eandem rem verbo attingentibus, et vulgaria. Ad poetam usus inde promitti potest aut nullus aut exiguus. Ad delectationem tamen facere possunt figurae plurimum; modo delineatoris peritioris opera et caeli usus subactior accessisset.

[*P. V. Maro. Bucolica Georgica et Aeneis ex edit. Burmanni.* Glasguae in aed. acadd. excudeb. Andr. Foulis. II Voll. f. 1778.

Ebert. l. l. n. 23726. Repet. ibid. 1784. 8. II Voll.]

P. V. M. Opera. Parmae e regio typographeo 8. 1779.

(B. A. G.)

P. V. M. Opera in tironum gratiam perpetua adnotatione novis curis illustrata a C. G. Heyne. Tom. I. II. Lipsiae sumt. Casp. Fritschii 8. 1779. 1780.

P. V. M. Opera perpetua adnotatione illustrata in usum scholarum Daniae et Norvegiae. Edidit M. Iac. Baden in Univers. Havn. Prof. Eloq. P. O. Havniae Tom. I. II. 8. 1780.

(opera nostra a viro docto suis consiliis attemperata.)

[Virgil. poemata ex recens. Heynii repetiere etiam edd. Norimb. ap. Riegel. 1778. 8. (recus. 1802. 8. 1810. 8.) Mannhem. in librar. acad. 1779. 8. II Voll. et all. Neque praetereundus:

P. Virgilius Maro. Le opere volgarizzate col testo del Codice Mediceo-Laurenziano, e le varianti dei Codice Vaticano e Palatino. Milano, Motta II Voll. 12. 1781.]

P. V. M. Opera. Acc. *M. Manilii Astronomicon. cum notitia litteraria studiis societatis Bipontinae.* Biponti 2 Voll. 8. 1783.

Nitore suo simplicique elegantia commendata editio. Notitia litteraria docte ac diligenter elaborata distributa est in aetates

Digitized by Google

quinque, quas supra sub initium annorum adscripsi. [Eadem edit. emend. et auct. rec. Argentor. in typogr. societ. Bip. (Treuttel et Würtz) II Voll. 8. 1808. Ebert. l. l. n. 23727.]

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis. Ad optimorum codicum fidem recensuit Rich. Franc. Phil. Brunck. Argentorati sumtib. bibliopolii Academici 8. mai. 1785.

Nitore typographico et cura in vera lectione reddenda commendanda editio; de qua supra actum. Audimus quoque nec sine voluptate, aliam editionem eamque multo splendidiorem a viro doctissimo parari [quae Argentor. typis Ph. I. Dannbach 1789. 4. mai. in lucem emissa est.]

Georgicorum P. V. M. libri IV graeco carmine heroico expressi notisque perpetuis illustrati studio et labore Eugenii de Bulgaris. Petropoli [in acad. scientiarum] f. 1786.

Vide *Götting. Gel. Anz.* 1787, p. 1263. [Bacmeister biblioth. Russ. Vol. XI. 1—4.] Conatus similes graece vertendi Bucolica habebamus iam olim Alsworthi et aliorum v. ap. Socios Bipont. [Huc referendi *Aeneidis P. V. M. libri XII graeco carmine heroico expressi notisque perpetuis illustrati studio ac labore Eug. de B.* Petrop. in acad. scient. f. 1791—93.]

Sunt aliae editiones, quae non nisi seu nitore seu splendore se commendant, ut Glasguensis 1778. f. [qu. vid.]

Successerat his editio nostra *altera emendatior et auctior* sumtibus Casp. Fritschii 1788. 8. mai. Voll. IV. ornamentis aere sculptis insignita. Cum librarii Londinenses id agerent, ut, nec appellato redemtore, ipsi eam editionem typis iterarent, vix in viri optimi gratiam a B. et J. White obtinui, ut exemplaria prioris editionis pretio, de quo convenerat, redimerent; tum ipsi novis litterarum formis Virgilium recuderunt [Lond. ap. Payne] 1793. IV Voll. [8. c. figg. aen. et VIII Voll. 4. c. figg. aen. Quae Ric. Porsonus, qui hanc editionem curavit, novem locis de suis addidit, excerpta leguntur in F. A. Wolfii analectis litt. Vol. I. p. 482 sq. Add. Ebert. l. l. n. 23731.

P. V. Maro. Bucolica Geo. et Aeneis. Editio prorsus typographico mendo, typographi saltem iudicio, expurgata. Paris., Pt. Didot natu mai. f. 1791.

Nitidis quidem characteribus, sed qui Bodonianis a. 1793 longe sunt inferiores. Cf. Peignot repert. des bibliogr. spéc. p. 141. Ebert. l. l. n. 23730. Etenim] sub idem tempus ad praescriptum equitis d'Azara Parmae typis excusa Bodonianis prodiere *P. V. M. Opera. In aedibus Palatinis* 1793. f. imp. Splendidissimum typographicae artis monumentum [non paucis vero inquinatum erratis typographicis, quae a Pt. Didot. in praefat. editionis Virg. stereotypae Par. 1798. 18. p. 7 sq. notata singulis

foliis de integro recusis postea correcta sunt. Cf. Renouard catal. de la bibl. d' un amateur Vol. II. p. 247. Ebert l. l. n. 23752.] ante oculos habita in poeta recensendo editio Lipsiensis [recusa ab eodem typographo ibid. in aedibus Palatinis 1795. II Voll. 8., et saepius deinceps a pluribus aliis repetita. In quibus nomino

P. V. Maro in usum scholarum ad Lond. Heynii edit. exactus; excisis Disquisitt. Excurss. et Notar. iis, quae ad iuniorum commoditatem minus pertinere videbantur. Lond., Payne 8. 1793.

Virgils Aeneis in zwölf Büchern. Zum Gebrauch auf Schulen herausgeg. v. G. H. Nöhden. Braunschweig, Schulbuchh. 8. 1793.

Erklärende Anmerkungen zu Virg. Aeneis in zwölf Büchern herausgeg. v. G. H. N. Ibid. III Voll. 8. 1794.

et all. vide infra.]

Etiam Oxoniae e prelo Clarendonio 1795. exiere *P. V. M. Opera locis parallelis ex scriptoribus et annotationum delectu illustrata in usum iuventutis: acc. tabulae geographicae et index Maittairianus* 2 Voll. 8. mai. Expressa est editio Lipsiensis.

Ex aliis commemorabo editionem criticam: *P. V. M. Opera; emendabat et notulis illustrabat Gilbertus Wakefield* A. B. Coll. Ies. Cant. nuper socius Vol. I. II. Londini impensis Kearsley 1796. 8. Plaudimus ingenio viri doctissimi, et ex iis, quae seu acute perspexit seu fidenter coniecit, utiliora aut veriora passim in hac novissima editione enotavimus. [Add. Monthly Review. 1797. I. p. 272—76. II. p. 48—52. Ebert l. l. n. 23733.] Praecesserat 1788 Georgicorum editio simili modo adornata. [cf. Brüggemann l. l. p. 542 sq.

P. V. M. Bucolicon eclogae decem. Uebers. und erklärt v. I. H. Voss. Altona, Hammerich II Voll. 8. 1797.

Praecesserat *Virgils vierte Ecloge, übers. von I. H. Voss. Probe e. neuen Ausg. von V. ländl. Gedichten.* Alt. 1796. 8. Vid. Heyn. paulo infra.

P. V. Maro. Buc. Geo. et Aeneis. Parisiis in aedibus Palatinis excudebam Pt. Didot n. mai. f. an VI. (1798.)

Elegantissima editio, quae ab omnibus istis vitiis, quae in Bodoniana aliisque iure notavimus, vacua, nitore etiam figurarum XXIII aeri incisarum quam maxime commendatur. Ebert. l. l. n. 23734. Neque hac laude nostra inferior est editio Virgilii stereotypa, quam eodem anno eademque inscriptione excudebat Pt. Didot 12. et 18. litterarum formis minoribus et puritate nobilissimam. Add. Ebert. l. l. n. 23735.

P. V. M. Opera. Locis parallelis illustravit I. G. Madlinger. Berol. Himburg 8. 1798.

Digitized by Google

Ad edit. Brunckii Argentoratensem ea expressa esse video.

P. V. M. Opera. Ad lectiones probatiores diligenter emendata et interpunctione nova saepius illustrata. Cura I. Hunter Andreapoli II Voll. 12. 1800.

Repetit. ex edit. Lips. Pauca nonnulla, quae de suis ad emendationem aliquot versuum conferre voluit editor, in praef. adnotata leguntur. Vid. Edinburgh Review. 1803. Vol. III. p. 60—66. Ebert. l. l. n. 23736. Eadem editio rec. Cupri Fifanorum 1810. 8. II Voll. *Aeneidos libri XII. c. comment. germ. cur. B. F. Schmieder* Berol., Nauck 1799 sq. II Voll. 8. in puerorum usum editi sunt.

P. V. Maro. Buc. Geo. et Aeneis. Londini, ap. A. Dulau, typ. Bensley II Voll. 8. 1800.

Ex edit. Paris. a. 1798. religiose expressus poeta; figurae etiam aeri incisae XV ad eandem conformatae sunt. Ebert. l. l. n. 23737. Prodierunt eodem anno:

P. V. Maro varietate lect. et perpetua adnotatione illustratus a Chr. Glo. Heyne. Edit. tertia novis curis emendata et aucta. Lips., Fritsch. V Voll. 8. c. figg. aen. (1798—1800.)

Recusa ibid. ap. eund. 1803. 8. IV Voll. sine figg. Ebert. l. l. n. 23738.

P. V. Maronis opera in tironum gratiam perpetua adnotatione novis curis illustrata a Chr. Glo. Heyne. Edit. III. Lips., Fritsch. II Voll. 8. 1800.

Edit. IV. emendata et locuplet. ab E. Car. F. Wunderlich. Lips., Hahn 1815. Vol. I. 8. et post eius mortem a I. E. Ruhkopf. Vol. II. ibid. 1816. 8. Repet. ibid. 1822. II Voll. 8. Neque praetereundi

P. V. M. Georgicon libri IV. übers. und erklärt von I. H. Voss. Altona, Hammerich II Voll. 8. 1800.

Repet. ibid. 1830. 8. Praecesserat edit. 1789. 8. de qua supra p. 626.

L' Enéide trad. par Iaqu. Delille (le texte latin à côté de la traduction) Paris, Giguet et Michaud IV Voll. 8. an XII. 1804.

Editio typorum elegantia et figg. aen. nitore maxime commendabilis. Ad edit. Lipsiensem Heynii auct. et emend. recusa est Paris. ap. Michaud 1814. IV Voll. 8. et tertiis curis lectt. var. et notis aucta ab I. Delille, de Fontanes, Michaud et Walckenaër ibid. 1820. IV Voll. 8. (Delille oeuvres Vol. III—VI) Add. *I. Delille's Anmerkungen zu Virg. Aeneis übers. von M. Engel.* Frankf. a. M. 1806. 8.

Virgilii Maronis interpretes veteres: Asper, Cornutus, Haterianus, Longus, Nisus, Probus, Scaurus, Sulpicius et Anonymus edente notisque illustrante Ang. Maio. Mediolani, regiis typis 8. 1818.

Adh. Philonis Iudaei de cophini festo et de colendis parentibus etc. editore A. Maio. Mediol. 1818. Cf. Schröter in Annall. litt. qui inscrib. Hermes Vol. XXIV. (1824.) p. 378—80. In Germania primum recudi curavit Alb. Lion in edit. Servii. Gott. 1826. Vol. II. p. 305—72.

P. V. Maro qualem omni parte illustratum tertio publicavit Chr. Glo. Heyne. Cui Servium pariter integrum et variorum notas cum suis subiunxit N. Elig. Lemaire. Paris, Lemaire VIII Voll. 8. 1819—22.

Opus ex edit. Lips. religiose expressum. Addita Vol. octavo flora Virgiliana ab A. L. A. de Fée adornata, et index novis curis auctus atque emendatus. Ebert. l. l. n. 23740.

P. V. M. opera omnia ex edit. Heyniana cum notis et interpretatione in usum Delphini variis lectt. excursibus Heynianis recensu edd. et codd. et indice locupletiss. accuratissime recensita. Lond. Valpy VIII Partes 8. 1819.

Plura in hanc edit. congesta, de quibus an recte habeant et iusto ordine sint disposita, iure quidem possit disputari. Singulis foliis versio latina prosaica apposita est; annotatt. criticae et notae variorum P. III—VI separatim editae.

P. V. Maro. Recensuit et emendavit F. G. Pottier. Par., Malepeyre II Voll. 8. 1823.

Vid. supra p. 627. Ebert. l. l. n. 23741.

P. V. M. Opera omnia. Ad opt. libr. fidem recensuit et in usum scholarum edidit I. Chr. Iahn. Lips. sumpt. et typis B. G. Teubneri 8. 1825.

Vid. supra inter codd. p. 629. Annall. litt. Heidelb. 1826. III. p. 239 sq. Diar. litt. Ienens. 1827. Suppl. n. 94 et all.

P. V. M. Opera ad fidem novem codd. mst. nondum adhibitorum Bibl. Regiae Bamberg., nec non Schoenborniano — Gaibac., aeque ac Viechtianae collata cum opt. edd., praecipue illa Cl. Heynii etc. a Ioa. H. Iaeck. Vinariae, Landes-Industrie-Comptoir 8. 1826.

Vid. supra inter codd. p. 628 sq. In codd. istis nil nisi vulgaria vitia et librariorum variationes reperiri et rationem, quam in interpretando poeta secutus est editor, nullo modo probari posse luculenter docuerunt Wagner in Iahnii annall. philoll. II. (1826) p. 109—28. Hofmann-Peerlkamp in bibl. crit. nova III. p. 368—75. Bach in Zimmermanni diar. scholast. II. (1828.) litter. n. 33. 34. all.

Commentarii in Virg. Serviani s. commentarii in Virgilium qui Mauro Servio Hon. tribuuntur. Ad fidem codd. Guelferbytan. aliorumque recensuit, et potioribus lectt. indicibusque copiosiss. instruxit H. Alb. Lion. Gott. Vandenhoeck et Ruprecht 8. 1826.

P. V. M. Opera. Ad opt. libr. fidem recensuit, septem codd.

Digitized by Google

mss. lectionibus instruxit, in usum scholarum curavit N. V. Dorph, Rector scholae Hothernes. Havn., Gyldendal 8. 1829.

Vid. supra inter codd. p. 626 sq. Wagner in Iahnii annall. philoll. Vol. XI. p. 371 — 76. et all.

Ad emendanda vel explicanda Virgilii opera parum contulerunt editiones:

P. V. M. Opera, c. notis brevioribus ad us. scholarum Par., Delalain 18. 1817. repet. 1822.

P. V. M. Opera. Ad opt. edd. fidem scholarum in usum adornavit G. H. Lünemann. Gott. Deuerlich 8. 1818.

P. V. M. Bucolica. In us. iuventutis textum ad edit. Heyn. expressit et lectt. maxime memorabb. variet. adi. S. Meisling. Havn. Schubothe 8. 1818.

P. V. M. Opera quae extant ex Heynio-Brunckiana rec. edidit I. A. Amar. Par., Lefebvre. II Voll. 24. 1821. repet. 1826.

P. V. M. Opera omnia accuratiss. et select. Abrami notis et variorum de novo illustrata. Cum app. de diis et heroibus poet. P. I. Iuvencii. Par. Delalain 1823. 12. repet. Tulli, Carez 1825 et all.

P. V. M. Opera. Ad opt. edd. fidem scholarum in usum cur. H. L. I. Billerbeck. Hannov. Hahn 8. 1825.

P. V. M. Aeneis. Mit Wort- und Sacherklär. herausgeg. v. E. Th. Hohler. Wien, Volke IV Voll. 8. 1826. 27.

P. V. M. Opera ad novissimam Heynii edit. exacta cum notis selectis. Bononiae, Nobili III Voll. 8. 1828.

P. V. M. Opera omnia ad opt. libros collata notisque brevibus illustrata. Bruxellis 12. 1829.

P. V. M. Opera. Edit. nova variorum notis illustrata ad us. scholarum. Par., Perisse fr. 12. 1830.

P. V. M. Opera notis ex edit. Heyniana excerptis illustrata. Acc. index Maittair. Lond., Pickering 8. 1830.

Edd. Heynii Lipsienses repetitae Amstelod., Hesse 1809. 8. ibid., Buder et Sülpke 1810. 8. 1812. 8. Aveonii, Ioly 1818. 12. Cameraci (Cambrai) Hures 1822. II Voll. 12. Duriorigi Venetorum, (Vannes), Galles 1814. 12. Halae, librar. orphanotr. 1801. 8. ed. X. 1828. 8. Lips., Sommer 1810. 8. et all. Lond., Valpy 1814. 12. 1819. ed. IX. 1829. 18. ibid. Harding 1824. 12. et all. Lugduni, Perisse fr. 1829. 18. Nemausii (Nîmes) Gaudé fil. 1817. 12. Norimb., Riegel et Wiesner 1802. 8. 1810. 8. 1819. 12. Oxon., Bliss. 1812. II Voll. 32. ibid., Slatter 1829. II Voll. 18. Paris., Nyon 1817. 18. Dabo et Tremblay 1819. 18. 1825. 18. et all. Tulli (Toul) Carez 1823. 12. 1826. 12. et saepius alias.]

Me in recentioribus editionibus non pari diligentia quam in antiquioribus esse versatum, facile lector potuit animadvertere.

Digitized by Google

Non enim consilii mei rationibus hoc conveniebat. Repetitiones edd. omisi. De his adeat qui volet Bipontinos.

Ita quoque de ceteris, quae sive ad litterariam rem, sive ad varios philologorum et criticorum libellos spectant, ad Bibliothecam Fabricio-Ernestinam et ad Harlesii diligentiam remitto eos, quorum interest ea cognoscere.

Versiones Virgilii variarum linguarum varias commemorare multo minus seu otii seu consilii nostri erat. De Gallicis consuli potest Abb. Goujetus *Bibliotheque Françoise* Vol. V, chap. 4. et *Catalogue des Livres imprimés de la Biblioth. du Roi. Poetes* n. 922 sqq. de Italicis *Quadrio della Storia e Ragione d' ogni Poesia* et *Fontanini Biblioteca dell' Eloquenza Italiana con le Annotazioni dell' Apostolo Zeno* cap. V, it. *Catalogo della Libreria Capponi* p. 389 sqq. de Anglicis autem nunc habemus operam docte et sollerter navatam a viro eximio *Lud. Gul. Brüggemann* in *View of the English Editions, Translations and Illustrations of the ancient Greek and Latin Authors with Remarks* Stettin 1797. 8. Prostant quoque libri Schumelii et Degeni, in quibus recensus fiunt versionum teutonicarum. Eminet in his *Io. Henr. Vossii* versio Georgicorum et Bucolicorum metrica, summa cum arte facta, adiectis quoque notis multa doctrina refertis. Adiecit nuper nova editione ipsum poetam vir doctissimus. Et videri possunt super Verss. Socii Bipontini. Omnino mihi et animus et otium defuit ad versiones evolvendas et cum poeta comparandas, etsi in nonnullis, popularium inprimis, quos ingenio et doctrina satis instructos noram, conatibus non sine fructu me id facturum esse intelligebam.

✿ ✿

De antiquis Virgilii interpretibus.

De antiquis Virgilii Interpretibus diligentius agere cum constituissem, fregit impetum, quod audieram, viros doctissimos inter Belgas cum maxime eum lapidem volvere. Ne prorsus exspectationem destituam, nomina saltem, quae mihi se obtulere, apponam.

Cum de temporum, quibus vixere Grammatici, rationibus parum aut nihil constet, ad alphabeticum ordinem eos memorabimus; omnino illud praefati, si diligentius inquiras, paucissimos esse, quos data opera in Virgilium commentatos esse constet. Plerique in libellis suis grammaticis verba ex Virgilio laudarant et illustraverant, male propter haec in numerum Commentatorum relati. Praeiverat in plerisque Ge. Fabricius in Auctorum a Servio laudatorum Catalogo Servianis praefixo. Add. Burmann. Sec. praef. (p. 39.) et Harles Notit. litt. Rom. p. 233.

Digitized by Google

Parum subtili iudicio inter Grammaticos referuntur *Tucca* et *Varius*, amici poetae, quibus negotium ab Augusto datum esse fertur, ut Aeneidem emendarent. v. Vit. Virg. sub f. Donatus V. V. s. 52 sq.

Adamantius Martyrius: quo iure inter Virgilii commentatores habeatur, ignoro; nam, quae de Orthographia apud Cassiodorium ex eo excerpta sunt, nihil eiusmodi produnt.

Aemilius: apud Pompon. Sab. ad Aen. XI, 696, ubi v. verba in V. L. Nihil de eo aliunde constat.

Alexander: in Servianis ad VIII, 330, ubi Servius ipse eum sequi dicitur; quod et ap. Pompon. Sab. p. 399 extr. affirmatur de VI, 100. Add. ap. eund. p. 393 extr. p. 400. 401. 402. 404. Male de Alexandro Polyhistore cogitant viri docti. Probabilius est, fuisse eum, quem Maro puerum amasse et grammaticum dimisisse narratur in Donati Vita V. s. 20. 21.

L. Annaeus Cornutus. Aliquoties memoratur apud Serv. ad Aen. I, 45. 150. 488. IX, 348. et 675. et ad Ge. I, 277, ubi recte ille vetat, contra Probum, aspirationem in *Orcus* addi, ut sit Orchus. Apud Gell. II, 6, ubi de loco Ecl. VI, 73. „*Nonnulli grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haud sane indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt.*“ Ne tamen proprie hoc dictum putes, alter locus eiusdem vetare videri potest: IX, 8 *sed Annaeus Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus neque imprudens, in secundo tamen librorum, quos de figuris sententiarum composuit, egregiam totius istius verecundiae laudem* (*Coniugis infusus gr.* Aen. VIII, 404 sq.) *insulsa nimis et odiosa scrutatione violavit. Nam* — membra *tamen, inquit, paullo incautius posuit.* Potuere igitur et reliqua in hoc vel simili opere apposita esse. Add. Macrob. Sat. V, 19. Verum tamen Charis. Instit. gr. I. Putsch. pag. 100, 37 „Civitatium. *Annaeus Cornutus ad Italicum de Virgilio lib. X.* — et p. 102, 25 „*L. Annaeus Cornutus in Maronis commentariis Aeneidis X.* — Conf. Burmann. praef. (p. 40), ubi Scalig. ad Euseb. p. 197 laudatur.

Apronianus (de quo v. sup. de Virgil. Codd. s. IV.) inter Grammaticos, qui in Virgilium commentati sint, pluribus locis refertur a Pomponio Sabino; quo iure, non assequor.

Arusianus Messius: nobilis Grammaticus seu verius rhetor, saec. V. cf. Saxii Onomast. T. I, p. 511, ubi v. qui laudantur, inpr. Burm. praef. in Virg. (p. 41) Sunt eius *Elocutionum exempla* ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone, per litteras digesta.

Asconius Pedianus, qui sub Claudio et sequentibus annis vixit, an Commentarium in Virgilium scripserit, valde dubito. Fuit eius libellus contra obtrectatores Virgilii: teste Donato in V. V. s. 64, e quo petita esse videntur, quae in Servio et Philargyrio habentur ad Ecl. III, 105, IV, 11, et in Vita Virg. s. 21. 64. 65.

Digitized by Google

Asper: saepius ille in partes vocatus a Servio, etiam a Philargyrio. Ad Aen. VII, 648 *Contemtor divum.* Eum laudat Macrob. III, 5. Est *alius* antiquior, a Charisio, Prisciano, et aliis laudatus, *alius* iunior. De neutro quicquam ad liquidum perductum. Pomponius Sab. p. 153 in Aen. I, 88 *Eripiunt subito nubes caelumque diemque:* „Aemilius Asper in hoc loco ait: Haec membra natura sic solet iungere.“ Alius apud eundem locus est p. 400 ad Aen. VI, 114; item p. 401 et 419. Forte utroque loco leg. Velius Asper, idem qui Velius Longus. Benedictini Auctores Artis Diplom. Tom. III, p. 153. fragmenta Aspri in codice rescripto detexerant, et quidem siglis scripta; ex iis, quae inde apposuere, vix magnum fieri potest desiderium amissi operis. [Neque in maiori pretio habenda fragmenta, quae e cod. Veron. palimpsesto a. 1818 edidit Ang. Maius. Rec. in Servii comm. ed. Lion. Vol. II. p. 305 sqq.] Posuerat grammatica et poetica observata vel praecepta, subiectis pro exemplo Virgilianis verbis vel phrasibus.

Avienus. In Servio ad X, 272 „Avienus —, qui iambis scripsit Virgilii fabulas“ et ad v. 388 „Avienus, qui totum Virgilium et Livium iambis scripsit“ nullum fundum facit, cui aliquid superstruas. Ingeniose Wernsdorf. ad Poet. min. Tom. IV, p. 555 sqq. coniicit, Aeneidem contractam in breve carmen fuisse; alio autem loco, To. V. p. 673 ad Themata Virgiliana Avieni operam revocat. Non magis dixeris, quo libro illa de Cometis tradiderit, quae ibid. ad v. 272 memorantur. Avienus est inter eos, quos Macrobius Saturnalibus suis interesse voluit; diversus utique ab altero: vide Cannegiet. Diss. de Aviano c. 2.

Avitus. Donat. Vit. Virg. s. 63 „Sunt et Q. Octavii Aviti **Ὁμοιοτελεύτων** octo volumina, quibus annotantur, quos et unde versus transtulerit.“

Baebius Macer: laudatur a Servio ad Ecl. IX, 47, et Aen. V, 556. Ex neutro tamen loco commentatorem Maronis agnoscas.

Calvus vide *Titianus.*

Caper laudatur a Servio ad Aen. VI, 545. IX, 709. X, 788. XII, 120; quo ultimo loco veram lectionem prodit *Velati limo.* Nullus tamen locus probat, Caprum singularem in Virgilium librum scripsisse. Est autem Flavius Caper, cuius libellos grammaticos in Putschiano corpore habemus: alii periere.

Carminius. Eum in Virgilium scripsisse, loca ap. Servium ad Aen. VI, 638. 862. VIII, 406 vix probant; potuerunt omnia illa in libro *de elocutione* apposita esse, quem idem Servius memorat ad Aen. V, 233. At *Carminius de Italia libro secundo, curiosissimus et doctus scriptor*, ap. Macrob. V, 19 videtur Granius esse, quod Meursius coniectavit.

Carvilius Pictor: cuius liber fuit *Aeneidomastix.* Donat. Vit. Virg. s. 62.

Digitized by Google

Casuus Sacerdos: Eius *Paraphrasis super sex Virgilii libris*, item, *Trium Eclogarum V. enarrationes*, cum aliis libris grammaticis fuere reperti in Cod. Bobiensi; testante Raph. Volaterr. Comment. Urb. IV sub f., unde haec prodidit Fabric. B. L. Vol. III, p. 744. Forte Cassius Sacerdos verum nomen fuit.

Celsus, s. *Aruntius Celsus*, inter veteres Grammaticos est, quorum excerpta in Auctorib. LL. extant. Idem Plautum, Terentium, Virgilium, scholiis illustrasse fertur. Quae sub nomine Celsi laudantur, cum ad Georgica spectent omnia, in Cornelii Celsi libro *de re rustica* locum habere potuisse, ut nec neges, ita nec affirmes cum Bianconio Epp. de Celso: Ep. VII. Quae in Charisio occurrunt, p. 180 et 191, potuere in aliis libellis grammaticis occurrere.

Declamationes in Virgilium: Serv. in Aen. X, 532.

Ti. Claudius Donatus, recentior Aelio Donato, qui S. Hieronymi praeceptor fuit, Prisciano tamen et Servio, qui eum laudant, antiquior, Grammaticus: de quo vid. apud Saxium. *Vita Virgilii*, quae ad eum refertur, si modo eum auctorem habet, foedissime a monachis est interpolata. *Commentarius in Aeneidem*, ad Ti. Claudium Maximum Donatum, filium, scriptus, partim et ipse interpolatus est, partim argutiis rhetoricis ad fastidium est refertus; quo factum adeo, ut pro supposititio habitus sit: cf. Burm. praef. (p. 37). Ferebantur in antiquioribus edd. fragmenta ex eo pauca, iam inde ab edit. Ven. 1489. Pleniorem e bibliotheca Ioviani Pontani eum vulgavit Scipio Capycius Neap. 1535, unde, vix magno cum fructu ad iuventutem, recudi eum curavit Ge. Fabricius Basil. 1551., rep. 1561. 1575. 1586. 1613. Multo pleniora exemplaria in bibliothecis servari, a viris doctis affirmatur. vid. Burmann. praef. (pag. 38 sq.).

Eros librarius et libertus Virgilii. Donatus in Vit. Virg. s. 49.

Fabius Planciades Fulgentius de *allegoria libror. Virgilii ad Chalcidium Grammaticum:* sive de *expositione Virgilianae continentiae.* Primum ed. a Commelin. 1589, iterum a P. Daniele 1600, auctior e Cod. MS. et recusus a Munckero et van Staveren in auctoribus Mythographis Latinis. Vix ullum ex eo ad Virgilium fructum speret aliquis, cum insulsissime detorqueat nominum et sententiarum rationes ad virtutis morumque occultas interpretationes grammaticus ineptissimus. Quando vixerit, parum constat, nec expedire potuit Muncker. in praef. ad eum, nisi quod Afer fuit, et Vandalis Africam tenentibus saeculo forte sexto vixit.

Glossariolum Virgilianum prisco Maronis codici subiectum tractaverat Casp. Barthius, unde in Advers. XXXVII, 5 specimen proposuit. Comparando poterunt forte firmari nonnulla iam aliunde nota; alia sunt depravata et interpolata.

Gnifo. M. Antonium Gniphonem, de quo Sueton. ill. Gr.

Digitized by Google

7 memorat, in Georgica scripsisse, a Charisio proditum esse (Grammat. Putsch. p. 184, 3) aiunt; nec tamen ille locus necessario hoc infert. Omnino eundem esse negat Burmann. praef. (p. 40). cf. Heins. ad Claudian. pag. 180, ubi Schol. ad Ge. II, 119 MS. Leid. excitat.

„*Grillius* ad Virgilium de accentibus scribens" apud Priscian. Putsch. p. 560, 26.

[*Haterianus* ter quaterve evidenter legitur in Veronensi palimpsesto; tum et saepius verba eiusdem, omisso nomine, ibidem videntur occurrere. Is in distinguendis interpungendisque poetae membris operam suam collocavit. Lion in praef. ad Servium p. IX.]

Hebrus. Serv. ad Aen. VII, 6 *Quierunt:* „Hebrus *quierant* legit." Ad e. l. Burm. „Parrhas. Quaesit. per Epist. IV, 5 legit: Acron Helenius." Parum tamen probabile.

Herennius. vitia Virgilii contraxerat. Donat. Vita Virg. s. 62.

Hyginus. Iulius Hyginus: inter Commentatores Virgilii vulgo refertur. Forte idem eius liber fuit, qui *de agricultura* laudatur. Gell. I, 21 de loco Ge. II, 246. 247. *Hyginus, non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis, quae in Virgilium fecit,* — (invenerat *amaror*) et XVI, 6 *Hyginus Iulius — in quarto librorum, quos de Virgilio fecit.* Exscripsit Macrob. VI, 9, ubi „*in quinto librorum*" legitur. Est etiam locus in Aen. VII, 187, quem ille reprehenderat, Gellio teste V, 8; fieri tamen hoc potuit aliis in libellis, ut *de Urbibus Italicis*, *de Familiis Troianis*, quos Servius nec minus laudat. Ex priore utique libro petitum, quod in Servio habetur ad Aen. I, 277 et 530. VII, 47. Nescio unde petitum sit, quod in Servio legitur ad XII, 120 et ap. Iul. Sabin. ad VI, 616, pag. 401.

Iunii Philargyrii, vel *Philargyri*, Scholia in Bucolica et Georgica ad Valentinianum; unde colligere licet, si modo Valentinianus Augustus is est, Valentiniani Imp. aevo eum vixisse. „Illud certe constare putabat Ursinus, eum non longe a Servii aetate abfuisse et Virgilii chirographo usum esse, ut ex eius commentario apparet, in quo multa proferuntur ex iis scriptoribus, qui temporibus non nisi antiquissimis extabant." Sunt multa quae adversus haec disputari possint; rem tamen in medio relinquimus. Extant ex eo excerpta fragmento vetusto Serviano inserta et ab Ursino exscripta. vide sup. Edd. 1587. 1589. Inde in ed. P. Danielis 1600 et a P. Burmanno repetita. Notata in eum sunt nonnulla a Iano Broukhusio Tom. I edit. Burmann. add. eiusd. praefat. (pag. 34). et ante eum Ianum Rutgers. Var. Lect. VI, 15.

Iulius Pomponius Sabinus. De hoc satis multa dicta sunt sup. ad Edd. 1486, unde rep. 1519. 1544. 1561 et al. Basil.

Martius Salutaris a Charisio Putsch. p. 181, 18. 203, 46 ad

Digitized by Google

verba Virgiliana excitatur. Sed potuit hoc in opere grammatico diversi argumenti fieri.

Melissus [s. *Melistus*]. Fuit utique hoc nomine grammaticus: de quo v. Sueton. ill. Gr. 21. An vero in Virgilium commentatus sit, alia quaestio est. [Sed vid. Servium ed. Lion ad Aen. IV, 146.] Quod apud Donatum Vit. Virg. s. 27 ille tradidit, Virgilium sermone tardissimum fuisse, in libris *Ineptiarum* scriptum esse potuit. Ad Aen. VII, 66 in Servio est: Melissus „qui de apibus scripsit" hoc ab indocto interpolatore insertum esse arbitror. [Add. Virgilii Mar. interpretes veteres etc. Mediol. 1818. 8.]

[*Metrodorus* philosophus ab interprete anon. ap. Maium ad Aen. II, 299. a Philargyrio ad Geo. II, 336. et a Probo ad Geo. II, 224 laudatur.]

Modicius a Pontano et Cerda passim ad Aeneidem laudatur: noli tamen inter veteres Grammaticos eum referre. Est Gulielm. Modicius saec. XVI exeuntis poeta et grammaticus, qui *Virgilium a calumniis vindicatum* scripsit.

Nigidium Servius laudat; non vero tamquam grammaticum, qui in Virgilium commentatus sit. Eius *Commentarius grammaticalis* indefinite memoratur ap. Serv. ad I Ge. 120.

Nisus grammaticus passim laudatur in Opere Putsch. Quod inter Virgilii commentatores refertur, petitum est ex Vita Virg. Pseudodonati s. 60. [Anon. ap. Maium l. l. ad Aen. VIII, 105.]

Perilius Faustinus furta Virgilii collegerat. Donat. Vita Virg. s. 62.

Pollio. In Servianis ad Aen. VI, 554. ubi de aura ac vento in locis inferis agitur (conf. ad Ge. IV, 484) „De illo enim loco multi quaerunt: *quis tantus plangor ad auras?* Sed Pollio dicit Aeneae et Sibyllae, quas illi secum traxerant; cum constet etiam illic esse auras." Iul. Sabinus ad VI, 134 *Bis Stygios*. „Pollio admiratur, cum Aeneas esset futurus deus, cur dicat *bis*. Solvitur hoc, quia apud Homerum Ulysses vidit umbram Herculis apud inferos." Similes itaque ineptias in Maronem contulerant, quales Porphyrii aliorumque fuere in Homerum.

Probus. *Valerius Probus* Grammaticus: qui sit inter varios Probos, disputantem vid. Burmann. Sec. praef. (p. 35) et Tom. I Anthol. pag. 739. Probum illum veterem ex Neronis temporibus bene novimus ex Suetonii Ill. Gr. cap. 24; alter fuit saeculi Adrianei. Laudatur a Gellio IX, 9 eius iudicium de verss. Aen. I, 500 sq., aliud XIII, 20, ubi Georgicorum ms. autographum Virgilii habuisse narratur. Saepe Servio in Aeneidem, semel in Georgica, memoratur; etiam Donato in Comm. in Terent. et Macrob. V, 22. Commentarius eius in Bucolica et Georgica circumfertur, sed nomine tantum; sunt enim, uno vel altero loco forte excepto, tenuia et ieiuna excerpta, eaque interpolata, quae primus in lucem protulit Io. Bapt. Egnatius in edit. 1507 „quem-

Digitized by Google

admodum illa ex codice vetustissimo ms. Bobii quondam a Georgio Merula invento adnotaverat.“ Repetitus inde est a multis et Servii, Donati, aliorumque commentariis fere adiectus [et ex Veronensi palimpsesto ab A. Maio editus Mediol. 1816; rec. in Servio ed. Lion. Vol. II. 347 — 70. Cf. eund. in praef. Vol. I. p. IX.]

Servius Maurus Honoratus saec. V grammaticus. De eo vid. Burmann. praef. (p. 20 sq.). Alios, de eo qui egerint, vid. apud Saxium Onomast. Tom. I, pag. 471. add. Masvic. praef. De interpolationibus cf. Iusti Specim. Obss. crit. p. 35. Commentarium in Aeneidem prius exaraverat, tum in Eclogas, ultimo loco in Georgica; conf. Burmann. praef. (p. 22) et ad Ge. I, 208. Ex trinis his Commentariis habemus farraginem, bonis malisque, seriis ac nugis, adeo commixtam, ut, quid ad Servii auctoritatem referre malis, interdum vix in promtu habeas. Usus saltem eius ad interpretandum poetam esse potest exiguus aut nullus, nisi accesseris ad poetam ita iam literarum peritia et usu instructus, ut, quae tollenda an relinquenda sint, perspectum habeas. Sane multa inesse ex antiquioribus Interpretibus servata, dubitare vix licet: nec minus tamen innumera a serioribus attexta. Habuit enim idem fatum Servius, quod Graeci grammatici, ut essent, modo qui antiqua contraherent vel omitterent, modo qui excerptis alia, plerumque deteriora, admiscerent aut e margine insererent. Mirum hominis est studium revocandi pleraque ad veteres Romanas religiones, Pontificias et Flaminias; nec multum abest, quin Aeneam Flaminis munere fungentem exhibeat. Nullus est codex, qui omnia, quae sub eius nomine habemus, complectatur. Quid? quod narrant adeo codices nondum inspectos extare ampliores iis, qui expressi sunt: v. Burmann. praef. (p. 27); adde *de Brosses Salluste* Tom. III, p. 393. Primae editiones Servii valde erant contaminatae; itaque per superiores aetates virorum doctorum incredibile fuit studium in congerendis undique et amplificandis laciniis Servianis. De editionibus quidem diligenter actum est in edd. Virgilii recensu. Primo statim impetu a. 1471 prodiere edd. quinque. Emendarunt Servium Phil. Beroaldus, Lud. Carbo, P. Cenninus, Io. Calpurnius, Io. Bapt Egnatius, Rob. Stephanus, Ge. Fabricius, Fulv. Ursinus, P. Daniel, Masvicius, Burmannus.

[*Sulpicius* ad Aen. IX, 369 ab interprete anon. ap. Maium laudatur, his vv.: *hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse.*]

Terentius Scaurus, clarissimus Grammaticus, quo iure inter Commentatores Virgilii referatur, non reperio. [Vid. Serv. ad Aen. III, 484. Interpres anon. ap. Maium ad Aen. IV, 146. et V, 95.]

Titianus. „Et Titianus et Calvus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt et conformaverunt ad dicendi usum“ rhetores:

Digitized by Google

Serv. ad Aen. X, 18. Idem ad Aen. IV, 42 eius *Chorographiam* laudat. Conf. de eo Cannegieter ad Avian. p. 278 et Wernsdorf P. L. M. Tom. V, p. 666 sq.

Trogus. Servius ad Aen. VI, 783 *animos aequabit Olympo.* — „De hoc autem loco Trogus et Probus quaerunt.“ vid. ibid. Var. Lect. Laudatur Reines. Epp. ad Hofmann. pag. 660; nihil tamen ibi reperies praeterquam libertum Trogum ex marmore.

Urbanus. Ad decem sunt loca in Ge. et Aen. ap. Servium; unde vix licet dubitare, eum in Virgilium commentarios scripsisse.

Velius Longus, nobilis grammaticus. Macrob. Sat. III, 6. „*saxo vetusto* Aen. III, 84 Velius Longus: immutatio est, inquit, epitheti: vult enim dicere vetustatem templi: hunc multi alii commentatores sequuti sunt.“ Charis. lib. II in Putsch. p. 153, 17 „*dixere* pro dixerunt — quam figuram alii duplicem existimant, de qua etiam Velius Longus in secundum Aeneidos satis commentatus est: *Conticuere omnes intentique ora tenebant.*“ In Servianis ad Aen. X, 245: „Longus ait: deest *venerit*, unde et ipse *spectabis* legit.“ [Saepius laudatur ab interprete anon. ad Aen. Vid. Maius in edit. s. l. et Lion ed. Servii praef. p. IX.]

Victorinus. Unus Servii locus ad Aen. V, 373 *In mare purpureum.* — „Unde apparet Victorinum hoc loco errasse, qui *purpureum mare* rubrum esse dixit, quod est iuxta Indiam.“ Est is forte Fabius Marius Victorinus saec. IV rhetor, cuius libelli in Grammat. vet. habentur.

Virgiliomastix: apud Serv. ad Ecl. II, 22 et Aen. V, 521.

Digitized by Google

In demselben Verlage sind folgende Werke seither erschienen:

I. LATEINISCHE CLASSIKER.

Bibliotheca, nova, Romana classica probatissimos utriusque sermonis orationis Scriptores latinos exhibens. Ad optimarum editionem fidem scholarum in usum adornavit Dr. G. H. Lünemann. XII Tomi. 1825—1831. (244 Bog. in gr. 8. compr. Drucks.) Preis nur 5 thlr. 5 gr.

Von dieser durch ganz vorzügliche Correctheit, durch deutlichen Druck mit grösseren Lettern und durch möglichste Wohlfeilheit (à 6 pf. per Bogen) sich auszeichnenden Sammlung der gelesensten römischen Classiker zum Schulgebrauche sind die sämmtlichen Abtheilungen auch einzeln zu haben, und kosten: Tom. I. *Sucton*, 10 gr. *Sallust*, 4 gr. III u. IV. *Tacitus*, 2 Part. 20 gr. V u. VI. *Quintilian*, 2 Part. 20 gr. VII. *Curtius Rufus*, 9 gr. VIII. *Justin*, 8 gr. IX—XI. *Livius*, 3 Part. 1 rthl. 18 gr. XII. *Julius Cacsar*, 12 gr.

Caesaris, C. J., Commentarii de bell. Gall. et Civ. Acc. libri de bell. Alex., Afric. et Hisp. Mit geogr. krit. und gram. Anmerkungen von A. Möbius. 2 Thle. Mit 3 Kpfrn. gr. 8. 1825 u. 29. 3 rthl.

Ciceronis, M. T., Orationes XII seleetae. Mit histor. kritischen und erklärenden Anmerkungen von A. Möbius. (1r Bd. 16 gr. 2r Bd. 1 rthl. 4 gr.) Neue Aufl. gr. 8. 1831 u. 28. 1 rthl. 20 gr.

— — Orationes XII selectae ad opt. edit. fidem in usum schol. edit. A. Möbius. 8 mai. 1829 8 gr.

— — libri tres de natura Deorum, ex recensione J. A. Ernesti, et cum omn. eruditorum notis, quas J. Davisii ed. ult. habet. Acced. apparat. crit., ex ampl. XX Codd. Mss. nondum collatis, digestus a Dr. G. H. Mosero, qui idem suam annot. interpos. Copias crit. congess. D. Wyttenbachii sel. schol. suasque animadv. adj. F. Creuzer. 8 mai. 1818. 3 rthl. 12 gr.

Ciceronis, M. T., de Natura Deorum lib. tres, ad fid. Codd. Mss. correct., cum variorum lectionum delectu et notis ex Creuzeri suaque editione selectis, in us. literar. stud. edidit Dr. Moser. 8 mai. 1821. 18 gr.

Claudiani, C., opera ed. J. M. Gesner. 8 mai. 1759. 2 rthl. 16 gr.

Curtii, Q. Rufi, de rebus Alexandri M. libri X. Textu recognito, insigniori lect. varietate, notis indicibusque histor. atque philolog. adject. edidit J. C. Koken. 8 mai. 1817. 20 gr.

Horatii, Q. Flacci, Opera omnia. Rec. et illustravit Fr. Guil. Döring. II Vols. cum Indice. Editio nova. 8 mai. 1828. 29. 3 rthl. 12 gr. Die Indices dazu apart (auch zu allen sonstigen Ausgaben des Horaz passend). gr. 8. 1829. 1 rthl. 12 gr.

— — Opera omn. Rec. et ill. F. G. Döring. Editio min. 8 mai. 1830. 1 rthl.

— — Eclogae, cum select. Scholiast. vet. et G. Baxteri, J. M. Gesneri et J. C. Zeunii annot. recogn. F. H. Bothe, ed. rep. emend. 8 mai. 1822. 2 rthl.

Digitized by Google

Juvenalis, D. Junii, Aquinatis, Satyrae XVI ad optim. exempl. fid. recens., variet. lectionis perpetuoque commentario illustratae a G. A. Ruperti. Editio altera emend. II Vols. 8 mai. 1819—20. 7 rthl.

Ovidii Pub. Nasonis, Metamorphoseon libri XV. Mit krit. und erläut. Anmerk. von E. C. Chr. Bach, Director am Gymnasium zu Schaffhausen, Professor der lat. Sprache etc. Erster Band Lib. I—VII. gr. 8. Velin-Druckp. 1 rthl. 8 gr.

(Der zweite Band und eine ganz wohlfeile Textausgabe sind unter der Presse.)

— — — Tristium libri V. Ex recens. J. J. Oberlini. Notis perpetuis illustr. Fr. Th. Platz. 8 mai. 1825. 16 gr.

— — — Tristium libri V. In us. sch. ed. Fr. Th. Platz. 8 mai. 1825. 4 gr.

Petronii, T. Arbitri, Satyricon, ex rec. P. Burmanni etc. ed C. G. Anton. 8 mai. 1781. 1 rthl. 12 gr.

Plinii, C. C., Sec, epistolarum libri X, et Panegyricus, ex rec. et cum annotat. perpet. J. M. Gesneri, quib. J. M. Heusingeri, J. C. T. Ernesti suasque notas addidit G. H. Schaefer. 8 mai. 1805. 2 rthl. 12 gr.

Propertii, S. A., Carmina, rec. C. T. Kuinoel. 2 Tomi. 8 mai. 1805. 5 rthl.

Senecae, L. Annaei, tragoediae, penitus excussis membra. Florentin. adhibitisque Codicibus MSS. Ultraiect., editione principe Caroli Fernandi, etc., recognovit F. H. Bothe. III Vol. 8 mai. 1819. 3 rthl.

Taciti. C. C., opera ad optim. libr. fidem recogn. et annot. perpetua triplicique indice instr. G. A. Ruperti. Vol. IV. Libellum de Germania, vit. Agricolae et dial. de oratorib. complect. 8 mai. 1832. 2 rthl. 20 gr.

(Der 1ste Band ist unter der Presse und der 2te und 3te folgen baldigst nach, womit diese Ausgabe vollständig sein wird.)

Terentii, P. Afri, Comoediae. Ad Cdd. Mss. et opt. editiones recognov. variet. lectionis, comment. perpet. et indice verb. instr. F. Ch. G. Perlet. Editio nova non mutata sed aucta appendice animadv. 8 mai. 1827. 3 rthl.

Tibulli, A., Carmina, textu ad Codd. Mss. et editiones recognito, insigniori lectionis varietate, notis indicibusque adjectis, edidit E. C. Ch. Bach. 8 mai 1819. 1 rthl. 16 gr.

Vellejus Paterculus histor. romani libri II. textu recognito edidit A. H. Cludius. 8 mai. 1815. 12 gr.

— — Id. liber c. not. Ruhnkenii. 8 mai. 1815. 1 rthl. 8 gr.

II. GRIECHISCHE CLASSIKER.

Aeschyli Tragoediae ed. Bothe. 2 Tomi. 8 mai. 1831. 2 rthl. 16 gr.

(Daraus apart abgedruckt: Prometheus vinctus, Agamemnon, à 8 gr., Supplices, Septem adversus Thebas, Persae, Choephorae, Eumenides, à 6 gr.)

Herodis Attici quae supers. adnot. ill. R. Fiorello. 8 mai. 1801. 1 rthl.

Herodoti Musae. Textum ad Gaisfordii editionem recogn., perpetuo tum Fr. Creuzeri tum sua annot. instr., comment. de vita et scriptis Herodeti, tabul. geogr. indicesque adi. J. C. F. Bähr. Vol. I. 8 mai. 1830. 4 rthl.

Orphica c. notis H. Stephani, A. C. Eschenbachii, J. M. Gesneri, Th. Tyrwhittii recens. Godofr. Hermannus. 8. mai. 1805. 4 rthl.

Digitized by Google

Palaephati de incredibil. gr. ed. J. F. Fischer. 8 mai. 1789. 1 rthl. 12 gr.

Sophoclis Tragoediae ed. Bothe. II Tomi. 8 mai 1827. 3 rthl. 6 gr. (Daraus sind apart abgedruckt: Ajax, Electra, Oedipus Rex und Oedipus Coloneus. à 10 gr. Antigone, Trachiniae und Philoctetes à 8 gr.)

Thucydidis de bello peloponnes. libri VIII. Ad optim. codd. fidem, adhib. doctor. viror. observat, recens, summ et notis illustr., indicesque rer. et verbor. adiec. C. F. F. Haakius. 2 Tomi. 8 mai. 1820. 4 rthl.

— — — — — — — Recegnovit et cum brevi annot. max. part. exeget. in us. juvent. stud. accur. edid. C. F. F. Haacke. 8 mai. 1830. 1 rthl. 16 gr.

Xenophontis quae extant; ex libror. script. fide et virorum doct. conject. rec. et interpr. est J. G. Schneider, Saxo. VI Tomi. 8 mai. 11 rthl. 8 gr.

— — Tom. I. de Cyri disciplina libri VIII. recensuit J. C. Schneider, editio IIda auct. et emend. 8 mai. 1815. 2 rthl. 12 gr.

— — Tom. II. de expeditione Cyri commentarii. Editio 2. cur. F. A. Bornemano, add. Ricardi Porsoni adnot. integr. 8 mai. 1825. 2 rthl. 4 gr.

— — Tom. III. historiae graeca libri septem, recens. J. G. Schneider. Editio nova auct. et emendat. 8 mai. 1821. 1 rthl. 20 gr.

— — Tom. IV. Memorabilia Socratis et ej. Apologiam cont. Edit. nov.

— — Tom. V. Oeconomicus, Convivium, Hiero, Agesilaus, recensuit J. G. Schneider. 8 mai. 1805. 1 rthl.

— — Tom. VI. Opuscula polit., equestria et venatica, cum Arriani libello de venatione. Recens. J. G. Schneider. 8 mai. 1815. 2 rthl. 12 gr.

Xenophontis memorabilium Socratis dictor. libri IV. una cum Socratis Apologia in schol. usum illustrati et brevi verbor. indice instructi. Cur. D. F. G. Bornemann. Ed min. 8 mai. 1829. 12 gr.

Xenophontis Scripta, in usum lectorum, graecis literis tinctorum, commentariis ad rer. et verb. intellig. illustr. a B. Weiske, Vol. I — VI. 1798 — 1804. Statt 8 rthl. herabgesetzter Preis jetzt 4 rthl. 12 gr. (Tom. I. et II. Cyri disciplina. 2 Vols. 1 rthl. 4 gr. T. III. Anabasis 1 rthl. T. IV. Historia graeca. 1 rthl. T. V. Memorabilia etc. 20 gr. T. VI. de Rep. Lacedaemon. et Atheniensium. 12 gr.)

III. ALTE LITERATUR.

Billerbeck, Dr. Joh., Handbuch der alten Geographie, für Schulen und zum Nachschlagen bei der Vorbereitung auf die klassischen Schriftsteller. gr. 8. 1826. 20 gr.

Kühner, Dr. R., sämmtliche Anomalieen des griechischen Verbs im attischen Dialect, auf Analogien zurückgeführt, in tabellarischen Uebersichten dargestellt und als Anhang zu jeder Grammatik bearbeitet. In 4 Tab. Roy. Folio. 1831. 12 gr.

Nitzsch, G. W., erklärende Anmerk. zu Homers Odysse. 1r. und 2r. Band. Erklärungen des 1n bis 8n Gesanges. gr. 8. 1826 u. 1831. 2 rthl.

Nonius Marcellus de propr. serm. Addit. est Fulg. Planciad. de prisc. serm. Ex rec. et c. not. J. Mercerii. Ad ed. Paris. anni 1614 8. 1825. 2 rthl. 16 gr.

Vigeri, Franc., de praecipuis Graecae dictionis idiotismis liber, cum animadversionibus Henrici Hoogeveeni, Joannis Caroli Zeunii et Godofredi Hermanni. Edit. tert. auct. et emend. 8 mai. 1822. 3 rthl.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google